Clas: 2. Lit.
. L.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO
32
5 E
16

PARAPHRASTICA ELVCIDATIO IN SACROSANCTA IESV CHRISTI EVANGELIA SECVNDVM MATTHAEVM ET IOANNEM,

***

ADDITIS ANNOTATIONIBVS IN LOCA DIFFICILIORA.

Authore D. Franciſco Titelmanno Haſſellenſi, ordinis Fratrum Minorum.

IN VIRTVTE

ET FORTVNA.

LVGDVNI,
APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,
SVB SCVTO VENETO.

1556.

ILLVSTRISSIMO DO. ET EXIMIA VIRTVTE SPLENDIDO, D. Georgio ab Auſtria, Epiſcopo Leodienſi, Duci Bullonienſi, & Comiti Loſſenſi, Petrus Titelmannus, Haſſellenſis, Salutem precatur plurimam & proſperitatem.

MVLTVM Diuque cogitaui (ampliſsimè Præſul) quonā officij genere dignitati tuæ reſponderent. Tandem verò, animo occurrit, doctiſsimo Præſuli nihil gratius offerri poſſe, literario aliquo munuſculo: quare nactus occaſionem, Lucubrationes fratris mei piæ memoriæ Franciſci Titelmanni in Matthæum & Ioannem, Typographis excudendum commiſi. Quas vti nemini lubentius, quàm tuæ celſitudini nuncupo: ita neque titulo iuſtiori cuiquam deberi puto. Non ſecus enim quàm patris gloria (iuxta ſapientis dictum) eſt filius ſapiens: ipſius quoque populi gloria, aut decor, aut ornamentum (ſi quod eſt) in patriæ principem redundat. Nec veritus ſum ne munuſculum hoc tam exile, tamque tua celſitudine indignum recuſes: cùm ſic tua paſsim prædicetur humanitas, & nulli non perpetuò expoſita beneuolentia: vt nihil non gratum forè polliceri videatur, quod pectore candido offertur. Nihil profectò hic alienum ſentis Opti. Præſul à Saluatoris noſtri Ieſu ſententia: qui duo æra minuta ex victu quotidiano deciſa, à vidua paupercula oblata, non ſolum admiſit, ſed etiam ampliſsimis diuitum muneribus prætulit. Hoc igitur munuſculum exiguum, has Titelmanni defuncti lucubrationes in Matthæum & Ioannem Chriſti Apoſto. celſitudini tuæ dico, qui quidem Matthæus poſtea primus ordine ſuis Hebræis factus Euangeliſta: quod familiari conuictu ex Chriſto accepit, coram vidit, & cōtractauit, in orthodoxæ fidei noſtræ baſim, & perpetuum ſtabilimentum conſcripſit. Hic Matthæus ex telonij lucris, quibus ſummo ſtudio inhiabat, repentè factus Apoſtolus Chriſti vocatione: nos ſuo exemplo docet de nullo quantumuis peccatore (quandiu vita contingit) eſſe deſperandum: additque veniæ ſpem ſummis etiam vitiis irritis. Quod viuum exemplum, vtinam & iis quibus cura & poteſtas ligandi & ſoluendi commiſſa eſt, & qui ſoluendos ſeſe offe-

runt,perpetuò ob oculos verſetur. Sic enim fiet, vt & hi diſcant peccata cum Matthæo relinquere, & occaſiones fugere priuſquam ſolutionem quærant: & illi quantumuis grauiter offendentem benignè ſuſcipere: & non magno ſupercilio contemnere. Conſilium autem huius laboris ſuſcepti, hoc fuit: quòd vir pius videbat Euangelium Chriſti paſsim, & à nullo non circunferri, & ſæpius verùm & germanum ſenſum Euangelicum à maleuolis in diuerſum detorqueri, non ſine magno ſimplicium hominum offendiculo. Videbatur ergo ſibi pretium operæ facturus, ſi breuibus ac perinde lucidis verbis ſententiam germanam Euangelij exponeret: ita vt textus ex aduerſo reſpondeat, in hoc plus rudioribus quàm doctis profuturus. Ad quod opus eò ſe paratiorem præbuit, quòd ante annos aliquot tam fœliciter idem in Paulinas epiſtolas, & reliquas quas Canonicas vocant, præſtitiſſet: vt cùm exemplarium multa millia per varias regiones ſint diſperſa: non ceſſet tamen hactenus prælum noua cudere. Quod idem quoque factum vidimus nuper, cùm lucubrationes in beati Ioannis Euangelium prælo committeremus. Quid autem hoc opuſculum vtilitatis habeat, quid artis aut eruditionis inſit; quæ Lectori commoditas, quem conſequatur fructum, ſi quis hunc ſibi Apoſtolum familiarem faciat, ac cum illo aſsiduò cōfabuletur: nihil ſtatui proſequi: ſed id totum celſitudinis tuæ exactiſsimo & eruditiſsimo iudicio examinandum relinquo, cui id, quicqud eſt operis, nuncupo. Tuæ enim celſitudini ſiue ea ratione probetur, quod miro compendio ſit compoſitum: ſiue authoris aut patriæ nomine: aut ſi id ſaltem impetrem, vt non diſpliceat noſtra temeritas: erit profectó affatim animo meo ſatisfactum. Quum hoc vnum certo ſciam, in mercedem me accepturum opus ipſum tuæ celſitudinis nomine multis alioqui non lecturis commendatum iri. Pius Princeps Ieſus Chriſtus Saluator noſter, nobis tuam celſitudinem quàm diutiſsimè ſeruet incolumem, & florentem. Datum Rothnaci. Sexto idus Octobris. Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto.

MATTHAEVS EVANGELISTA MIRO VERSVVM COMPENDIO CONTRACTVS.

A Patribus genitum texit te Chriſte Matthaus
Clam Ioſeph fugeret, angelus hunc retinet.
Bimos rex perimit, dant reges munera, Ioſeph
Iuſſus in Aegyptum fert q́ꝫ referi puerum
Cælorum regnum, baptiſmum, vipereosq́ꝫ
Vox docet, atque Ieſum, patre tonante lauat.
De monte tentatus Ieſus ad tria per tria vincit
Hinc docet, & ſanat, diſcipulosq́ꝫ vocat.
Et montem gradiens toties beat, & ſaliat ſal
Præceptis iungit, plurima conſilia,
Formans orandi normam, ieiunia ſubdit:
Veſtis, theſauri, ſit neque cura tibi.
Grandia do petite, iudex neſis, via ſtrict aeſt
Arbor pſeudo probat, ſi petra firma domus
Hinc leproſum, Centurij quoque puerum ſanat
Et ſocrum Petri, ſtat mare, grexq́ꝫ perit:
Iſtic contractus graditur, tulit atque Matthaum
Principis & natam poſt fluidam reparat
Iuſſit mira ſuis dans nomina diſcipulis, vt
Mites ſint, humiles, & patienter agant.
Laudatur Baptiſta, Dei regnum patitur vim
Vætibi Corozaim, confiteorq́ꝫ pater
Mulgentes ſpicas excuſat, dæmone pulſo
Beelzebub aſſcribunt, ſigna Ionæ dat eis.
Naue ſedens docuit zizania ſemine iacto
Orta, Dei regnum ſitq́ꝫ ſagena maris.

Obſcuro moritur gladio tunc vox, qui cibantur
Millia quinque, matre calcat, abitq́ Petrus
Propter non lotas non inquinat eſca manus cor
Poſt Cananæa rogat, mille quaterq́ cibat.
Quærunt ſigna mali, caueas paſcham Phariſæi
Dat claues Petro, tolle crucemq́ ſequens
Reſplendet Domini facies, lunaticus æger
Curatur, ſtaterem piſcis ab ore vomit.
Scandala ſint abs te, maior minor eſt, ouis errat
Corripe, dimiſſa debita ſerue dabis.
Tractat coniugium, docet eunuchos, pueros ſic
Petrus non diues, linquere cuncta valet.
Vno cultores gaudent titulo pretij, mors
Panditur, hinc natus mater ad alta petit
Aſcendens aſinum greſſu templum ſubit, atque
Subuertit menſas, natus hæres moritur
Bina rex vice conuiuas vocat, eijcitur qui
Veſte caret, Cæſar quæ ſua ſunt capiat
Conſulitur, cathedra Moſi ne facta ſequamur
Væ cumulatur eis qui lapidantq́ necant
De mundi fine dat plurima ſigna Matthæus
Sint vigiles omnes, nam quaſi fur veniet
Æquat virgineo generi tunc regna, talenta
Quinque dat, hinc iudex præmia digna dabit.
Fit conuentus, paſcha ſuis dat, taditur vnctus
Raptat turba Ieſum, quem Petre ter renegas.
Gutture ſe Iudas ſtringit, Ieſus ante Pilatum
Stat, deluſus, & hunc mors rapit & ſepelit
Hunc quærunt ſanctæ ſub veſpere fortè Mariæ
Angelus hic loquitur, hinc abijt Dominus.

FINIS.

ELENCHVS CAPITVM EVANGELII SECVNDVM MATTHAEVM.

1 Genealogia Chriſti.
2 De magis & pueris interfect.
3 Primus Ioannes prędicauit regnum cælorum.
4 De tentatione Chriſti.
De vocatione Petri, Andreæ, & filiorum Zebedæi.
5 De beatitudinibus.
Cum proximo nõ cõtendẽdum,
Non mœchandum.
Vxorem non repudiandum.
Non iurandum.
Iniuriam patienter tolerandum.
Diligendos eſſe inimicos.
6 De eleemoſyna, oratione, ieiunio.
De contẽnenda terrenorũ cura.
7 Quomodo nullum cõdemnare liceat.
Petendum eſſe.
Cauẽdos eſſe pſeudoprophetas.
8 De leproſo.
De Centurione.
De ſocru Petri.
De dæmoniacis curatis.
De adoleſcente ſequi iuſſo.
De ſedata tempeſtate maris.
De dæmoniis in porcis eiectis.
9 De paralytico.
De Matthæo.
De Chriſto cum publicanis ſumente cibum.
De filia archiſynagogi,
De muliere ſanguinis profluuio laborante.
De duobus cæcis.
De muto dæmoniaco.
10 Inſtruit duodecim Apoſtolos, dans illis poteſtatem curandi.
11 De diſcipulis à Ioanne miſsis.
12 De diſcipulis ſabato vellentibus ſpicas.
De ſanata manu arida.
De dæmoniaco cæco & muto.
De requirentibus ſignum.
De matre & fratribus.
13 Parabolæ ſeminantis & regni cælorum.
14 De Ioanne & Herode.
De quinque panibus & duobus piſcibus.
De ambulante Ieſu ſuper mare.
15 De tranſgreſsione præcepti Dei propter inſtitutiones humanas.
De Cananæa.
De turbis ſanatis.
De ſeptem panibus.
16 De fermento Phariſæorum.
De interrogatione apud Cęſarẽ
De hortatiõe Petri, ne Ieſus &c.
17 De transformatione Chriſti.
De lunatico.
De exigentibus didrachma.
18 De quærentibus quis maior.
De offendiculo abiiciendo.

De centum ouibus parabola.
De correptione proximi.
De poteſtate ligandi ſoluendiq́;.
De eo qui habebat decem millia talenta.
19 De interrogantibus, an liceret diuortium facere.
De diuite interrogante Ieſum.
20 De mercede conductis operariis.
De filiis Zebedæi.
De duobus cæcis.
21 De aſina & pullo.
De cæcis & claudis.
De ficu quæ exaruit.
De principibus ſacerdotum interrogantibus dominum.
De duobus filiis parabola.
De vinea.
22 De vocatis ad nuptias.
De cenſu Cæſaris.
De Sadducæis.
De legiſdoctore Chriſtum interrogante.
De quæſtione domini.
23 Deploratio Scribarum & Phariſæorum.
24 De conſummatione, die, & hora.
25 De decem virginibus.
De his qui talenta acceperunt.
De aduentu Chriſti.
26 De ea quæ vnxit dominum.
De paſchate.
De typo myſtico.
De proditione Iudæ, Caipha.
Negatio Petri.
27 De præſide Pilato.
De pœnitentia Iudæ.
De tormentis & pœnis Ieſu, & morte eius.
De petitione corporis domini, & ſepulchri cuſtodibus.
28 De Chriſti reſurrectione.
De ſepulchri cuſtodibus, teſtibus reſurrectionis.
Quomodo ſe præbuit Ieſus videndum mulieribus & apoſtolis in Galilæa.

FINIS.

INDEX EORVM

QVAE IN HOC VOLVMINE *CONTINENTVR, M, MAT-* THAEVM, I, IOAN- NEM SIGNI- FICAT.

A

ABnegatio ſui & crux. 230.*M*
Abrahę filij. 139.*I*
Abraham. 144.*I*
Abſcondit ſe Chriſtus. 208.*I*
Abraham vidit diem Chriſti. 145.*I*
Acetum. 437.*M*
Acheldemach, id eſt, ager ſanguinis. 427.*M*
Accipere miſſum à Chriſto. 55.*I*
Ad Caipham ducitur. 420.*M*
Adiurare. 422.*M*
Adoratio vera. 50.*I*
Adorare. 47.*M*.160.*I*
Adulterium. 66.*M*
Aetas Chriſti. 151.*I*
Affectus proprię laudis alienus à nobis eſſe debet. 90.*M*
Affines Chriſti infideles. 113.*I*
Afflictiones. 257.*I*
Afflictiones in prędicando euangelio. 252.*I*
Afflictiones euangelizãtium. 248.*I*
Afflictis ꝓpter Chriſtũ merces. 58.*M*
Afflictiones propter Chriſtũ. 244.*I*
Afflictio. 140.*M*
Agnus Dei Chriſtus. 9.*I*
Agricola. 240.*I*
Agricolę filius occiſus ab agricolis. 316.M
Alapa cęſus Chriſtus. 270.*I*
Altilia quę dicuntur. 343.*M*
Amandus à Zierchea de Chriſti genealogia. 13.*M*
Ambigua loquendi forma hęreſeos occaſio fuit. 21.*M*
Amici Chriſti. 243.*I*
Amor. 149.*M*
Amor in Chriſtum paſtori euangelio neceſſarius. 299.*I*
Andreas. 12.*I*
Angeli. 47.377.*M*
Angelus quid, & eius diuerſa ſignificata. 90.*M*
Angelus deſcendit de cęlo. 441.*M*
Angeli. 253.*M*.61.290.*I*
Animam perdere. 150.*M*
Animam ponere. 176.*I*
Antichriſtus. 79.*I*
ἀνταλάγμα quid. 235.*M*
Ancipitis conſtructionis ratio in genealogia. 8.*M*
ἀντλημα 58.*I*
Apoſynagogum eſſe. 162.*I*
Apoſtolis datur gratia ſanitatum 131.*M*
Apoſtolus vnde dictus. 653.*M*
Apoſtolorum nomina. ibid.
Apoſtolis prędicit Chriſtus mortem ſuam. 228.*M*.
Apoſtoli odio habiti à mundo. 64.*I*
Apoſtoli mittuntur ad prędicãdum. 444.*M*.
Apoſtolis datur ſpiritus ſanctus & claues. 293 *I*

Apoſtoli ignorantes reſurrectionem. 289.I
Apoſtoli ſcandalizati 413.M.
Apoſtoli tactati ſinctibus. 204.M
Apoſtoli mittuntur ad prædicãdum euangelium 133.M
Apoſtoli ingreſſi domum. 137.M
Apoſtoli. 259.I
Aqua viua. 48 I
Aquam in vinum conuerſam. 25.I
Aqua. 38 M
Arbor & fructus. 98.M
Arbor bona aut mala. 182.M
Architriclinus. 32.I
Argentum. 134.M
Arida manus ſanatur in ſabbato. 17.6M
Ars ſcenofactoria. 126 I
Aſcendens in cælum chriſtus adoratur ab apoſtolis. 444.M
Aſcendens in cælum. 36.I
Aſcenſurus Chriſtus ad patrẽ. 256.I
Aſcenſio. 252 I
Auricula ſeruo pontificis amputatur. 419.M.
Auricula Malcho *abſciſſa.* 167.I
Aurum. 134. M

B

BAptiſmus Ioannis. 312 M
Baptizat Ioannes. 37.M
Baptizant diſcipuli Chriſtum. 67 I
Barrabam petunt Iudæi ſibi dimitti. 430.M
Barrabam petunt Iudæi. 275.I
Barrachias idem qui Ioiada. 366.M
Battologia quid, & vnde deductum vocabulum. 91.M
Bethſaida. 166.M
Bethſaida piſcina. 74.I
Beroſus Caldæus author fide dignus. 385.M.
Benedicti. 393. M
Beth. 74.I
Bethſabæ vna ex quatuor mulieribus peccatricibus a Matthæo *nominatim deſignatis à peccato purgatur.* 9.M
Bethania. 20.I
Bethabara. ibidem
Bethſaida. ibidem
Bethleem in tribu Zabulon. 21.I
Bethleem in tribu Iuda. ibidem.
Bipennis ſecuris. 53.M
Blaſphemia. 126.179 & 181.M
Blaſphemia. 117.169.I
Blaſphemia in Chriſtũ. 143.I.434.M
Bonus Deus. 277.M

C

CAiphas interrogat Chriſtum. 269.I
Caiphas prophetat Chriſtum moriendum. 190.I
Caiphas. 268 I
Calix. 293.M
Camelum glutire. 363.M
Cameli vocabulo non animal, ſed reſtam nauticam intelligendum ibidem.
Canes. 96.214.M
Canes duas aßignat Hieronymus. 34.M.& 29.I
Capilli. 147.M
Capharnaum. 33.I
Capharnaum. 167.M
Caput amputatur Ioanni Baptiſtæ. 201.M.
Captiuitas triplex. 20.M
Caro. 35.95.I.436.M
Caro Chriſti. 94.I
Caſtellum quid. 323.M

Cauendum ab iis qui ſe falſo Chriſtos dicunt. 374. M
Caci duo. 297. M
Caci. 197. I
Cacus ad gloriam Dei. 152. I
Caci duo fide in Chriſtum ſanantur. 125. M
Caci cæcos ducentes. 210. M
Cæcus interrogatur à Phariſæis. 154. I
Caco nato reſtituitur viſus. 153. I
Centurionis fides. 108. M
Cephas. 13. I
Chananæa filia ſanatur. 212. M
Charitas. 371. M
Chorozaim. 166. M
Chriſtus ſalus. 254. M
Chriſtus omnia patri tribuit. 67. I
Chriſtus cum matre & diſcipulis in Capharnaum. 26. I
Chriſtus filius Dei. 65. I
Chriſtum Beelzebub vocatum nuſquã in ſcripturis legitur. 155. M
Chriſtus docet populum in templo. 131. I
Chriſtus ſponte ſe tradidit pro ouibus. 168. I
Chriſtus dilectus audiens. 237. M
Chriſtus & Ioannes. 165. M
Chriſtus cur dicatur primogenitus. 23. M
Chriſtus cum ſuis. 236. I
Chriſtus iudex. 231. M
Chriſto pedes vnguntur à muliere. 407. M
Chriſtus quare odio habitus. 154. I
Chriſtus cœnat apud Martham cum Lazaro. 198. I
Chriſtus Deus. 295. I
Chriſtus coram Pilato. 271. I
Chriſtus quadrageſimum exceſſit annum. 151. I
Chriſtus conſpicitur à mulieribus. 442. M
Chriſtus crucifigendus traditur Iudæis. 279. I
Chriſtus à Galilæis ſuſcipitur. 55. I.
Chriſtus miſſus Iudæis. 213. M
Chriſtus lachrimatur. 185. I
Chriſtum vnde mater alloqui. 186. M
Chriſtus illuditur & conſpuitur. 432. M
Chriſtus non ſuſcipitur à Nazaræis. 198. M.
Chriſti poteſtas. 100. M
Chriſtus de peccatoribus naſci voluit. 9. M
Chriſtus filius Dei. 225. M
Chriſti humanitas. 59. I
Chriſtus conſpicitur ab apoſtolis. 292. I
Chriſto multi credunt propter miracula. 28. I
Chriſtus in Iudæa. 39. I
Chriſtus prædicat pœnitentiam & ſe aduenisse. 49. M
Chriſtus Deus per quem omnia facta. 1. I
Chriſtus à Paulo Apoſtolus vocatur. 153. M
Chriſtus baptizatur. 40. M
Chriſtus rectè dicitur Nazaræus. 33. M
Chriſtus ducitur ad Annam, dein ad Caypham. 268. I
Chriſtus in ſcripturis dux & ſacerdos ſummus appellatur. 20. M
Chriſtus crucifigendus. 207. I
Chriſtum Emanuel appellatum in Euangeliis nuſquam legitur. 12. M

Chriſti paupertas. 110.*M*
Chriſti diuinitas. 231.*I*
Chriſtus docet. 115.*I*
Chriſtus cur filius Abraham & Dauid peculiariter vocetur. 8 *M*
Chriſtus lauat pedes apoſt. 220.*I*
Chriſti natiuitas. 7.*M*
Chriſtus aſina inſidens ingreditur Hieroſolymam. 304.M
Chriſtus Galilæus vocatur. 130.*I*
Cibus Chriſti. 52.*I*
Ciuitas. 60.*M*
Claues. 227.*M*
Claudere regnum cælorum. 350.*M*
Comedentes domos viduarum. 351.*M*
Comedere domum prouerbialiter dictum. 363.*M*
Condemnatio grauior iudicio. 103.*M*
Colibus. 33.*I*
Condonandum fratri. 82.*M*
Confeſſio peccatorum Phariſæi. 37.*M*
Confiteri Chriſtum. 148.*M*
Conſideratio nominis Ieſu. 18.*M*
Conſummare omnes ciuitates Iſraël nonè dictum. 155.*M*
Conſilium Phariſæorum contra Chriſtum. 189.*I*
Conſilium ſacerdotum contra Chriſtum. 406.*M*
Conſpuitur & alapis cæditur. 423.*M*
Corpus. 85.*M*
Correptio. 255.*M*
Coronatur ſpinis. 432.M
Corrigiam calceamentorum. 20.*I*
Contor. 57.*I*
Credunt multi. 174.*I*
Credere. 295.*I*
Credunt multi de turba. 120.*I*
Credunt Iudæi aliqui. 138.*I*
Credentes ob Lazarum ſuſcitatum. 160.*I*
Crura latronibus franguntur. 285.*I*
Crucifigendus Chriſtus. 136.*I*
Crucifigitur. 434.*M*
Cyrillus Chryſoſtomo & Theophylacto vetuſtior. 17.*I*

D

Datum nominaliter pro dono accipi. 104
Defunctio Iudæorum. 372.*M*
Δεκάπολις *quid.* 53.*M*
Dæmoniacus ſanatur. 178.*M*
Dæmones in porcos abeunt. 114 *M*
Deus & diuitiæ. 86.*M*
Deus non tentandus. 46.*M*
Deus ſolus verus doctor & magiſter hominis. 362.*M*
Deus verax. 41.*I*
Deus orari vult. 18.*M*
Deus viuentium 334.*M*
Deus ſuos tentationi ſuccumbere non ſinit quantumuis lentè aliquando liberet. 18.*M*
Deus pater Chriſti. 138.*I*
De manu & pede abſcõdendo. 252.*M*
Decimare mentam. 354.*M*
Denarius numerus rectè vniuerſitati comparatur. 396.*M*
De reſurrectione Chriſtum interrogant Sadducæi. 332.*M*
De aduentu Chriſti. 379.M
Decimare quis dicatur. 363.M
Deſtructio Iudæorum. 368.M
Debiles qui dicantur. 220.M
Diabolus pater infidelium. 142.*I*
Diabolus pater mendacij. 150.*I*
Diabolus Iudas. 97.*I*
Dij qui. 172.*I*
per Diei horas duodecim, apoſtolos ſignificari. 192.*I*

Diſſamare præter communem vſum in bonam accipitur partem. 131. M
Dilectio. 37.227.235. I
Dilectio Dei. 335. M
Dilectio proximi. 336.M
Dilectio Chriſti erga nos. 231. I
Diluuium. 379 M
Diſcipuli vento agitati in mari. 83. I
Diſcipuli Ioannis Chriſtum ſequuntur. 11. I
Diſcipulus. 143.M
Diſcipuli ſcandalizati recedũt à Chriſto. 96. I
Diſcipuli nomine, Chriſtus intelligitur quandoque. 155. M
Diſcipuli ſpicas vellunt. 175. M
Diſcipuli Chriſti vnde cognoſcuntur. 227.
Diſcordia. 149 . M
Diſſonantia inter Matthæum *& Lucam de Centurione.* 115.M
Diuitiæ. 191. M
Diſcentem oportet credere. 44. I
Diſſenſio in turba ob Chriſtum. 122.I
Diſſenſio propter Chriſtum. 169. I
Diues. 280. M
Doceri à Deo. 91. I
Doctus ad regnum cælorum. 198.M
Domus orationis. 27.I
Domus ſupra Petram. 100.M
Donec vocabulum, quo pacto in ſcripturis accipiatur. 23. M
Dormientes diſcipuli. 415. M
Dormire & dormitare quid differant. 405. M
Duntaxat nominatim eos deſignari in generatione per quos Chriſti linea deducitur. 9. M

E

AEdificare ſepulchra prophetarum 356. M
Electio. 244. I
Electio Dei. 71. I
Eleemoſyna. 76. M
Elia venturo Ioanne baptiſta. 237.M
Emanuel quo pacto in ſcripturis accipiendum. 22. M
Encænia. 177. I
Ephren. 191. 198. I
Eſurientis. 56. M
Euangelium. 127. M
Euangeliſtarum manifeſtum diſcordium. 130. M
Euangelicos prædicatores quales eſſe oporteat. 134. M
Euangelij prædicatio. 372. M
Euangelium reijcientes. 137. M
Eunuchi qui dicantur. 286.M
Eunuchi. 274. M
Excolare culicem. 303. M
Excommunicatio. 257.M 162. I
Excõmunicant̃ q Chriſto credũt. 166.I
Excuſantur à peccato Thamar Rahab, Ruth, Bethſabea. 9.M
Exitus. 175. I
Exprobrat Chriſtus ciuitatibus infidelibus. 166.M
Expoſitio parabolæ ſeminãtis. 190.M
Exponit̃ parabola Zizaniorũ. 195.M
Extremum iudicium quale. 392.M

G

FAcies. 128. I
Falſi teſtes. 421. M
Famulitium quid differat à familia. 385. M
Fermentum Herodis. 345. M
Fermenti parabola. 194. M
Fermentum Phariſæorum hypocriſis. 156. M
Fermentum Phariſæorum. 223. M

Fermen

Fermentum pro doctrina. 224.M
Feſtus dies. 128.I
Filius. 139.I
Filij Dei. 3.I
Filij Abrahæ. 37.M
Fides. 37.56.67.73.90.122.137.187.
231.256.I.108.204.M
Fides Nathanaëlis. 14.I
Fides Marthæ. 183.I
Fides à Deo 225.M
Fides in Chriſtum. 37.I
Fides in Chriſtum à patre eſt. 102.M
Fides purgat. 240.I
Fidei virtus. 242.M
Fides vita æterna. 42.I
Fides in oratione. 308.M
Ficus areſacta. 309.M
Fimbria veſtimenti. 205.M
Fimbriarum inſtitutio. 361.M
Filioli. 227.I
Finis legis, Chriſtus. 229.I
Filia Sion & filia Hieruſalem. 323.M
Filius reguli ſanatur. 56.I
Filius dilectus Chriſtus. 41.M
Flagellatur Chriſtus & coronatur ſpinis. 276.I
Fœnum. 88.M.98.I
Fornicatio. 141.149.I
Fratres qui dicantur in ſcripturis. 126.I
Fratri reſipiſcenti ſemper parcendum. 219.M.
Frater. 186.M
Fratres. 349.442 M
Fratres Chriſti. 127.I
Fructus doctorum dupliciter poſſe accipi. 104.M
Fructus pecuniæ. 37.M
Fructus. 38.M.242.I
Fugit Ioſeph cum Ieſu & mater in Aegyptum. 30.M

G

Galilæa Chriſti patria. 59.I
Gallina. 359.M
Gaudium. 239.242.I
Gaudium Chriſti. 262.I
Genealogiæ tres quaterdenæ diuerſis modis accipi. 13.M
Generatio mala & adultera. 232.M
Gentes. 133.M.121.I
Genezareth ſtagnum. 32.I
Gentium vocatio. 108.326.M
Gentes Chriſto crediture 266.I
Gentium ſpes Chriſtus. 177.M
Gladio perituri. 419.M
Gladius. 149.M
Gloria Chriſti. 26.I
Gloria Dei. 187.I
Gloria ab homine. 73.I
Gloria Deo. 157.I
Gloria hominum. 209.I
Gomorrha Gomorrorũ Latinis in vſu non eſt. 154.M
Granum ſinapis. 193.M
Gratiarum actio. 202.217.M
Gratia. 5.I

H

Haereſeos de vocabulo primogeniti confutatio. 23.M
Heluidij hæretici error confutatur. 23.M
Herodis iudicium de Ieſu. 200.M
Herodiani qui dicantur. 344.M
Herodes pueros occidit. 31.M
Herodiani cum Sadducæis conſentiũt. 345.M
ἡγούμενος quid ſonat ad verbum. 34.M
Hominem nouit Chriſtus. 29.I
Homo peregre proficiſcens, ſeruis talenta

lenta tradit. 388. M
Honorificare Chriſtum. 67 I
Hora. 135. I
Horæ diei duodecim. 181. I
Humilitas. 250. M
Hypocriſis vera. 360. M
Hypocritarum triſtitia non ad animum ſed corpus referatur. 92. M
Hypocritæ. 381. M

I

IEchoniæ vno nomine Matthæum, vel duos eiuſdem nominis computaſſe vel vnum præteriiſſe. 12. M
Iechoniæ nomen per ch. ſcriptum filiũ deſignat. ibid.
Iechoniæ nomine vtrobiq; intelligendum quem Hieremias appellat Iechoniam filium Ioachim. 13. M
Iechoniam ante tranſmigrationem in Babylonem genitum. 12. M
Iechoniæ tempore facta eſt tranſmigratio Babylonis. 12. M
Ieiunia. 121. M
Ieiunium. 83. M
Ieſus. 7. M
Ieſus Nazarenus alloquitur. 290. I
Ieſus fatetur ſe eſſe Chriſtum. 422. M
Ieſus filius Naue. 18. M
Ieſu nomine plures appellatos. ibid.
Ieſus fugit Iud. homicidas. 112. I
Ieſus ſe eſſe meßiam fatetur Samaritanæ. 50. I
Ieſus filius Ioſedech. 18. M
Ieſus aſinæ incidens ingreditur Hieruſalem. 201. I
Ieſus fugit Iudæos. 191. I
Ieſus eſt chriſtus. 295. I
Ieſus in deſertis. 201. M
Increpationis blandè exemplũ. 95. M
Infidelitas Apoſtolorum reprehenditur. 242. M
Infirmi. 123. M
Infirmitas ob peccata. 64. I
Inimici diligendi. 71 M
Iniquitas. 371. M
Iniuria ferenda. 72. M
In Chriſti genealogia Matthæus *quatuor tantum mulieres ponit.* 9. M
In genealogia ſinguli bis nominãtuur excepto Abraham *& Chriſto.* 12. M
In parabolis quare loquutus Chriſtus. 194. M
In ianuis eſſe, prouerbium. 185. M
In ſabbato licet bene operari. 117. I
In *ſabbato ſanat infirmum Chriſtus.* 63. I
In verbo traduco ab interpretibus errata. 16. M
Interpretum error in verbo traduco. 16. M
Interrogat Ieſus phariſæos de Meßià. 335. M
Interrogatur Ieſus an ſit Chriſtus. 170. I
Introitus. 174. I
Ioachim pater annis regnauit vndecim. 10. M
Ioachim filius menſibus tribus regnauit. 12. M
Ioachim à Pharaone *Nechao rege Aegypti rex fuit conſtitutus.* 22. M
Ioachar à populo rex electus legitimus à regno ſubmotus. 12. M
Ioannis in ſcribendo religioſa cautela. 98. I
Ioannes pœnitentiam prædicat & Chriſtum veniſſe. 35. M
Ioannes teſtatur Lucem *Chriſtum veniſſe.* 2. I
Ioannem peculiariter dilectum à

Chri

Chriſto. in pag.1.pſal.1
Ioannes. 71.301. I
Ioannis exilium. in pag. 6.pſal. I
Ioannes. 224. I. Satan.225. I
Ioannes quare vinctus. 200. M
Ioannes docet diſcipulos ſuos ſe non eſſe Chriſtum, 40. I
Ioannes mittit diſcipulos ad Chriſtum. 158. M
Ioanni Virgo mater commendatur. in pag.2.pſal.I
Ioannes baptizat. 39. I
Ioannes Apoſtolus peculiariter à Chriſto dilectus. in pag.pſal.1. I
Ioannes ab exilio reuerſus ſcripſit euangelium. in pag.pſal.6. I
Ioannes argumento ſpiritus ſancti cognouit Chriſtum. 10. I
Ioannes Baptiſta quo tempore cœperit prædicare. 35. M
Ioannes teſtatur ſe Chriſtum non eſſe. 7. I
Ioiada & Barachias vocatus. 366. M
Iona Hebræis quid notet. 234. M
Ioſeph ſepelit Chriſtum. 438. M
Ioſeph patris loco conſtituitur. 18. M
Ira. 63. M
Ira omnis non ſimpliciter prohibetur. 74. M
Iſraëlitæ. 133. M
Iudas ſuſpendit ſeipſum. 427. M
Iudas vendit Chriſtum. 408. M
Iudas ex Iacobo natus quis fuerit. 9. M
Iudæ impudentia. 230. I
Iudas oſculo Chriſtum prodit. 418. M
Iudicium. 38.67. I
Iudicium populi de Chriſto. 115. I
Iudicium Chriſti. 68. I
Iudæi quidam credunt. 189. I
Iudæi quare non crediderunt. 171. I
Iudicandum ſine perſonarum reſpectu. 128. I
Iudæ auaritia. 199. I
Iudas adit Phariſæos. 226. I
Iudicare. 118.135. I
Iudæi infideles. 316. M
Iudæi qui Chriſti occiderunt. 317. M
Iudæi reiecti et aſſcripta gẽtes, 318. M
Iudæorum reiectio. 108. M
Iudæi petũt Chriſtum crucifigi. 275. M
Iudæorum & gentium ſalus. 190. I
Iugi & oneris nomine quid intelligendum. 174. M
Iugum Chriſti. 170. M
Iulianus apoſtata. 130. I
Iurare per templum. 353. M
Iuramentum per templum & aurum templi. 363. M
Iurandum non eſſe. 68. M
Iuſtitia. 249. I
Iuſtitia quid operetur. 14. M
Iuſtitiæ nobis exemplum Ioſeph reliquit. 15. M

K

Κυλὸς et κωλὸς *quid differãt.* 220. M

L

Lapis angularis. 317. M
Lapidare. 172. I
Latro. 164. I
Latus Chriſti lancea aperitur. 285. I
λατρεύω *quid deſignet.* 53. M
Latrones crucifixi cum Ieſu. 435. M
Lazarus infirmus. 178. I
Lazarum occidere conſultant Iudæi. 200. I
Legem adimplet Chriſtus. 61. M
Leproſus ſanatur. 105. M
Lex oblationis à lepra mundatorum. 115. M

Lex

Lex & Propheta 97.163. *M*
Libri de conſideratione rerum natura lium. 362.*M*
Liber generationis cur dictus. 8. *M*
Libellus reupdij. 75.271.M
Ligare. 227.257.M
Lilia. 88.M
Loquendi forma, aliquem aduerſus te aliquid habere, & te aduerſum alium habere aliquid, exponitur. 74 M
Lucerna. 60.M. 20.*I*
Lucerna corporis. 85 M
Lugentes. 55.*M*
Lumen. 207.*I*
Lunaticus ſanatur. 241 M
Lux. 60 M
Lux Chriſtus, 2 *I*.33 *I*
Lux mundi. 153.*I*
Lux omniū illuminat hominem. 18.*I*

M

M*Agi primitiæ Gentium Chriſtū adorant.* 25.M
Magiſter. 36 *I*.143.M
Magiſter hominis *ſolus* Deus.362.M
Magiſter & dominus Chriſtus.222.*I*
Magiſter *noſter.* 349.M
Maledicti. 396.M
Malus ſeruus. 381.M
Mammona quid *ſignificet.* 93.M
Mandatorum Dei *impletio.* 61.M
Mandata *ſeruanda.* 277.M
Mandatum maximum. 335.M
Mandatum nouum. 231.*I*
Mandata & doctrina hominum. 207.M
Manducare carnem Chriſti & bibere *ſanguinem* 93.*I*
Mannum impoſitio cum oratione. 275.M
Manus abſciſſæ. 66.*M*
Maria Magdalena ad ſepulchrum. 288. *I*
Maria currit ad Chriſtum. 185.*I*
Maria ab omni actuali peccato immunis. 31.*I*
Mariæ querimonia. 185.*I*
Maria ſoror Marthæ. 179.*I*
Maria ſoror Marthæ vngit pedes Ieſu. 199 *I*
Maria Magdalena plorat ad ſepulchrum. 289.*I*
Marthæ querimonia apud Chriſtum. 183.*I*
Margarita. 95.M
Mater Chriſti 186.M
Matrem commendat Ioanni Chriſtus. 283.*I*
Matthæus vocatur. 120.M
Matthæi laus quòd diſtinctè loquatur. 21.M
Matthæus & Lucas in Chriſti genealogia diſſonant. 13.M
Maximus in regno Dei. 249.M
Mendacium. 142.149.*I*
Mendax. 119 *I*
Menſium Hebræorum ratio. 178.*I*
Mercenarius 166 *I*
Mercenarius eccleſiæ præpoſitus.176.*I*
Metere. 53.*I*
Meretrices. 314 M
Meſſias venit. 13.*I*
Meſſis 52 *I* 128.M
Metreta quid. 32.*I*
Mille paſſus pro quo ſpatio ponantur à Matthæo. 75.M
Miniſter. 350.M
Miniſtrare Chriſto. 204 *I*
Miniſtri ſacerdotū conuerſi ad Chriſtum. 124.*I*

Miniſter noſter Chriſtus & redemptor. 295.M
Miracula quid faciant. 82.*I*
Miracula. 101 M
Miracula petunt. 87.*I*
Miſericordia. 109.176.M
Miſericordes. 56.M
Mittuntur Apoſtoli vt parent paſcha. 409.M
Mites, 55. M
Mons Garizim. 58.*I*
Moritur. 437.M
Mors. 137.*I*
Mors Chriſti. 407.M
Maria mons. 58.*I*
Mortem guſtare. 150.*I*
Mortui. 66.*I*
Motus in mari. 111.M
Moſi diſcipuli. 158.*I*
Moſes de Chriſto ſcripſit. 73.*I*
Moſi quales. 347.*M*
Moſes accuſatur Iudæorum. 73.*I*
Mulier à ſanguinis fluxu ſanatur. 123. *M*
Mulieres peccatrices cauſa myſterij nominatim poſitas à Matthæo *in Chriſti genealogia.* 9.M
*Mulieres inuiſunt ſepulchrum.*440.M
Mulieres quæ Chriſto miniſtrauerant. 438.M
Mulier pariens. 253.*I*
Mulieri in adulterio comprehenſæ condonantur peccata. 131.*I*
Mundus. 136.*I*
Mundi corde. 57.M
Mundantes calices. 355.M
Mutus & dæmoniacus ſanantur. 126.M

N

N*Ardus piſtica.* 199. *I*
Naſci denuo. 35. *I*
Naſci ex aqua & ſpiritu ſancto 34.*I*
Natatoria, idem quod piſcina. 162.*I*
Nathanaël. 14.*I*
NaZer *quid Hebræis ſignificet.*34.M
NaZaræi qui dicti. *ibid.*
Nicodemus. 124.*I*
Nicodemus nocte accedit ad Chriſtum vt doceatur. 34. *I*
Niniuitæ. 184. M
Nomen infanti impoſiturus Ioſeph officio patris fungitur. 18.M
Nominum pluralitas frequens Iudæis. 366.M
Non iudicandum de proximo. 94.M
Nubo vnde deductum. 285.M
Nummularij. 33.*I*
Nuptiarum parabola. 326. M

O

O*Biurgatio* 229.M
Oblatio leproſi certum emundationis teſtimonium. 115.M
Occidere quid. 263.M
Oculus malus inuidiam repreſentat. 318.M
Oculi erutio. 66.252.M
Oculus. 85.M
Oculus nequam. 290.M
Oliuetum quid. 323.M
Onera grauia. 347.M
Opera. 38.234.*I*
Opera bona. 61.M
Opera Chriſti. 71.*I*
Opera nulla ſine fide. 241.*I*
Opera à Deo. 242.*I*
Opera miſericordiæ. 393.M.
Operari cibum. 86.*I*
Operarij. 128.M
Operari. 152.*I*
Operarij cõducuntur in vineã. 288.M

Opinio-

Opiniones præliorum. 383.*M*
Opinio populi de Chriſto. 225.*M*
Opus Dei *fides in Chriſtum.* 87.*I*
Opus Chriſti. 258.*I*
Orandum pro perſequentibus. 71.*M*
Orationis domus. 308.*M*
Oratio. 78.416.*M*
Oratio Chriſti. 187.205.*I*.415.*M*
Oratio Chriſti ad patrem. 257.*I*
Orat Chriſtus pro Apoſtolis. 260.*I*
Oratio & ieiunium. 243.M
Oratio Chriſti pro nobis. 252.*I*
Orantes reſipiſcendi gratiam fratri. 29.M
Oratio Chiſti in cruce. 426.M
Oratio aßidua. 96.M
Orat in monte Chriſtus. 203.M
Orthographiæ confuſio in Ioackim & Ioachim. 12.M
Oſanna quid & quæ eius orthographia. 324.*M*
Oſculum. 418.M
Oſtium. 164.166.*I*
Oues. 393.M
Oues Chriſti. 171 *I*
Ouile. 164.*I*

P

P*Acifici.* 57.M
Palea. 40.M
Palmes. 240.*I*
Panis filiorum. 114.M
Panis vitæ. 91.*I*
Pannus. 122.*M*
Panis verus Chriſtus. 88.*I*
Παραδειγματίσαι *exemplificare.* 16.M
Parabola de ſeruis qui pecuniam acceperunt domini ſui, latior explicatio. 401 M
Parabola Zizaniorum. 190.*M*
Parabolæ de nuptijs regijs latior explicatio. 338.*M*
Parabolæ de laborantibus in vinea latior explicatio. 297.M
Alia eiuſdem parabolæ expoſitio. 300.*M*
Parabolæ de ſapiente & ſtulto ædificatore latior explicatio. 102.M
Parabolæ explanatio de vinea & malis agricolis. 320.M
Parabola ſeminantis. 187.M
Parabolæ de decem virginibus explanatio. 396.M
Paralyticus ſanatur. 118.M
Parentes cæci timent excommunicationes Phariſæorum. 156.*I*
Paruulis cognitum Euangelium. 168.M
Paruuli. 248.*M*
Paſcha comedit Chriſtus. 409.M
Paßionem ſuam prædicit Chriſtus. 243.M
Paſtor. 167.*I*
Pater. 349.*M*
Pater & Chriſtus idem. 237.*I*
Patri omnia tribuit. 115.*I*
Pater Iudæorum Deus. 141.*I*
Pater trahit ad Chriſtum. 96.*I*
Paterfamiliàs. 144.*M*
Pauperes. 200.*I*.407.M
Pauperes ſpiritu. 54.M
Pauperibus ſubueniendum 86.M
Pax. 137.149.M
Pax Chriſti. 241.*I*
Pax in Chriſto. 255.*I*
Peccator. 155.157.*I*
Peccatores. 120.*I*.124.M
Peccatum. 181.M.249.*I*
Peccatum Iudæ. 278.*I*
Perſecutio. 190.M

Perſeuerantia. 142. 371. M
Perfectus. 278. M
Perfectio. 73. M
Perdere animam. 230. M
Per Chriſtum vita æterna. 235. I
Per portas inferri quid deſignetur. 234. M
Petendũ in nomine Chriſti. 233. 254. I
Petra. 226. M
Petræ ſciſſæ. 437. M
Petri negatio. 414. M
Petri mors prædicitur. 301. I
Petrus. 298. I
Petrus negat Chriſtum. 424. M
Petrus ſecutus Chriſtum & negaturus. 228. I
Petrus nõ vult ſibi lauari pedes. 221. I
Petrus & Ioannes currunt ad ſepulchrum. 288. I
Petrus negat Chriſtum. 271. I
Petrus Ioannem ſequitur ad domum Cayphæ. 168. I
Petrus infidelis periclitatur in mari. 204 M
Phariſæi docentes populum legem. 347. M
Phariſæorum ſupercilium. 124. I
Philippi vocatio. 13. I
Philippum Chriſtus interrogat. 97. I
Philippus ingenio tardus. 98. I
Philo antiquus & fide dignus ſcriptor de genealogia Chriſti. 13. M
φυλακτηρίων quid & vnde deſcẽdat. 361. M
Pilato vinctus Chriſtus traditur. 430. M
Pilato fatetur ſe eſſe regem Chriſtus. 427. M
Pilatus timens interrogat Chriſtum. 273. I
Pilatus lauat manus tanquam innocens. 431. M
Pinnaculum quid & vnde deductum. 52. M
Piſcium multitudo. 297. I
Piſcantibus Petro & aliis apparet Chriſtus. 296.
Piſcina in Hieruſalem. 61. I
Plantatio quæ eradicatur. 209. M
πλοῦτος Syriaca lingua, Deus diuitiarum. 93. M
Populi ſui nomine Chriſtus quos deſignet. 20. M
Porci. 95. M
Porticus Salomonis. 178. I
Poſſeſſionem ſuam prædicit Apoſtolis Chriſtus. 291. M
Potatus aceto Chriſtus moritur. 284. I
Poteſtas à Deo. 278. I
Potum laſſus Chriſtus petit à Samaritana. 46. I
Prædicat Chriſtus. 159. M
Prædicat Galilæis euangelium Chriſtus. 52. M
Prædicatores falſi. 98. M
Primogenitus cur dicatur Chriſtus. 23. M
Principes credentes timent excommunicari. 209. I
Principis filia ſuſcitatur. 123. M
Probatica piſcina. 74. I
Proditorem ſuum Iudã indicat Chriſtus. 225. I.
Promiſſionis ratio quæ facta eſt Abrahæ & Dauid. 8. M
Pronominis ratio ſenſum immutat male relata. 42. M
Propheta. 144. I
Prophetæ & iuſti. 190. M
Prophetæ occiſi à Iudæis. 357. M

Proſe

Proſelytus. 351. M
Prouidentia Dei. 154. M
Prouerbium pro parabola poſitum. 175. *I*
Prudens. 139. M
Pſalmus nuncupatorius in honorem S. *Ioannis* 2. *I*
Pſeudo prophetæ fallaci ſanctitatis ſpecie nobis imponunt. 104. *M*
Publicani. 341. *M*
Pueri. 253. *M*
Pueri proſpera Chriſto optãtes. 308. M
Pulueris excuſſio. 137. *M*
Purificatio. 39. *I*

Q

Quare in parabolis Chriſtus loquutus. 188. *M*
Quaſi non ſimilitudinis loco poſitum. 19. *I*
Quatuor ventis quatuor terræ partes ſignari. 385. *M*
Quatuor peccatrices mulieres quæ fuerint. 9. *M*
Quinque panibus & duobus piſcibus ſaturantur. 5000. *hominum.* 81. *I* 203. *M*
Qui voluntatem Dei *faciunt.* 314. *M*
Quòd manus non lauent reprehendũtur Apoſtoli. 206. *M*
Quòd Ieſus ſit Chriſtus ille promiſſus ſaluator patribus. 1. *M*

R

Raab quid ſignificet & quæ eius orthographia. 11. *M*
Rabbi. 348. *M*
Raab vna ex quatuor mulieribus peccatricibus à Matthæo nominatim deſignatis à peccato purgatur. 10. *M*
Racha quo ſenſu accipiendum. 74. *M*
Recipere Euangelium. 131. *M*
Reconciliatio ſacrificijs præfertur, 64. *M*
Regem conſtituere volũt Iudæi Chriſtum. 83. *I*
Regina Saba. 184. *M*
Regiones albæ ad meſſem. 53. *I*
Regnum Chriſti. 274. *I.*
Regnum Dei. 181. *M*
Regnum Dei *& iuſtitia.* 77. *M.*
Regnum diuiſum. 179. *M*
Regulus. 61. *I*
Relinquere omnia & Chriſtum *ſequi.* 281. *M*
Remiſſio peccatorum. 118. 418. M
Reſurrectio. 183. *I.* 438. M
Reſurrectio vitæ. 68. *I*
Reſurrexit Chriſtus. 29. *I*
Reſurrectionis ſignum. 184. *M*
Reſurrexiſſe Chriſtum nõ credunt Iudæi. 442. M
Reſpondere variè accipitur. 173. M
Retributio. 151. M
Reuertitur Ioſeph ex Aegypto. 33. M
Rex Chriſtus. 274. *I*
Romani. 189. *I*
Ruperti Tuitienſis commentarij. 22. *I*
Ruth vna ex quatuor peccatricibus mulieribus à Matthæo *deſignatis, à peccato purgatur.* 9. M

S

Sabbatis benefacere. 177. M
Sabbatum. 65. 155. *I*
Sacerdotes iubent Chriſtũ comprehendi. 120. 191. *I*
Sacrificium. 176. M
Sagena miſſa in mari parabola exponitur. 198. M
Sal & lux mundi Apoſtoli. 59. *M*
Salus. 37. *I*
Salus in Deo. 281. M.

Salus triplex, vt etiam captiuitas & miſeria. 20.M
Saluam facere animam. 230. M
Salutationes. 348.M
Saluator. 54.I
Samaritani Chriſto credunt. 54.I
Samaritana annuntiat ſuis Chriſtum veniſſe. 51.I
Sanat infirmos Chriſtus. 177.M
Sanantur infirmi. 51.215.269.M
Sanctificare ſe. 191.I
Sanguis quomodo dicatur venire ſuper aliquem. 365.M
Scandalum 95.I.209.M
Scandalum abuſiuè poſitum. 234.M
Scandala. 251.M
Scandalizare. ibid.
Scandalizantur in Chriſto. 90.I
Scenopegia. 112.I
Scenophegia. 126.I
Scriba Chriſtum ſequitur. 110.M
Scribarum nomina odioſa. 116.M
Scriptura. 71.I
Scriptura implenda. 419.M
Scripturis conuincitur Diabolus. 45. M
Securis. 38. M
Seminare. 53.I
Sepelire patres, quo ſenſu accipiendũ. 117.M
Sepelitur Ioannes. 201.M
Sepulchra dealbata. 356.M
Sepulchrum Chriſti cuſtoditur à militibus. 438.M
Serpens in deſerto. 37.I
Serpentes. 357.M
Seruus. 222.243. I
Seruus fidelis. 380.M
Seruus nequam. 391.M
Seruus peccati. 139.I
Signa petunt Iudæi. 56.I
Signa quærunt Iudæi. 183.M
Signare. 44.102.I
Signa conſummationis ſæculi. 370. 379.M
Simon. 12.I
Simon Cyreneus. 433.M
Simplex. 139.M
Socer. 186.M
Socrus Petri ſanatur. 109.M
Sodoma. 168.M
Solicitudo. 191.M
Solicitudo de veſtitu & victu tollenda. 88.M
Soluere. 227.M
Specialis cur fiat mentio quatuor mulierum peccatricum. 11.M
Spiritus. 35.95.I.416.M
Spiritus Dei. 180.M
Spiritus ſanctus. 39.M
Spiritus ſanctus doctor noſter. 238. 150. I
Spiritus ſanctus conſolator. 235.I
Sponſus. 40.I
Superbia Phariſaica. 157.I
Surrexit Chriſtus. 441.M
Suſcitatur Lazarus. 188.I
Suſcitare filios Abrahæ ex lapidibus quo ſenſu accipiendum. 42.M

T

TAcet Ieſus. 422.M
Telonium quæ huius vocabuli recta orthographia. 130.M
Telonium vnde deriuetur. ibidem
Tempora Noë. 379.M
Templum ſiue corpus Chriſti ſoluendum à Iudæis. 28.I
Tenebræ. 38.207.210.I.436.M
Tentare dupliciter accipitur. 52.M
Tentatur Chriſtus à Phariſæis decenſu

ſu Cæſaris. 330. M
Tentatur Chriſtus. 43. M
Teſſaradecadis ordines. 13. M
Teſtimonia patris de Chriſto. 69. I
Teſtimonium. 135. I
Teſtimonium chriſti de Ioãne. 160. M
Teſtimonium Ioannis de Chriſto. 4. I
Thamar vna ex quatuor peccatricibus mulieribus nominatim à Mat*theo deſignatis.* 9. M
Theſaurus. 279. M
Theſaurus abſconſus. 196. M
Theſauri. 84. M
Thomas. 182. 293. I
Thomas corripitur à Chriſto. 293. I
Tibicines. 124. M
Timor. 84. I. 144. M
Timor Ioſeph qualis fuerit. 16. M
Titulus crucis Chriſti. 281. I
Traducere quo pacto accipiendum. 14. M
Trahere. 103. I
Transfretare vnde dictum. 129. M
Transfiguratio Chriſti. 236. M
Tributum ſoluit Chriſtus. 245. M
Triclinare. 32. I
Triclinium. ibidem
Triſtis Chriſtus. 414. M
Triſtitia. 249. I
Tonitruum. 206. I

V

V*Alentes & iuſti.* 120. M
Velum templi. 437. M
Vendentes eijciuntur è templo. 140. I
Vendere poſſeßiones. 278. M
Vendentes in templo. 307. M
Venire ad Chriſtum. 89. I
Veniſſe Chriſtum docet Ioannes. 11. I
Ventilabrum. 39. M
Verba bona aut mala. 182. M
Verba Chriſti quæ dedit Apoſtolis. 259. I
Verba vitæ. 96. I
Verbum Dei *Verax.* 291. M
Veritas. 233. 274. I
Veritas liberat. 139. I
Veſtimenta Chriſti diuiduntur 282. I
Veſtis nuptialis fides. 328 M
Via. 233. I
Via lata & arcta. 96. M
Victus Ioannis. 36. M
Vigilandum. 380. 388. M
Vigilia. 416. M
Vinea Dei. 315. M
Vinum nouum. 122. M
Viperæ. 357. M
Virgines expectantes ſponſum. 386. M
Vita. 286. M
Vita æterna. 37. 67. 91. 211. 233. 296. I
Vita per Chriſtum omnibus. 258. I
Vitam æternam vnde quis conſequatur. 258. I
Vitis. 240. I
Vocatio. 111. M
Vocatio Petri *& Andreæ, Iacobi & Ioannis.* 49. M
Volatilia. 87. M
Voluntas. 69. I
Voluntas Dei. 89. I
Voluntas Dei *facienda.* 100. M
Vnctio capitum ex veterum moribus qualis. 92. M
Vt, particula, quo pacto accipienda in ſcripturis. 21. M
Vt, paritcula, non finalem cauſam, ſed tantum conſequutionem ſignificat. ibidem.
Vt ſaturentur quærunt Chriſtum. 86. I
Vulgata doctorum opinio de Scriba.

Chriſtum accedentem impugnatur. 115. M
Vxor. 66.M.
Vxor ob ſolam fornicationem dimittenda. 269.M
Vxor Pilati. 429.M

Z

Zacharia filius Ioiadæ pontificis. 366.M
Zebedæi filij. 182.M

FINIS.

Elucidatio paraphraſtica

SANCTI EVANGELII SECVNDVM MATTHAEVM,

Per F. Franciſcum Titelmannum Haſſellenſem, ordinis F. Minorum.

CAPVT PRIMVM.

Liber generationis Ieſu Chriſti,

HIc eſt Liber, in cuius ſtatim initio deſcribitur ſeries & modus generationis Ieſu Chriſti, vnigeniti & æterni filij Dei: qui ſecundum aſſumptam pro hominum ſalute humanam naturam, in temporis plenitudine de hominibus naſci dignatus eſt, de ſemine Patriarcharum & Regum, multo antè ad hoc electorum, vt in temporis plenitudine de eis ſecundum carnem naſceretur: [b] quorum præcipui fuerunt Abraham & Dauid, ille quidem primus Patriarcha, ſpecialiter electus & ſegregatus à Deo, hic verò primus rex dilectus & ſtabilis, per cuius lineam eſſet in mundũ Chriſtus venturus: quibus & ſpeciales factæ ſunt de Chriſto naſcituro promiſsiones. Illi, quòd in ſemine ipſius eſſent benedicendæ omnes gentes: huic, quòd de fructu ventris ſui rex eſſet futurus ſuper Iſraël in ęternũ, quodq; in æternum permanſurus eſſet eius thronus. A primo autem Patriarcha Abraham generationis ſeries congruè ſumet initium, quod ab ipſo cœperit populi de quo naſci voluit Chriſtus, ſpecialis electio, & ſingularis quædam ſegregatio. [c] Hic itaq; cõtra naturam, ex promiſsione diuina, cẽtenarius ex nonagenaria Sara vxore ſua, genuit filium, quem ſecundũ domini præceptũ appellauit Iſaac, ad quem ſtatuit Deus pactum ſuũ in ſempiternum. [d] Huic Iſaac iam ſexagenario,

b Filij Dauid, filij Abraham.

c Abraham genuit Iſaac.

d Iſaac autem genuit Iacob.

genario, ex Rebecca vxore diu ſterili, ſed ipſius oratione tandem fœcũdata, nati ſunt paruuli duo, Eſau, & Iacob: ſed ille reprobatur, hic eligitur, pactumque Dei ad hunc diſponitur.[a] Hic Iacob ex vxoribus duabus Lia & Rachel, & ex earũ ancillis Bala & Zelpha, genuit filios duodecim. Ex quibus omnibus ſolus Iudas, in generationis ſerie venit locandus, qui vnus ex omnibus fratribus electus fuit de quo Chriſtus naſceretur.[b] Hic Iudas ante deſcenſum in Aegyptum gemellos accepit, Pharez & Zaram, de Thamar nuru ſua, quam cognouit ignorans ipſam eſſe nurũ ſuam, ob mutatum habitum.[c] Hic Pharez in Aegypto filiũ genuit nomine Eſrom, qui genuit Arã ſiue Ram, qui genuit Aminadab.[d] atque hic Naaſſon, qui princeps fuit filiorum Iuda ſub Moſe deſerto: in quo gennit[e] Salmon ſiue Salma, qui cum Ioſue intrans terram promiſsionis, illam fide inſignẽ & nobilem Rachab Hiericonthinam, fidelem exploratorũ Iſraëliticorũ hoſpitam, poſt ſubuerſionem Hiericho ad Iudaiſmũ conuerſam, quaſi magnam aliquẽ accepit, pro ſui generis nobilitate, vxorem. Ex qua filium genuit, nomine Booz.[f] Qui Booz, ex Ruth Maobitide, magnę virtutis proſelyta, nuru Noëmi (quam ſecundum legem propinquitatis accepit in vxorem) genuit filium nomine Obeth.[g] Hic genuit Ieſſę ſiue Iſai, cuius filius fuit Dauid, Rex & Propheta, Pſaltes egregius, & Rex primus ſecundũ electionem ſtabilẽ in populo Iſraël, de cuius regio ſemine Chriſtus erat naſciturus.[h] Dauid autem rex genuit Salomonem, ex Bethſabæ illa quæ fuerat vxor Vriæ ſtrenui militis, cum qua primũ in adulterio commixtus fuit, ſed poſt Vrię mortem eam ſibi in vxorem legitimam accepit: ex qua & filios tres habuit, quorum natu minimus fuit Salomon, Dei voluntate præ omnibus fratribus ad ſucceſſionem regni & paternarũ promiſsionum adeptionẽ electus.[i] Salomonis filius eiusque in regno ſucceſſor fuit Roboam, qui populo durè loquens ex malo adoleſcentum conſilio diuiſionem fecit regni Iſraëlitici, decem tribubus à domo Dauid recedentibus.[k] Hic Roboam genuit Abiã, qui genuit Aſam[l] qui genuit Ioſaphat

a Iacob autem genuit Iudã & fratres eius.
b Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.
c Phares autem genuit Eſrom. Eſrom autẽ genuit Aram. Aram autẽ genuit Aminadab
d Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autẽ genuit Salmon.
e Salmon autẽ genuit Booz de Rachab.
f Booz autem genuit Obeth, ex Ruth.
g Obeth autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regem.
h Dauid autem rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ.
i Salomon autem genuit Roboam.
k Roboam autẽ genuit Abiã. Abia autẽ genuit Aſam.
l Aſa autẽ ge-

Ioſaphat bonũ, docentem ſubditos iuſtitiam & timorem Domini.[a] Hic genuit filium Ioram impium, ſex fratrum ſuorũ interfectorem & idolorum cultorem, qui & generi ſe miſcuit impiiſsimæ Iezabelis, habẽs filiam peſsimi Achab vxorem. Propter quod, in tertiã vſq; generationem hic eius de genealogia ſancti ſanctorum memoria tollitur tribus omiſsis intermediis regibus.[b] Huic Ioram ſecundum lineam regiam ſucceſsit Ozias ſiue Azarias quanquam non abſq; intermediis. Tres quippe inter Ioram & Oziam ſunt intermedij, qui iam dicta ratione omittũtur. Ochozias ſcilicet immediatur filius Iorã, Ioas qui internitioni factæ per Athaliam fuit ſubtractus, ac in templo educatus ſecretò, & huius filius Amazias, q̃ pater fuit Oziæ ſiue Azariæ:[c] Huic Oziæ filius ſucceſsit Ioathan, qui patre etiam viuẽte domum regiam rexerat, eo quòd eſſet pater ex vltione diuina propter temerè ſibi vſurpatum ſacerdotale officium factus leproſus.[d] Hic Ioathan filium reliquit peſsimũ, Achaz:[e] qui econtrariò filium genuit optimum, Ezechiam, virum rectum ſecundum cor Dei, ſicut fuerat Dauid, qui cultum Dei per patrem prophanatum & conculcatum diligentiſſime fideliſsimeq; reſtituit, & populum ſuum quanta potuit diligẽtia in pietate & iuſtitia inſtituit: cui proinde tam præclarã Deus victoriã de Sennacherib cõtulit, & vitæ terminum cum ſigno retroceſsionis vmbræ ſolatis prolongauit.[f] Hic Ezechias piiſsimus, filiũ regni ſucceſſorẽ habuit, Manaſſen nomine, prius quidem ſceleratiſsimum, malitia omnes patres ſuperantem, qui poſtmodum tamen in afflictione poſitus egit pœnitentiam, conuertens ſe in toto corde ad dominum.[g] Hic filium genuit Amon, paternæ quidem prioris malitiæ, ſed non poſterioris pœnitẽtię imitatorem.[h] Huic ſucceſsit filius ſanctus ac piiſsimus, nomine Ioſias, qui pro cultu Dei inſtaurãdo mira egit. [i] Hic genuit nepotem Ioachin vel Iechoniam (intermedio tamẽ huius patre, eiuſdẽ penè nominis, dicto Ioacim, vel Ioakim: qui vel ob nominis, cũ filio vicinitatem, quaſi cum illo ſimul cõputatur, vel de linea regia à propſito ſeparatus accipitur, eo quòd non po-

nuit Ioſaphat.

a Ioſaphat autem genuit Ioram.

b Ioram autem genuit Oziam.

c Ozias autem genuit Ioathã.

d Ioathan autẽ genuit Achaz.

e Achaz autẽ genuit Ezechiã.

f Ezechias autẽ genuit Manaſſen.

g Manaſſes autem genuit Amon.

h Amon autẽ genuit Ioſiam.

i Ioſias autem genuit Iechoniam

a & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.
b Et poſt tranſmigrationẽ Babylonis, Iechonias genuit Salathiel.
c Salatihel autem genuit Zorobabel
d Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Aſor Aſor autẽ genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matham. Matham autẽ genuit Iacob.
e Iacob autem genuit Ioſeph, virum Mariæ,
f de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus,
g Omnes itaq; generationes ab Abraham vſq;

puli Iſraelitici electione vt cęteri regnum acceperit,
ſed per alienigenam. Regẽ nempe Pharaonẽ Aegy-
pti, vero rege ſublato, intruſus fuit. [a]Genuit ergo Io-
ſias Iechoniam cum fratribus ſuis, circa quorum tem
pora facta eſt tranſmigratio filiorum Iuda in Baby-
lonẽ, à rege Nabuchodonoſor, ſtatim in initio regni
Ioachin. Pater enim Ioakim tribus annis ſeruierat Na
buch odonoſor, poſt m odũ tamẽ rebellauit: quare eo
mortuo, quarto menſe regni Ioachin filij eius, abſcẽ-
dit ille cõtra Hieruſalem, vinctumq; Ioachin ſponte
ſe dedentem in manus regis, ad conſilium Hieremię,
miſit in Babylonem captiuum, cum matre & vxori-
bus & omni electo populo, tantũ relictis in terra pau
peribus populi. [c]Hic Ioachin ſiue Iechonias filius Io-
akim genuit Salathiel, poſt factã iamdiu tranſmigra-
tionem, poſtquam per Euilmerodach fuiſſet ſubleua
tus de carcere, & regio honori reſtitutus. [c] Salathiel
autẽ genuit Zorobabel, quod interpretatur dux, vel
magiſter captiuitatis, qui dux fuit cũ Ieſu ſacerdote
redeuntium de captiuitate, ad reędificandũ templum
domini in Hieruſalem. [d] Hic genuit filiũ Abiud, qui
Abiud genuit Eliachim, qui genuit Azor, qui genuit
Sadoch, qui genuit Achim, atque hic Eliud. Eliud ve
rò genuit Eleazar, & is Matham, iſque Iacob. [e] Et hic
genuit Ioſeph matrimonio iunctum virgini Mariæ.
[f]De qua ſine cooperatione viri ſupra naturam natus
eſt ſecundum carnem temporali natiuitate Dei filius
Ieſus, qui in ſcripturis ſanctis vſitata & ſolenni appel-
latione dicitur Meſsias Hebraicè, quod Gręcè dicitur
Chriſtus, Latinè vnctus. Ad quem vſque Ioſeph, gene
rationis huius ſeries, non quaſi ad Chriſti genitorem
deducta eſt, ſed propter ſcripturarum in texendis ge-
nealogiis conſuetudinem (quæ per mulieres non con
ſueuerunt genealogias deſcribere) ad eum perducta
eſt linea, tanquam ad contribulem ſuæ coniugis, eiuſ
demq́ue domus cum ea & familiæ: propter quod, viri
oſtenſa tribu atque progenie, vxoris quoq; conſequi
tur notam eſſe originem, ſimul & prolis de ea genitę.
[g]Recapitulando itaq; ſummatim vniuerſam hanc ge
nerationis lineam, ab Abraham vſq; ad Chriſtum, ad

tres

tres teſſaradecades, id eſt, quaterdenas, cōmodè eam poſſumus reducere: primam ſumēdo ab Abraham patriarcha vſq; ad Dauid regem, [a] ſecundam ſumendo à Dauid vſq; ad tempus Babylonicæ tranſmigrationis: id eſt vſq; ad Ioſiam, tertiam à Ioſia vſq; ad Chriſtum. Prima quaterdena ſecundum ordinē ita numeratur, Abraham, Iſaac, Iacob, Iudas, Pharez, Eſrom, Aram, Aminadab, Naaſon, Salmon, Obeth, Booz, Ieſſe, Dauid. Secunda ita numeratur, Dauid, Salomon, Roboam, Abia, Aſa, Ioſaphat, Ioram, Ozias, Ioatham, Achaz, Ezechias, Manaſſes, Amon, Ioſias. Tertia ſic texitur: Ioſias, Iechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoch, Achim, Eliud, Eleazar, Mathan, Iacob, Ioſeph. Hactenus producta eſt generationis illius quam deſcribere meditamur ſeries, nūc modus quoque eiuſdē deſcribatur. [b] Chriſti autem generatio ad hunc ſe habuit modum. Contigit enim circa ipſius generationem ſiue conceptionē, memorabile quippiam dubitanti Ioſeph, cuius ſequitur narratio: Cum Maria mater Domini Ieſu, nuptui eſſet tradita & matrimonio copulata viro tribus & domus ſuæ, nomine Ioſeph. [c] antequam coniugali vnquam commercio conueniſſent inuentum ac deprehēſum eſt, quòd grauidata eſſet ipſa ac prolem geſtaret in vtero: neq; tamen ex adulterio aut per fornicationē cū viro alio, ſed abſque operatione ſeminis virilis per virtutē & operationem ſpiritus ſancti, qui virginem impregnauerat ſua ſupernaturali virtute. [d] Ioſeph autē vir eius cum ex indiciis intumeſcentis alui perſpiceret vxorē grauidam, cum qua actu maritali nunquam cōuenerat, in magno dubitationis certamine poſitus, nō plane ſciebat quid facto opus eſſet. Erat quidem ipſe vir probus ac iuſtus, timēs Deū, & nemini ſine cauſa volens nocere: atq; ob hoc nolebat vxorem ſuam traducere, accuſare, diffamare, in confuſionis exemplum facere, quaſi adulterā, quam ipſe omnis probitatis exēplum & totius honeſtatis ſpeculum homo prudens deprehenderat. [e] Quia tamen conceptionis modum omnino inuenire non potuit, & de ſe non eſſe eam grauidā certiſſimo cognouit, cogitauit vt abſq; vir-

ad Dauid generationes quatuordecim.

a Et à Dauid, vſq; ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. Et à trāſmigratione Babylonis vſq; ad chriſtum, generationes quatuordecim.

b Chriſti autē generatio ſic erat, Cū eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph,

c antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.

d Ioſeph autem vir eius, cū eſſet iuſtus, & nollet eam traducere:

e voluit occultè dimittere eam.

a Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens:

b Ioſeph filij Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.

c Quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.

d Pariet autẽ filium, & vocabis nomen eius Ieſum.

e Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

f Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à domino per prophetam dicentem.

ginis infamia eam occultè dimitteret. [a] Cũ autem ille huiuſmodi ſolicita mẽte pertractaret,& animo anxio reuolueret,reſpiciens in cælis excelſus dominus virũ iuſtum ob ignorationem myſterij grauiter torqueri,& ab illa cui cuſtos potius quàm marit⁹ ſuperna prouidẽtia fuerat deſtinatus,parare diſceſſum,non vltra paſſus eſt admirabile iſtud ſupernaturalis cõceptionis myſterium illi remanere occultum,ſed angelum ei dimiſit inſtructorem, qui dormienti Ioſeph ſomni tẽpore apparẽs dixit:[b] Ioſeph de ſtirpe Dauid, quare veteris Mariam cõiugem tuam tibi deſponſatam tibi accipere atque adiungere? quare metuis cũ illa cohabitare? quare ab illa paras diſceſſum? Quare turbant te cogitationes tuæ,vt eam cui te Deus coniunxit, vano timore velis deſerere? Non eſt quod timeas,nõ eſt quod ſuſpicãdo verearis, ne fortè ex alio marito vxor tua conceperit. [c] Non enim ab homine, ſed à ſpiritu ſancto concepit: & quod in ea conceptũ eſt,de ſpiritus ſancti operatione conceptũ eſt,qui illi fuit quaſi loco viri,qui hoc in eius eſt vtero ſupernaturali virtute operatus,quod in aliarũ fœminarũ vteris modo naturali ſolet operari virtus maritalis. [d] Pariet quoque,vbi tempus impletum fuerit,filiũ,quem nunc geſtat in vtero:cui nomẽ impones,ex patris cæleſtis voluntate,Ieſum. Vult enim cæleſtis pater tali ipſum nomine appellari, quo aperte quis ipſe ſit, aut quorſum venerit, indicetur.Hoc autem nomen Hebraicum Ieſus, Latinis Saluatorẽ ſignificat, quod illi aptiſsimè cõueniet: [e] quoniam quidẽ ipſe populum ſuum ſaluũ faciet à peccatis ipſorũ, electos & fideles ſuosq; credituri ſunt in nomine ipſius, faciet liberos & ſaluos ab omnibus ſuis,tã originalibus quã actualibus peccatis,ac proinde ab æterna morte,cui propter peccata erant obnoxij, & à poteſtate diaboli,cuius tyrannidi per peccatũ fuerant ſubiecti.Vt enim in captiuitate peccati gemina alia includitur captiuitas, ita in liberatione à peccato, per contrariũ,gemina cõtinetur libertas alia. [f] Porrò totũ iſtud tam admirabile opus talis conceptionis perfectum eſt in plenitudine temporis in Maria,ipſi quoq; Ioſeph ſic eſt manifeſtatum,

[t]um, vt operis exhibitione impleretur, & impletum
monſtraretur quod multo ante à domino omnis diui
næ ſcripturæ primario authore, per Eſaiã Prophetam
(vt per calamũ ſcribæ, & inſtrumentum loquentis in
eo diuini ſpiritus) fuerat prędictum, his verbis,[a] Ecce
in ventura temporis plenitudine filium cõcipiet vir-
go, manẽs virgo, circũdabit mulier & geſtabit virum
in vtero, virgineo ſaluo pudore, eũdẽmq; partu ædet
in mundum, vbi pariendi tempus impletũ fuerit, ma-
nens etiã tunc quod ante fuerat, nẽpe virgo incorru-
pta: & vocabitur nomen pueri illius Emanuël,[b] quod
nomen Hebraicum interpr ætatũ Latinis, valet, No-
biſcũ Deus: hoc nomine ille puer vocabitur, talis illi
optimè cõueniet appellatio, quoniã ſic erit ille iuxta
veritatem nobiſcũ Deus, id eſt, inter homines Deus
& ipſe homo Deus: qui cum hominib⁹ in terra vide-
bitur, & cum ipſis conuerſabitur.[c] Ioſeph verò ange-
lica eruditione (vti ſuprà dictum eſt) inſtructus, vbi à
ſomno euigilaſſet, atque è ſtrato quietis exurrexiſſet,
omnem proiiciens hæſitationẽ, priores cogitationes
omnes & cunctam animi anxietatem deponens, voci
angelicæ per omnia fidens, fecit iuxta angeli monita,
id eſt, Mariam quam occultè prius meditabatur di-
mittere, iam fidenter ſibi adiunxit, & in eius ſe ſocie-
tate firmauit. [d] Nihilominus plurima erga tam ele-
ctam coniugem affectus reuerentia, quam intellexe-
rat in Dei matrem ſegregatam, prorſus ab ea abſti-
nuit, neque coniugali actu vñquam illam cognouit.
[e] Aduenitque poſt paululum tempus quod peperit il
lum de ſpiritu ſancto cõceptum filium ſuum primo-
genitum, non ꝙ poſteriores vñquam alios ipſa mater
genuerit liberos, ſed quoniã ante illũ nõ genuerat al-
terũ. Vnigenitũ verò, quoniam hunc ſolũ in omni vi-
ta genuit: quæ virgo ſicut ante partũ, & in partu exti-
tit, ita & poſt partum inuitiata virgo permanſit, neq;
vnquam vel à Ioſeph vel ab alio quouis viro cognita
fuit. [f] Aeditóq; in lucẽ puero, octauo die quando ſe-
cundum legem fiebat circuncisio, nomẽ illi impoſue-
runt Ieſus, quemadmodum ab angelo tam ipſa mater
quàm Ioſeph nutritius ante natiuitatẽ fuerat edocti.

a Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius Emanuel.

b quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.

c Exurgens autem Ioſeph à ſomno fecit ſicut præcepit ei angelus domini, et accepit cõiugem ſuam:

d & nõ cognoſcebat eam.

e Donec peperit filium ſuum primogenitum.

f Et vocauit nomen eius Ieſum.

ANNOTATIONES IN CAPVT PRIMVM MATTHAEI.

Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.) Cum euangelium iſtud Matthæi non ſolum generationem Chriſti deſcribat, ſed multò prolixius eius cōuerſationem, prædicationem, paſsionem, reſurrectionem, & alia Chriſti myſteria: in hoc tamen libri titulo tantum dicitur, *Liber generationis Ieſu Chriſti, &c.* Propterea quòd à generatione ſumat exordiū. Quod autē duo iſti, Abraham & Dauid, peculiariter vt patres Chriſti narrantur, cum dicitur, *Filij Dauid, filij Abraham*, ob hoc factū eſſe conſtat, quoniam duobus his repromiſsiones præcipuè factæ fuerunt de Chriſto, quemadmodum monſtrauit Elucidatio. Et quanquam facta ſit etiam aliis patriarchis (vt Iſaac & Iacob) promiſsio: quia tamē promiſsio vna fuit horum cum patre Abraham, ideirco ſatis fuit, vnum illū nominatim deſignare. Dauidi verò, promiſsio patris Abrahæ ſingulari quodāmodo innouata eſt. Non enim illi dictum eſt, *In ſemine tuo benedicentur omnes gen-*
Gene. 12. *tes*, ſed tanquam regi regia promiſsio facta eſt, dicēte domino, *Semel*
Pſal. *iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit. Et*
88. *thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, &*
Pſal. *teſtis in cælo fidelis.* Et alibi, *Iurauit dominus Dauid veritatem, & non fru-*
131. *ſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint fi-*
2.Re. *lij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos. Et filij eo-*
7. *rum vſque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam.* Et iterum, *Suſcitabo ſemē tuum poſt te quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, et ſtabiliem thronum regni eius vſque in ſempiternum: Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* Quæ verba licet aliqua ex parte ad regnum temporale Salomonis filij, ac poſteriorū referantur, præcipuè tamen ad Chriſtum ſpectare eſt manifeſtum: vel
Hebr. 1. Paulo indicante, qui in principio epiſtolæ ad Hebræos verbū illud, *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium*, manifeſtè de Chriſto ad-
Luc. 1. ducit. Vnde & apud Lucam angelus de cōcipiendo filio, loquens virgini ait, *Dabit illi dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis.* Multum ergo & diſsimilis hæc promiſsio fuit, illi quam accepit Abraham. Propter quod, Dauid præ cæteris ante ipſum patriarchis & principibus vnà cum Abrahā, in ipſo ſtatim initio, poni meruit, dicente Euangeliſta, *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.* Illud quoq; notandū ſermonem hunc eſſe ancipitis conſtructionis. Poteſt enim vterq; genitiuus, filij, immediatè ad Chriſtū referri, vt ſignificetur ipſe vtriuſque

que illorum filiis,ad hunc ſenſum: Qui Chriſtus,fuit filius Dauid,& filius Abrahæ. Poteſt ſecundus ad proximum Dauid referri,hoc ſenſu,Chriſti filij Dauid,qui Dauid, filius fuit Abrahæ. In quo quidem ſenſu, ſecundum virtutem prior includitur. Nam ſi Chriſtus filius eſt Dauid, & hic filius eſt Abrahæ, conſequitur & Chriſtum filium eſſe Abrahæ. Prior tamen cōſtructio menti Euangeliſtę videtur eſſe magis conueniens. Chriſtū enim ſpecialiter illorū filium deſignare voluit ſtatim in exordio, quibus promiſsiones peculiares factæ fuerāt. ¶*Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.*) Inter omnes filios Iacob,nō niſi illum expreſsit, de cuius linea naſci debuit Chriſtus dominus, hic autem erat Iudas, quemadmodum morti proximus pater Iacob in ipſius benedictione indicauit, his verbis, *Iuda te laudabunt fratres tui. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui, Catulus leonis Iuda. Ad prædam,fili mi, aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Sic & in Apocalypſi, leo de tribu Iuda Chriſtus appellatur. Hoc & in omnibus ſequētibus eſt manifeſtum,illos tantum nominatim deſignari,per quos Chriſti linea deducitur: quomodo inter omnes fratres ſuos, Dauid minimus ſolus filius Iſai ponitur. Ad cognoſcendam quippe Chriſti generationem, tota hæc generationū texitur narratio. Propter quod,à propoſito Euāgeliſtæ foret aliena filiorum aliorū expreſsio. ¶*Iudas genuit Phares & Zaram,de Thamar.*) In Chriſti genealogia,quatuor tantum mulieres ponit Euāgeliſta, per quas ad Mariam & Chriſtū tranſit, nempe Thamar,Rahab,Ruth,& Bethſabæe. Quidam ſignanter peccatrices tantum fœminas à propoſito dicunt in Saluatoris genealogia nominatas,cauſa myſterij: vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens,omniū peccata deleret. Hi, in Thamar fornicationem arguūt & deceptionem ſoceri Iudę: Rahab,vt meretricem ante ſuſceptionem exploratorum peccatricem dicūt fuiſſe publicam: Ruth,vel vt prius idololatrā, vel vt poſt non ſatis honeſtè ad pedes dormientis Booz ſe collocantem, conſiderant: Bethſabæe vt cum rege adulterantem, cōdemnant. Alij verò ſententiæ prorſus contrariæ,magis ob eminentem virtutē iſtas dicūt expreſſas nominatim,ſingulas à peccato expurgare,& à virtute laudabiles oſtēdere conantes: adeò vt etiam Bethſabæe cum Dauid adulterium,& Thamar cum Iuda fornicationem,excuſare laborent: quantum quidem ad priorem,quòd ad regem aduocata,neſciēs quam ob cauſam,neceſsitate quadā ceſſerit regis armatæ poſtulationi: quantū verò ad poſteriorem,quòd iuſtam habuerit nurus cauſam

Gene. 49.

Apoc 5.

ob quam ſocerũ ita falleret, quoniã videlicet quod fuerat pollicitus, dare ſibi filium iuniorem in maritum ſuo tempore non præſtiterat, quod videtur vox illa indicare Iudę de Thamar, *Iuſtior me eſt, quoniam*
Gene. *non dedi eam filio meo.* Et hæc quidem opinio, quantum ad Rahab &
28. Ruth, ſatis videtur conſentanea veritati, quarũ in ſcripturis laus magna deſcribitur. De Rahab quidem, quod magna fide exploratores ſuſceperit hoſpitio, & ſaluos cuſtodierit, quibus etiam prædixit pro-
Hebr. phetico (vt videtur) ſpiritu, vẽturas populo Dei victorias, poſt euer-
11. ſam Iericho, cum omni domo ſua ad cultum Dei cõuerſa. Vnde & à Paulo in ſanctorum catalogo magnificè meruit commendari. Ruth quoque Moabitidis nõ mediocris eſt laus, quod deos ſuos & populũ
Ruth. ſuum reliquerit, atque ad populum & cultum Dei Iſraël tranſierit,
1. quódq; tam fideliter ſocrui poſt viri mortem adhæſerit & ſeruierit: propter quod, & à Booz mulier virtutis dicitur. Et quod aduerſus harum gloriam obiicitur, Rahab fuiſſe meretricem, & Ruth non ſatis pudenter ad pedes Booz dormientis ſe compoſuiſſe noctis tempore, id facili negotio diſſolui poteſt, dicendo Rahab nõ dici meretricem quaſi fornicariam, ſed quaſi hoſpitio recipientem ad ſe diuertẽtes: id eſt, mulierem cauponariam: quomodo & Hebræi exponũt interpretes dictionẽ Hebræam in libro Ioſue poſitam, cuius loco nos meretricem legimus. Neque veriſimile eſt, exploratores illos ad Rahab vt fornicariam, ſed magis vt cauponariam diuertiſſe. Ruth verò ſimplicitas per ſocrũ inſtructa facile defenditur, quæ non animo illicitum quid agendi, neq; cõcupiſcentia mali deſiderij ſtratum cognati dormientis acceſsit, ſed tantum ad proponendum occaſione bona quod cum iure poſtulabat, habere ſcilicet illum maritum, ad ſuſcitandum defuncti ſemen in hæreditate ſua. Quantum itaque ad duas has attinet mulieres, non negamus laudem inſignẽ illis à ſcriptura dari. Cęterùm, quod ad alteras duas ſpectat, neque ſatis veriſimiliter videtur expurgari de quo incuſantur peccatum, neque ſingularis vlla laus in ſcriptura poteſt earũ inueniri. Niſi forte hoc in Thamar prædicare velimus, quòd tandiu cõtinenter in viduitate vixerit, expectãs iuxta promiſſum ſoceri, donec creſceret filius minimus Sela, quem in virũ acciperet, ad ſuſcitandum defuncto fratri ſemen. Aut de Bethſabæe hoc adducamus, quòd multa ſolicitudine ſuo filio regnũ curarit impetrare. Verùm hæc talia non ſunt, ob quæ videatur iſtarum ſingularis debere fieri mẽtio. Deinde, nec à peccato de quo incuſantur, ſatis honeſtè videntur excuſari. Poterat nanque Thamar ſocerum ſuum alia via, quam fornicãdo cum eo, ad faciendum ſatis promiſſo adducere: neque excuſationem honeſtam id præbet fornicandi cum ſocero,

ro,quod filiũ dare diſtulerit.Bethſabæ verò,neque regi debuit illicitum proponẽti vlla ratione conſentire quantumuis vrgenti,in mariti iniuriam.Neq; de adulterio vlla ratione poteſt excuſari, niſi per vim oppreſſa fuerit,quod nequaquam ſcriptura indicat, neque habet veriſimilitudinem.Ex his videri poteſt neutram prædictarum opinionum certam ac plenam habere veritatẽ:nec ideo in genealogia poſitas mulieres prędictas quia peccatrices,nec ideo quia virtute inſignes.Poteſtq; alia aſsignari ratio,accidẽtaria,& quaſi caſualis coniunctio harũ mulierum cum ſuis viris,& nouus ac ſingularis quidam euẽtus quo illarũ vnaquæque ſuo fuit marito copulata,Ea enim quæ ſic fortuito & nouo quodam euẽtu ſolent contingere magis memorantur.Id in Thamar eſt manifeſtũ,cui Iudas commixtus fuit putãs ſcortũ eſſe,nurum non agnoſcens,donec intumuiſſet vterus, & ſupplicij extremi metus rẽ proderet:quando miſſo armillo & annullo ad Iudã,dixit,De viro cuius hæc ſunt cõcepi.Idipſum in Rahab gẽtili,nouo haud dubiè euẽtu principi tribus Iudæ cõiuncta,itidẽ & in Bethſabæ ex occaſione adulterij præuio homicidio peſsimo in matrimonium Dauidi aſſociata,ſimiliter & in Ruth Moabitide,& paupercula nobili & diuiti Iſraëlitæ Booz copulata,eſt manifeſtum. Eſt autẽ poſtrema hæc ſentẽtia cæteris minus calumniis expoſita,vtpote neutri duarũ præcedentium opinionum cõtraria vel aduerſa, quũ illæ ſibi inuicẽ aduerſentur.Secunda verò cæteris eſt minus probabilis,& minus habet veriſimilitudinis:quæ nec à ſcriptura,nec à ſanctorũ aſſertione,habet authoritatem. Primam tamẽ aſtruit Hieronymus,qui nuullam dicit ſanctarum fœminarũ in genealogia poni Saluatoris:cui,quantũ ad aliquas,conſentiunt Ambroſius & Chriſoſtomus:an tamen quo ad omnes,non exprimunt tantum indicantes, de peccatoribus,Chriſtum naſci voluiſſe.Illud autẽ imprimis conſideratione dignũ eſt:quẽadmodum Deus id quod in ſua prædeſtinatione atq; pręſciẽtia habet definitiſsimum , per media tamẽ ſubinde prorſus indeterminata & humano iudicio omnino caſualia ſiue fortuita peragit.Quẽadmodum videlicet Chriſti generationẽ de tribu Iuda ab ęterno pręđeſtinauit Deus,quã tamẽ per tot intermedias cõiũctiones humano iudicio prorſus caſuales & fortuitas adimpleuit. Cõſideratione itẽ nõ eſt indignum,quomodo ea quæ hominibus caſualia prorſus atq; fortuita videtur,Deo(cui nihil eſt fortuitũ)maximè ſubinde ſunt à propoſito,& ex ipſius potiſsimum ſunt intẽtione, Cuius rei conſideratio piis mentibus eſt ſuauiſsima & maximam adfert fidelibus conſolationem. Atque ob hoc, non inconuenienter dixerimus, fieri hic in genealogia ſaluatoris fœminarum iſtarum

rum quæ ſic viris nouo & foruito quodam euentu coniunctæ ſunt, ſpecialem præ cæteris mentionem. ¶*De Raab.*) Vulgatum eſt, Raab ſcribi per duo, a, ſibi proxima. Attamen & ſecundum Græcam & ſecundū Hebræam orthographiā, inter duo, a, oportet interiicere, ch. Hebræi enim nomen huius mulieris ſcribūt per heth (pro quo Latini ponere ſolēt ch) ad differētiam rahab per he, quod ſuperbū ſignificat, & pro Aegypto interdum ponitur: quemadmodum diximus in commentariis noſtris ſuper Pſalmos, in annotationibus Pſalmi. 86. Græci quoq; ſic ſcribunt, Rachab. ¶*Ex ea quæ fuit Vriæ.*) Græcè tantum per articulum dicitur, ἐκ τῆς τῶν οὐρίου quod ad verbum vtcūq; reddere poſſumus, ex ipſa Vriæ. Latinus interpres benè ſententiam expreſsit, dicens: *Ex ea quæ fuit Vriæ*, Vxor ſcilicet. ¶*Ioſias genuit Iechoniā & fratres eius, in tranſmigratione Babylonis.*) Manifeſtum eſt ex hiſtoria libri Regū & Paralipomenon, Iechoniam fuiſſe genitum ante tranſmigrationē in Babylonē: ſiue illum patrē accipiamus, qui ſcribitur per k & m, Ioakim: ſiue ipſum qui per ch & n, Ioachin. Vterq; enim ante tranſmigrationē regnauit: ille quidem pater, annis vndecim: hic autem filius, menſibus tribus. Ante tranſmigrationem ergo, vterq; genitus fuit: quandoquidem ante eam vterque regnauit. Inſuper, nō potuit in tranſmigratione hac gignere Ioſias, qui iam annos aliquot cum patribus dormierat. Quare, quod hîc dicitur, *In tranſmigratione Babylonis*, intelligi debet: Circa tempus illud tranſmigrationis, vel, In cuius Iechoniæ tēpore facta eſt Babylonis tranſmigratio. Notandum quoq;, Euāgeliſtam ſub vno nomine Iechoniæ, vel duos eiuſdem ferè nominis computaſſe, vel vnū præteriiſſe. Duo quippe fuerūt ſibi proximi, vnius ferè nominis, Ioakim & Ioachin. Quidam in priori loco patrem accipiūt, in poſteriori filium. Quibus obſtat, ꝙ vtrobiq; penitus iiſdem literis ſcribitur Iechonias per ch, cū priore loco ſcribi deberet Iekonias, niſi dicant, ſcriptorū inſcitia vel inaduertentia, tam apud Græcos quàm apud Latinos, id eſſe confuſum.
4. Re. 24. Aliis magis placet, omiſſam eſſe patris Ioakim mētionem, quia non à populo Iſraëlitico vt reges cæteri, ſed à Pharaone Nechao rege Aegypti, rex fuit cōſtitutus, fratre ipſius Ioachaz à populo electo legitimo rege ſubmoto. Ioachin autem filius Ioakim, nō legitur ab vllo alieno per vim intruſus: ſed quomodo de cæteris regibus patri legitimè ſuccedentibus dici ſolet, ita & de hoc dicitur, *Dormiuit Ioakim cum patribus ſuis, & regnauit Ioachin filius eius pro eo.* Nomen quoque Iechoniæ, quod apud Euangeliſtam vtrobique per χ ch ſcribitur, magis ſuadet vtrobique accipiendum filium, qui etiam hoc nomine apud Hieremiam diſtinctè contra patrem appellatur, dicentem, *Viuo*

ego

ego dicit dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, quaſi annulus in manu dextera mea, inde euellam eum. Denique, in tota genealogia hoc obſeruatur, vt ſinguli bis nominentur: prius quidem vt geniti, poſterius vt genitores excepto Abrahã primo huius generationis principio, qui tantum vt gignens, & Chriſto qui tantum vt genitus deſcribitur. Nam Ioſeph & Maria, ſimul vt coniuges & contribules aſſumpti, ſub vtraq; conditione, nempe & gignentis & geniti, deſcribũtur. Ioſeph quidem, vt genitus: Maria, vt genitrix. Vnde veri ſimile eſt, & in hoc nomine Iechonię eundem vtrobiq; intelligendũ, nẽpe Ioachin, quem Hieremias appellat Iechoniam, filium Ioakim. De hac autẽ ſaluatoris noſtri genealogia, quæ multis perplexitatibus inuoluta eſt, maximè ex apparenti diſſonantia quæ videtur inter Matthæum & Lucam, vide Philonem antiquum & fide dignum authorẽ, & alios qui ſuper hac re plenius ſcripſerũt. Maximè verò chronica venerãdi patris, fratris Amãdi à Zierzea, viri eruditiſsimi, quæ nos ante paucos annos prælo dari & in lucẽ ędi curauimus: qui ſuper his rebus, circa tempus aduentus Chriſti pleniſsimè & luculentiſsimè diſſeruit. *In tranſmigratione Babylonis.* id eſt, qua ad Babylonem tranſmigrabat populus Iudaicus. Nam genitiuus ille, tranſmigrationis terminum ſignificat, ad quẽ videlicet trãſmigratio facta eſt: non autem populum tranſmigrantem. ¶ *Omnes itaq; generationes ab Abraham vſque ad Dauid generationes quatuordecim.*) Summam eorum omniũ quos in genealogia poſuit ſaluatoris, in tres redigit Euangeliſta quaterdenas, quę diuerſis modis ſumi poſsũt. Primũ quidẽ cõiũctim ſumẽdo videlicet pro capite ſecũdę quaterdenę illũ qui in prima eſt infimus itidẽ pro initio tertię ſumẽdo eũ in quo ſecũda deſinit. Atq; ita nõ niſi ad Ioſeph extẽdetur tertia quaterdena, & Iechonias tantũ filius conſtituitur, omiſſo patre Ioakim. Ordo autem iſte talis erit.

Ordo primæ teſſaradecadis.

Abraham, Iſaac, Iacob, Iudas, Pharez, Eſrom, Arã, Aminadab, Naaſſon, Salmon Obeth, Booz, Ieſſe, Dauid.

Ordo ſecundæ teſſaradecadis.

Dauid, Salomon, Roboam, Abia, Aſa, Ioſaphat, Ioram, Ozias, Ioathan, Achaz, Ezechias, Manaſſes, Amon, Ioſias.

Ordo tertiæ teſſaradecadis.

Ioſias, Iechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoch. Achim, Eliud, Eleazar, Mathan, Iacob, Ioſeph.

Hic vide tres quaterdenas ſic adinuicẽ coniunctas, vt finis præcedentis initium ſit ſequẽtis. Atq; huic computationi ſatis ipſa textus verba videntur fauere, in quibus ſic dicitur, *Omnes generationes vſque ad*

ad Dauid quatuordecim, & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis quatuordecim. Dum enim in priore dicit, vſque ad Dauid, & iterum in poſteriore à Dauid, videtur finem prioris initium conſtituere poſterioris. Neque inconueniens eſt, Chriſtũ intra has quaterdenas gignentium non includi. Altero modo aſsignari poſſunt hæ quaterdenæ diuiſæ, vt finis prioris non ponatur poſterioris initium. Atque hoc modo, tertiæ quaterdenæ erit vltimus Chriſtus, & ſub Iechoniæ nomine duos oportebit intelligi, priore loco patrem, poſteriori filium. Is ordo ad hunc ſumetur modum.

Ordo primæ teſſaradecadis.

Abraham, Iſaac, Iacob, Iudas, Pharez, Eſrom, Aran, Aminadab, Naaſſon, Salmon, Obeth, Booz, Ieſſe, Dauid.

Ordo ſecundæ teſſaradecadis.

Salomon, Roboã, Abia, Aſa, Ioſaphat, Ioram, Ozias, Ioathan, Achaz, Ezechias, Manaſſes, Amon, Ioſias, Ioakim.

Ordo tertiæ teſſaradecadis.

Iechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoch, Achim, Eliud, Eleazar, Mathan, Iacob, Ioſeph, Ieſus,

Eligat ex duobus hiſce propoſitis modis lector, vtrũ voluerit. Mihi ſane modus prior magis probatur. ¶ *Antequã cõuenirẽt, inuẽta eſt in vtero habẽs de ſpiritu ſancto.*) Per cõuenire, cũ de cõiugibus fit mẽtio cõiugalis actus honeſtè ac verecũdè ſignificatur. Similiter & per illud in vtero habere, honeſtè ſignificatur mulieris impregnatio. Et quod nos legimus de ſpiritu ſancto, in Græco eſt, ex ſpiritu ſancto, vt ſignificetur impregnatio iſta à ſpiritu ſancto eſſe, & ab ipſius operatione profecta. ¶ *Inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.*) Quæri ſolet, à quo inuenta fuerit habens in vtero? Ad propoſitum maximè facit, ſi reſpondeamus, ab ipſo viro Ioſeph. Ipſe enim deprehendit & aduertit, vxorem eſſe prole grauidam. Quare particula illa, de ſpiritu ſancto, non referenda eſt ad verbum inuenta eſt, hoc ſenſu: Deprehenſa eſt de ſpiritu ſancto habens in vtero, quaſi comperiſſet Ioſeph à ſpiritu ſancto illam cõcepiſſe. Hoc enim ſi compertum habuiſſet, nequaquam occultè cogitaſſet eam dimittere. Sed coniũgi debet particula illa cũ participio, habens in vtero, in hoc ſenſu: Inuenta eſt Maria habere in vtero, ſiue concepiſſe: qui quidem cõceptus, de ſpiritus ſancti erat operatione. ¶ *Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.*) Vide, quomodo in re perplexa Ioſeph iſte per iuſtitiam ſuã congruũ tenuit modum. Ecce certis indiciis videbat Ioſeph vxorẽ geſtare in vtero prolem. Acceperat eã vt virginem in coniugẽ. Certò certius ſciebat, ſe vxorẽ ſuã

no

non cognouiſſe. Quomodo potuit non iudicare eam de adulterio, ſi humanũ ſequamur iudiciũ? Quare nõ tanquã in adulterã inſurrexit, zelãs pro lege, vt maleficam non pateretur viuere? Ioſeph (inquit Euãgeliſta) cũ eſſet iuſtus, noluit eam traducere. Iuſtitia ergo Ioſeph prohibuit, ne vxorẽ deferret aut criminaretur, quaſi adulterã. Expoſcit nãq; hoc perfecta iuſtitia, vt neminẽ iudicemus in uanũ, nemini inferamus nocumẽtum ſine cauſa legitima. Expoſcit iuſtitia, vt erga proximos ſimus miſericordes, & bene opinemur de omnibus, quãdiu nõ ipſa res euidenter & inexcuſabiliter monſtrat contrariũ. Cũ ergo nullo euidenti aut vel probabili indicio cognoſceret Ioſeph, vxorem fuiſſe adulterã, iuſtitia illum à tali iudicio prohibuit: maximè cùm illius ſanctitatẽ eximiã optimè habuiſſet compertam: propter quod, eam talem cognouit, quæ nõ indigna eſſet ſuperno aliquo diuino munere. Et quãquam ipſe quid aut quomodo circa eam ageretur, nõ plenè intelligeret, maluit tamẽ captiuare intellectum ſuum, & Deo totũ committere, quàm eam, in qua omnem probitatem expertus fuerat, temerè iudicare, aut prodẽdo diffamare, cuius pudori tuendo & famæ conſeruandæ, ſe nouerat per miraculũ ſingulari electione aſsignatum atq; deputatum. Sed quare occultè voluit eã dimittere, quã nolebat infamare? Iterũ audi, quia iuſtus erat, vel quia diuinũ aliquid circa eam actum videbat, quanquam modũ rei non cognoſceret: propter quod (vt nonnullorũ patrum ſententia eſt præ humilitate indignũ ſe duxit, tã eximiæ virgini, tam familiariter con uiuere, vt maritũ vxori. Vel (quod nõ nimis videtur probabile) quia nõ patiebatur ipſius conſcientia, vt illi cohabitaret, quam licet non certò adulteram iudicabat, quomodo tamẽ ab adulterio eam excuſaret, probabilem rationem inuenire nõ poterat. Neque in hoc vlla eſt dãda culpa Ioſeph. Quis enim maritus nõ ante inſtructus de myſterio, videns cõcepiſſe, & non de ſe concepiſſe ſciens excuſationem poſſet inuenire, qua vxorem quantumuis ſemper cõpertam honeſtiſſimã poſſet ab adulterio defendere? Videtur itaq; iuſtitia, quæ eum prohibuit ne vxorẽ temerè iudicaret, & ſine cauſa legitima infamaret, eadẽ & euaſiſſe, vt ab ea ſe ſubduceret, quàm à crimine nec probabili aliqua ratione potuit defendere, ne ſi à tali nõ ſe ſeparet, crimini videatur fauere. Attẽde, quàm illum cautè fecerit per medium iter virtutis incedere iuſtitia, vt nec proximo noceret ſine cauſa, & ſuæ nihilominus conſcientiæ atque legi ſatisfaceret. Pulchrũ poſteris iuſtus iſte reliquit exemplũ, vt (iuxta Saluatoris verbum) nõ iudicemus neq; cõdemnemus proximos, ſed benigni inuicem ſimus, & de omnibus bene ſentientes, atque in partem meliorẽ interpretãtes omnia Matt. 7.

omnia,modo nō ipſa facti euidētia prohibeat.Et quāquam ſubinde nobis modus nullus occurrat,quo ſuſpicionē malā depellamus quæ ſe offert de proximo,quāuis nullā inuenire poſsimus in nobiſipſis rationē,qua excuſemus ilud in proximo,de quo mala enaſcitur ſuſpicio captiuare tamē nos decet intellectū noſtrū,& ſuſpēdere ac prohibere iudiciū,donec ipſa mali euidētia ſuſpicionē aut metū deducat ad iudiciū.Ad quod,vel vnum hoc meritò nos debet inducere, quod frequēti experiētia cōpertū habeamus,multoties nos labi in temere iudicando,illic etiā vbi poſt omnē inquiſitionē nulla à nobis inueniri potuit honeſta excuſatio verbi aut facti,de quo temerariū tulimus iudiciū.¶ *Noluit eam traducere.*) Caue,intelligas,in domum ad ſecū cohabitandū adducere.Nam qui ita ſunt interpretati, ex linguæ Græcæ ignorantia lapſi ſunt. Quanquā enim verbum Latinum, traducere,ad multa ſit ſignificandum indifferens.Græcum tamen quod eius loco ponitur,nequaquam eam ſignificationem habet. Eſt enim παραδειγματίσαι paradigmatiſæ,quod proprie ſonat exemplificare, Venit enim à nomine δεῖγμα digma,quod ſignificat exemplū, adiecta præpoſitione παρὰ para, quæ in malā partem trahit ſignificationē.Valet ergo verbum illud,in exēplum facere aut ponere. Ponitur autem interdum quis in exemplum confuſionis, quando diffamatur apud populum,& mala fama de eo ſpargitur, aut alio quouis modo cōfuſione publica confunditur.Interdum ponitur quis in exemplum punitionis,in quē videlicet ſecundum legis cōſtitutionem animaduertitur.Neutro autem horum modorum Ioſeph iuſtus ſuam vxorē voluit traducere,quia nec eā vt adulteram diffamare,neque legis punitioni obnoxiā facere volebat,vt punitionis à lege in adulterā decretæ in ea æderetur exēplum.In eadem hac ſignificatione, verbum traducere,& in aliis nōnullis locis noui ac veteris teſtamēti inuenitur.Vt Sapiētię 4.*Traducent impios ex aduerſo iniquitatis ipſorū.* Et cap.12. *Horum qui te neſciunt,audaciam traducis.* Apud Paulum item in epiſtola ad Colloſſenſes cap.2.ſic legitur de Chriſti victoria,*Expolians principatus ac poteſtates traduxit confidenter.*¶ *Voluit occultè dimittere eam.*) Non eſt hoc ita accipiendum, quaſi per fugam occultam ſe voluerit Ioſeph ab vxore ſubducere,ad eum modum quo occultè ſerui fugitiui ſuos dimittunt dominos.Non enim hoc decebat honeſtatē Ioſeph, vt ſic quaſi fugitiuus ſeruus occultè ab ea ſe ſubduceret. Sed occultatio iſta magis referri debet ad cauſam ſeparationis, & ad cognitionem hominum:quoniam ſcilicet nolebat cauſam in vulgus efferre,ob quam vxorem desereret.In dimiſsione nanq; vxoris à viro, nō opus erat in veteri lege cauſam diuortij in vulgus vel coram iudi-

ſcibus

cibus palàm efferre,ſed ſufficiebat vxori dare in manus libellũ repudij,ſicque eam dimittere:quomodo legimus Deutero.14.cap.dicẽte domino per Moſem. *Si acceperit homo vxorem,& habuerit eam,& non inuenerit gratiam ante oculos eius.propter aliquam fœditatem, ſcribet libellũ repudij, & dabit in manu illius,& dimittet eam de domo ſua.* Hoc ergo modo occultè eam voluit dimittere,non palam accuſare,vt adulteram,& legis punitioni facere obnoxiam:quod certè faceret, ſi non occultè eam dimitteret,ſi cauſa dimiſsionis veniret ad linguas hominũ.Tanquam adultera enim rapta fuiſſet ad ſuppliciũ. Verũ hoc loco mirandum videtur,quomodo videns Maria tam animo anxiũ Ioſeph,non illi rem aperuerit,maximè cum ſciret illius intereſſe vt rem cognoſceret.Nõ enim probæ coniugis hoc eſſe videtur,ſic perplexum cogitationibus virum dimittere,vbi illum poſsit verbo expedire.Et mirũ eſt ex parte altera,Ioſeph in tanta anguſtia poſitum, neq; expoſtulaſſe cum vxore,neque vel interrogaſſe de negotio.Nõ enim opinor celaſſet maritũ virgo benigniſsima,ſi ab eo fuiſſet interrogata.Neque opinor,non credidiſſet Ioſeph,ſi bona fide virgo cuius probitatem habuit compertiſsimam,rem narraſſet. Quantum ex parte virginis dicimus,ob humilitatem & nimiam mentis demiſſionem,eam nõ aperuiſſe marito negotium. Erubeſcebat enim ipſa ſe matrem Dei prædicare,neq; vt talẽ ipſa ſe clarificare voluit:quoniam(iuxta verbum Raphaelis)ſacramenta regis abſcondere bonũ eſt:ſed Deo totum commiſit, vt quomodo vellet & quando vellet, opus ſuum manifeſtaret quomodo paulo antè, cognatę Elizabeth, non ipſa Maria,ſed ſpiritus ſanctus reuelauerat myſterium. Quantum verò ex parte Ioſeph,eandem aſsignamus rationem,nempe humilitatem & probitatem ipſius,qua erubeſcebat virgini ſummę virtutis expoſtulationem ſuper adulterio proponere.Ad quod etiã non minimum adiuuit intrepida virginis conſcientia,& mens optime ſibi conſcia:quę,licet intumeſceret vterus vultum tamẽ ſolitũ in nullo mutauit,& conſtantiã in conuerſatione penitus eandem ſeruauit, non quærens latibula,non fugiens conſpectũ mariti,quod facere ſolent in quibus eſt culpa adulterij,ſed confidenter cum viro conſueto more conuerſando,tanquã nullius mali ſibi conſcia. Solet autẽ talis confidentia,à mala ſuſpicione,apud probos potiſsimũ viros liberare eas, de quibus,niſi tali impediente confidentia, malè ſentiretur.

Tob.12

Luc.1

¶*Hæc autẽ eo cogitante,ecce angelus domini apparuit.*) Attende,quomodo ſubinde ad tẽpus longũ differt Deus expedire ſanctos de tẽtatione, nũquam tamen derelinquit in finem,ſed adeſt in opportuno tempore.Vide inſuper quàm eſt difficilis,&(vt ita loquar) tardus Deus,in

ſua occulta patefaciendo conſilia, illis etiam quorum intereſt ea cognoſcere. Vult enim rogari inſtanter, vult ardẽter nos pulſare ac poſtulare, vt cum opus eſt nobis prodat occultum ſui cõſilij: quod & feciſſe Ioſeph non dubium eſt, virum iuſtum & rectum, licet expreſſè ſcriptum non legamus. Orabat ille proculdubio Deũ, vt in re tã dubia, tam perplexa, quid facto opus eſſet, indicaret: vtq; à cogitationũ iſtarũ quibus diuexabatur æſtibus ſe expediret. Apparet itaq; ei angelus in ſomniis, hoc eſt, ſomni tempore, quando magis ſunt tranquilli ſenſus hominũ ſomno renouati, & ab omni diſtractione rerũ externarũ liberi. Monet autem Ioſeph abiicere timorẽ vanũ, quem quidam referunt ad reuerentiam erga coniugem diuina prole fœcũdam, videlicet vt non metueret tantæ cohabitare vxori. Verùm huic non ſatis fauet quod pro ratione mox ſubditur. *Quod enim in ea natũ eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Quare veriſimilius eſt, timorem illum quem abiici monet angelus, timorem eſſe ſuſpicionis aut periculi, quod ille nondum inſtructus de myſterio metuebat in coniuge, vt moneatur ſponſus tumultuãtium cogitationum turbam abiicere, propoſitum repudij abdicare, & vxori fidenter cohabitare, quam nõ alienus vitiarat maritus, ſed diuinus fœcundauerat ſpiritus. Vnde ſubiungit. *Quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt*: quaſi dicat, Non vt tu metuis, ex alieni viri concubitu, ſed quod tibi aſſero, ex operatione ſpiritus ſancti prolem geſtat in vtero: quare non tanquam adulteram tu eam debes repudiare, neq; vt infidelem in thorum repellere, ſed tanquam domini tui matrem charius debes amplecti, eique vt cuſtos & miniſter bonus fideliter miniſtrare. ¶ *Vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*) Dum Ioſeph officium dat imponendi filio naſcituro nomen, iam eum patris loco conſtituit. Parentum enim eſt imponere filiis nomina: quomodo &
Luc.1 Zachariæ dictũ eſt ab angelo, quod naſciturum ſibi filiũ nuncuparet Ioannem: & venientes die octauo eundẽ circuncidere: patrem interrogabant, quo eum vellet nomine vocari. Mirum autẽ videtur, quòd non nomine aliquo nouo & hactenus inuſitato hominibus, puer iſte nouus & ſuper omnes admirabilis, fuerit nominatus. Nã Ieſu nomine plures legimus in veteri teſtamẽto appellatos, miniſtrũ videlicet & ſucceſſorem Moſi Ieſum filium Naue, & pontificẽ illum magnũ cum Zorobabel templi reſtauratorem, Ieſum filiũ Ioſedech. Sciendum autem eſt, quòd licet non nouum eſſet hoc nomen noui noſtri pueri, quantum ad vocalem enuntiationem, ſecundum rem tamẽ & rationem impoſitionis omnino eſt nomen hoc nouum, & hactenus nemini fuit conueniens. Licet enim hoc Ieſu nomen, quod Saluator inter-

interpretatur,aliqua ratione cōueniat duobus illis,illi duci,huic pontifici,quatenus ille populum tranſduxit per Iordanem, & debellatis antiquis habitatoribus,introduxit in terram promiſsionis,hic verò populum de captiuitate reduxit,& templū Dei reparauit: peculiari tamen & eximio modo huic noſtro conuenit puero,cui nomē iſtud Ieſu impoſuit angelus,imò non ipſe impoſuit,ſed à patre impoſitū nuntiauit.Ipſe enim à ſalute ſpirituali,quam modo donare venit,nomen accepit:tantoque excellentiori ratione hoc ei nomen conuenit præ illis,quāto ſalus ſpiritualis animæ excellit ſalutē vitę corporeæ, ſalus cæleſtis terrenam,æterna temporalem. Portauerunt quidē illi nomen Saluatoris,ſed tantū in figura eius qui erat naſciturus in plenitudine temporis,vt eundem etiam nomine præſignarent quē præ figurabant officio.Vterque enim illorum,ſingularem in ſuo officio geſsit figuram Chriſti.Ille nanq; mortuo Moſe ſuper populū Iſraël principatum accipiens,eundemque per Iordanem ad loca promiſſa patribus dedictis terrę inhabitatoribus, introducens apertiſsimè Chriſtum dominū ſignabat,qui in temporis plenitudine Moſi mortuo ſuccedens,id eſt,in legis Moſacæ conſummatione nouam ſuam Euangelicam legē inſtituens,per Iordanem fluuium:id eſt, per ſui ſanguinis lauachrum,& ſacri baptiſmatis vndam,traductos, deuictis Chananæis,Iebuſæis,& cæteris:id eſt omnibus dæmonum potentatibus,populum Iſraëliticum,populum ſibi credentem introduxit in terram promiſſam patribus,in manſiones cæleſtis patriæ in terrā lacte & melle manantem. Alter autem ille filius Ioſedech ſacerdos,cū Zorobabel captiuorū è Babylone reductor,ac templi reædificator, non minus manifeſtè ſummum hunc noſtrum ſacerdotem Chriſtū præſignabat:qui ſub longa & dura nimis captiuitate detentū & oppreſſum humanū genus de manu regis Babylonis:id eſt,de poteſtate principis huius mūdi,de tyrannide mundi rectoris tenebrarū harū liberauit:domum quoq; ſiue templum Deo patri reædificauit,quod licet ſecundum ſpeciē vilius videbatur templo illo priori,maior tamen futura erat gloria domus huius nouiſsimæ quam prioris,dicēte domino per Aggæum Prophetam, *Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ,pluſquam primæ,dicit dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem,dicit dominus exercituum.* In quo verbo,proculdubio domus illa ſpiritualis deſignatur,Eccleſia ſancta,quam Chriſtus dominus in mūdum adueniens patri ædificauit. Et bene per duos iſtos,alterum ducem,alterum ſacerdotem magnum,noſter Ieſus tam in officio quā nomine fuit præſignatus:vt indicaretur idem ipſe & rex ſiue dux futurus,ſimul & ſummus ſacerdos. Vnde in ſcripturis vtrunque horum Agg. 1

Mic. 5 Chriſto inuenimus frequenter aſſcribi, vt nunc rex ſiue dux, nunc ſa-
cerdos ſiue pontifex appelletur. Dux quidem appellatur apud Mi-
cheam, dicentem, *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in*
Luce.1 *principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael* De
regno, ait ad virginem angelus, *Dabit illi dominus Deus ſedem Dauid*
Pſ.109 *patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*
De ſacerdotio autem in Pſalmis dicitur, *Iurauit dominus & non pœni-*
2.Pe.2 *tebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Petrus
quoque paſtorem & epiſcopum eum appellat animarum noſtra-
Heb.3. rum. Et Paulus, quàm multa de pontificatu ipſius & ſacerdotio ediſ-
& 5. ſerat in Epiſtola ad Hebreos, nemini eſt incognitū. Relinquitur ita-
què manifeſtum, quòd non inconuenienter puero iſti nouo vetus
nomen ſit impoſitum: quemadmodū non inconueniens fuit, nouam
rem veteribus figuris, & nouum ſignificatum antiquis ſignis præfi-
gurari. ¶*Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*) Notan-
dum, quòd non ſimpliciter dicit angelus, Ipſe ſaluum faciet popu-
lum, ſed ſignanter populum ſuum, inquit. Arbitror hoc ideo dictum,
quia non ad omnes effectus ſalutis eius erat peruenturus, neq; futu-
ri erant vniuerſi participes ſalutis quam ipſe dare venit, propterea
quòd pleriq; ea ſe facerent indignos, propter infidelitatem & inobe
dientiam. Populus autem ipſius ſaluandus erat à peccatis. Qui autē
ſint iſti, ſatis apertè exprimit Ioannes initio ſui Euangelij, dicens,
Ioan.1 *Dedit eis poteſtatem filios* Dei *fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex*
ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo
nati ſunt. Videlicet iſti qui crediderunt in nomine eius, ſicq́; ex Deo
nati ſunt, populus ſunt Chriſti: Populus etiam iſte, populus humilis
& māſuetus rectè intelligitur. Huiuſmodi enim ſpecialiter ſunt po-
pulus Chriſti, qui per humilitatem & manſuetudinem fidei ſe ſub-
mittentes, ipſius doctrinæ obediunt, & voluntatem adimplent. De-
his & in Pſalmo dicitur. *Quoniam tu populū humilem ſaluum facies.* Ac
rurſum, *Beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant*
Pſa.17 *ſuper miſericordia eius.* Et iterum, *Beneplacitum eſt domino in populo ſuo,*
Pſal.32 *& exaltabit manſuetos in ſalutem.* Nec illud prætereundū eſt, vbi dicit.
Pſ.149 *Saluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, ſub vna ſalute inſinuari tri
plicem. Quemadmodum enim triplex eſt captiuitas atque miſeria,
ita & ſalutem oportet eſſe triplicem. Neceſſe enim eſt, vt medicina
morbo reſpondeat. Eſt autem triplex iſta captiuitas ſiue miſeria, ſub
iectio peccati, ſubiectio diaboli, & ſubiectio mortis æternæ. Hac
triplici ſubiectione ſubiectum erat genus humanum: ſed per Chri-
ſtum ab omnibus facti ſunt liberi, quicunque in ipſum credide-
rint:

rint:vt dicat Apoſtolus, *Nihil ergo nunc damnationis eſt ijs qui ſunt in
Chriſto Ieſu. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me a lege pecca- Ro.8
ti & mortis.* Et quemadmodum ſub peccati ſubiectione includuntur
duæ aliæ,nempe ſubiectio diaboli,& obligatio damnationis: ita in
ſalute a peccatis continetur ſalus à poteſtate diaboli,& damnatione
mortis æternæ. Vide nunc quam pulchrè huic noſtro puero illud
Pſalmi canere poſſumus, *Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua* Pſa.46
in fines terræ. Verè enim ſecundum nomen ipſius laus eius eſt. Nomẽ
ipſius,Saluator eſt:nec inuanum nomen hoc portat,quod tam poten
ter nos à trina tam peſsima ſeruitute, ſubiectione,captiuitate, atq;
miſeria liberat. ¶ *Hoc autem totum factum eſt, vt impleretur quod dictum
eſt à domino per Prophetam.* Cum non niſi vnam rem præmiſerit,vide-
licet conceptionem Chriſti de ſpiritu ſancto,ſic tamẽ loquitur quaſi
multa miranda dixerit,cum ait, *Hoc autem totum factum eſt.* Verùm
id magis ad magnitudinem rei & profunditatem ſacramenti,quàm
ad multitudinem narratorum referendum eſt. Quaſi dicat,Hoc tam
admirabile ſacramentum, tam grande myſterium factum eſt. De
particula autem, vt, quomodo in his & conſimilibus locis accipia-
tur,ſemel hîc admonuiſſe non erit inutile, cum frequenter admo-
dum in hoc vſu occurrat in Euangeliis. Sciendum itaque, parti-
culam illam, vt, in hoc atque conſimilibus locis, non ſignificare fi-
nalem cauſam,ſed tantum conſecutionem. Non enim ideo hæc aut
illa facta ſunt in temporis plenitudine,non ad eum finem ſic pera-
cta ſunt,vt illa quæ multo antè prædicta fuerant adimplerentur.Ma
gis enim econtrario idcirco Prophetæ illa prædixerunt,quoniam ſic
erant in temporis plenitudine fienda.Finalis ergo cauſa hîc non ſi-
gnificatur:ſed quid conſecutum ſit ex tali re geſta,indicatur. Cum
ergo ſecundum modum ſacris Euangeliis vſitatũ dicitur,Hoc aut il-
lud factum eſt,vt ſcriptura impleretur:hæc aut illa,ſic intellige,Hoc
aut illo facto,impleta eſt hæc,aut illa ſcriptura,quæ id aliquando fu
turum prænuntiauit. Vel,ex huius aut illius rei exhibitione,conſe-
cuta eſt impletio ſcripturæ.Illud quoque nota,quàm diſtinctè dicat
Euangeliſta, *Quod dictum eſt à domino per Prophetam* Non ait, Quod
dictum eſt ab Eſaia.Non ait tantũ,Quod dictũ eſt à domino:ſed vni-
cuique ſuum dans honorem. *Quod dictum eſt*, inquit, *à domino per Pro-
phetam.* Quem loquendi modum,& in aliis pleriſq; locis,prudẽs hic
Euangeliſta obſeruta in conſequentibus.Videlicet hac ſermonis diſ
cretione,Deum omnis prophetiæ & ſacri eloquij primarium autho
rem,vt efficiens principium aſsignans,ipſum verò Prophetam,vt in
ſtrumentum tantũ & miniſtrum ſancti ſermonis,ſecundo loco con-

 ſtituens.

ſtituens. Quam rem & ille pulchrè indicabat Pſaltes egregius, qui miranda in ſpiritu prophetico de ſponſi Chriſti, & ſponſæ Eccleſiæ
Pſa.44 dicturus iucundiſsimus nuptiis, præmittebat, *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcribæ, velo-*
Eſai.7 *citer ſcribentis.* Diuinum namq; ſpiritũ, ſcribam velociter ſcribentem: ſuam verò linguam talis ſcribæ tantum calamum aſſerit. ¶*Et vocabitur nomen eius Emanuel.*) Nuſquam in Euangeliis legimus, Chriſtũ huiuſmodi nomine appellatum. Neq; angelus huius nominis apud Mariã matrem, neq; apud Ioſeph nutritium meminit. Nuſquam deniq; vel magni vel parui huiuſmodi nomine ipſum legũtur nũcupaſſe. Quid ergo ſibi vult, *Et vocabitur nomen eius Emanuel?* Non ita accipiendũ eſt hoc Prophetæ verbum, quaſi velit indicare Chriſtũ eo nomine inter homines familiariter nominandũ, quomodo vnuſquiſq; hominum propriũ nomen ſibi habet impoſitum, quo in vſu familiari vocitatur: ſed hoc tantum vult ſignificare, talẽ illum fore cui rectè tale nomẽ cõueniat, & qui merito ſic poſsit ac debeat appellari. Quotieſcunq; enim res per nomen quodlibet ſignificata vlli ſuppoſito cõuenit, illud indubiè tali nomine rectè & congruè poteſt appellari. Cum ergo ſignificatũ nominis huius, Emanuel (quod interpretatur nobiſcũ Deus) pleniſsime Chriſto cõueniat, qui eſt cum hominibus, & inter homines Deus, quis dubitet, rectè illum tali appellari nomine? Secundum hunc modum, & in alio eiuſdẽ Prophetę loco dicitur
Eſai.8 à domino, *Voca nomẽ eius, velociter ſpolia detrahe, citò prædare,* quod indubiè ad Chriſtum ſpectat, cui prius nomen datum fuerat Emanuel. Non hoc quidẽ, vt ſignaretur tali appellatione familiariter Chriſtũ appellandum inter homines, *Velociter ſpolia detrahe, citò prædare,* ſed ad ſignificandum, ꝙ talis eſſet ipſe futurus, cui id nominis bene conueniret, eo ꝙ celeriter eſſet rapturus ſpolia ab illo forti armato cuſtodiente atrium ſuũ, eumq; citò prædaturus alligatũ tanquã fortior ſuperueniens. Hoc ferè loquendi modo, etiam per iocũ ſubinde vti ſolent homines in familiari ſermone, cũ ad ſignificandũ conditionẽ eius de quo fit ſermo, vocem effingentes illi exprimendæ congruã, dicũt. Hic vocatur hoc nomine, vtpote hic vocatur. Ne credas, ad ſignificandum nõ eſſe illũ bonę fidei, ille vocatur. Noli me cõtingere, ad ſignificandum talem eſſe cui non poſsis impune nocere, vel in minimo: atq; ita in cæteris, quibus hominũ vulgus non rarò vtitur. ¶*Et non cognoſcebat eam, donec peperit filiũ ſuum primogenitum.*) Ex hoc loco peruerſus ille Heluidius hæreticus, infirmo argumento & inualida nimiũ ratiocinatione aſſerere tẽtauit, Chriſti matrẽ ſuper benedictã Mariam poſt partũ non permanſiſſe virginem, ſed à Ioſeph fuiſſe cognitam

gnitám.Primũ quidem eo ꝙ dicatur, *Non cognoſcebat eam donec peperit filiũ ſuum primogenitũ.* Igitur(inferebat cæcus ille)poſtquàm filium peperiſſet,cognouit eam.Deinde quia dicitur Chriſtus fuiſſe Mariæ primogenitus.Nomẽ enim primogeniti,videtur alios reſpicere poſterius genitos: quẽadmodum cũ Adæ primogenitus dicitur Cayn, ad Abel habetur reſpectus poſterius genitũ. Verùm vtrũq; horũ admodum inualidũ eſt argumentũ. Nam de particula, donec, manifeſtũ eſt,nihil ipſius argumẽtum habere firmitatis, tũ ex familiari vſu loquẽdi,tum ex ſanctarũ venerando vſu ſcripturarũ.Si enim quis dixerit:Non deſiit Chriſtus pro humano genere apud patrem eſſe ſolicitus,donec exhalauit animam, quomodo hinc rectè educi poterit, poſt expirationẽ deſiiſſe iam illum,aut deſiſtere à ſolitá pro nobis ſolicitudine.Itẽ ſi dixero,Maria Chriſtũ nõ deſeruit, donec ille in crucẽ ſubleuatus fuit,quis hinc eliciet,Chriſto in crucem ſubleuato,matrem tũ ipſum reliquiſſe?Rurſum,ſi dixerit ægrotus,mortẽ prænuntiare volẽs:Non comedã donec moriar,quomodo hinc conſequitur, vt vbi mortuus fuerit,tũ comedat?Iterũ,nõne rectiſsimè ſimul & veriſsimè dicere potuit domino Dauid:Non me dereliquiſti in manus inimicorũ meorũ,donec ad regnũ me prouexiſti & ſummã gloriam? Quis tamẽ hoc ſermone dicet ſignificari tũc derelictũ eſſe à Deo Dauid,quãdo in regnũ fuit euectus?Nemo ſanè id dixerit,niſi cui ſenſus cõmunis læſus fuerit.Hæreticus tamẽ iſte Heluidius,impudenti ore hinc falſum dogma tẽtauit aſtruere.Pręterea, & ex ſacri vſu eloquij facilè mõſtrari poteſt,vana eſſe illius nugamẽta, quandoquidẽ ſacræ ſcripturę vſus frequẽter,donec,ita vſurpat, vt nulla ſignificet ſequentis exceptio:id quod tam in affirmatiua q̃ in negatiua eloquutione, facilè fuerit oſtendere, In negatiua eloquutione, ſic legimus Pſal.3. *Nõ cõmouebitur(iuſtus)donec deſpiciat inimicos ſuos.* Vnde nemo ſanæ mẽtis elicere tẽtabit,deſpectis inimicis iuſti, tunc illũ debere cõmoueri.Quid enim magis ridiculũ? Sic & in alio Pſalmo Propheta poſtulat, *Vſq; in ſenectã & ſeniũ ne derelinquas me,donec annuntiẽ brachiũ tuum generationi omni quæ ventura eſt.* Qua oratione non poſtulat Propheta, vſq; ad illud tantũ tẽpus nõ deſeri donec annũtiauerit,quaſi poſt cõtẽtus ſit derelinqui:ſed omnino nunquã derelinqui poſtulat.De affirmatiua eloquutione manifeſtũ habemus exemplũ in Pſal.109.vbi pater dicit filio,*Sede à dextris meis,donec ponã inimicos tuos ſcabellum pedum tuorũ.*Quis enim hic intelligat,filio dari à patre ſeſsionem in dextra, tantũ vſq; ad tẽpus illud quo ſubiiciantur inimici ſub pedibus eius: quaſi illo perfecto foret filio emigrandũ à patris dextera?Pari autẽ ratiõe in enũtiatiõe affirmatiua ſignificaret ceſſatio prędecẽtis operis

Vel quietis ante donec ſignati poſt tempus illud quod donec indicat, qua in negatiua ſignificatur exhibitio actus vel quietis, cuius negatio ante donec ſignatur, poſt tempus illud impletũ, quod donec ſignificat. Exempli gratia, ſi in hoc propoſito negatiuo loco Euãgelij: *Ioſeph non cognouit Mariam, donec peperit filium ſuum primogenitũ*, ſignificaretur, Ioſeph cognouiſſe Mariam poſtquã peperit filiũ: pari ratione in illo Pſalmi loco affirmatiuo: *Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, &c.* ſignificaretur, filium ceſſaturũ à ſeſsione illa poſt tẽpus illud ſubiectionis inimicorũ. De hac ipſa particula diximus pluribus in locis, in Elucidatione libri Pſalmorum, nominatim in Annotationibus Pſalmi 109. Manifeſtũ eſt itaq; tam ex familiari vulgati ſermonis conſuetudine, quàm ex venerando vſu ſacri eloquij, ex particula illa, donec, nihil poſſe hæreticũ tale quale parturiebat parere. Ex dictione autẽ primogeniti, nihil magis. Nã vt primum dupliciter dicitur, ita & primogenitus. Primũ enim aliquãdo dicimus affirmatiuè, vt ita exponatur, cæteris omnibus prius. Hoc modo primus homo dicitur Adã, id eſt, omnibus aliis prior. Hoc modo primogenitus dicitur, ante omnes alios prior genitus: quomodo Chriſtus dicitur primogenitus in multis fratribus, quoniam cõparatione ad omnes nos adoptione tantum filios factos ipſe naturalis filius prior eſt, & in gloria potior. Sic dicitur Ruben primogenitus Iacob. Atque in hac ſignificatione primogenitus reſpectiuè & relatiuè dicitͬ ad alios poſterius genitos. Neq; dicitur hoc modo Chriſtus Mariæ primogenitus. Secũdo, exponitur primũ negatiuè, quo nihil prius eſt. Atq; hoc pacto primogenitus dicitur, quo nõ eſt alius prior genitus. Et in hac ſignificatione mulier primũ enixa filium, rectè dicere poterit, Hic meus eſt primogenitus, etiãſi alius ſequatur nemo aut ſequuturus ſit, quoniam ante illum non genuit alium. Hoc autem pacto, primogenitus relatiuè non dicitur ad poſterius genitos, & poteſt vnigenitus rectè dici primogenitus. A qua loquẽdi cõſuetudine nõ abhorret ſcriptura, cum in lege præcipitur, primogenitũ ſanctificatum eſſe domino, & debere redimi, quod indubiè nõ tantũ de illis intelligitur, quibus alij ſucceſſerũt fratres, alioqui ante redemptionẽ expectari tantiſper deberet, donec videretur an eſſet ſubſequuturus alius: ſed primogenitũ intelligitur, quod vuluam aperit, & quo non alius prior fuit genitus. Sic & in interfectione primogenitorũ Aegypti, nõ exiſtimandũ eſt, illic ſolum percuſsiſſe angelũ, vbi plures eſſent filij: ſed omne ſimpliciter quod primogenitum fuit, percuſsit. Neque hinc igitur quicquam veneni ſugere ſibi poteſt hæreticus: tametſi ex propriis ſuis venenoſis viſceribus, ipſum potuerit tumor faſtuoſus euomere.

Ad

AD LECTOREM.

NOli, lector candide, in cæteris capitibus expectare quod hîc vtcunque præſtitum videtur: id eſt, annotationes prolixas, & pleniorem locorum difficilium tractatum. Non enim id patitur opuſculi præſentis (quod in enchiridij formam aptauimus) breuitas, neque ingenioli noſtri tenuitas facilè id in omnibus poſſet quod hîc tentatum eſt. Denique, nec admodum neceſſarium nobis videbatur hoc vbique agere, potiſsimum quod aliorum nō paucorum antiquorum & recentiorum prolixi in manibus paſsim habeantur commentarij, ex quibus peti poſſunt quæ hîc deſiderari videntur. Nobis ſufficiet poſthac paraphraſtice, vt ab initio cepimus, ſimplicem literæ intellectum ſimplicibus & claris verbis exponere. Quod autē in vno hoc capitulo factū eſt, ideo factum eſt, vt intelligas, lector benigne, non ſine diligenti diſcuſsione præuia elucidationes iſtas paraphraſticas eſſe conſcriptas, etiam in illis capitbus vbi nullas inueneris annotationes huiuſmodi additas. Labor enim qui in perlegendo authores diuerſos, ſententiáſque varias diuerſorum conferendo, & Græca Latinis cōponendo, cæteráque huiuſmodi expendendo ante conſcriptionem opuſculi huius præceſsit, vt ingenue quod verum eſt fatear, ſufficere vtiq; poterat ad iuſti commendatarij compoſitionem, ſi non breuitas nobis magis fuiſſet in animo: & ſi non alia fuiſſent ab eo propoſito iuſte retrahentia. Boni itaque conſule breuitatem noſtram: & quod ex nobis deeſt, ab aliis petens, in diuinarum rerum ſcientia diteſce, atque in Dei ſemper amore (qui eſt ſcopus omnis pij ſtudij) proficere ſtude. Vale.

ELVCIDATIO CAP. II.

CVM itaque natus eſſet Ieſus, & mundo æditus per virgineum partum, non in Nazareth Galilææ, vbi conceptus erat: ſed in Bethleem ciuitate tribus Iudæ, quę appellabatur ciuitas Dauid, & Prophetarum oraculis celebris erat, tanquam futura natalis locus Meſsiæ, naſcituri de ſemine Dauid. [b] Herode alienigena iam occupante imperium (ablato vide licet ſceptro de Iuda & duce de fœmore eius in ſignū aduentus eius qui erat mittendus) ecce nouo & inſigni miraculo Deus pater ſuum in terris recēs natum filium voluit clarificare, ac gentium primitiis manifeſtū facere. [c] Ecce enim à terra Oriētis gentiles quidam

CVm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ,

b In diebus Herodis regis,

c Ecce magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes.

dam viri,tum principatus nobilitate, tum ſapientiæ claritate inſignes & eximij, qui ex more gentis ſuæ Magi appellabãtur circa tẽpus ortus Chriſti,ſtellæ cu iuſdã nouæ externo indicio,ſimul & interna ſpiritus illuſtratione deducti, venerũt ad Hieroſolymã ciuitatem regiã,de nouo rege nato, quẽ per ſignũ abſentes cognouerant,diligenter perquirentes, atq; dicentes:

a Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?

[a] Vbi hic inueniemus nouũ Iudæorũ regem recens natum?Mirantibúſque omnibus qui audiebant ſuper interrogatione huiuſcemodi,ꝙ de nouo rege Iudæorum nato interrogarent exteri,cũ ipſi nihil de eo audiſſent,illi ſubintulerũt:Nõ pro nihilo huc venimus, neq; ſine cauſa interrogamus. Iam enim certo nobis indicio monſtratũ eſt, natũ vobis eſſe nouum regem illũ,qui multo antè promiſſus extitit,qui ſit liberaturus populũ ſuum. [b] Nobis enim in Oriente longè poſitis ſtella apparuit, peculiare natiuitatis ipſius indiciũ quæ etiã nos huc uſq; perduxit. [c] & cuius ducatũ inſequẽtes,huc peruenimus, vt illũ adoremus, ac pro ſua eminẽtiſsima gloria(qua excelſus erit præ cũctis regibus terræ)obſequium,honorem & reuerentiam illi impendamus.

b Vidimus enim ſtellam eius in Oriente,

c & venimus adorare eum.

[d] Huius rei fama mox ad Herodem regem perlata,partim ob nouitatem rei, partim ꝙ in eius domo potiſsimùm de rege nato inquirendũ videbatur,ſi fortè natus illi fuiſſet nouus filius, quoniã quidẽ tum ſolus ipſe in Iudæa regnabat,ille ſibi malè conſcius ꝙ per tyrannidẽ occupaſſet imperiũ, & malè metuẽs ne fortè regno(vt ferè fieri ſolet)vero rege nato pelleretur, vehementer cõturbatus eſt, & regni perdendi metu factus eſt animo anxius: [e] ſimul & bona pars eorũ qui in Hieroſolymis erant,cũ illo cõturbati ſunt,nõnulli quidẽ vt fauentes tyrãno ſimili ſunt conturbatione cõmoti,ne ille deturbaretur imperio, cuius partem fouerãt,vel lucri vel ambitionis gratia, ſicq; de eis pœnas contingeret ſumi, pulſo tyranno. Alij verò populi ſui liberationẽ expectãtes, & ſub tyrannide alienigenæ gemẽres,nouitate rei,quaſi concepta noua quadã ſpe libertatis turbati ſunt,non tam dolore,quàm ſpe & gaudio. [f] Herodes autẽ nõ ſegniter prætereundũ putãs huius famæ rumorẽ diſsimulans

d Audiens autẽ Herodes rex turbatus eſt,

e & omnis Hieroſolyma cum illo.

f Et congregãs omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur.

lans tantiſper animi dolorem., donec certius aliquid cognoſceret conuocari ad ſe interim iuſsit omnes principes ſacerdotũ, & Scribas eruditos in cognitione legis,& interrogauit eos,quis eſſet locus ille in Lege & Prophetis deſignatus,in quo Meſsias iſte quem eos expectare audierat, naſciturus eſſet: quoniá apud omnes erat vulgatiſsimũ, Iudæos quendã præſtolari Meſsiam,à quo ſperarẽt reddi ſibi libertatẽ.Fore autem hunc Meſsiam,de quo ſic ab exteris principibus interrogaretur,quique ſuperno ſigno ſic fuiſſet declaratus,nõ immeritò ſuſpicabatur aut metuebat. Non enim erant vulgaris regis illa tam magnifica indicia. [a] Interrogati ſacerdotes & Scribæ ſuper loco natiuitatis Meſsiæ ſui, paratam mox habuerunt reſponſionem,quòd eſſet huius rei cognitio apud illos certiſsima, ſtatímque reſponderunt: Ciuitas Bethleem in tribu Iudæ poſita, e qua fuit oriundus Dauid, ipſa eſt locus deſignatus natiuitati eius quem præſtolamur Meſsiæ noſtri. [b] Id enim ex Prophetæ Michææ verbis cognoſcimus, cuius extat hoc præclarum vaticinium, quo Bethleẽ ex ore domini alloquitur,dicens: [c] Et tu Bethleem tribus Iudæ, quæ etiam Ephrata diceris,nequaquam infima habenda es, neq; dignitate vltima inter pręcipuas ciuitates ſortis Iudę,nequaquam deſpicienda venis aut habenda contemptui,ob loci paruitatem aut paucitatem inhabitantium.[d] In te enim naſcetur, ex te vnus quidam prodibit inſignis,qui te mirũ in modum nobilitabit, præclarámque ac nobilem reddet per omnia ſæcula. Nimirum ex te egredietur & in te naſcetur princeps quidam & dux, qui reget ac paſcet populum meum electum Iſraël, qui in populo Iſraël regnabit in æternum. [e] Quo audito, Herodes magis ſibi metuens, ſtatim ad callida conſilia conuertit animum: & quomodo hactenus non aliud quàm tyrannidem oppreſsionémque populi cogitauerat, ſic & modo pergit in nouum natum regem moliri machinationes tyrannicas: quomodo videlicet illum priuſquam inualeſcat viribus, recenter natum, opprimat.Viſum eſt autem illi, aſtu magis quàm viribus iſtud agere negotium. Quare

a Ai illi dixerũt ei: In Bethleem Iudæ.

b Sic enim ſcriptũ eſt per Prophetam:

c Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.

d Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël.

e Tũc Herodes

a clam vocatis magis, diligẽter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis.

[a] Quare clã ad ſe vocatis magis, illis huius noui nati regis nũtiis & inquiſitoribus, diſsimulans latẽtem in corde dolorẽ & fictam ſimulans pietatem, diligentiſſime ab eis perquiſiuit omnia, quid videlicet illos mouerit ad tanti itineris ſubeunda diſpendia, quid illos adducerit ad huius regis exteri venerationẽ præ cæteris, vnde illis & quàm certa eius quẽ quærebãt notitia, & maximè tẽpus inquiſiuit apparitionis ſtellæ huius, ex qua cognouiſſe ſe dixerant noui regis ortũ, vt hinc colligeret, quantæ foret ætatis infans natus.

b Et mittens illos in Bethleem dixit: Ite, & interrogate

c diligenter de puero, & cum inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorẽ eũ.

[b] Quibus omnibus diligenti ſtudio perquiſitis, rex illos amicè admodum à ſe dimittens, indicato eis reſponſo ſcribarũ & natiuitatis loco, permiſit ac iuſsit accedere eos Bethleem tribus Iudæ, [c] ibique diligenter inquirere de puero iſto rege quẽ quęrebant: ſimul & hoc adiungens, vt puero inuento quantotius ad ipſum reuertãtur, renuntiaturi vbi illum inueniſſent, fingẽs ad huius rei perſuaſionẽ, pia religione ſe quoque illuc velle accedere, ac puerũ honore debito adorare. Sciebat enim impius tyrãnus, pios magos & ſimplici animo Ieſum quærẽtes, nulla ratione eum prodituros nocere cupiẽti, quamobrem eiuſdem ſe voti eſſe ſimulans ac pietatẽ fingens ſimile ſpondebat obſequium, vt crudele tandem impleret propoſitũ. [d] Et iſti quidem regi vale dicẽtes, & ſimplici animo, neſcij fraudis, ita ſe facturos pollicentes, abſceſſerũt à rege, & ciuitatem regiã relinquẽtes, Bethleem verſus iter arripiunt.

d Qui cum audiſſent regem, abierunt.

e Et ecce ſtella quam viderant in oriente

[e] Et ecce mox vt Hieruſalẽ egreſsi ſunt, iter parãtes ad Bethleem, ſtella illa quam viderant in terra ſua Oriẽtis, cuius ducatu ad Hieruſalem vſq; peruenerãt, quæ ad modicum temporis ſe occultauerat, Dẽi cõſilio, vt interrogantes de puero in Hieruſalem audirent ſuæ fidei de ſcripturis cõfirmationem, atque ipſi etiam Iudęi nati ſui regis noui ab alienigenis audirẽt teſtimonium, [f] ipſa eadem rurſum illis manifeſtata eſt, eóſq; tanquam ductrix & viæ demõſtratrix anteceſsit, ſic illos deducendo vſque ad locum in quo puer ille mirificus diu & multũ quęſitus latebat: quã etiam domũ ſtella illa demiſſa de ſublimi aëris loco, vicinius ad domum illam deſuper accedẽs, illicq; ſupernè

f antecedebat eos vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer.

pernè immota permanēs, aperto indicio magis deſignabat. [a] Hi verò, ſtella iterum ſuis præſentata conſpectibus, pro cuius amiſsione non parū fuerant conturbati, vehementi gaudio ſunt affecti, quòd veterem ducem & ſupernum munus ſibi viderent redditū, & nō inuanum fore itineris laborem ex tam certo ducatu cognoſcerent. [b] Ingenti quoq; gaudio refecti ſunt, vbi ſtellæ indicio ipſam iam domū deprehendiſſent, in qua puer erat abſconditus. [c] Illi itaque cum omni reuerētia & honore debito domū ingredientes, inuenerunt puerū illum quem tanto itineris labore, tanta inquiſitionis ſolicitudine quæſierant, & cum puero ſimul ipſius quoq; virginē matrem inuenerūt, materna ſolicitudine illū diligenter pro ſua facultate curātē. [d] Mirabile profectò diuinæ operationis myſteriū. Nihil magnificos iſtos & ſapientia clariſsimos viros ſcādalizauit loci vilitas, nihil offendit matris humilitas, nihil paupertas illorū deuotioni obfuit: ſed vbi regiū nihil nihilq; magnificum cernebant, ipſi nihilominus abſq; mora: plena fide & deuotione prociderunt in facies ſuas coram inuento puero, eūmque adorauerunt: nō vt regem tantum quemlibet, cuiuſmodi erat Herodes, ſed vt regem cælitus miſſum, hominem verum & verum Deum. [e] Neque illis ſat fuit, ſignis huiuſmodi ſuæ fidei rectitudinem & deuotionis ſynceritatem demonſtrare, ſed inſuper donis ad hoc cōuenientiſsimis idipſum voluerunt comprobare: apertiſq; arcis ſuis, in quibus concluſa ſeruabantur quæ ſecū pro itinere adferebant, poſt munus internæ deuotionis & piæ adorationis (quod eſt præcipuum & ſummū munus, Deóq; præ omnibus gratiſsimum) etiam externa obtulerunt munera, [f] nempe aurum, thus, & myrrhā, quæ dona non abſque peculiari ſancti ſpiritus eruditione, nec abſque magni ſignatione myſterij, illæ gentiū primitiæ obtulerunt. Aurū nāq; obtulerunt, in proteſtationem quod illum vt verum regem & ſupremum regem agnoſcerent, vt regē regū & dominantiū dominū. Thus obtulerunt, in proteſtationem veræ diuinitatis, cui debetur thuris oblatio. Myrrhā verò, in proteſtationē corruptibilis humanitatis

a Videntes autē ſtellam,

b gauiſi ſunt gaudio magno valdè.

c Et intrantes domum, inuenerunt puerū cum Maria matre eius.

d Et procidentes adorauerunt eum.

e Et apertis theſauris ſuis obtulerūnt ei munera,

f aurum, thus, & myrrham,

manitatis. Nam mortuorũ corporibus myrrha cõducit. Sic enim illũ adorabant, vt ſummum regem & verum Deum, verum nihilominus atq; mortalẽ hominem:

a Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem,

& tria hæc vt corde credebant, ita proteſtabantur muneribus.[a] Ego verò ad quod venerant non ſine ingenti cordis ipſorũ lętitia peracto, cum reditũ meditarẽtur ad propria, & ad Herodem cògitarẽt iuxta promiſſum reuerti, cauſa indicandi (vt ille poſtulauerat) inuẽti pueri, angelus domini per tẽpus ſomni illis apparẽs, oraculo cæleſti eos admonuit, ne redirent ad fraudulentum Herodem, aſtuta cogitatione mala machinantem puero, aliam illis commoſtrans viã per quam redirẽt in ſuam regionem, quod & fecerũt, illi obediẽtes per omnia.

b per aliã viã reuerſi ſunt in regionem ſuam.

[b] Sua nanq; de reditu pollicitatione quã Herodi fraudis ignari ſimplici animo fecerant, poſtpoſita (ob deprehenſum angelica ammonitione Herodis dolũ) declinãtes Hieruſalem, per aliã viàm reuerſi ſunt in regionem ſuam, ſicq; ſpes deluſa eſt & expectatio fruſtrata tyranni mala machinantis. Et iam illi procul à Iudæa aberant, aut in ſuam fortè regionem redierant, cum ille miſer anxius adhuc fruſtra præſtolaretur illorum reditũ.

c Qui cum receſſiſſent, ecce angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens:

[c] Vbi autem Magi iſti peracto ſuo negotio abſceſſiſſent, nõ multo poſt, cęleſtis pater iã de filio ſuo vt de mortali homine curam gerẽs, præuidens iniquas & crudeles machinationes Herodis, filiíq; vitam vſque ad tempus definitum ſeruare volẽs, angelum mittit de cælo, qui Ioſeph vt patris tenentem locum, nutritiũ & curatorem pueri, & matris cuſtodem atq; miniſtrũ admoneat de fuga,

d Surge & accipe puerũ, & matrẽ eius & fuge in Aegyptũ, & eſto ibi vſq; dum dicam tibi.

[d] Qui angelus ſomni tempore Ioſeph apparẽs: Surge (inquit) Ioſeph fili Dauid, ſurge alacriter, & feſtinus accipe tecũ puerũ iſtũ cuius tu es à Deo nutritius deputatus, vnà cũ matre eius, cui es aſsignatus cuſtos: & fuge in Aegyptũ, ibíq; deliteſcatis ad tẽpus aliquantũ, & peregrinemini, donec tibi reditũ ſignificauero.

e Futurum eſt enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

[e] Herodes enim tyrãnus, audito noui regis ortu, iam mala machinatur in corde ſuo, & breui in effectũ perducturus eſt iniqua ſua cõſilia, magno conatu & exquiſitis cõſiliis ac tyrannide inaudita vſurus ad interficiendum hunc puerum. Quẽ licet poſsit cęleſtis pa-

ter

ter aduerſus omnem ſæculi poteſtatẽ ſolo verbo defendere,vult tamẽ fratribus illum per omnia aſsimilari,poſteaquam hominem fieri illũ iuſsit,& fuga tanquã vnum aliquẽ è cæteris hominibus ſuæ vitæ conſulere.[a] Accepta autem admonitione, Ioſep non ſegnis auditor neq; tardus aut inobediẽs miniſter,continuò ad exequẽdum mandatum ſe accingit, maturè de ſtrato quietis exurgit,antequam illuxiſſet dies: omnibúſque celeriter compoſitis, & ad profectionem neceſſariis paratis,iuxta angeli monita, Iudæã dereliquit,& in Aegyptum cum puero & matre deſcẽdit, vt illic ab Herodis perſequutione puer tutus lateret. [b]Erátque illic vt peregrinus,multo tempore, magna ſolicitudine puero & matri victum quæritans,& pro vtriuſque neceſsitate ſubleuanda fideliter laborans, vſque ad tempus obitus Hærodis.[c] Per hanc autem pueri fugam in Aegyptum ac deinde eiuſdem reuocationem ex Aegypto,impleta eſt Prophetia illa quę à domino multò antè prædicta fuerat per Prophetã Ozæ,atque etiam per Prophetam Balaam:[d] Ex Aegypto vbi tanquã peregrinus & aduena fugiens Herodis furorem latuit,defuncto tyranno eũ reuocauit in terrã ſuam.Quod licet ſecundum literam de Iſraëlitico populo liberato à ſeruitute Aegyptiaca videatur accipiẽdum,ſecundum veritatem tamen myſticę ſententię de Chriſto potiſsimum intelligendum venit,ex Aegyptiaca peregrinatione reuocato. [e] Cum verò Herodes poſt longam expectationem tandem comperiſſet Magos ſibi illuſiſſe, ac ſpe ſua fraudaſſe, nec iuxta pollicitationem illos ad ſe redituros videret aliáque via didiciſſet in propria rediiſſe: [f] vehementi cõmotus eſt intra ſemetipſum indignatione, & ira ardentiſsima vehementer efferbuit: tum aduerſus Magos illos à quibus ſe deceptum exiſtimabat, cum ipſe magis illos ſua ſimulatione fefelliſſet,vt reditum promitterent:tum aduerſus natum puerum, cuius notitiam particularem vt ſperabat, aſſequi ſe poſſe iam deſperabat. [g] Et in hoc ardenti furore poſitus crudeliſsimus tyrannus,lictoribus atque militibus tali facinori idoneis emiſsis, interſi

a Qui conſurgẽs,accepit puerum & matrẽ eius & ſeceſſit in Aegyptum.

b Et erat ibi vſque ad obitum Herodis,

c vt adimpleretur quod dictũ eſt à Domino per Prophetam dicentem:

d Ex Aegypto vocaui filium meum.

e Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis,

f Iratus eſt valdè.

g Et mittẽs occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra ſecundũ tempus quod exquiſierat à Magis.

terfici iuſsit pueros vniuerſos, non ſolū in Bethleē, verumetiam in omnibus terminis eius vbiq; per circuitum,quotquot ætatem habebāt annorum duorū, aut infra hāc erant ætatem,iuxta ſupputationem tēporis quod ex Magorū relatione,de ſtellæ apparitione exquiſierat & audierat.Iam enim per multū tempus expectauerat ille reditum ad ſe Magorum, & priuſquā percepiſſet abiiſſe illos, nonnulla haud dubie mora interceſsit, neq; forſitan ſtatim vt cognouit illuſionem, opportunitatem habuit perficiendi ſuum propoſitum, propter quod, hebdomadæ pauculæ non illi ſufficiebant,pro ſuo propoſito. Neq; tamen duos accepit annos,quòd tātum tēporis iam effluxiſſet à nato puero,ſed vt ſecurus magis eſſet de periculo,maluit prolixiorem accipere terminū, vt vbi vnus ſufficere potuiſſet annus,duos acciperet,vt tāto certius deprehenderetur infans ille qui quærebatur.

[a] Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Hieremiā Prophetam, dicentem,Vox in Rama audita eſt, ploratus et vlulatus multus.

[b] Rachel plorans filios ſuos,

[a]Tunc impleta eſt Prophetia illa Hieremiæ Prophetæ dicētis,Vox im Rama:id eſt, in excelſo audita eſt, clamor magnus inauditæ crudelitatis in cælum vſq; aſcendit,nēpe vagitus,ploratus & vlulatus maximus tam vulneratorum puerorum,quàm mulierum filios ſuos lamētantium, quàm etiam inſanus clamor crudelisſimorum lictorum contra vlulantium. [b]Tanta autē fuit ſtrages cæſorum innocentum,vt ipſa quoq; Rachel,licet mortua,flere debuerit filios ſuos:id eſt, pueros Bethleem:qui ei us filij dicuntur,non quod de Rachele nati eſſent(De Lia nanque ortus fuit Iudas, in cuius ſorte erat Bethleem) ſed quia iuxta Bethleem defuncta in puerperio Rachel ſepulta fuit:propter quod,illis in locis nati vbi ipſa ſepulta quieſcit, filij eius dicūtur.

[c] & noluit cōſolari, quia non ſunt.

[c]Tantus autē erat ploratus Rachel, & tam magna erat crudelitas iſta,vt nō voluerit ipſa à luctu ſuo conſolationem accipere, eo quòd morte tam crudeliter perempti fuerunt illi innoxij,& de vita ante tempus ſublati, vt videre non potuerint nec audire illa tam magnifica,quæ paulò poſt in mundo erant per Chriſtū agenda atque prædicanda.In ſumma,erat hæc crudelitas tāta in pueros Bethleemiticos,à tyranno exercita, vt etiam à mortuis matribus

plangi

plangi vehementer & quaſi inconſolabiliter digna fuerit.[a] Verùm poſt annos aliquot Herode ex Dei iudicio,poſt grauiſsimos dolores & acerba torméta, morte abſumpto,ecce angelus domini q̃ prius ex Iudæa fugam nuntiauerat,iterum per ſomni tépus Ioſeph in Aegypto adhuc agenti apparuit dicés:[b] Surge & accipe puerum tuæ commiſſum curæ,vnà cum matre eius tuæ credita fidei,& hinc cõmigra in terrã Iſraël,vnde huc peregrinus aduenisti.[c] Iam enim res pueri ſalua eſt.Iam ille ſęuiſsimus tyrãnus,qui donec viueret infantis vitę inſidiabatur,miſeram exhalauit animã nec vllum poſthac ex eius tyrãnide erit puero in Iudæa periculum.[d]Statim Ioſeph ſuperno accepto oraculo,obedire paratus,cõſurgés accepit puerum (cuius, ob inhabitantem carni Diuinitatem priorẽ facimus mentionem,tametſi iuxta humanũ iudiciũ matris deberet mentio præcedere natum)ſimulq́; matrem eius,& Aegypto relicta, reuerſus eſt ad terram Iſraël.[e] Vbi cum audiſſet Archelaũ Herodis filiũ patri ſucceſsiſſe,& loco defuncti patris ſuſcepiſſe regni gubernacula in terra Iudææ,timẽs Ioſeph ne paternę malitiæ & tyrannidis fieret filius imitator,non auſus eſt puerum in terram Iudææ reducere,curã verè paternam pro puero gerens,ne fortè mali quicquã aduerſus illum pararetur.[f] Qua ſolicitudine cũ anxiaretur animo Ioſeph,nocte per angelũ admonetur,vt in Iudæam natiuitatis locũ, puerum nõ inferret, ſed in partes Galilææ ſecederet.[g] Cui admonitioni gaudenter acquieſcẽs iuſtus Ioſeph,cum puero & matre, ad ciuitatẽ quæ vocabatur.Nazaret(in qua puer conceptus fuerat)diuertit,illicq́; habitauit.[h] Atq; ita conſequuta eſt impletio eius quod in Prophetis dicitur, eum futurum eſſe & vocandũ eſſe Nazaræum vel Nazarenum.Dum enim Chriſtus in Nazareth ciuitate cum parentibus habitauit,maximè poſteaquã & conceptus illic fuit,nihil dubiũ,quin hinc rectè proceſſerit,vt apud vulgus Nazaræi vel Nazareni cognomẽ, ad præcipuum Ieſu nomen,acciperet,cuius nominis & res & appellatio à Prophetis illi multo antè fuerat per ſpiritum attributa.

[a] Defuncto autem Herode,ecce angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicẽs:

[b] Surge & accipe puerum & matrem eius, et vade in terram Iſraël.

[c] Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.

[d] Qui conſurgẽs,accepit puerum & matrẽ eius et venit in terram Iſraël.

[e] Audiẽs autẽ quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro patre ſuo timuit illò ire.

[f] Et admonitus in ſomnis,ſeceſſit in partes Galilææ.

[g] Et veniẽs habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth,

[h] vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

V*Enimus adorare eum.*) Præteriti temporis eſt, venimus. Nam Græcè eſt ἤλθομεν ilthomē. ¶ *In Bethleem Iuda.*) In vulgatis Græcorum exemplaribus legitur ἰουδαίας Iudææ, pro Iudæ, ſicut & ſupra in principio capitis. Melius tamen quadrat Bethleē Iudæ, quomodo etiā Græca in ſequēti habēt Prophetia, cum dicitur: *Tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.* Et quomodo apud ipſum Prophetam ſcriptum eſſe teſtatur Hieronymus. ¶ *Ex te enim exiet dux.*) Græcè eſt ἡγούμενος egumenos, quod ad verbum ſonat principans aut ducem agens, ſiue (vt efficto dicamus vocabulo) ducans quomodo à regno, Latine dicimus regnans. Et in eo quod ſequitur. *Qui regat populum meum.*) Græcè eſt, ποιμανεῖ pœmani, quod ſignificat regere ſiue paſcere, aut (vt plenius exprimatur ſignificatio) paſtoraliter regere, quod veris regibus cōuenit, tyrānis minime: de quo verbo diximus in annotationibus præcipuis Pſalmi 2. ¶ *Diligenter didicit.*) Vnico verbo Græce dicitur ἠκρίβωσε icriuoſe, quod ſignificat Latinis, cū diligentia perquiſiuit aut didicit. Et in eo quod ſequitur: *Tempus ſtellæ quæ apparuit eis,* Græcè ſic legitur, τόν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος quod ad verbū ſonat: Tempus apparentis aut viſæ ſtellæ, hoc eſt, tempus quo ſtella eis apparuit, vt in Elucidatione expoſitū eſt. ¶ *Staret ſupra vbi erat puer.*) Græcè eſt ἐπάνω epano: id eſt, ſupernè, cuius loco poſitum accipi debet ſupra. ¶ *Et reſponſo accepto.*) Græcè vnico vocabulò per participium ſic dicitur, χρηματισθέντες, quod Latinè ſonat, ammoniti, vel reſponſo edocti, vel oraculo inſtructi, & ab interprete noſtro, caſu mutato verſum eſt, reſpōſo accepto. ¶ *Abimatu & infra.*) Græcè ἀπο διετῶν: id eſt, à duobus annis. Et in eo quod ſequitur: *Iuxta tempus quod exquiſierat à magis,* idem eſt verbum ἠκρίβωσε icriuoſe, quod prius verterat, diligēter didicit: quare hic exquiſierat, talem intelligatur cōtinere emphaſim, vt valeat exquiſitè & exactè interrogauerat ſiue didicerat. ¶ *Ploratus & vlulatus multus.*) Græca vulgata tria habent θρῆνον καὶ κλαυθμός καὶ ὀδυρμός πολὺς, hoc eſt lamentatio & ploratus & vlulatus multus. ¶ *Et admonitus in ſomnis.*) Idem hic vocabulum eſt in Græco, cuius plurale paulò antè verſum fuerat, reſponſo accepto: quare & illic ſimpliciter verti poterat admoniti. ¶ *Quoniam Nazaræus vocabitur.*) Dictio Hebraica nazer per zain in medio, ſignificat Hebræis ſeparatum & ſegregatum ab aliis, ſpeciali ſcilicet ſanctitate ab aliis ſemotū, & Diuino cultui ſpecialiter deputatum. Vnde Nazaræi dicebantur in lege, ſpecialiter Deo ſanctificati. Quando verò per tzadick ſcribitur, ſignificat florē vel germen, ſtirpem vel truncum. Secūdum vtranque autem harum

ſignificationum manifeſtum eſt, iuxta ſcripturarum teſtimonia, Chriſtum rectè vocari Nazaræum. Eius enim ſingulariſsimam ſanctificationem omnes Prophetę canunt,& germen illud magnificum vno ore omnes prædicant.

ELVCIDATIO CAP. III.

IN tempore ad hoc prædeſtinato, non illo quidē quo iſta iam ſtatim narrata gerebātur,ſed in definito tēpore longè poſteriori,videlicet Chriſto trigeſimū iam agente annum, anno quintodecimo imperij Tyberij Cæſaris,[b] Ioannes filius Zachariæ (qui ab officio poſtmodum Baptiſtæ cognomentum accepit,[c] qui in deſertis à puero vſque tunc latitauerat) cœpit oſtendere ſe coram populo Iſraël: egredienſque deſerti loca ſecretiora,ad loca deſerti viciniora populis Iudææ accedens, prædicare cœpit iis qui ad ipſum conueniebant pœnitentiam,dicens: [d]Reditæ præuaricatores ad cor,& anteactę vitæ prioris ex animo agite pœnitentiam.Iam enim regnum cælorum appropinquabit pœnitentibus,iam in proximo adueniet qui verè pœnitentiam agentibus daturus eſt regni cæleſtis prēmia:patefiet breui cęleſtis regni ianua,quę vſq; modo clauſa permāſit ab initio, & cunctis verè pœnitentibus dabitur in illud introitus.Propter quod,vos moneo per pœnitentiam offerendæ tantæ gratiæ occurrere, atq; eam ſuſcipiendā dignè pręparari.[e]Hic eſt enim,de quo & de cuius prędicatione multò antè per Eſaiam Prophetam fuit prædictam.[f] In temporis plenitudine, antequam ſe mundo manifeſtabit venturus Meſsias, vox erit vel audietur præcurſoris cuiuſdam atq; pręconis,qui in deſerto prędicās clamabit ac dicet : Parate viā ei qui venturus eſt domino,facite illi rectas & æquas ſemitas.Venturus eſt enim poſt paululum ad vos ille diu expectatus & cunctis gentibus multum deſideratus Meſsias,ante cuius faciē ego præmiſſus ſum tanquā illius pręcurſor,vt mea exhortatione vos admoneam, parate illi viā qua ad vos veniat,& rectas fieri omnes itineris ſemitas,id eſt,diligēter vos pręparari per pœnitentiam ad digne illum ſuſcipiēdum,vt ſic à vobis

IN diebus antē illis, venit

b Ioannes Baptiſta,

c prædicans in deſerto Iudææ, & dicens:

d Pœnitentiam agite,appropinquabit enim regnum cælorum.

e Hic eſt enim de quo dictum eſt per Eſaiam Prophetam dicentem,

f Vox clamantis in deſerto, parate viam domini,

digne & reuerenter ſuſcipiatur cum aduenerit,quomodo tantum dominũ vos æquũ eſt ſuſcipere. [a] Non enim corporaliũ viarũ quærit munditiam,aut terrenarum ſemitarum exquirit planitiem, ſed cordium deſiderat puritatem,& ſpirituũ ęquitatem,vt nihil in vobis cum aduenerit veterum ſordium aut antiquæ inæqualitatis inueniat,per pœnitentiam cunctis ſordibus eiectis,& omnibus complanatis atq; ad æqualitatem iuſtitiæ reductis.[b] Hic autem Ioannes veſtitu & cibo nequaquam vulgaribus vtebatur:nõ lana aut lino artificio & labore hominum contextis induebatur,non cibis coquorũ peritia exquiſitè decoctis,aut etiam humauo quocunq; labore partis vel apparatis: ſed iis vtebatur quæ illi eremus ſuppeditabat,abſque vlla ſolicitudine,veſtimentum habens viliſsimum de camelorum pilis contextum.[c]Zona autem quàm poſtulabat,honeſtas ad continendum veſtimentum par tesq̃; corporis pudendas operiendũ,erat illi pellicea, de oblata ex eremo inculta pelle deſumpta,hoc videlicet habitu veterẽ illũ Heliã referens,cuius ex parte aliqua nomen gerebat & officium quẽ legimus virũ hiſpidũ fuiſſe,& zona pellicea circuncinctũ renibus. [d]Cibus autem illi erant locuſtæ,animalcula mollia, licet inſipida non omnino tamẽ eſui humano inepta, cũ melle ſylueſtri,quorũ vtrunq; ſine ſolicitudine,deſerti penetralia illi ſuppeditabãt.Nec de potu vllum eſt dubiũ,quin aqua pura fuerit.Hoc pacto ille vitam degebat abſq; omni ſolicitudine,neq; pro victu,neq; pro veſtitu vllam omnino curã gerens,contentus prę ſentibus & vltro oblatis,neque plura requirens. Qua animi libertate cõtinuo orationi intẽtus,& ab omni humano cõſortio ſemotus,fieri nõ potuit, quin apud Deum ſummam gratiam promeruerit,& qua viuẽdi auſteritate omniumq; temporaliũ rerum ęminẽtiſsimo contemptu,merito apud homines ſumma pollebat authoritate. [e] Tunc itaque,illo ſic pœnitentiam tanta authoritate & grauitate populis prædicante,Iudæorum non pauci,tam vitæ ſanctitate quàm verborum efficacia permoti,attendere cœperũt illius prędicationi,exibãtq; ad eius audiẽdã prędicationẽ multi de

a rectas facite ſemitas eius.

b Ipſe autẽ Ioãnes habebat veſtimentum de pilis camelorum,

c & Zonã pelliceam circa lũbos ſuos.

d Eſca autẽ eius erat locuſtæ & mel ſylueſtre,

e Tunc exibat ad eum Hieroſolyma,& omnis Iudæa,et omnis regio circa Iordanem.

de Hieruſalem, & plurimi ex omni Iudæa, atque ex omnibus locis quæ Iordani adiacēt fluuio. [a] Et compuncti corde, in proteſtationē veræ pœnitentiæ, baptizati ſunt ab eo in Iordane flumine vicino, pœnitētiam agētes de cōmiſsis peccatis, eadémq; etiam ore confitentes, & ſignorū exteriori indicio proteſtantes, dum aqua lauari ſe permittentes immūdos ſe eſſe ac emūdatione indigere deſignabāt. [b] Cernens autē Ioannes inter cæteros compuncto corde ſuū baptiſma requirentes, multos quoq; Phariſæorū & Sadducæorū non recto corde ad ipſum accedentes, ſed animo ſuperbo & ſimulato, potius ad calumniandū ipſius prædicationē & baptiſmum, quàm vt ex ipſis proficerēt, durè admodum hos redarguit, & ſeuera cōminatione aduerſum hos intonuit, dicens: [c] Vos viperarum genimina, filij ſerpētum, malorum patrum mali filij, paterni veneni hęredes, qui adhuc in cordibus veſtris geſtatis malitiæ virus quod patres veſtri olim in ſanctos Dei Prophetas ſoliti ſunt effundere, quæ vobis ſalutis ſpes poterit eſſe reliqua, aut quis vobis demonſtrare poterit modū illam effugiendi iram, quæ in iudicio reuelabitur. ſi in hac veſtra venenata perſiſtatis malitia? [d] Moneo itaque vos, donec tempus eſt miſericordiæ, antequā ira illa vētura reueletur, vt reuertamini ab hac veſtra inueterata malitia pœnitentiam agentes ex animo, & ſic agentes vt fructus quoq; faciatis pœnitētiā dignos: tales videlicet qui veram & rectā deceant pœnitentiā, quales illa requirit ſolétq; progignere in iis in quibꝰ fuerit, vt ipſa operā teſtentur vos nō apparenter nec ſimulatè tantū, ſed ſynceriter & ex animo conuerſos per pœnitentiā. [e] Nec eſt quod vobisipſis vanè blandiamini de generis veſtri electione, confidentes in Patriarcharum & Prophetarū meritis, dicentes, Patrē habemus Abrahā, quaſi ob patrum electionem & merita non poſsit illa ventura ira vos comprehendere, nihilq; vobis poſsit mali accidere, quaſi hoc vobis ſatis eſſe poſsit ad effugiendam iram & conſequendā ſalutē, ꝙ tantorum patrū ſitis filij, atq; idcirco pœnitentia opus nō habeatis. Omnino enim vana eſt iſta ꝑſuaſio, & planè ridicula. Deus nan-

a Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.

b Vidēs autem multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis:

c Progenies viperarū quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira?

d Facite ergò fructum dignū pœnitentiæ.

e Et ne velitis dicere intra vos Patrē habemus Abraham.

nanq; carnale genus non aſpicit, nec carnalẽ attendit originẽ.[a] In veritate enim dico vobis, potẽs eſt Deus cum voluerit etiã de lapidibus iſtis (quos per intellectum de ſigno) id eſt, de gẽtilibus qui ligna & lapides nunc colunt, ac proinde lapides dici merentur, de his (inquã) nunc ob ſuã infidelitatẽ ab Abraham ſicut & à Deo alienis, potens eſt Deus, cũ voluerit, facere veros Abrahę filios potens eſt, vt illos faciat fideles, ſicq; veros ſecundũ ſpiritũ fidelium Patriarcharũ filios & ipſorũ verũ ſemen ſecundũ ſpiritũ, quod Deos attendit magis quã ſecundũ carnem. Quapropter omnino inanis eſt veſtra perſuaſio, quaſi nõ poſsit Deus vos ſemen carnale Patriarcharum reprobare, & quaſi promiſsiones factæ patrib⁹ in vobis debeãt impleri: quã doquidẽ vobis, adulterino ſemine reprobatis, aliud inuenire poterit verũ ſemen illorũ, in quo factas promiſsiones patribus perfectè adimpleat.[b] Et iã planè ſecuris admota eſt arboris radici, imminet vobis condemnationis iudiciũ, ſi credere & pœnitentiã agere nolueritis.[c] Omnis arbor quæ fructũ bonũ non protulerit, ſecuri hac excidetur, & tanquã inutilis ad ferẽdos fructus flãmis tradetur. Hoc eſt: Omnis homo q̃ pœnitentiã agere recuſauerit, & veritati voluerit acquieſcere, præeligẽs in veteri permanere incredulitate ſiue malitia, nec fructus pœnitentiæ dignos voluerit operari, hic per iudiciũ mortis auferetur de terra iſta viuentiũ, & per ſententiã cõdemnationis in ignẽ proiicietur æternũ & inextinguibilẽ, quoniã arbor mala fuit, & fructum bonum noluit producere: quomodo per cõtrariũ, omnis arbor bona quæ fructus fecerit dignos pœnitentia, non excidetur, ſed tranſplantabitur de loco deſerti huius ſterilis & aridi, ad locũ orti amœniſsimi ſimul & pinguiſsimi, vt vbi in æternum floreat & fructificet, id eſt, de mundo iſto ad cæleſte regnum, vbi viuat in æternum.[d] Neque verò hæc dixerim, quaſi ego is ſim per quem hæc fieri debeant, quaſi ego ſim condemnaturus impœnitentes: nam ego quidem tantum miniſter præcurſor & præco ſum iudicis, cuius officium eſt, aqua ſolum exterius corpus abluere, ad proteſtationem pœnitẽtiæ, qui

a Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

b Iam enim ſecuris ad radicẽ arborem poſita eſt.

c Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur.

d Ego quidem baptizo vos aqua, in pœnitentiam.

qui veni ad præparandam viam venturo domino, & populum illi præparare idoneum, pœnitentiam prædicãdo, & corporali baptiſmo pœnitẽtes abluendo. [a] Ille verò q poſt me vẽturus eſt, cuius ego me præconem & præcurſorem fateor, qui poſt paululũ mũdo potẽter manifeſtabitur hic longè eſt me fortior atq; potentior, cuius tanta eſt ſupra me excellẽtia, vt non ſim ego dignus vel viliſsimũ vllum obſequiũ aut noviſsimũ miniſterium illi impẽdere, cuiuſmodi eſt calciamenta portare, aut corrigiam ſoluere calciamẽtorũ, aut aliquid huiuſmodi. Ille enim dominus eſt, ego ſeruus. Ille Deus & homo, ego homo purus. Ille Dei filius, ego tantũ hominis filius. Ille Iudex, ego præco. [b] Hic eſt qui per virtutẽ Diuinitatis in ſe inhabitantẽ, eos q pœnitentiã egerint baptizabit, baptiſmo lõgè nobiliori, quàm meus fuerit baptiſmus, qui tantũ illius fuit figura & ſignum præuium, & quaſi aſſuefactio quædam ac prædiſpoſitio ad illius promptiorem ſuſceptionẽ. Ipſe vobis ſuo baptiſmo videlicet inuiſibiliter infundendo ſpiritum ſanctũ, per quem vos regenerabit, atque ex Deo iterũ naſci faciet, & ignem charitatis, qui per ſpiritum ſanctum diffunditur in regeneratorum cordibus, quo igne purgabũtur, illuminabuntur, & ſalubriter inflãmabuntur corda credentiũ. Ipſe baptizando daturus eſt inuiſibiliter ſpiritum ſanctũ & dona eius, quod meæ haudquaquã eſt facultatis, qui corporaliter baptizare tantũ poſſum ad proteſtationẽ pœnitentiæ, ſed ſpiritũ ſanctum aut dona eius non poſſum infundere, quod ſolius eſt Dei. [c] Et hic qui pœnitẽtibus tam præclara donaturus eſt, idem ipſe ſuo tẽpore aduerſum malos terribilẽ oſtentabit iram. Habet enim in manu ſua ventilabrũ ſiue palam, ad examinandũ frumentum, & diiudicandas à granis paleas, habet poteſtatem faciendi iudicium, & examinandi ac diſcernẽdi bonos à malis. [d] Et aream ſuam permũdabit, ſeparatis paleis à granis: id eſt, Eccleſiam ſuã purgabit ſeparãdo malos de medio iuſtorum, quibus nunc ſunt cõmixti in area mundi huius, nondũ emũdata & ventilata. [e] Et bonos quidem ſimiles tritico bono, (quod magno eſt vſui & magni eſt pre-

a Qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius nõ ſum dignus calciamenta portare.

b Ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni.

c Cuius ventilabrum in manu ſua,

d & permundabit aream ſuam.

e & congregabit triticum in horreum ſuum.

 pre-

pretij) congregabit in cęleſte regnum,quod eſt apotheca & horreum boni tritici & electorum manſio.

a Paleas autem comburet igni inextinguibili. [a] Malos autẽ ſimiles paleæ(quæ nullius eſt ponderis, vſus aut pretij) in ignem æternũ cõiiciet, vt ardeant & affligantur in ſæcula ſæculorũ. [b] Cum autem omnis populus paſsim ad Ioannem prædicantẽ & baptizantem conflueret,acceſsit etiam Ieſus à Galilæa,vbi cum parentibus commorabatur , ad locum Iordanis, vbi docebat & baptizabat Ioãnes , volẽs & ipſe ab eo baptizari tanquã vnus de vulgo: partim vt ſerui prædicationem ac baptiſma approbaret & confirmaret dominus:partim vt humilitatis formam nobis traderet , prius in ſe monſtrando & ſuſcipiendo quod exacturus erat in aliis:partim vt baptiſmatis ſacramentũ nobis cõſecraret,& inſtituere inciperet ſpirituale ba ptiſmum,ſuſcipiens in ſe corporalem. [c] Ioannes autẽ & propriam vtilitatẽ,& domini ſui excellẽtiam probè cognoſcens,præ humilitate & Chriſti reuerentia, non tam negans quàm differens , non tam recuſans quàm excuſans,domino poſtulanti nõ ſtatim acquieuit,imò verbis manſuetis humiliter illũ prohibebat dicens:[d] Ego,vt ſeruus,& ex meipſo nihil,niſi peccator,à tè,qui ſolus es mundus, ac mũdare potẽs,debeo baptizari:quoniam iuſtum eſt,à mũdo mundari mũdandum.Quomodo ergo tu in quo nihil eſt immundum,ad me venis,ex meipſo nihil niſi ſordidũ, vt baptiſmo laueris? Quomodo lauari petis tu qui nullam habes maculã?Et quomodo à me poſtulas lauari , qui baptizo in proteſtationem pœnitentiæ,quæ tibi non competit? [e] Hoc humilitatis reſponſo audito , Ieſus nihilominus perſiſtebat in propoſito,exigens à Ioanne,vt ab ipſo baptizaretur, dicens: [f] Agnoſco cordis tui humilitatem,fidem ſuſcipio, deuotionẽ comprobo,attamen impręſentiarum omiſsis argumentis,fac quod iubeo.Ego quare id tibi iubeam noui, tu tantũ obediẽtem te præſta meis ſermonibus.Ita enim nos decet,vt omnem impleamus iuſtitiam, ita nobis conuenit,perfectæ iuſtitiæ formam exemplo iſto demõſtrare , quam in ſe doctor oſtendit, quando id quod cum authoritate alios vult docere, ipſe per humilitatem

b Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem,vt baptizaretur ab eo.

c Ioannes autẽ prohibebat eũ, dicens:

d Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

e Reſpondens autem Ieſus dixit ei:

f Sine modo. Sic enim decet nos implerę omnem iuſtitiam.

tem prior in ſe exprimit. [a] Videns itaque Ioannes ꝙ perſeueraret in petitione dominus, eadem qua prius cõtradixiſſe viſus fuit humilitate, nunc acquieſcit iubenti, & cũ timore atque tremore magno, in ſumma cordis humilitate, ſuper ſacratũ Chriſti verticẽ aquã fundit, eumque cum reuerẽtia debita baptizat. Quẽadmodũ enim humilitatis eſt, magnis officiis aut honorificis actibus etiam à ſuperiori poteſtate propoſitis, non ſtatim cum affectu acquieſcere, ſed magis indignitatem propriam obiicere, & excuſationem rationabilem prætendere proponentibus aut iniungentibus, ita vbi ſuperior authoritas excuſatione audita perſeuerat nihilominus in ſententia: eiuſdẽ eſt humilitatis, munus impoſiti officij humiliter ſuſcipere, ac cum timore & tremore adminiſtrare. [b] Cum autẽ à Ioanne eſſet Ieſus baptizatus, mox de Iordane exiuit, in quem baptizandi gratia deſcenderat. Et ecce qui ſemetipſum ſub manibus ſerui iamiã humiliauerat, ſuperno meruit indicio à patre clarificari, vt nos doceamur, quoniã qui ſe humiliat, à Deo exaltatur. Statim enim vbi ille aſcendit de aqua, aperti ſunt ei cęli, ita apparuit cælum quaſi patefactum, & iam apertum ad baptizati ingreſſum: quo deſignare voluit pater cæleſtis, baptiſmũ filij ſui, ianuam eſſe cæleſtis regni, & omnibus in fide & baptiſmo filij baptizatis cæleſtis regni patere introitum. [d] Vidit quoque ſpiritum Dei in ſpecie columbæ, animalis ſimplicis, candidi, & innocui, deſuper venientem, ac ſuper ſe deſcendentem, & in ſe requieſcẽtem: ad ſignificandum in Chriſti baptiſmo dari credẽtibus ſpiritum ſanctum. Nam illa tunc viſibiliter monſtrata indicia, inuiſibilia dona ſignabant. [e] Vox inſuper paterna in ſupernis de nube reſonans audita eſt, de baptizato filio teſtificans, ac dicens: [f] Hic eſt filius meus vnigenitus, conſubſtantialis, coæternus, & coæqualis per omnia, mihi chariſsimus, & ſingulariſsimè ante mundi conſtitutionem dilectus, in quo mihi eſt optime placitum, qui mihi eſt gratiſsimus & acceptiſsimus, cuius ego & vitam & doctrinam omnem approbo, & inſtitutionem confirmo.

a Tunc dimiſit eum.

b Baptizatus autem Ieſus, cõfeſtim aſcendit de aqua.

c Et ecce aperti ſunt ei cæli.

d Et vidit ſpiritum Dei deſcendẽtem ſicut columbam, & veniẽtẽ ſuper ſe.

e Et ecce vox de cælo, dicens:

f Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

IN diebus illis.) Non accipiendum eſt pronomen relatiuè ad præcedentia, ſed demonſtratiuè ad intellectum: quomodo vulgò in tẽplis recitandæ parti Euangelij ſolet præmitti. In illo tempore, quod non multo amplius eſt quam ſi dicas: Quodam tẽpore, aut indefinito tempore. Huius rei & in aliis pleriſq; locis vſus occurrit in Euangeliis. ¶*Pœnitentiam agite.*) Græcè dicitur vnico verbo, μετανοεῖτε metanoite, quod ſecũdum proprietatem ſuæ ſignificationis valet, redite ad mentẽ, vel redite ad cor: quemadmodum in principio Eſaiæ dicitur: *Redite præuaricatores ad cor.* Idem ſignificat pœnitere, vel pœnitentiam agere. ¶*Et omnis regio circa Iordanem.*) Græcè eſt vnica dictio περίχωρος perichoros, ac ſi Latinè efficto vocabulo dicamus, circũregio: hoc eſt, tota finitima regio Iordanis. Interpres Latinus aptè expreſsit, dicens: Omnis regio circa Iordanem. ¶*Genimina viperarũ.*) Græcè eſt γεννήματα, gennimata qđ Latinè ſonat, progenies vel natos vel genimina, & breuiter quicquid gignitur ab alio. Vnde & genimẽ vitis alibi appellatur vinũ, quod ẽ vite gignitur. ¶*Quis demonſtrabit.*) In Græco eſt tẽpus præteritũ ὑπέδειξεν hypedixen, demõſtrauit, indicauit. Exemplaria Latina pleraq; habẽt tempore futuro, demonſtrabit. Quantũ ad ſententiam parum refert: ſed facilior erit ſecundum tempus futurum. ¶*Fructus dignos pœnitentiæ.*) Genitiuus (pœnitẽtiæ) accipi poteſt pro ablatiuo, Græcorum more, vt regatur, à dignos, in hũc ſenſum: Facite fructus dignos pœnitentia: id eſt, decentes pœnitentiam. Vel regi poteſt à ſubſtantiuo, fructus, in hunc ſenſum: Facite fructus pœnitentiæ, ſed fructus dignos, fructus idoneos, opera verè bona, non ſpeciem boni tantum habentia. ¶*Suſcitare filios Abrahæ.*) Datiui caſus eſt, Abrahæ, in hunc ſenſum: Ipſi Abrahæ ſuſcitare filios. In Græco nanque τῷ to, articulus præponitur. Cũ autem dicit, de lapidibus iſtis, licet ſecũdum ſenſum demõſtrentur forſitan lapides prope littus Iordanis iacentes (quos nonnulli putant illos eſſe duodecim iuſſu Ioſue de Iordanis alueo ablatos per filios Iſraël, ad memoriam tranſitus Iordanis) ſecundum intellectum tamen gentiles homines reſpiciebat Ioannes: quemadmodum Saluatore dicente, *Poſſum deſtruere templum hoc*, cum videretur & putaretur de templo manufacto dicere, ſecundum intellectũ tamen corporis ſui templum demonſtrabat. ¶*Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.*) Quantum ad Latinitatis rationem, poteſt indifferenter accuſatiuus, nos, regi à verbo ſequẽti, implere, vel à præcedenti, decet. Iuxta priorem conſtructionem, ſenſus eſt: Sic decens eſt, vt nos impleamus omnẽ iuſtitiam: vel, Sic nos implere iuſtitiam decens eſt. Poteſt enim

Ioſue. 4.

aduer

aduerbiū,ſic,determinare,decet,vel implere.Iuxta poſteriorem autem conſtructionem,ſenſus eſt:Sic nos decet,vt impleamus omnem iuſtitiam.Cui ſenſui apertè fauet lectio Græca,quæ ſic habet: οὕτω γὰρ πρέπον ἐςὶν ἡμῖν πληρῶσαι,&c.Quod ſonat, ac ſi per datiuum efferas:Si enim conuenit nobis implere omnem iuſtitiam.

ELVCIDATO CAP. IIII.

TVnc Ieſus ductus eſt in deſertum, à ſpiritu,

STATIM à baptiſmo Ieſus, mouente ipſum ad hoc ſancto ſpiritu, qui non ad mēſurā eū impleuerat,& in cūctis eū dirigebat,egreſſus eſt in ſolitudinē:docens nos baptizatos Chriſti baptiſmo ſpiritu Dei agi ac duci debere,& ſecūdum ſpiritū amodo viuere:mundū quoq; & omnia quę in eo ſunt per cōtemptū egredi,& in ſolitudinem vnitæ mentis tranſmigrare, cordiſque vnitatem requirere.[b]Atque hinc occaſionem ſumpſit ſibi diabolus tentandi Chriſtum:quem cum in ſolitudine agentem videret,quem hactenus inter homines cōmunem viderat duxiſſe vitam, hac ex cauſa motus eſt,vt illū aggrederetur tētationū ſuarū artificio.Qua in re nos quoq; erudimur,vt baptizati Chriſti baptiſmo,mūdoq; relicto,cordis ſolitudinē ingreſsi, ſic ingredientes ſeruitutē Dei,paremus animas noſtras ad tētationes:nec eas abhorreſcamus,quādoquidem pro nobis ipſe noſter dominus, vt nos cōfidentes faceret, prior voluit tētari.[c]Cum igitur in deſerto agēs Chriſtus,totos quadraginta dies & noctes omnino nihil ediſſet neq; bibiſſet,in oratione Dei cōtinuò occupatus,inſtruens nos poſt baptiſmū, cū diabolo colluctaturos debere orationi plurimū vacare, è qua potiſsimū talis pugnæ ſperāda eſt victoria,carnē quoque & qui in ea habitat prauū fomitē edomare,corpúſq; caſtigare,& in ſeruitutē redigere, per ieiunia vigilias, aliáq; huiuſmodi, quibus ille occupabatur agens in deſerto, [d] poſt tranſactos quadraginta dies illos, quibus ſupra hominē aliquid egerat,& diuinitatis virtute ſemetipſum abſque cibo ſuſtentauerat, ad priſtinam rediens hominis fragilitatem, cœpit eſurire, cœpit corporalis appetitus pabulum corpori vacuo con

b vt tentaretur à diabolo.

c Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

d poſtea eſuriit.

congruum concupiſcere.Hic diabolus miris apud ſe cogitationum diſceptationibus torquetur, ſcire cupiẽs,nũ verè hic eſſet Deus aut homo purus. Diuinitatis quippe indicia habebat,columbam ſuper ipſum de cælo deſcendẽtem, patriſque vocem deſuper allatam,& nũc ieiunium homini ex ſeſe impoſsibile. Ex aduerſo habebat humanitatis puræ indicia, nimiam carnis vilitatẽ, aliáq; plurima his ſimilia, quæ ſuperbo non videbantur poſſe Deo cõpetere, atque etiam nunc eſuriem iſtam quã in Chriſto aduertebat.[a] Cupiens itaq; diabolus diſceptãtibus inter ſeſe de Chriſti diuinitate cogitationibus æſtuans, certius aliquid cognoſcere,occaſione accepta ab Eſurie, aggreditur Chriſtum famelicum,blãdeque illum alloquitur, dicẽs:[b]Si filius Dei es tu,vt videris, oſtende in his lapidibus diuinã poteſtatem,dic verbo vt lapides iſti vertãtur in panes,& fiet,eadem vtique facilitate qua dixit in principio Deus,& facta ſunt quæcunque iuſsit fieri.Premit te eſuries,vt video,ſuccurrat infirmæ humanitati diuina potẽtia,vt neceſſario reficiaris pabulo:quoniã quidem alia hîc in deſerto loco non eſt via ſatisfaciendi naturę.[c]Ieſus autem volens tentatorem relinquere dubium,nec illi certũ aliquid de eo quod inquirebat indicare,ita tẽperauit actionem & reſpõſionem,vt nihil inde potuerit certum deprehendere. Reſpondit itaque illi per diuinæ ſcripturæ verbum, docens nos quæ ad reſiſtendum diabolo ſint arma efficacisſima,& ait:[d]Scriptura libri Deuteronomij dicit,non tantũ pane vſitato,qui de terra educitur, poſſe hominẽ ſuſtentari,ſed in omni verbo quod de ore Dei proceſſerit:id eſt,per omne illud quo Deus hominem paſci ac ſuſtentari voluerit,ac iuſſerit. Nõ enim ipſe opus habet pane ad ſuſtentandum quos voluerit, neque hac ſolũ via paſcere valet ſuos Deus, ſed poteſtatẽ habet hominẽ paſcendi quacunque re voluerit: quemadmodum filios Iſraël in deſerto ſolo manna quod de verbo & iuſsione oris ſui procedebat è nubibus,abſque omni pane conſueto per annos plures pauit:& quemadmodum Ioannes baptiſta, ſolis locuſtis atque ſylueſtri melle vixit.Quid igitur mihi prę-
ſcribis

a *Et accedens tẽtator,dixit ei:*

b *Si filius Dei es,dic vt lapides iſti panes fiant.*

c *Qui reſpondens,dixit:*

d *Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

ſcribis,vt lapides iſtos in panes verti faciã, quaſi abſque pane ſuſtentari non queat vita hominis? Neque item ſolo corporali pane cõſtat hominis vita, ſed ſecũdum ſpiritum(qui potior eius pars eſt)verbo quod procedit de ore Dei paſcitur,cuius præcipuam oportet haberi curã:nec de corporali cibo admodũ oportet eſſe ſolicitũ,vt propter carnis paſtum debeat fieri miraculum,quæ facilè quouis oblato cibo vel pauciſſimo viliſsimóque poteſt ſuſtentari. [a] Cernens diabolus hac priori tentatione nihil ſe conſequutum,nõ ſtatim ab incepto deſiſtit,ſed aliam tentandi viam adinuenit:aſſuménſque Chriſtum,ea poteſtate qua virtus ſpiritus præualet ac dominatur corporali materiæ,Deo permittente,vexit illum per aëra, & ſubitò adduxit ad Hieruſalẽ, quæ ciuitas ſancta dicitur, ob ſpecialem in ea Dei cultum & ſtatuit illum ſuper acutũ pinneatúmque templi faſtigium,ad eum ferè modũ quo angelus domini Abacuk Prophetam, apprehenſo capitis vertice,poſuit in Babylonem,ad lacum leonum,in quo famelicus iacebat Daniel:illícque in cacumine templi poſitũ,verſutus tẽtator verbis ſcripturæ alloquitur,quibus iam viderat Chriſtum ad ſe retundendum fuiſſe vſum,[b]dixítque illi:Signum à te poſtulaui tuæ deitatss in deſerto, noluiſti petenti acquieſcere:reſpõdiſti,& ex ſcripturis cõfirmaſti ſuperuacaneũ eſſe quod poſtulaueram ſignum.Neque forſitan cõueniens tibi videbatur, vt in loco ſolitario ſigna virtutis tuę fruſtrà æderes:nemine præſente qui ea debito efferret honore.Ecce nũc in eo te loco cõſtitui,vbi nõ fruſtrà ædes miraculum, quod omnibus palàm erit incolis magnificę huius ciuitatis Hieruſalẽ,& proficiet plurimis ad gloriam deitatis tuæ. [c]Nunc ſi verè es Dei filius,præcipitem te mitte deorſum.Nec eſt quod mihi per ſcripturã, vt paulo antè, reſpõdeas,hoc eſſe illicitum aut non eſſe cõueniens. [d]Nam ſcriptura in Pſalmis de te loquens, angelos dicit de te obſeruando atque cuſtodiendo à Deo patre accepiſſe mandatũ,vt te in omnibus viis tuis illæſum cuſtodiant,neque nocumenti quicquam ſentire permittant:ita vt etiam in manibus te ferant nequando

contin

a Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi,

b & dicit ei:

c Si filius Dei *es,mitte te deorſum.*

d Scriptum eſt enim:Quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

cõtingat vſquam ad lapidem te pedẽ offendere:id eſt, ne vel minimũ q̃ppiã nocumenti te patiãtur incurrere. Quod cũ de te ſit in ſcripturis prędictũ,nihil cõtrariũ ſcripturę facies,& eris abſq; periculo,teipſum mitt ẽs precipitẽ.[a] Patiẽtiſsimus Ieſus ſecũ agere permittẽs diabolũ ų̃cquid ille vellet & pater cęleſtis permitteret,ne hic quidẽ callido tẽtatori voluit acquieſcere, quo illũ ſuſpẽſum,vt antè dimitteret:ſed iiſdẽ quibus paulò antè,diuinorũ eloquiorũ ſagittis hoſtẽ repulit, dicẽs:[b] Prohibet ſcriptura,ne tentet homo dominum Deũ ſuũ,ne tẽtandi aut probãdi cauſa expetat ſuo vano deſiderio fieri miracula. Ego verò quid aliud facerẽ,quomodo Deũ nõ tentarem,ſi tantũ ad tuo ſatisfaciendũ vano & curioſo deſiderio,tua tantum ſolicitatione prouocatus tale quid agerẽ, præcipuè cũ nulla ſit mihi eius rei neceſsitas? Vt enim Dei permiſsione huc me potuiſti adducere, ita diuina iuſsione tuum quoque erit, velis nolis, hinc me reducere, aut certe quomodo vult Deus me poteſt vbi velit locare. Et tu quomodo nõ Deũ tuum tentas, cum pro tuo curioſo deſiderio tãtum à me fieri petis miraculum. Poſtulas igitur quod iniuſtum eſt & irrationabile, ac proinde dignus non es cui ſatisfiat.[c] Victus iam ſecundo diabolus,nondum fatigatus deſiſtit: vt ſciamus, non ſtatim deuicto ſemel aut repulſo diabolo,à noſtra impugnatione illũ ceſſare, aut otioſos nos debere ceſſare: ſed vigiles ſemper permanere, & ad nouã pugnã paratos. Rurſus igitur,ſed aliũ quęrit tẽtandi modũ. Aſſumptũ Chriſtũ de tẽpli cacumine,vexit per aëra,adduxitq; in altitudinẽ montis,admodum excelſi, vnde illi omnia mundi regna & ſingulorũ gloriã, diuitias, fœcunditatẽ,ornatũ atq; amœnitatẽ oſtentauit, breuiſsimo tẽporis ſpatio,vt quaſi totius mũdi gloriã ſimul ante oculos poſitã cerneret, illo hoc occulta virtute ſpiritibus conceſſa agente ſecundũ eũ modũ qui hominibus nõ ſatis eſt cognitus. Hiſque omnibus ita demõſtratis,dixit illi:[d] Vniuerſa hæc quæ vides mea ſunt, & cui voluero do illa. Tibi ea donare paratus ſum,ac totius mũdi te cõſtituere dominũ polliceor,ſi tantũ diuinũ mihi honorẽ exhibere volueris, mẽque horum

a Ait illi Ieſus rurſum:

b Scriptum eſt: Non tentabis dominum Deum tuum.

c Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mũdi, & gloriam eorum, & dicit ei:

d hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.

horũ omniũ largitorẽ,vt Deũ,procidẽs in terrã adorare. Ecce qui hactenus viſus eſt rationabiliter agere & loqui tẽtator,quàm abſurda nũc loquitur, & quàm apertè vana,quàm ſine frõte nimium pudẽda, nũc de corde fœtidiſsimo audet euomere. Forſitã enim hoc agebat callidiſsimo cõſilio,vt cum prius rationabilibus,& ſecundũ ſpeciem ſenſatis ſermonibus nihil potuiſſet certi à Chriſto, quantũ ad id de quo hæſitabat elicere,ſaltẽ nunc tam irrationabilibus & inſenſatis, nihilq; conſentaneum habẽtibus ſermonibus atque promiſsis illum pro rei indignitate aliquid faceret loqui aut agere,in quo poſſet quod poſtulabat, deprehendere. Ita enim ſolent nonnunquam homines re indigna permoti,in indignatione ſubito & cum impetu ea prodere,quæ longa interrogatione, & multa inquiſitione exſculpi non poterant. Verum Chriſtus dæmoniacarum artium nihil ignorans, vt hactenus,ita & nunc nihil egit, dixitve, vnde conſequi poſſet ille quod poſtulabat. [a] Tunc Chriſtus propter blaſphemos ſermones illum contemptibiliter increpans, & execrans, ait: Faceſce hinc mendax & blaſpheme Satana, ne vltra talia dixeris aduerſus dominum Deum tuum conuitia atque mendacia. Non mihi neque vlli hominum licet te adorare, vt poſtulas. [b] Ait nãque ſcriptura Deuteronomij. Dominum Deum tum timebis & adorabis, illíque ſoli latriæ primíque & ſummi cultus exhibebis obſequiũ, vt vni ſoli, primo & ſupremo omnium creatori ac domino:neque hanc latriæ gloriam,aut hunc adorationis ſummum honorem alij vlli quantũuis nobiliſſimæ impendes creaturæ. Quare etiãſi verũ eſſet,hęc omnia tua eſſe,& dari à te quibus volueris, & ſi vniuerſi mundi te adorando poſſem acquirere dominiũ: attamẽ Dei præceptũ,vt te adorem,non ſuſtinet. [c] Victus tertiò diabolus,vidẽs nulla ratione ſe poſſe, neq; rationabili diſputatione,neq; irrationabili blaſphemia intentũ aſſequi deſperans de aſſequutione propoſiti,deſtitit ab oppugnatione, nec adiecit in tempore illo tentationem aliam. [d] Illóque aufugiente, quãto eius acceſſerunt ad Chriſtũ angeli, qui ei miniſtra

a Tunc dicit ei Ieſus, Vade Satana.

b Scriptum eſt enim: Dominũ Deũ tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

c Tunc reliquit eum diabolus.

d Et ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabãt ei.

niſtrabant,de loco illo multum excelſo quo vexerat eum diabolus,ad locũ vnde eum primum aſſumpſerat,ſuo miniſterio reſtituentes,ac cibos illi quibus famem ſedaret,corpúſque reficeret,diligenter ex cęleſtis patris voluntate miniſtrantes,aliáque opportuna humanitatis obſequia benignè illi exhibentes. Quæ res fidelibus magno debet eſſe ſolatio,dũ ex ea ſuę pugnæ finẽ & ſubſequentem conſolationem poſt laborem certaminis attendunt.Nam ſicut tertio victus à Chriſto diabolus ipſum dereliquit:ita & nos,ſi fideles & perſeuerantes nos præſtiterimus in reſiſtendo diabolo,fugiet ille proculdubio à nobis,angelicáq; viſitatione & cõſolatione cæleſti digni efficiemur:quorum licet ſpeciem nõ cernamus oculis corporis, effectum tamẽ internæ operationis ſentimus in affectu mentis.[a] Cum autem audiſſet Ieſus, Ioannem traditũ eſſe in captiuitatem , & in carcere alligatum , Iudæa derelicta,vbi prædicauerat Ioannes,ſeceſsit in Galilęam,partim humano more locum fugiẽs , vbi virtus & veritas ſuſtinebat perſequutionem,ad dandum infirmis membris licitæ fugæ exemplum & conſilium: partim quod Ioanne comprehẽſo tempus aduenilſet inchoandę ſuæ prædicationis , quam in Galilæa (iuxta propheticum vaticinium) primũ debuit incipere. [b] Et relicta ciuitate ſua Nazareth , in qua conceptus fuerat atque enutritus,ob ingratitudinem, quoniam propter veterem familiaritatẽ ipſum & ipſius doctrinam contemnebant ,[c] ad Capharnaum diuertit aliam Galilęę ciuitatem,ſitã iuxta mare,ſiue in littore lacus vel ſtagni Genezareth,quod & mare dicitur Tyberiadis,vel Bethſaidæ , quæ ciuitas ſita eſt in finibus Zabulon & Neptalim , illicq; demoratus eſt, & quaſi habitationem ibi elegit,vbi maiorẽ videbat fructum ſe conſequuturum prædicatione ſua , quàm in propria ciuitate ſua Nazareth:inſtruens Euangelicos prædicatores,non debere ſanctum dare canibus, neq; margaritas ante porcos ſpargere,nec carnali affectu patriam & genus tantum proprium exquirere ad ſalutẽ,ſed ſpirituali charitate illic amplius prædicationi intẽdere,vbi maiorem videt fructum ſe conſequi

a Cum autem audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet,ſeceſsit in Galilaam:

b Et relicta ciuitate Nazareth,

c venit,& habitauit in ciuitate Capharnaũ, maritima,in finibus Zabulon & Neptalim,

ſequi

ſequi,& gloriā Dei magis exaltari.[a] Chriſto autē ſic demorāte in Galilęa,ibiq; prędicationis ſuę ſumēte initiū,adimpletū eſt vaticiniū Eſaię,quod de prędicatiōe Chriſti ille prędixit,in hāc ſentētiā:Terra Zabulon, & terra Neptalim:quæ ſunt via maris:id eſt,maria adiacēt:ſecus ſtagnū Genezareth, ſitæ vltra Iordanem, qui in mare illud influit,quæ ſunt in Galilæa gētiū.i.in Galilęæ,illa parte,quā olim Salomō dedit Hyrā regi Tyri,vnde pars illa gentiū Galilæa eſt appellata:in hac (inquā,) terra Zabulon & Neptalim,ſecus mare,vltra Iordanē,[b] populus inhabitās ille qui viuebat in tenebris errorū,& cęcitate cordis,neſciens verū Dei cultū,obſcuratus in variis concupiſcentiis & erroribus,[c] hic in tēporis plenitudine vidit lucē magnam,nempe illū qui eſt lux vera,illuminās omnem hominē: [d] & iis qui ſedebant atq; iacebant ſub dominio & ditione mortis, ſuper quos ſe mors expāderat,& qui omnes ſub morte tenebātur cōcluſi,his in Chriſti prędicatione lux magna exorta eſt,per quā à mortis vmbra & dominatu poſsint eximi,& ab vmbra mortis ad claritatē vitæ reſtitui.[e] Ab eo autē tēpore quo Ioānem audiuit cōprehenſum ,& in Galilæam ſeceſsit Ieſus, ſciens illo imminuto ſe debere creſcere , ac illo ceſſante, ſe debere prædicationē incipere,ſtatim in Galilæa cœpit prædicare pœnitentiā,quomodo & Ioannes prędicauerat,vt prędicationē ſerui atq; præcurſoris dominus,& magiſter cōprobaret,dixitq;.[f] Conuertimini ad cor,& pœnitentiā agite de peccatis veſtris. Ecce enim in proximo eſt retributio regni cęlorū,iā tēpus aduenit gratię,quo regni cælorū aperietur ianua,eiúſq; ingreſſus dabitur omnibus qui egerint pœnitētiā.[g] Et quoniā decebat Chriſtū habere ſuę prędicatiōis teſtes atq; diſcipulos,qui poſt ipſius mortē ea quę ab ipſo audierāt populis prędicarēt,hos ſtatim in prædicationis ſuæ initio voluit ad ſe colligere.Ambulans itaq; quadam vice iuxta ſtagnum Genezareth, quod & mare Galilææ dicitur,vidit ibi duos fratres, quorum alteri nomen erat Simon,qui & Petri cognomentum accepit à fi-

a vt adimpleretur quod dictū eſt per Eſaiam Prophetā: Terra Zabulon,& terra neptalim, via maris, trās Iordanem Galilææ gentium.

b populus qui ambulabat in tenebris

c vidit lucem magnam:

d & ſedentibus in regione vmbræ mortis,lux orta eſt eis.

e Exinde cœpit Ieſus prædicare,& dicere:

f Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.

g Ambulās autem Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andreā fratrem eius, mittentes rete in mare:

a erant enim piſcatores.

b & ait illis, Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.

dei firmitate, alteri erat nomen Andraas, eóſq; rete mittẽtes in ſtagnũ ad capiẽdos piſces.[a] Erant enim artis piſcatoriç, & hac ſibi victũ parabant de labore manuũ ſuarũ.[b] Hos cũ vidiſſet nõ otioſos, non deſides, ſed plurimũ occupatos, & diligẽtes in piſcationis ſuæ officio, vocauit eos ad ſe, dicẽs: Adiũgite vos mihi, viri piſcatores, meq; ſequimini, futuri mei diſcipuli, & ego ex piſcatoribus piſciũ, faciã vos fieri cõprehenſores hominũ: tali vos arte inſtituã, vt iam non piſces reti corporeo de mari in littus trahatis, ſed homines & animas in huius ſçculi mari magno & ſpatioſo natitantes, variiſque erroribus fluctuãtes, & deliciis diffluentes, per rete ſpiritualis prædicationis (quã ego vos docebo) attrahatis in terram ſolidam, inque littus & portum fœlicitatis æternæ.

c At illi continuò relictis retibus, ſequuti ſunt eum.

[c] Illi ſtatim vt audierunt vocẽ vocãtis, ipſo per gratiã operante interius, qui voce ſonabat exterius, dicto audiẽtes, ad vnius iuſsionis vocem ſequuti ſunt dominũ, relictis retibus, & omnibus quæ habebant in naui. Nullã in ſequendo moram fecerunt, non dilationis tẽpus quçſierunt, donec rete componerent, aut donec ad domũ reduxiſſent nauem: ſed abſque omni mora, vocantem pari fide, ambo germani ſequuti ſunt dominũ.

d Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobũ Zebedæi, & Ioãnem fratrem eius in naui, cũ Zebedæo patre eorum reficientes retia ſua.

e & vocauit eos.

f Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſequuti ſunt eũ.

[d] Et paululum admodum procedens, iuxta eundẽ lacum vidit alios duos fratres, quorũ alteri nomẽ erat Iacobus, alteri Ioannes, vnà cũ patre ſuo Zebedæo nomine in naui exiſtentes, ſua retia cõponentes, reficientes, atq; ad captionem piſciũ aptãtes, qui erãt prioribus duobus fratribus in piſcatione ſocij, in modica admodum diſtantia à priorib⁹ poſiti, vt inuicẽ cũ opus eſſet, facilè poſſent vocare & adiuuare.[e] Et hos vocauit dominus, ſicut priores, Venite (inquiẽs) poſt me, & faciã vos piſcatores hominum.[f] Mox etiam iſti audita voce domini, verbo potentis iuſsionis ex cordis intimo permoti, plena obediẽtia vocãtem dominũ ſunt abſq; morą ſequuti, adeo vt nõ ſolum retia, verumetiam patrẽ in naui relinquerent: neq; temporaliũ rerum affectu, neque etiã parentis amore, domini vocantis præceptũ detrectantes, promptæ nobis & perfe-

ctæ

ctæ obedientiæ egregia mõſtrantes exẽpla, vt diuinis iuſsionibꝰ nihil omnino pręponamus, neq; vllus nos affectus ab illarũ impletione impediat, aut vel remoretur. [a]His autẽ ita ad ſe vocatis tali ſimpliciũ turba comitatus Ieſus, nõ ſegnis dormitabat in cubilibus, nõ ad opiparas mẽſas iam epiſcopus & prædicator à patre declaratus reſidebat in otio aut voluptatibus, ſed cũ ſolicitudine multa peragrabat totam Galiæam. Neq; tãquam curioſus rerum nouarum appetitor, aut tanquam vagabũdus, aut quietis impatiens ſine fructu diſcurrebat, ſed tanquam de omniũ ſalute ſolicitus, déq; paterni præcepti impletione ſummam curam gerens, circuibat: [b]docendo & prædicando: nõ in angulis aut in occulto, ſed palàm in ſynagogis, vbi omnes cõueniunt. [c] Non friuola docẽs, aut fabuloſa nugamẽta proclamans, ſed (quod cognitu vtiliſsimũ, & ſummè neceſſariũ hominibus) cæleſtis regni optimũ nuncium prædicãs, & iuſtitiã qua ad illud pertingitur, docens. [d] Et quo prędicationis ipſius verbo fides maior adhiberetur, maximè quòd noua eſſet doctrina, ſignis potẽtibus ex virtute diuinitatis æditis illam cõfirmabat, ſolo verbo vel cõtractu omnem languorẽ & omnem infirmitatem in populo, qualiſcunq; aut quantuſcũq; eſſet, potenter curãs. [e] Factumq; eſt, partim illa tam noua prædicatione, partim hac tã inſolita miraculorũ oſtenſione, vt fama eius breui temporis ſpatio ſparſa fuerit in totã Syriam: [f] & obtulerunt ei plurimos ægros, variis morborũ generibꝰ male habẽtes, [g] & qui grauibus ac plurimũ afflictiuis cruciatibus torquebatur, [h] à dęmonibꝰ quoque obſeſſos, & q ſecundũ lunæ varias diſpoſitiones inſenſibꝰ capitis prauè diſpoſiti, à dęmoniis grauia & moleſta patiebant, [i] eos quoq; quibꝰ paralyſi erãt diſſoluta mẽbra, alioſq; plurimos ſimilibus ęgritudinibꝰ & morbis detẽtos, quibꝰ humana arte aut vix aut raro admodũ ſolẽt homines liberari: [k] quos ipſe omnes potẽti verbo iuſsionis ſuę, quo ab initio cũcta creauit, ſanitati reſtituit, nullius morbi obſtãte difficultate aut inſolita grauitate, ęquali facilitate ſanãs & gra

a Et circuibat Ieſus totam Galilæam,

b docens in ſynagogis eorum,

c & prædicans euangelium regni.

d & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.

e Et abijt opinio eius in totã Syriam:

f Et obtulerunt ei omnes malè habentes,

g varijs languoribus & tormentis compreſos.

h & qui dæmonia habebãt, et lunaticos,

i et paralyticos.

k et curauit eos.

 uiſsime

a Et ſequuta ſunt eum turba multa, de Galilaa, b & decapoli, c & de Hieroſolymis, & de Iudaa, & de trans Iordanẽ.

uiſsime & leuiſsime ægrotantes. a Et agglomeratæ ſunt circa eũ turbæ multæ ſequentes eũ, ex omnibus ciuitatibus per quas tranſibat, aut ad quas nominis ipſius fama dimanabat: ex vniuerſa videlicet Galilæa, b & ex decapoli: id eſt, ditione vel imperio decẽ ciuitatũ, c & de Hieruſalem, ac cæteris ciuitatibus & locis Iudææ, & de locis illis quæ erant ſita trans Iordanem. Ex his omnibus locis plurimi ad Chriſtum confluebant, tum propter auiditatem audiendæ nouæ doctrinæ eius: tum propter ſigna videnda quæ ipſe ædebat, tum propter ſanitatum munus, vel pro ſe vel pro ſuis, obtinendum: nonnulli etiam ad arguendum & calumniandum.

ANNOTATIONES IN CAP. IIII.

ET *accedens tentator.*) Græcè eſt participiũ ὁ πειράζων: id eſt, tentans, vel is qui tentat. Sic enim vocatur ab officio & veteri conſuetudine diabolus quẽadmodũ à baptizando Ioannes accepit Baptiſtæ vocabulum. Tentare autẽ dicitur dupliciter. Primò experimentũ de aliqua re ſumere, quomodo diabolus tentare voluit Chriſtũ: id eſt, experimentum ſumere & probare an verus eſſet Deus. Secundò ad malũ ſolicitare vel impellere, vt cũ apud Iacobũ dicitur:
Iacobi 1. *Nemo cum tentatur dicat, quoniã à Deo tentatur.* Deus enim intentator malorũ eſt: id eſt, non tentat ad mala. Vnuſquiſque autem tentatur à propria cõcupiſcentia abſtractus & illectus. Et Paulus Corinthiis
1. Cor. 7 ſcribit: *Ne forte tentet vos Satanas, propter incontinentiam veſtrã:* id eſt, ne vos ad malũ impellat. Priori modo præcipuè hîc Chriſtum intelligimus tentatum fuiſſe à diabolo, quoniã ad hoc potiſsimũ, & primario tentauit Chriſtũ diabolus, vt cognoſceret an eſſet verus Dei filius. Atq; in hunc ſenſum noſtra exponit elucidatio. Nihilominus ſecundario intelligi poteſt diabolus etiã altero modo voluiſſe tentare Chriſtum, vt ſi hominem comperiſſet, tũ deinde ad viti um aliquod ſolicitaſſet, vel ad gulã in tẽtatione prima, vel ad inanem gloriã in ſecũda, vel ad auaritiam in tertia. ¶ *Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*) Duplicem huius partis expoſitionẽ in elucidatione indicauimus. Poſterior magis vulgata eſt, prior vix vulgo cognita. Si quis tamen locũ inſpicere voluerit, vnde hæc authoritas adducta eſt (libri videlicet Deuteronomij octaui capitis principium) nõ dubito, quin ſtatim priorẽ expoſitionẽ, licet paucis vſitatam, præferet poſteriori. ¶ *Super pinnaculum templi.*) Pinnaculũ à pinna deductum dicitur faſtigiũ & ſummitas ędificij in acutiem tẽdentis: ſiue quod veteres

veteres pinnam dicebant acutũ, vnde bipennis appellata eſt ſecuris:quæ vtrinq; aciem habet,ſiue quòd pinnaculis addi pinna conſueuit:quę facili motu ventorum indicet flatum.¶ *Ait illi Ieſus rurſum.*) Aduerbiũ illud poteſt indifferenter iungi cũ præcedenti verbo,ait,vel cum ſequẽti,ſcriptum eſt,in hunc ſenſum: Rurſum ſcriptum eſt,quaſi dicat dominus:Semel tibi per ſcripturam reſpondi: Iam iterum tibi ſcripturam aliam obiicio. ¶ *Et ipſi ſoli ſeruies.* Seruitus illa ſignificatur ſumma ſoli,primo,enti, & ſummo Deo debita, quam Græco vocabulo dicere ſolemus latriã λατρείαν: cui cognatum verbum hic ponitur λατρεύω latreuo:id eſt,latriam exhibeo. ¶ *Terra Zabulon ; & terra Neptalim, via maris,trans Iordanem,Galilææ gentium.*) Adducitur ab Euangeliſta hæc authoritas multũ truncatè, verbis omiſsis,quibus cõiungi deberent illi nominatiui, terra Zabulon, & terra Neptalim:atque ob hoc difficultas videtur & cõfuſio.Sic autẽ habet Eſaias, *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Neptalim, & nouiſsimè aggrauata eſt via maris,trans Iordanẽ,Galilææ gentiũ.* Eſaiæ 9. Ac deinde ſequitur, *Populus qui ambulabat, &c.* Idcirco autem Matthæus nõ adduxit totam hanc authoritatẽ, quoniam de illa alleuiatione & aggrauatione loqui nolebat, ſed tantũ de illuminatione facta populis in aduentu Chriſti. Voluit tamen verborum ſuppoſita præmittere,dicẽdo: *Terra Zabulõ,& terra Neptalim,via maris,trans Iordanẽ,Galilææ gentium*:vt ex horũ pręmiſsione,ſignificaretur quis aut cuias eſſet ille populus, de quo prædictũ fuerat: *Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam,&c.*¶ *Et abijt opinio eius in totam Syriam.*)In Græco eſt ἀκοὴ acoe,quod ſignificat auditum.Abiit enim auditus eius in totam Syriam: hoc eſt,de eo narrabatur, & de eo audiebatur in tota Syria, quod verti facilius poteſt: Abiit fama eius vel opinio aut exiſtimatio eius. ¶ *Et decapoli*)Græcum nomen eſt δεκάπολις decapolis,ſignificans regionem vel ditionem decem ciuitatum. Hæc decapolis trans Iordanem erat, circa Hippum, Pelleu, & Gadaram, teſte Hieronymo de locis Hebraicis. ¶ *Et de trans Iordanem.*)id eſt,de locis ſitis trans Iordanem.

ELVCIDATIO CAP. V.

Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem.

Videns autẽ piiſsimus Ieſus tam innumeros ad ſe populos vndiquaq; confluere,meſſem multam conſpiciẽs,ad op⁹ ſe accinxit,cui à patre ſe nouerat deſtinatũ:illiſque verbum Euangelij prædicare diſponens, quo commodius ab omnibus audiretur,qui omniũ ſalutem quærebat,aſcendit in

montem mõtiſque partem altiorẽ, turbis ex omni parte in loco decliuiori circunſtãtibus, vt docentem dominum & videre poſſent & audire commodius. [a] Et cũ, iuxta docentium conſuetudinem, ſeſe in monticulo aliquo ad hoc apto pro loci opportunitate compoſuiſſet ad ſedẽdũ, diſcipuli vt familiariores & quibus ſingulariter incũbebat audire, intelligere, ac memoria retinere præceptoris doctrinã ad poſtmodũ aliis eadem prædicandum, vicinius ad ipſum accedentes, proxime illi vel aſtiterunt, vel aſſederũt per circuitum: dehinc turmæ ac promiſcuum vulgus quo quiſque potuit cõmodiori loco ad audiendum doctorem, ſeſe diſponebat.

a Et cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.

[b] Poſtulatoque per diſcipulos, & à turbis dato ſilentio, diuinus hic magiſter noſter, qui olim Prophetarum ora aperuerat, ipſe nunc in carne poſitus benedictum illud os ſuum aperuit, ad annuntiandam patris voluntatem, & Euangelicæ perfectionis regulam hominibus tradendam. Cœpit autẽ ille doctor veritatis ſermonis exordium, nõ in præambulis magnificis, & vaniloquis præfationibus (vt ferè ſolent fabulatores ſæculi) ſed in ipſo mox ſermonis exordio, id quod præſtãtiſsimum erat dicturus, nempe veræ beatitudinis deſcriptionem, propoſuit audientibus.

b Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens:

[c] Sic itaque ſermonẽ eſt exorſus. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Hos ego verè beatos pronuntio, nunc in certa expectatione, pòſt in ſecura omnis boni fruitione, qui non ſunt inflato tumidoque ſpiritu, non animo diuite aut ſuperbo, ſed humiles ſunt ſpiritu & corde demiſſo: qui nõ de ſeipſis ſuperbè ſentiũt; quique ex hac vera cordis paupertate (qua ſe egenos, & non niſi mendicos cognoſcunt, & diuinis omnibus beneficiis indignos) etiam externa bona deſpiciunt, nõ adhærentes affectu neq; honoribus, neque diuitiis, victu & veſtitu cõtenti, nec vltra requirentes: huiuſmodi verè ego pronuntio beatos, [d] quoniã eis merces eſt deputata magna nimis regni cælorũ. Hi ſicut ſeipſos multum humiliauerũt, ita à Deo ſumme exaltabũtur, ab imã paupertate & humili-

c Beati pauperes ſpiritu,

d quoniã ipſorum eſt regnum cælorum.

humilitate ſua ad ſummã ꝓuehẽtur gloriã,ad ampliſſimũ regni honorẽ,& ad æternas atq; incorruptibiles diuitias, vt dicatur,& ſint reges æterni incorruptibiliſque regni cælorũ.[a] Beatos itẽ pronũtio eos,q in manſuetudine & mititate cuſtodiũt animas ſuas,vt nõ iraſcã tur aduerſus proximos, nõ amaritudinẽ gerãt, nõ odia,nõ ſuſpiciones malas,nõ peruerſa iudicia in cordibus,nõ in vultu indignatione,nõ in ore cõuitia,rixas aut iurgia,nõ in opere vim inferãt,aut vindictã exerceant,etiã erga illos qui priores offenderint:ſed animo benigno & miti ergã omnes bene ſunt affecti,parati aliorũ infirmitates ſupportare, parati etiã iniurias,contumelias,& dãna quæuis æquaminiter ferre, nec vindictã expoſcere,parati benefacere malefaciẽtibus,benedicere calũniantibus & perſequẽtibus,& omnino erga omnes,tã bonos quàm malos, bonũ affectũ charitatis ſeruãtes:hos dico verè beatos:[b] quoniã ipſi hæreditatẽ poſſidebũt,& in ſortẽ ſuã ac poſſeſſionẽ æternã accipiet terrã illa beatã viuentium,ſicut & nũc in vita iſta corporis terrã ſui cordis certa & ſtabili trãquillitate per patiẽtiam & manſuetudinẽ poſſederunt. Neq; multũ curandũ eſt,ſi mitibus hîc tollã tur anguſtaq; perituraã tẽporalia prædia, quandoquidẽ pro illis reſtituetur eis terræ illius hæreditas ampliſſima & ſempiterna.[c] Beatos itẽ aſſero eos,qui nõ in voluptatibus vitam degũt,inſeruiẽtes in libidine,cõcupiſcẽtiis carnis ſuæ,ſed in luctu & triſtitia ſecũdum ſpiritũ vitam ducũt, crucifigẽtes carnẽ ſuam cum vitiis & concupiſcentiis:qui etiam quotidianis fletibus peccata tũ propria tũ aliena deflent:agnoſcẽtes quoq; exiliũ iſtud ſuum in quo viuunt,& patriam ad quam pergunt,& ciuitatẽ manentẽ,habentẽmq; fundamenta,quam expectant & inquirunt, præ illius deſiderio dulces ſubinde lachrymas fundunt,mundi huius conſolationem omnem abnegantes. Huiuſmodi ego dico verè beatos,[d] quoniam veniet tempus,quando pro luctu accipient perfectã & nunquam deſiturã cõſolationem in regno cælorum:erit quando abſque omni labore certaminis,abſque omni difficultate laboris, ab omni triſtitia alieni,viuent in indeficienti conſo-

a Beati mites.

b quoniam ipſi poſſidebunt terram.

c Beati quĩ lugent,

Gal. 5.

d quoniam ipſi conſolabuntur.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

IN *diebus illis.*) Non accipiendum eſt pronomen relatiuè ad præce-
dentia,ſed demonſtratiuè ad intellectum:quomodo vulgo in tem
plis recitandæ parti Euangelij ſolet præmitti. In illo tempore,quod
non multo amplius eſt quam ſi dicas: Quodam tẽpore, aut indefini-
to tempore.Huius rei & in aliis pleriſq; locis vſus occurrit in Euan-
geliis. ¶*Pœnitentiam agite.*) Græcè dicitur vnico verbo, μετανοεῖτε
metanoite,quod ſecũdum proprietatem ſuæ ſignificationis valet,re-
dite ad mentẽ,vel redite ad cor : quemadmodum in principio Eſaiæ
dicitur:*Redite prauaricatores ad cor.*Idem ſignificat pœnitere,vel pœ-
nitentiam agere. ¶*Et omnis regio circa Iordanem.*) Græcè eſt vnica di-
ctio περίχωρος perichoros,ac ſi Latinè efficto vocabulo dicamus,cir
cũregio:hoc eſt,tota finitima regio Iordanis. Interpres Latinus aptè
expreſsit,dicens:Omnis regio circa Iordanem.¶*Genimina viperarũ.*)
Græcè eſt γεννήματα,gennimata qđ Latinè ſonat,progenies vel na-
tos vel genimina,& breuiter quicquid gignitur ab alio.Vnde & ge-
nimẽ vitis alibi appellatur vinũ,quod è vite gignitur. ¶*Quis demon-
ſtrabit.*)In Græco eſt tẽpus præteritũ ὑπέδειξεν hypedixen,demõſtra-
uit,indicauit.Exemplaria Latina pleraq; habẽt tempore futuro, de-
monſtrabit.Quantũ ad ſententiam parum refert:ſed facilior erit ſe-
cundum tempus futurum. ¶*Fructus dignos pœnitentiæ.*)Genitiuus(pœ
nitẽtiæ) accipi poteſt pro ablatiuo, Græcorum more,vt regatur,à di
gnos,in hũc ſenſum:Facite fructus dignos pœnitentia:id eſt, decen-
tes pœnitentiam.Vel regi poteſt à ſubſtantiuo,fructus, in hunc ſen-
ſum:Facite fructus pœnitentiæ,ſed fructus dignos,fructus idoneos,
opera verè bona, non ſpeciem boni tantum habentia. ¶*Suſcitare fi-
lios Abrahæ.*) Datiui caſus eſt,Abrahæ,in hunc ſenſum: Ipſi Abrahæ
ſuſcitare filios.In Græco nanque τῷ to,articulus præponitur. Cũ au-
tem dicit,de lapidibus iſtis,licet ſecũdum ſenſum demõſtrentur for-
ſitan lapides prope littus Iordanis iacentes (quos nonnulli putant il-
Ioſue. los eſſe duodecim iuſſu Ioſue de Iordanis alueo ablatos per filios Iſ-
4. raël,ad memoriam tranſitus Iordanis)ſecundum intellectum tamen
gentiles homines reſpiciebat Ioannes:quemadmodum Saluatore di
cente,*Poſſum deſtruere templum hoc*,cum videretur & putaretur de tem
plo manufacto dicere,ſecundum intellectũ tamen corporis ſui tem-
plum demonſtrabat. ¶*Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.*)
Quantum ad Latinitatis rationem, poteſt indifferenter accuſatiuus,
nos,regi à verbo ſequẽti,implere, vel à præcedenti,decet.Iuxta prio-
rem conſtructionem, ſenſus eſt:Sic decens eſt, vt nos impleamus o-
mnẽ iuſtitiam:vel, Sic nos implere iuſtitiam decens eſt.Poteſt enim

aduer

aduerbiũ,ſic,determinare,decet,vel implere.Iuxta poſteriorem autem conſtructionem,ſenſus eſt:Sic nos decet,vt impleamus omnem iuſtitiam.Cui ſenſui apertè fauet lectio Græca,quæ ſic habet: ὅυτω γὰρ πρέπον ἐςὶν ἡμῖν πληρῶσαι,&c.Quod ſouat, ac ſi per datiuum efferas:Si enim conuenit nobis implere omnem iuſtitiam.

ELVCIDATO CAP. IIII.

TVnc Ieſus ductus eſt in deſertum, à ſpiritu,

STATIM à baptiſmo Ieſus, mouente ipſum ad hoc ſancto ſpiritu, qui non ad mẽſurã eũ impleuerat,& in cũctis eũ dirigebat,egreſſus eſt in ſolitudinẽ:docens nos baptizatos Chriſti baptiſmo ſpiritu Dei agi ac duci debere,& ſecũdum ſpiritũ amodo viuere:mundũ quoq; & omnia quę in eo ſunt per cõtemptũ egredi,& in ſolitudinem vnitæ mentis tranſmigrare, cordíſque vnitatem requirere.[b]Atque hinc occaſionem ſumpſit ſibi diabolus tentandi Chriſtum:quem cum in ſolitudine agentem videret,quem hactenus inter homines cõmunem viderat duxiſſe vitam, hac ex cauſa motus eſt,vt illũ aggrederetur tẽtationũ ſuarũ artificio.Qua in re nos quoq; erudimur,vt baptizati Chriſti baptiſmo,mũdoq; relicto,cordis ſolitudinẽ ingreſsi, ſic ingredientes ſeruitutẽ Dei,paremus animas noſtras ad tẽtationes:nec eas abhorreſcamus,quãdoquidem pro nobis ipſe noſter dominus, vt nos cõfidentes faceret, prior voluit tẽtari.[c]Cum igitur in deſerto agẽs Chriſtus,totos quadraginta dies & noctes omnino nihil ediſſet neq; bibiſſet,in oratione Dei cõtinuò occupatus,inſtruens nos poſt baptiſmũ, cũ diabolo colluctaturos debere orationi plurimũ vacare, è qua potiſsimũ talis pugnæ ſperãda eſt victoria,carnẽ quoque & qui in ea habitat prauũ fomitẽ edomare,corpúſq; caſtigare,& in ſeruitutẽ redigere, per ieiunia vigilias, aliáq; huiuſmodi, quibus ille occupabatur agens in deſerto, [d] poſt tranſactos quadraginta dies illos, quibus ſupra hominẽ aliquid egerat,& diuinitatis virtute ſemetipſum abſque cibo ſuſtentauerat, ad priſtinam rediens hominis fragilitatem, cœpit eſurire, cœpit corporalis appetitus pabulum corpori vacuo

b vt tentaretur à diabolo.

c Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus,

d poſtea eſuryt.

con

congruum concupiſcere. Hic diabolus miris apud ſe cogitationum diſceptationibus torquetur, ſcire cupiẽs, nũ verè hic eſſet Deus aut homo purus. Diuinitatis quippe indicia habebat, columbam ſuper ipſum de cælo deſcendẽtem, patríſque vocem deſuper allatam, & nũc ieiunium homini ex ſeſe impoſsibile. Ex aduerſo habebat humanitatis puræ indicia, nimiam carnis vilitatẽ, aliáq; plurima his ſimilia, quæ ſuperbo non videbantur poſſe Deo cõpetere, atque etiam nunc eſuriem iſtam quã in Chriſto aduertebat.[a] Cupiens itaq; diabolus diſceptãtibus inter ſeſe de Chriſti diuinitate cogitationibus æſtuans, certius aliquid cognoſcere, occaſione accepta ab Eſurie, aggreditur Chriſtum famelicum, blãdéque illum alloquitur, dicẽs:[b] Si filius Dei es tu, vt videris, oſtende in his lapidibus diuinã poteſtatem, dic verbo vt lapides iſti vertãtur in panes, & fiet, eadem vtique facilitate qua dixit in principio Deus, & facta ſunt quæcunque iuſsit fieri. Premit te eſuries, vt video, ſuccurrat infirmæ humanitati diuina potẽtia, vt neceſſario reficiaris pabulo: quoniã quidem alia hîc in deſerto loco non eſt via ſatisfaciendi naturę.[c] Ieſus autem volens tentatorem relinquere dubium, nec illi certũ aliquid de eo quod inquirebat indicare, ita tẽperauit actionem & reſpõſionem, vt nihil inde potuerit certum deprehendere. Reſpondit itaque illi per diuinæ ſcripturæ verbum, docens nos quæ ad reſiſtendum diabolo ſint arma efficaciſsima, & ait:[d] Scriptura libri Deuteronomij dicit, non tantũ pane vſitato, qui de terra educitur, poſſe hominẽ ſuſtentari, ſed in omni verbo quod de ore Dei proceſſerit: id eſt, per omne illud quo Deus homi nem paſci ac ſuſtentari voluerit, ac iuſſerit. Nõ enim ipſe opus habet pane ad ſuſtentandum quos voluerit, neque hac ſolũ via paſcere valet ſuos Deus, ſed poteſtatẽ habet hominẽ paſcendi quacunque re voluerit: quemadmodum filios Iſraël in deſerto ſolo manna quod de verbo & iuſsione oris ſui procedebat è nubibus, abſque omni pane conſueto per annos plures pauit: & quemadmodum Ioannes baptiſta, ſolis locuſtis atque ſylueſtri melle vixit. Quid igitur mihi pręſcribis

a *Et accedens tẽtator, dixit ei:*

b *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.*

c *Qui reſpondens, dixit:*

d *Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

ſcribis,vt lapides iſtos in panes verti faciã, quaſi abſque pane ſuſtentari non queat vita hominis? Neque item ſolo corporali pane cõſtat hominis vita, ſed ſecũdum ſpiritum(qui potior eius pars eſt)verbo quod procedit de ore Dei paſcitur,cuius præcipuam oportet haberi curã:nec de corporali cibo admodũ oportet eſſe ſolicitũ,vt propter carnis paſtum debeat fieri miraculum,quæ facilè quouis oblato cibo vel pauciſſimo viliſsimóque poteſt ſuſtentari. [a] Cernens diabolus hac priori tentatione nihil ſe conſequutum,nõ ſtatim ab incepto deſiſtit,ſed aliam tentandi viam ad inuenit:aſſuménſque Chriſtum,ea poteſtate qua virtus ſpiritus præualet ac dominatur corporali materiæ,Deo permittente,vexit illum per aëra, & ſubitò adduxit ad Hieruſalẽ, quæ ciuitas ſanƈta dicitur, ob ſpecialem in ea Dei cultum & ſtatuit illum ſuper acutũ pinneatúmque templi faſtigium,ad eum ferè modũ quo angelus domini Abacuk Prophetam, apprehenſo capitis vertice,poſuit in Babylonem,ad lacum leonum,in quo famelicus iacebat Daniel:illícque in cacumine templi poſitũ,verſutus tẽtator verbis ſcripturæ alloquitur,quibus iam viderat Chriſtum ad ſe retundendum fuiſſe vſum,[b]dixítque illi:Signum à te poſtulaui tuæ deitatis in deſerto, noluiſti petenti acquieſcere:reſpõdiſti,& ex ſcripturis cõfirmaſti ſuperuacaneũ eſſe quod poſtulaueram ſignum.Neque forſitan cõueniens tibi videbatur, vt in loco ſolitario ſigna virtutis tuę fruſtrà æderes:nemine præſente qui ea debito efferret honore.Ecce nũc in eo te loco cõſtitui,vbi nõ fruſtrà ædes miraculum, quod omnibus palàm erit incolis magnificę huius ciuitatis Hieruſalẽ, & proficiet plurimis ad gloriam deitatis tuæ. [c]Nunc ſi verè es Dei filius,præcipitem te mitte deorſum.Nec eſt quod mihi per ſcripturã, vt paulo antè, reſpõdeas,hoc eſſe illicitum aut non eſſe cõueniens. [d]Nam ſcriptura in Pſalmis de te loquens, angelos dicit de te obſeruando atque cuſtodiendo à Deo patre accepiſſe mandatũ,vt te in omnibus viis tuis illæſum cuſtodiant,neque nocumenti quicquam ſentire permittant:ita vt etiam in manibus te ferant nequando contin

a Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanƈtam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi,

b & dicit ei:

c Si filius Dei es,mitte te deorſum.

d Scriptum eſt enim: Quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

cõtingat vſquam ad lapidem te pedẽ offendere:id eſt, ne vel minimũ qppiã nocumenti te patiãtur incurrere. Quod cũ de te ſit in ſcripturis prędictũ, nihil cõtrariũ ſcripturę facies, & eris abſq; periculo, teipſum mit tẽs precipitẽ.[a] Patiẽtiſsimus Ieſus ſecũ agere permittẽs diabolũ ǫcquid ille vellet & pater cęleſtis permitteret, ne hic quidẽ callido tẽtatori voluit acquieſcere, quo illũ ſuſpẽſum, vt antè dimitteret: ſed iiſdẽ quibus paulò antè, diuinorũ eloquiorũ ſagittis hoſtẽ repulit, dicẽs:[b] Prohibet ſcriptura, ne tentet homo dominum Deũ ſuũ, ne tẽtandi aut probãdi cauſa expetat ſuo vano deſiderio fieri miracula. Ego verò quid aliud facerẽ, quomodo Deũ nõ tentarem, ſi tantũ ad tuo ſatisfaciendũ vano & curioſo deſiderio, tua tantum ſolicitatione prouocatus tale quid agerẽ, præcipuè cũ nulla ſit mihi eius rei neceſsitas? Vt enim Dei permiſsione huc me potuiſti adducere, ita diuina iuſsione tuum quoque erit, velis nolis, hinc me reducere, aut certe quomodo vult Deus me poteſt vbi velit locare. Et tu quomodo nõ Deũ tuum tentas, cum pro tuo curioſo deſiderio tãtum à me fieri petis miraculum. Poſtulas igitur quod iniuſtum eſt & irrationabile, ac proinde dignus non es cui ſatisfiat.[c] Victus iam ſecundo diabolus, nondum fatigatus deſiſtit: vt ſciamus, non ſtatim deuicto ſemel aut repulſo diabolo, à noſtra impugnatione illũ ceſſare, aut otioſos nos debere ceſſare: ſed vigiles ſemper permanere, & ad nouã pugnã paratos. Rurſus igitur, ſed aliũ quęrit tẽtandi modũ. Aſſumptũ Chriſtũ de tẽpli cacumine, vexit per aëra, adduxitq; in altitudinẽ montis, admodum excelſi, vnde illi omnia mundi regna & ſingulorũ gloriã, diuitias, fœcunditatẽ, ornatũ atq; amœnitatẽ oſtentauit, breuiſsimo tẽporis ſpatio, vt quaſi totius mũdi gloriã ſimul ante oculos poſitã cerneret, illo hoc occulta virtute ſpiritibus conceſſa agente ſecundũ eũ modũ qui hominibus nõ ſatis eſt cognitus. Hiſque omnibus ita demõſtratis, dixit illi:[d] Vniuerſa hæc quæ vides mea ſunt, & cui voluero do illa. Tibi ea donare paratus ſum, ac totius mũdi te cõſtituere dominũ polliceor, ſi tantũ diuinũ mihi honorẽ exhibere volueris, mẽque horum

a Ait illi Ieſus rurſum:

b Scriptum eſt: Non tentabis dominum Deum tuum.

c Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mũdi, & gloriam eorum, & dicit ei:

d hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.

horũ omniũ largitorẽ,vt Deũ,procidẽs in terrã adorare. Ecce qui hactenus viſus eſt rationabiliter agere & loqui tẽtator,quàm abſurda nũc loquitur, & quàm apertè vana,quàm ſine frõte nimium pudẽda, nũc de corde fœtidiſsimo audet euomere. Forſitã enim hoc agebat callidiſsimo cõſilio,vt cum prius rationabilibus,& ſecundũ ſpeciem ſenſatis ſermonibus nihil potuiſſet certi à Chriſto, quantũ ad id de quo hæſitabat elicere,ſaltẽ nunc tam irrationabilibus & inſenſatis, nihilq; conſentaneum habẽtibus ſermonibus atque promiſsis illum pro rei indignitate aliquid faceret loqui aut agere,in quo poſſet quod poſtulabat, deprehendere. Ita enim ſolent nonnunquam homines re indigna permoti,in indignatione ſubito & cum impetu ea prodere,quæ longa interrogatione, & multa inquiſitione exſculpi non poterant. Verum Chriſtus dæmoniacarum artium nihil ignorans, vt hactenus,ita & nunc nihil egit, dixítve, vnde conſequi poſſet ille quod poſtulabat. [a] Tunc Chriſtus propter blaſphemos ſermones illum contemptibiliter increpans, & execrans, ait: Faceſce hinc mendax & blaſpheme Satana, ne vltra talia dixeris aduerſus dominum Deum tuum conuitia atque mendacia. Non mihi neque vlli hominum licet te adorare, vt poſtulas. [b] Ait nãque ſcriptura Deuteronomij. Dominum Deum tuum timebis & adorabis, illíque ſoli latriæ primíque & ſummi cultus exhibebis obſequiũ, vt vni ſoli, primo & ſupremo omnium creatori ac domino:neque hanc latriæ gloriam,aut hunc adorationis ſummum honorem alij vlli quantũuis nobiliſſimæ impendes creaturæ. Quare etiãſi verũ eſſet,hęc omnia tua eſſe,& dari à te quibus volueris, & ſi vniuerſi mundi te adorando poſſem acquirere dominiũ: attamẽ Dei præceptũ,vt te adorem,non ſuſtinet. [c] Victus tertiò diabolus,vidẽs nulla ratione ſe poſſe, neq; rationabili diſputatione,neq; irrationabili blaſphemia intentũ aſſequi deſperans de aſſequutione propoſiti,deſtitit ab oppugnatione, nec adiecit in tempore illo tentationem aliam. [d] Illóque aufugiente, quãto eius acceſſerunt ad Chriſtũ angeli, qui ei miniſtra

a Tunc dicit ei Ieſus, Vade Satana.

b Scriptum eſt enim: Dominũ Deũ tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

c Tunc reliquit eum diabolus.

d Et ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabãt ei.

ſequi,& gloriã Dei magis exaltari.[a] Chriſto autẽ ſic demorãte in Galilęa,ibiq; prędicationis ſuę ſumẽte initiũ,adimpletũ eſt vaticiniũ Eſaię,quod de prędicatiõe Chriſti ille prędixit,in hãc ſententiã:Terra Zabulon , & terra Neptalim:quæ ſunt via maris:id eſt,maria adiacẽt:ſecus ſtagnũ Genezareth, ſitæ vltra Iordanem, qui in mare illud influit,quæ ſunt in Galilæa gẽtiũ.i.in Galilęæ,illa parte,quã olim Salomõ dedit Hyrã regi Tyri,vnde pars illa gentiũ Galilæa eſt appellata:in hac (inquã) terra Zabulon & Neptalim,ſecus mare,vltra Iordanẽ,[b] populus inhabitãs ille qui viuebat in tenebris errorũ,& cęcitate cordis,neſciens verũ Dei cultũ,obſcuratus in variis concupiſcentiis & erroribus,[c] hic in tẽporis plenitudine vidit lucẽ magnam,nempe illũ qui eſt lux vera,illuminãs omnem hominẽ:[d] & iis qui ſedebant atq; iacebant ſub dominio & ditione mortis, ſuper quos ſe mors expãderat,& qui omnes ſub morte tenebãtur cõcluſi,his in Chriſti prędicatione lux magna exorta eſt,per quã à mortis vmbra & dominatu poſsint eximi,& ab vmbra mortis ad claritatẽ vitæ reſtitui.[e] Ab eo autẽ tẽpore quo Ioãnem audiuit cõprehenſum ,& in Galilæam ſeceſsit Ieſus, ſciens illo imminuto ſe debere creſcere , ac illo ceſſante, ſe debere prædicationẽ incipere,ſtatim in Galilæa cœpit prædicare pœnitentiã,quomodo & Ioannes prędicauerat,vt prędicationẽ ſerui atq; præcurſoris dominus,& magiſter cõprobaret,dixitq;.[f] Conuertimini ad cor,& pœnitentiã agite de peccatis veſtris.Ecce enim in proximo eſt retributio regni cęlorũ,iã tẽpus aduenit gratię,quo regni cælorũ aperietur ianua,eiúſq; ingreſſus dabitur omnibus qui egerint pœnitẽtiã.[g] Et quoniã decebat Chriſtũ habere ſuę prędicatiõis teſtes atq; diſcipulos,qui poſt ipſius mortẽ ea quę ab ipſo audierãt populis prędicarẽt,hos ſtatim in prædicationis ſuæ initio voluit ad ſe colligere.Ambulans itaq; quadam vice iuxta ſtagnum Genezareth, quod & mare Galilææ dicitur,vidit ibi duos fratres, quorum alteri nomen erat Simon,qui & Petri cognomentum accepit à fi-

a vt adimpleretur quod dictũ eſt per Eſaiam Prophetã : Terra Zabulon,& terra neptalim, via maris, trãs Iordanem Galilææ gentium.

b populus qui ambulabat in tenebris

c vidit lucem magnam:

d & ſedentibus in regione vmbræ mortis,lux orta eſt eis.

e Exinde cœpit Ieſus prædicare,& dicere:

f Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.

g Ambulãs autem Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andreã fratrem eius , mittentes rete in mare.

dei firmitate,alteri erat nomen Andraas, eóſq; rete mittẽtes in ſtagnũ ad capiẽdos piſces.[a] Erant enim artis piſcatoriç,& hac ſibi victũ parabant de labore manuũ ſuarũ.[b] Hos cũ vidiſſet nõ otioſos, non deſides,ſed plurimũ occupatos,& diligẽtes in piſcationis ſuæ officio,vocauit eos ad ſe,dicẽs:Adiũgite vos mihi,viri piſcatores,méq; ſequimini,futuri mei diſcipuli,& ego ex piſcatoribus piſciũ,faciã vos fieri cõprehenſores hominũ:tali yo arte inſtituã,vt iam non piſces reti corporeo de mari in littus trahatis, ſed homines & animas in huius ſçculi mari magno & ſpatioſo natitantes,variiſque erroribus fluctuãtes,& deliciis diffluentes,per rete ſpiritualis prædicationis(quã ego vos docebo)attrahatis in terram ſolidam,inque littus & portum fœlicitatis æternæ.[c] Illi ſtatim vt audierunt vocẽ vocãtis,ipſo per gratiã operante interius,qui voce ſonabat exterius,dicto audiẽtes,ad vnius iuſsionis vocem ſequuti ſunt dominũ,relictis retibus,& omnibus quæ habebant in naui.Nullã in ſequendo moram fecerunt,non dilationis tẽpus quçſieruñt,donec rete componerent, aut donec ad domũ reduxiſſent nauem:ſed abſque omni mora,vocantem pari fide,ambo germani ſequuti ſunt dominũ.[d] Et paululum admodum procedens,iuxta eundẽ lacum vidit alios duos fratres, quorũ alteri nomẽ erat Iacobus,alteri Ioannes, vnã cũ patre ſuo Zebedæo nomine in naui exiſtentes, ſua retia cõponentes,reficientes,atq; ad captionem piſciũ aptãtes,qui erãt prioribus duobus fratribus in piſcatione ſocij,in modica admodum diſtãntia à priorib⁹ poſiti,vt inuicẽ cũ opus eſſet,facilè poſſent vocare & adiuuare.[e] Et hos vocauit dominus, ſicut priores,Venite(inquiẽs)poſt me,& faciã vos piſcatores hominum.[f] Mox etiam iſti audita voce domini,verbo potentis iuſsionis ex cordis intimo permoti,plena obediẽtia vocãtem dominũ ſunt abſq; morą ſequu ti,adeo vt nõ ſolum retia, verumetiam patrẽ in naui relinquerent: neq; temporaliũ rerum affectu,neque etiã parentis amore , domini vocantis præceptũ detrectantes,promptæ nobis & perfe-

ctæ

a erant enim piſcatores.

b & ait illis, Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.

c At illi continuò relictis retibus,ſequuti ſunt eum.

d Et procedens inde vidit alios duos fratres,Iacobũ Zebedæi, & Ioãnem fratrem eius in naui, cũ Zebedæo patre eorum reficientes retia ſua.

e & vocauit eos.

f Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſequuti ſunt eũ.

&æ obedientiæ egregia mõſtrantes exépla,vt diuinis iuſsionib⁹ nihil omnino pręponamus,neq; vllus nos affectus ab illarũ impletione impediat, aut vel remoretur. [a]His autẽ ita ad ſe vocatis tali ſimpliciũ turba comitatus Ieſus, nõ ſegnis dormitabat in cubilibus,nõ ad opiparas mẽſas iam epiſcopus & prædicator à patre declaratus reſidebat in otio aut voluptatibus,ſed cũ ſolicitudine multa peragrabat totam Galiæam. Neq; tãquam curioſus rerum nouarum appetitor,aut tanquam vagabũdus,aut quietis impatiens ſine fructu diſcurrebat, ſed tanquam de omniũ ſalute ſolicitus,déq; paterni præcepti impletione ſummam curam gerens,circuibat: [b]docendo & prædicando:nõ in angulis aut in occulto, ſed palàm in ſynagogis,vbi omnes cõueniunt. [c] Non friuola docẽs,aut fabuloſa nugamẽta proclamans, ſed (quod cognitu vtiliſsimũ,& ſummẽ neceſſariũ hominibus)cæleſtis regni optimũ nuncium prædicãs, & iuſtitiã qua ad illud pertingitur,docens.[d] Et quo prędicationis ipſius verbo fides maior adhiberetur, maximè quòd noua eſſet doctrina, ſignis potẽtibus ex virtute diuinitatis æditis illam cõfirmabat, ſolo verbo vel cõtractu omnem languorẽ & omnem infirmitatem in populo,qualiſcunq; aut quantuſcũq; eſſet,potenter curãs. [e] Factumq; eſt,partim illa tam noua prædicatione , partim hac tã inſolita miraculorũ oſtenſione,vt fama eius breui temporis ſpatio ſparſa fuerit in totã Syriam: [f] & obtulerunt ei plurimos ægros,variis morborũ generib⁹ male habẽtes,[g] & qui grauibus ac plurimũ afflictiuis cruciatibus torquebatur,[h] à dęmonib⁹ quoque obſeſſos, & q ſecundũ lunæ varias diſpoſitiones inſenſib⁹ capitis prauè diſpoſiti,à dęmoniis grauia & moleſta patiebant,[i] eos quoq; quib⁹ paralyſi erãt diſſoluta mẽbra,aliosq; plurimos ſimilibus ęgritudinib⁹ & morbis detẽtos,quib⁹ humana arte aut vix aut rarò admodũ ſolẽt homines liberari: [k] quos ipſe omnes potẽti verbo iuſsionis ſuę,quo ab initio cũcta creauit, ſanitati reſtituit,nullius morbi obſtãte difficultate aut inſolita grauitate,ęquali facilitate ſanãs & gra-

a Et circuibat Ieſus totam Galilæam,

b docens in ſynagogis eorum, c & prædicans euangelium regni.

d & ſanans omnem languorem,& omnem infirmitatem in populo.

e Et abÿt opinio eius in totã Syriam:

f Et obtulerunt ei omnes malè habentes,

g varÿs languoribus & tormentis comprehenſos.

h & qui dæmonia habebãt, et lunaticos,

i et paralyticos.

k et curauit eos.

 uiſsime

a Et ſequutæ ſunt eum turbæ multæ, de Galilæa,
b & decapoli,
c & de Hieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanē.

uiſsime & leuiſsime ægrotantes.[a] Et agglomeratæ ſunt circa eũ turbæ multæ ſequentes eũ, ex omnibus ciuitatibus per quas tranſibat, aut ad quas nominis ipſius fama dimanabat: ex vniuerſa videlicet Galilæa,[b] & ex decapoli:id eſt, ditione vel imperio decẽ ciuitatũ,[c] & de Hieruſalem, ac cæteris ciuitatibus & locis Iudææ, & de locis illis quæ erant ſita trans Iordanem. Ex his omnibus locis plurimi ad Chriſtum confluebant, tum propter auiditatem audiendæ nouæ doctrinæ eius: tum propter ſigna videnda quæ ipſe ædebat, tum propter ſanitatum munus, vel pro ſe vel pro ſuis, obtinendum: nonnulli etiam ad arguendum & calumniandum.

ANNOTATIONES IN CAP. IIII.

ET *accedens tentator.*) Græcè eſt participiũ ὁ πειράζων: id eſt, tentans, vel is qui tentat. Sic enim vocatur ab officio & veteri cõſuetudine diabolus quẽadmodũ à baptizando Ioannes accepit Baptiſtæ vocabulum. Tentare autẽ dicitur dupliciter. Primò experimentũ de aliqua re ſumere, quomodo diabolus tentare voluit Chriſtũ: id eſt, experimentum ſumere & probare an verus eſſet Deus. Secundò ad malũ ſolicitare vel impellere, vt cũ apud Iacobũ dicitur:
Iacobi 1. *Nemo cum tentatur dicat, quoniã à Deo tentatur.* Deus enim intentator malorũ eſt: id eſt, non tentat ad mala. Vnuſquiſque autem tentatur à propria cõcupiſcentia abſtractus & illectus. Et Paulus Corinthiis
1. Cor. 7 ſcribit: *Ne forte tentet vos Satanas, propter incontinentiam veſtrã:* id eſt, ne vos ad malũ impellat. Priori modo præcipuè hîc Chriſtum intelligimus tentatum fuiſſe à diabolo, quoniã ad hoc potiſsimũ, & primario tentauit Chriſtũ diabolus, vt cognoſceret an eſſet verus Dei filius. Atq; in hunc ſenſum noſtra exponit elucidatio. Nihilominus ſecundario intelligi poteſt diabolus etiã altero modo voluiſſe tentare Chriſtum, vt ſi hominem comperiſſet, tũ deinde ad vitium aliquod ſolicitaſſet, vel ad gulã in tẽtatione prima, vel ad inanem gloriã in ſecũda, vel ad auaritiam in tertia. ¶ *Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*) Duplicem huius partis expoſitionẽ in elucidatione indicauimus. Poſterior magis vulgata eſt, prior vix vulgo cognita. Si quis tamen locũ inſpicere voluerit, vnde hæc authoritas adducta eſt (libri videlicet Deuteronomij octaui capitis principium) nõ dubito, quin ſtatim priorẽ expoſitionẽ, licet paucis vſitatam, præferet poſteriori. ¶ *Super pinnaculum templi.*) Pinnaculũ à pinna deductum dicitur faſtigiũ & ſummitas ędificij in acutiem tẽdentis: ſiue quod veteres

veteres pinnam dicebant acutū, vnde bipennis appellata eſt ſecuris:quæ vtrinq; aciem habet;ſiue quòd pinnáculis addi pinna conſueuit:quę facili motu ventorum indicet flatum.¶*Ait illi Ieſus rurſum.*)Aduerbiū illud poteſt indifferenter iungi cū præcedenti verbo,ait,vel cum ſequēti,ſcriptum eſt,in hunc ſenſum: Rurſum ſcriptum eſt,quaſi dicat dominus:Semel tibi per ſcripturam reſpondi: Iam iterum tibi ſcripturam aliam obiicio. ¶*Et ipſi ſoli ſeruies.*Seruitus illa ſignificatur ſumma ſoli,primo,enti, & ſummo Deo debita, quam Græco vocabulo dicere ſolemus latriā λατρεíαν: cui cognatum verbum hic ponitur λατρεύω latreuo:id eſt,latriam exhibeo. ¶*Terra Zabulon ; & terra Neptalim, via maris,trans Iordanem,Galilaeæ gentium.*)Adducitur ab Euangeliſta hæc authoritas multū truncatè, verbis omiſsis;quibus cōiungi deberent illi nominatiui, terra Zabulon, & terra Neptalim:atque ob hoc difficultas videtur & cōfuſio.Sic autē habet Eſaias,*Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Neptalim, & nouiſſimo aggrauata eſt via maris,trans Iordanē,Galilaeæ gentiū.*Ac deinde ſequitur,*Populus qui ambulabat, &c.*Idcirco autem Matthæus nō adduxit totam hanc authoritatē, quoniam de illa alleuiatione & aggrauatione loqui nolebat, ſed tantū de illuminatione facta populis in aduentu Chriſti. Voluit tamen verborum ſuppoſita præmittere,dicēdo:*Terra Zabulō, & terra Neptalim,via maris,trans Iordanē,Galilaeæ gentium*:vt ex horū pręmiſsione,ſignificaretur quis aut cuias eſſet ille populus, de quo prædictū fuerat:*Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam,&c.*¶*Et abijt opinio eius in totam Syriam.*)In Græco eſt ἀκοὴ acoe,quod ſignificat auditum.Abiit enim auditus eius in totam Syriam: hoc eſt,de eo narrabatur, & de eo audiebatur in tota Syria, quod verti facilius poteſt: Abiit fama eius vel opinio aut exiſtimatio eius. ¶*Et decapoli*)Græcum nomen eſt δεκάπολις decapolis,ſignificans regionem vel ditionem decem ciuitatum. Hæc decapolis trans Iordanem erat, circa Hippum, Pelleu, & Gadaram, teſte Hieronymo de locis Hebraicis. ¶ *Et de trans Iordanem.*)id eſt,de locis ſitis trans Iordanem.

Eſaiæ 9.

ELVCIDATIO CAP. V.

Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem.

Videns autē piiſsimus Ieſus tam innumeros ad ſe populos vndiquaq; confluere,meſſem multam conſpiciēs,ad op⁹ ſe accinxit,cui à patre ſe nouerat deſtinatū:illiſque verbum Euangelij prædicare diſponens, quo commodius ab omnibus audiretur,qui omniū ſalutem quærebat,aſcendit in

montem mōtisque partem altiorē, turbis ex omni parte in loco decliuiori circunſtātibus, vt docentem dominum & videre poſſent & audire commodius. [a] Et cū, iuxta docentium conſuetudinem, ſeſe in monticulo aliquo ad hoc apto pro loci opportunitate compoſuiſſet ad ſedēdum, diſcipuli vt familiariores & quibus ſingulariter incūbebat audire, intelligere, ac memoria retinere præceptoris doctrinā ad poſtmodū aliis eadem prædicandum, vicinius ad ipſum accedentes, proxime illi vel aſtiterunt, vel aſſederūt per circuitum: dehinc turmæ ac promiſcuum vulgus quo quiſque potuit cōmodiori loco ad audiendum doctorem, ſeſe diſponebat.

a Et cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.

[b] Poſtulatoque per diſcipulos, & à turbis dato ſilentio, diuinus hic magiſter noſter, qui olim Prophetarum ora aperuerat, ipſe nunc in carne poſitus benedictum illud os ſuum aperuit, ad annuntiandam patris voluntatem, & Euangelicæ perfectionis regulam hominibus tradendam. Cœpit autē ille doctor veritatis ſermonis exordium, nō in præambulis magnificis, & vaniloquis præfationibus (vt ferè ſolent fabulatores ſæculi) ſed in ipſo mox ſermonis exordio, id quod præſtātiſsimum erat dicturus, nempe veræ beatitudinis deſcriptionem, propoſuit audientibus.

b Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens:

[c] Sic itaque ſermonē eſt exorſus. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Hos ego verè beatos pronuntio, nunc in certa expectatione, pòſt in ſecura omnis boni fruitione, qui non ſunt inflato tumidoque ſpiritu, non animo diuite aut ſuperbo, ſed humiles ſunt ſpiritu & corde demiſſo: qui nō de ſeipſis ſuperbè ſentiūt, quique ex hac vera cordis paupertate (qua ſe egenos, & non niſi mendicos cognoſcunt, & diuinis omnibus beneficiis indignos) etiam externa bona deſpiciunt, nō adhærentes affectu neq; honoribus, neque diuitiis, victu & veſtitu cōtenti, nec vltra requirentes: huiuſmodi verè ego pronuntio beatos, [d] quoniā eis merces eſt deputata magna nimis regni cælorū. Hi ſicut ſeipſos multum humiliauerūt, ita à Deo ſumme exaltabūtur, ab imā paupertate & humili-

c Beati pauperes ſpiritu,

d quoniā ipſorum eſt regnum cælorum.

humilitate ſua ad ſummã ꝓuehẽtur gloriã, ad ampliſſimũ regni honorẽ, & ad ęternas atq; incorruptibiles diuitias, vt dicatur, & ſint reges ęterni incorruptibiliſque regni cęlorũ.[a] Beatos itẽ pronũtio eos, q in maſuetudine & mititate cuſtodiũt animas ſuas, vt nõ iraſcãtur aduerſus proximos, nõ amaritudinẽ gerãt, nõ odia, nõ ſuſpiciones malas, nõ peruerſa iudicia in cordibus, nõ in vultu indignatione, nõ in ore cõuitia, rixas aut iurgia, nõ in opere vim inferãt, aut vindictã exerceant, etiã erga illos qui priores offenderint: ſed animo benigno & miti ergã omnes bene ſunt affecti, parati aliorũ infirmitates ſupportare, parati etiã iniurias, contumelias, & dãnã quæuis æquaminiter ferre, nec vindictã expoſcere, parati benefacere malefaciẽtibus, benedicere calũniantibus & perſequẽtibus; & omnino erga omnes, tã bonos quàm malos, bonũ affectũ charitatis ſeruãtes: hos dico verè beatos:[b] quoniã ipſi hęreditatẽ poſsidebũt, & in ſortẽ ſuã ac poſſeſſionẽ æternã accipiet terrã illa beatã viuentium, ſicut & nũc in vita iſta corporis terrã ſui cordis certa & ſtabili trãquillitate per patiẽtiam & manſuetudinẽ poſſederunt. Neq; multũ curandũ eſt, ſi mitibus hîc tollãtur anguſtaq; peritura tẽporalia prędia, quandoquidẽ pro illis reſtituetur eis terræ illius hæreditas ampliſsima & ſempiterna.[c] Beatos itẽ aſſero eos, qui nõ in voluptatibus vitam degũt, inſeruiẽtes in libidine, cõcupiſcẽtiis carnis ſuæ, ſed in luctu & triſtitia ſecũdum ſpiritũ vitam ducũt, crucifigẽtes carnẽ ſuam cum vitiis & concupiſcentiis: qui etiam quotidianis fletibus peccata tũ propria tũ aliena deflent: agnoſcẽtes quoq; exiliũ iſtud ſuum in quo viuunt, & patriam ad quam pergunt, & ciuitatẽ manentẽ, habentẽmq; fundamenta, quam expectant & inquirunt, præ illius deſiderio dulces ſubinde lachrymas fundunt, mundi huius conſolationem omnem abnegantes. Huiuſmodi ego dico verè beatos,[d] quoniam veniet tempus, quando pro luctu accipient perfectã & nunquam deſiturã cõſolationem in regno cælorum: erit quando abſque omni labore certaminis, abſque omni difficultate laboris, ab omni triſtitia alieni, viuent in indeficienti conſolatio

a Beati mites.

b quoniam ipſi poßidebunt terram.

c Beati qui lugent.

Gal. 5.

d quoniam ipſi conſolabuntur.

latione,quando abſterget Deus omnẽ lachrymã ab oculis ſanctorũ,& nõ erit amplius neq; luct⁹,neque clamor,neq; vllus dolor,quę omnia prima abierũt, quãdo veteribus trãſactis noua erũt omnia.[a]Beatos quoq; pronũtio eos,qui in hoc mũdo toto cordis affectu diligũt iuſtitiã:vt quomodo homo eſuriẽs & ſitiẽs vehemẽter cibũ atq; potũ appetit,& pro eis cõſequẽdis enititur,lętatúrq; in eis vbi cõſequut⁹ fuerit,ita & ipſi toto cordis affectu diligãt virtutẽ,tam in ſemetipſis quàm in aliis,zelo bono omnes homines deſiderãtes ſaluos fieri,ac virtuti ſtudere, de bonis quę in proximis viderint nõ ſec⁹ ac de propriis gaudẽtes,de malis vehemẽtiſsimè dolẽtes, atq; ad reducẽdũ malos in ſtatũ rectũ,quãtũ in ipſis fuerit, tũ verbo,tũ exẽplo,tũ oratione aſsidua ſtudioſè laborãtes,perfecto odio odientes iniquitatẽ,& omne quod eſt iuſtitiæ cõtrariũ,tãto autẽ gaudio & cõplacẽtia acceptãtes quicquid ad virtutẽ attinet,quanto ſolet eſuriẽs acceptare cibũ,aut ſitiẽs potũ.[b]Hi profectò beati erũt,quoniã pro eſurie ac ſiti,quibus in hoc mũdo affligũtur,in futuro accipiẽt perfectam fruitionẽ omniũ bonorũ.[c]Beati inſuper miſericordes, qui pio ac miſericordi affectu erga proximos affecti,eorũ miſeriis ſiue ſpiritualibus,ſiue corporalibus cõdolẽt & ſuccurrũt,quãtũ in ipſis eſt,vel cõſilio,vel facultatibus,vel alio quouis modo iuxta miſerẽtis facultatẽ,& cõditionẽ miſerię patiẽtis:qui videlicet eos quos in ſpiritualib⁹ miſeriis. i.vitiis atq; peccatis perire cernũt,ex toto cordis affectu adiuuare,atq; modis omnib⁹(arguẽdo,increpãdo, obſecrãdo,ſuadẽdo,)diaboli laqueis eximere ſtudẽt:iis aũt quos corporali egeſtati viderint ſubiacere de ſuis facultatib⁹ miſericorditer ſuccurrũt:aut ſi prors⁹ nihil externũ habeant,quo proximũ adiuuẽt,ſaltẽ affectũ bonũ habeãt,& miſeriæ proximi condoleant, eumq; oratione Deo commẽdent,cuius neceſsitati per ſemetipſos non valent ſuccurrere.[d]Hi ſanè & ſunt & erũt beati,quoniã vt ipſi proximis ſuis ſunt miſerti,ſic viciſsim à Deo miſericordiã cõſequentur,miſericordiã illam maximã atque ditiſsimam, qua

a Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam,

b quoniam ipſi ſaturabuntur.

c Beati miſericordes,

d quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

qua ad beatā prouehētur gloriā, omnēq; miſeriā p̄fectè ab illis ſua miſericordia infinita auferet De⁹. quomodo ipſi pro virib⁹ miſeriā omnē à proximis p̄ tenui ſua facultate depellere ſtuduerūt: quēadmodū ecōtrario, iudiciū ſine miſericordia fiet illis qui nō fecerūt miſericordiā. [a]Beati q corda ſua ab omni labe peccati ab omni cogitatiōe mala, & mala affectione, mūda ſeruare laborāt, ita vt nō patiātur vllū vitioſum affectū, vel cogitatū prauū reſidere ac dominari in animo ſuo: & ſi quādo ad tēpus cōtigerit aliquid maculę in corde reſidere, per pœnitētiæ lachrymas ipſum quātoti⁹ à macula illa expurgare atq; emūdare ſatagūt, malarū affectionum zizania ſeduló euellētes de agro cordis ſui, & bonarū operationū ſemina in ipſo plātantes atq; ſeminantes: qui ſic (inquā) mūditiæ cordis ſui intendunt, beati ſunt: [b] quoniā digni erūt qui Deum corde ſic mundo videant, & nūc per gratiā atq; fidem, per ſpeculum in ænigmate, & poſt in gloria per apertā viſionē, facie ad faciē, quando eū videbunt ſicuti eſt, quando tolletur impius cor habens immundū, ne videat gloriā Dei, & horrorē inhabitabit tenebrarū, illis in perpetua claritate diuinæ viſionis vitā beatā degentibus. [c] Beatos itē pronūtio homines verè pacificos, qui pacē diligētes, eā in ſemetipſis primū habere curāt: ac deinde etiā in proximis eādē procurare ſtudent: quib⁹ hoc eſt primū ſtudiū, vt cū Deo pacē habeāt, atq; ad hāc pacē omnes homines cupiūt peruenire, & pro ſua virili ſtudēt adducere. Cū proximis deinde pacē habere ſtudēt, ita vt quātū in ipſis eſt cū omnibus habeāt pacē, etiā cū illis qui pacē oderūt degētes pacifice, ſtudioſiſsimè cauētes, ne diſſentiones aut iurgia ſuſcitēt, ſectáſq; aut hæreſes, aliáve huiuſmodi, quibus fraterna pa diſrumpitur, introducāt, adq; hanc fraternā pacem, & cōcordiam etiam in proximis cōponendam & conſeruanda, plurimū laborāt, ſoliciti diſsidētes redigere in concordiā, diſcordiarū occaſiones, & diſsidiorum ſeminaria tollere, & diſsidētes animos, quantū in ipſis fuerit, ad pacē inflectere. Deniq; etiā in ſeipſis pacem habe-

a Beati mundo corde. Iaco. 1

b quoniam ipſi Deum videbūt. 1. Cor. 13

1. Ioā. 3

c Beati pacifici.

re ſunt ſoliciti,vt nō ſit fœda rebellio ſenſualitatis cō tra rationē,ſed illa huic ſit, vt equum eſt, ſubiecta,vt nō mala turbatio excreſcētium dominantiúmq; paſſionū exoriatur,ſed in tranquillitate ſint omnia, ſenſualitati ſubiecta,imperante ratione:[a] qui his(inquā) modis verè pacifici ſunt,ij beati cēſentur,quoniā ipſi appellatione no inani vocabuntur, & erunt ſpeciales filij Dei,ac proinde hæredes cæleſtis regni.Peculiarē enim quandam ſimilitudinem iſti cum Deo habent. Deus enim,pacis Deus appellatur, pacémq; ſummè diligit & requirit,cuius eſt etiā locus in pace, & quā pro dono maximo ſuis donat amicis.Quare peculiari quodam modo Dei patris exprimūt imaginē homines pacis amatores,dum pacē tam in ſemetipſis quàm in aliis affectuoſè diligūt,& ſtudioſe procurāt.[b]Beati itē,qui propter iuſtitiā patiuntur perſequutionem, qui cōtradictiones,cōfuſiones, verbera, aut alia quælibet toleratu grauia perferūt,nō propter ſua facinora,tanquàm fures & latrones,ſed propter veritatē atque iuſtitiā,vel prædicandam, vel defendendam, vel in vita & conuerſatione cuſtodienda, quibus præter ſuā culpam grauia quælibet,Deo permittente,ferēda occurrunt(quēadmodum neceſſe eſt omnes volentes piè viuere,ſecundum Deum,pati perſequutionem,ſiue ab infidelium aut malorum ſæuiente malitia,ſiue à prauæ ſenſualitatis ſolicitāte concupiſcentia, aut aliàs quomodocunque)& ea patienter propter amorem iuſtitię ferunt, non eam ob quæuis occurentia, quātumuis difficilia,deſerentes,ſed fideliter ad mortem vſque in ea perſeuerantes.[c]Hi profectò, tametſi ſecūdum exteriorem apparentiam videantur miſeri, ſecundum veritatem tamen beatos ſe debent reputare,eo quòd pro momentaneis iſtis, & minimis afflictionibus ſempiterna & immēſa perſequētur gaudia regni cęlorum.Nam qui fidelis fuerit vſque ad mortem,dabitur ei corona vitæ:& qui in finem vſq; perſeuerauerit,ſaluus erit. Momentanea quoq; & leuis illa quæ in pręſenti eſt tribulatio,pondus æternę gloriæ operabitur in iis qui cū patientia tulerint.[d] imò & tunc beatos vos æſtimate, quum ad eum peruene-ritis

a quoniam filij Dei vocabuntur.

b Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam,

c quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

d Beati eſtis cum mal. dixerint vobis homines,

ritis articulũ,vt vobis homines maledicãt, de vobis male loquãtur,tam in præſentia quàm in abſentia, conuitia atq; opprobria in vos iaciẽtes.[a]Neque ſolũ verbis inſectẽtur,ſed externis etiã perſequutionib⁹ vos impetãt:veſtra vobis diripiẽtes, aut plagas inferẽtes,aut aliis huiuſmodi malis vos afficientes: [b]inſuper & impudentia mẽdacia ad veſtrã infamiã cõfingãt,quibus bonũ nomen veſtrũ multis diuitiis pretioſius, quærãt diffamare:cũ hæc (inquã) omnia propter me,propter meam doctrinã prædicandam, aut in vita tenendã,vos cõtigerit ſuſtinere.[c]Et meritò quidẽ ac optimo iure vos, licet exteri⁹ afflicti, interius tamẽ gaudere & exultare debebitis, in ſpę cæleſtium retributionũ,propter mercedem illã magnã nimis,quę vobis reſeruatur in cęlis,eo quòd nõ ſint cõdignæ paſsiones huius tẽporis ad futurã illã gloriã quæ reuelabitur in vobis.[d] Neque verò nouum vobis debet videri,neq; mirum,ſi nũc vos perſequutionẽ ſuſtineatis propter iuſtitiã & veritatẽ. Non enim nouũ eſt neq; inſolitum, eos qui veritatẽ prædicare, & iuſtitiã ſeruare voluerint,ſuſtinere grauia.Sic enim olim ſancti Prophetæ,q vos præceſſerũt (in quorũ locũ & officiũ vos eſtis ſubſtituẽdi) cõtradictiones & perſequutiones ſuſtinuerũt à malis ſui tẽporis,interdũ grauiſsimas, vſq; ad flagella, carceres & mortẽ.Quorũ pro iuſtitia pręuiæ paſsiones veſtros debẽt animos ad æmulationẽ prouocare,& ad mala pro iuſtitia ferenda corroborare.[e]Cæterũ,vos mei apoſtoli atq; diſcipuli, cæteriq́ue qui locum veſtrum ſunt accepturi,rectores futuri & doctores fidelium populorum, ſal eſtis terræ:ad vos ſpectat illa quę vobis dabitur ſapiẽtia,& virtute populos cõdire & erudire ad veritatem atq; iuſtitiam: quomodo ſalis eſt,per inditam ſibi ſingularẽ virtutem,carnes à corruptione ſeruare, & cibos omnes condire,vt bonum de ſe fundant gratumq́ue ſaporem,ſic veſtrũ erit,per doctrinam veritatis cæteros ſimpliciores à corruptione & putredine mortis ad vitam immortalem ſeruare, ita quoque ſpiritualiter cõdire, vt non fœteant, ſed ſint odor bonus & ſapor,

a & perſequuti vos fuerint,

b & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me.

c Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.

d Sic enim perſequuti ſunt prophetas qui fuerunt ante vos.

e Vos eſtis ſal terræ.

a Quòd ſi ſal-euanuerit, in quo ſalietur?

ſapor gratus Deo, in odorẽ ſuauitatis. [a] Quòd ſi ſal contingat euaneſcere, ſuámq; virtutem deperdere, nõ poterit ipſum vltra ſaliri, nulla re iuuari poterit, vt priſtinã recuperet virtutem. Ipſum quidẽ donec ſua vim obtinet, potens eſt carnẽ iam ad corruptionem tendentẽ præſeruare multo tempore, ne putreſcat & fœteat: vbi verò ſuã vim perdiderit, ab alio reſtitui non poteſt virtuti priſtinæ. [b] Neq; ad quicquã vltra valet, nulli prorſus vſui ſeruit, non vt mittatur in agrum, non in hortũ, imò nec in fimarium. Terræ enim obeſſet fœcũditati, & ipſum quoque fimum ſua priuaret pinguedine: [c] ſed foras mitti debet in plateam publica, vbi cóculcetur à pertranſeuntibus, ſicque diſpergatur, & nullũ damnum inferat. Ita & vos ſi efficiamini ſimiles ſali euaneſcẽti, ſi tales vos fieri cõtigerit, vt ſpeciem tantũ euangelicorum hominũ & apoſtolorum formam præferatis ſecundum externã apparentiam, intus exiſtẽtes vacui virtute efficacis doctrinæ & probatę cõuerſatio nis, in quo ſaliemini? quid de vobis erit ſpei? quis vos curabit, q curatores eſſe debuiſtis aliorũ? [d] Vos itẽ lux eſtis mũdi. Vos ad hoc electi eſtis, vt per veſtræ prædicationis miniſteriũ, ad quod aſſumpti eſtis, mũdus illuminetur lumine Euangelicæ veritatis. [e] Non poteſt ciuitas illa latere homines, quæ in ædito loco in vertice mõtis conſtituta eſt: ſic neque vos, qui in eminẽti gradu cõſiſtitis, capita & fundamẽta prima Eccleſiæ, latere poteritis, neq; in occulto vobis tantum viuere, ſed orbi toti debebitis fieri manifeſti, vt ad vos tãquã ad tutiſsima loca refugij fideles populi cõfugiant, atq; ſub veſtra cura & protectione à tyranni inſultib[9] reddãtur ſecuri: quomodo ſolẽt ciuitates eſſe munimentũ & ſecuritas ſuorum ciuium, & eorum qui ad ipſas cõfugerint contra inſultus hoſtium. [f] Neque ſolent homines candelam aut facem accendentes, ad hoc eam accẽdere, vt accenſam ponãt ſub modio, aut vaſe aliquo operiãt, vt lumen occultetur, quòd ſi cupiãt, melius inaccenſam relinquũt: [g] ſed poſtquam accenſa fuerit lucerna, cãdelabro eam ſolent ſuperponere, & in loco

b Ad nihilum valet vltra,

c niſi vt mittatur foras, & cõculcetur ab hominibus.

d Vos eſtis lux mundi.

e Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.

f Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio:

g ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.

loco eminẽtiori cõſtituere, vt de beneficio luminis eius participare poſsint omnes qui in domo aut loco illo ſunt, & ad ſingulos angulos eius loci valeat lumẽ diſpergi. Ita & vos ne arbitremini, ad hoc vobis dari nũc doctrinam iſtam cæleſtem ex ore meo, vosq; lumine iſto ſuperno accendi & illuminari, vt vobiſipſis viuatis, quaſi ſub modo latẽtes: ſed in communẽ totius orbis vtilitatẽ vobis ſcitote dari hoc diuini luminis beneficiũ. [a] Sic enim lucere debet corã omnibus hominib[9] lux veſtra, ita lucere debetis coram vobis cõmittendo grege & populis, tã in verbo ſanctæ doctrinæ, quàm in virtute bonæ cõuerſationis, vt non ſolũ doctrinã audientes, ſed reſpõdentem etiã vitam cernẽtes, & prædicationi conſonam conuerſationẽ, prouocentur in affectũ bonum erga Deũ, ad agendũ gratias patri cæleſti, eumq; glorificandũ in miniſtris ſuis: ipſi quoq; ad imitationẽ veſtri, partim ſermonis efficacia, partim vitæ probitate attracti & prouocati, ſic patrẽ cæleſtẽ glorificent, in ipſius verũ cultum veſtro exẽplo inducti. [b] Prius autem quàm Euãgelicæ doctrinæ vobis tradã perfectionẽ, illud imprimis præfari ac proteſtari volo, non ad hoc me veniſſe in hunc mundũ vt legem bonam & à Deo per Moyſen datam ſoluã ac deſtruã, & quaſi malã damnem, ſiue reſcindã. Non enim ad hoc veni, vt legẽ ſoluam ac deſtruã, ſed vt eam adimpleam atq; perficiã, vt quod ipſa habet imperfectũ, mea doctrina & interpretatione perficiã, figurã deducendo ad figuratũ, ſignum ad ſignatum, vmbram ad veritatem, imperfectũ ad perfectionẽ vltimam. Quemadmodũ enim pictor cum imaginem prius figuraliter tantũ rudi carbone deliniatã, poſtmodum accuratiori artis opera reddit abſolutã, nõ deſtruere dicitur imaginẽ, tãetſi illas rudiores & imperfectas linearũ protractiones perfectioribus occultet, ſed abſoluere eã atq; perficere dicitur, ſic neq; ego legis deſtructor debeo appellari, qui eius veni imperfectũ abſoluere, perfectumq; reddere. [c] In veritate enim dico vobis, quòd in vniuerſa lege, neq; iota vnum vel vnus apex: id eſt, nec minimum aliquid conti

a Sic luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.

b Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem aut prophetas. Non veni ſoluere, ſed adimplere.

c Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

cōtinetur, quod nō perfectiſsime adimplebitur, antequā conſummatio veniet ſeculi, non in vanū pręteribit abſq; effectu vllū legis minutiſsimū verbulum, quod nō penitus ſit implendū, antequā cælum & terra in ſeculi conſummatione ab eo in quo nūc ſunt ſtatu trāſeant atque mutentur. Quicquid enim in lege prædictū eſt, indubitatam habet veritatē, & quicquid in ea eſt præſignatū, in me & per me adimplebitur. Et licet quorūdam differatur adimpletio, quæ videlicet nouiſsimis reſeruantur tēporibus, nihil tamē eſt quod nō ante finem & conſummationem temporū impleri debeat, aut certe in ipſa conſummatione. Quomodo autē legem hāc velim deſtruere, cuius tam ſtabilē & ineuitabilē profiteor eſſe veritatē? [a]Cum itaq; deſtructor legis nō ſim, ſed eius adimpletor & cōſummator, hoc præmoneo, ad meę doctrinę vobis tradēdę authoritatē, quòd quiſquis trāſgreſſus fuerit vnū aliquod de mādatis iſtis minimis, quæ ego vobis ſum legē perficiēdo traditurus (quæ ego quidē minima appello, vt minimè grauia & factu facilia) atq; ita etiā cæteros, vel verbo vel exemplo diuinū præceptū tranſgredi docuerit, hic minimus omnino reputabitur, & penitus in nullo precio habebitur apud Deū, neq; dabitur trāſgreſſori illi præmiū regni cælorum. [b]Qui autem fecerit mādata mea iſta minima & factu facilia; quæ ego legem adimplēdo ſum traditurus, eaq; cæteros docuerit obſeruare, tam verbo prædicationis quàm exemplo cōuerſationis, [c] hic vt diuina magni æſtimauit præcepta, ſic viciſsim & ipſe à Deo magnus fiet, & magnus habebitur in regno cęlorū, pro fideli officij adminiſtratione glorioſam accepturus mercedē. Quicunq; enim honorificauerit me, glorificabo eū: qui autē contemnūt me, erūt ignobiles. [d]Imprimis autē generali admonitione illud vos pręmoneo, nō debere vos metiri veſtrā iuſtitiam ad iuſtitiā Scribarum & Phariſæorū. Niſi enim maior, plenior atq; perfectior fuerit veſtra iuſtitia q̄ ſit iuſtitia illorū, quam videlicet ipſi docēt, & de qua ipſi vt iuſti gloriantur, nunquā per iuſtitiā illā Phariſaicā obtine

a Qui ergo ſolnerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.

b Qui autem fecerit & docuerit,

c hic magnus vocabitur in regno cælorum.

d Dico autem vobis quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnū cælorum.

obtinebitis regnũ cælorũ. Illi nãq; literæ legalium præceptorũ tãtũ inhęrẽtes, ſufficere putãt & docent ab externis actib⁹ abſtinere, vſq; ad cordis puritatẽ nõ penetrãtes, quã tamẽ cordis iuſtitiam De⁹ pręcipue attẽdit, & requirit, multo ampli⁹ quàm illã externã.[a] Sit nobis pro exẽplo pceptũ legis de homicidio. Audiſtis qia olim in lege per Moyſem patribus veſtris dictũ eſt & pceptũ: Nõ occides aut homicidiũ facies.[b] Si qs aũt homicidiũ cõmiſerit, re⁹ erit iudicio mortis: Quod qdẽ pręceptũ Phariſaica doctrina impletũ docet, cũ qs ab interfectione proximi manũ cohibet violẽtã, vt nõ mortis corporalis incurrat iudiciũ, nõ reſpiciẽs in pcepti radicẽ.[c] Ego autẽ vim huius pcepti ad plenũ explicãs, ſicq; ipſum ex mei officij authoritate adimplẽs, dico, nõ ſolum exteriorẽ homicidij actũ legis cõſtituere tráſgreſſorẽ, aut iudicio facere obnoxiũ, verũ etiã internũ actũ illũ vnde talis cõſeqtur exterior, etiãſi in actũ foris nõ prodeat. Vnde ad pleniorẽ hui⁹ pręcepti notitiã, tres vobis citrã exteriorẽ homicidij actũ grad⁹ cõſtituo, in quorũ quolibet pręuaricatio eſt pcepti, & cõtinuò grauior, vbi tamẽ ad exteriorẽ homicidij actũ nõdũ pertingitur.[d] Primũ enim hoc aſſero, quod qſquis aduerſus fratrẽ ſuũ irã deliberatã, & cõſenſu rationis firmatã geſtat in animo, deliberata volũtate, pro vindictæ appetitu proximo nocere cupiẽs, & malũ optãs, etiãſi nõdũ vllo ſigno prodat affectũ malũ, iam reus eſt iudicio, & tãquã animo homicida, propter fratris odiũ, & cõceptã irã (vnde ſolet homicidiũ procedere) factus eſt obnoxius æternę mortis iudicio.[e] Qui deinde irã huiuſmodi non cohibens, adeò eã ſinit excreſcere & exardeſcere, vt etiã foris per ſigni alicuius indiciũ ſe proferat, veluti per vocẽ racha (quæ indignãtis animi eſt indiciũ) aut aliã aliquã huiuſmodi pro ratione idiomatis, adhuc tamẽ ab aperto cõuicio & expreſſa cõtumelia abſtinẽs, hic licet nondũ ad homicidiũ vſque peruenerit, pręcepti tamẽ eſt traſgreſſor, magis etiã priori, & iudicio aliqua ex parte fit propinquior, ita vt dignus iam videatur concilio, qui ſtatim produ

a Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides.

b Qui autẽ occiderit, reus erit iudicio.

c Ego autem dico vobis.

d Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.

e Qui autẽ dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio.

producatur in cōciliū, vt de eo decernatur quātoti & impleatur vltio: vt quomodo ad exterius malum opus procedit priori vicinius, ſic & ad pœnā videatur amplius accedere.[a] Qui autē minus iram cohibēs, eo vſq; illā ſinit excreſcere, vt in apertū conuitiū, & expreſſam cōtumeliā prorūpat, qua proximū manifeſtè infamet, & ad iracūdiā prouocet, nimirū ſtultū illū appellando, aut ſcortatorē, aut ebrioſum, aut alia huiuſmodi aperta infamia infamando, hic etiā ſi manus adhuc cohibeat, pręcepti nihilominus ſit tranſgreſſor, & magis prioribus: quare & vltioni manifeſtius viciniúſq; ſubiacere illū dicimus, vt iā planè dignus ſit qui cōiiciatur in gehennam, & de quo vltra nullū poſsit videri dubiū, quin condénatione ſit dignus, qui ad externū illū homicidij actū tā proximè peruenerit. Ecce tres hîc diſtinctos habetis gradus ſe inuicē altiores, nondū tamen ad externū illum homicidij actū peruentū eſt. Quare dico nō ſufficere ad ſalutē iuſtitā illam Phariſaicam, quæ ab exteriori tantū facinore manū docet cōpeſcere, cum longè pluribus rationibus poſsit homo morti fieri obnoxius. Et quoniā ſic omnis ira & odiū omne, etiā quod in corde tantū latet, Deo eſt exoſum pręceptoq; diuino (vt iā indicaui) contrariū, hāc etiā ſubnecto Euāgelicæ iuſtitiæ & veræ charitatis doctrinā.[b] Si quis oblationē facere paret ante altare, corā Deo, illicq; iāiam oblaturo veniat in memoriā, quòd fratrē ſuum offenderit, nec offenſum placare ſtuduerit, ac proinde frater habeat quod cū eo expoſtulet, & quæri poſsit, vtpote ab eo læſus & minimè placatus,[c] caueat huiuſmodi, ne ſic nō reconciliatus, in tali ſimultate, munus ſuū offerat Deo, qui nō placatur, ſed magis offenditur muneribus eorū, qui in odiis & diſſentionibus cū proximis permanēt, cū quibus eos pacem vult habere: ſed relinquat ibi munus ſuū ad altare: id eſt, tātiſper differat oblationem, donec fratri reconcilietur, & cum eo in gratiā redeat: ſi non opportunum fuerit ſtatim in actu exteriori, vt minimū in ſynceri cordis bono propoſito: videlicet vt prius de diſſenſione &

a Qui autē dixerit fatuè, reus erit gehennæ ignis.

b Si ergo offers munus tuū ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te;

c relinque ibi munus tuū ante altare, & vade prius recōciliare fratri tuo.

ne & offenſa fratris pœnitentiam agens, firmoq; propoſito illum pro virili & iuxta offenſæ qualitaté placare proponens, ita demũ oblationem ſuam Deo repræſentet.[a] Tunc enim erit illi accepta pacis oblatio, quam ab oſore fratris tanquã ingratam à ſuo conſpectu repuliſſet.[b] Denique, ſi omnino ſimultatis quicquam, odij aut diſſentionis cum proximo tuo habueris, aduerſus quem vt hoſtem, aut aduerſarium, aut inimicũ inimico fueris animo, caue in hoc ſtatu diu perſiſtas, ſed quantotius inimicitiam cura deponere, & cum eo qui aduerſarius fuit, quantum in te fuerit, labora redire in gratiam, donec in vita iſta permanes, in hoc tẽpore miſericordiæ, antequam dies illa extrema re in odio veteri perſiſtẽtem hinc abripiat.[c] Nam ſi in mortis articulo tali inuẽtus fueris animo & in veteri odio fueris deprehenſus: tradet te aduerſarius iudici: id eſt, odium iſtud, & vetus quod habuiſti cum proximo diſſidiũ, coram tribunali iuſti iudicis te accuſabit, oſtendétq; cõdemnationis reum, nec patietur te inuenire miſericordiã (quoniam iudiciũ ſine miſericordia fiet illis, qui nõ fecerunt miſericordiam: nec dimittet illis Deus peccata, qui ſuis proximis ea noluerunt dum viuerẽt dimittere) ſed ſæuero & diſtricto iudicio te faciet condemnari:[d] & iudex, lata aduerſum te ſententia, tradet te condemnatũ exactoribus atq; tortoribus diabolis ſuæ iuſtitiæ miniſtris,[e] & cum his in carcerem illum teterrimũ detruderis infernalis ignis, qui paratus eſt diabolo & angelis eius, cũ quibus & à quibus illic torquearis in æternum.[f] In veritate dico tibi non egredieris illinc, non finientur illa tormẽta tua in æternũ, donec vſque ad nouiſsimum quadrãtem vel minutum omnia debita perſolueris: nõ poteris inde liberari, donec pro omnibus peccatorũ tuorũ debitis ſecundum iuſtitiæ rigorem, cõdignam in tormentis pœnam tuleris: quod cũ nũquam ſit futurũ, nulla quoq; liberationis tibi ſpes eſſe poterit, ſed in æternis tibi erit permanẽdum tormentis.[g] Prætereà, audiſtis in lege & à docẽtibus legem, quòd patribus veſtris ſit præceptũ, Non mœchaberis, nõ habebis rem cum vxorę proximi tui, neque

a & tunc veniẽs offeres munus tuum.

b Eſto conſentiẽs aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo:

c ne fortè tradat te aduerſarius iudici,

Iacobi. 2.

Matthęi. 6. & 18

d & iudex tradat te miniſtro,

e & in carcerẽ mittaris.

Matthę. 25

f Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouiſsimum quadrantem.

g Audiſtis qa dictum eſt antiquis: Non mœchaberis.

cum ea quæ vxor tua non fuerit?atq; hoc præceptum Phariſaica doctrina ſufficienter dicit impleri, cum quis ita ab vxore aliena ſe continet:vt cũ ea non actu carnali conueniat.[a] Ego autem præcepti huius perfectionem & vim à radice explicans, dico,quòd omnis qui mulierem alienam aſpexerit cum cõcupiſcentia eius,cũ deliberato conſenſu rationis firmato deſiderans cũ ea extra coniugalem ſtatũ conuenire,hic iam in corde ſuo illam mœchatus eſt,cũ illa,mœchiam & adulterium commiſit,& ſi nondum in actu (quoniam eò nondũ peruẽtũ eſt)certè in animo, vbi iam concupiſcentia & conceptũ propoſitũ malum, reũ illum conſtituit coram Deo, qui probat renes & corda. [b] Quòd ſi dixeris,admodum eſſe difficile prorſus ab omni concupiſcentia abſtinere, propter occaſionum multitudinem,& magnitudinem,ego reſpondeo debere omnes occaſiones diligẽtiſsime vitari,& quicquid ad lapſum te poſsit inducere, quicquid ſcandalum tibi eſſe aut ruinæ occaſio fieri poſsit,proiici debere quãtumcunq; videatur magnum aut pretioſum aut cõmodum:adeò vt ſi etiã oculus tuus dexter(quo nihil habet homo charius in omnibus mẽbris externis)te ſcandalizauerit, tibi occaſionẽ dederit ruinæ, & malarum cogitationũ miniſtret ſeminaria, eruere illum debeas & à te proiicere.[c]Melius eſt enim tibi, vt vnum illud membrum tuũ pereat & proiiciatur, quàm vt totũ corpus tuum cõiiciatur in gehennam; totius corporis, imò totius hominis ſalus æterna, vnius partis ſaluti tẽporali eſt præponenda. [d] Sic & de manu dico quòd ſi cui etiã dextera manus (quod mẽbrum eſt homini præ omnibus maxime commodũ, & maximè neceſſarium ad cuncta occurrentia peragenda) ſcandalum fecerit & occaſionem ruinæ præſtiterit, debere illum pro ſaluanda anima ſua dexteram illam manum abſcindere & à ſe proiicere,ne ab ea patiatur ſcandalũ: vtque periculum euadat, quod ab ea ſibi metuit.[e] Vtile enim fuerit, vnius talis, quamuis commodiſsimi membri præciſione, totius corporis ſalutem comparare. Non quòd per hæc ſignificare velim(id quod verborum facies prętendit) de

a Ego autẽ dico vobis:quia omnis qui viderit mulierẽ ad concupiſcendum eã,iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.

b Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum et proiice abs te.

c Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorũ quã totũ corpus tuũ mittatur in gehennam ignis.

d Et ſi dextera manus tua ſcãdalizat te, abſcinde eam & proiice abs te.

e Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorũ,quã totũ corpus tuũ eat in gehennã.

debere hominem ſeipſum mutilare, aut corporis ſui mẽbris priuare, corporali præciſione aut eiectione: ſed quòd per duo hæc membra homini præ cæteris omnibus clariſsima, nẽpe oculum dexterum, & manũ dexterã (quorum alterum homini plurimam prębet conſolationem, alterum maximum præbet ad omnia vitæ neceſſaria adiumẽtum) indicare velim nihil ita charum nobis eſſe debere, nihil ita pretioſum, quatumuis nos conſoletur, quantumuis nobis ſit cõmodum, quãtumuis ſecundum ſpeciem neceſſarium, quod nõ pro ſcandalo vitando & declinando peccato debeamus libẽter à nobis abiicere, & penitus à nobis elõgare. Melius enim eſt, abſq; tali re vel chariſsima, vel iucũdiſsima, vel commodiſsima, ſalutem obtinere æternam, quàm tali rei inhærẽdo, eámq; retinendo, in damnationẽ noſmetipſos cõiicere. Nihil enim in omni vita corporali nobis poteſt eſſe tam gratum, tam commodum, tam neceſſarium, quod nõ libenter pro ſeruãda anima debeamus abnegare atque relinquere.[a] Pręterea dictũ eſt in lege patribus veſtris per Moyſen, Cũ viro viſum fuerit dimittere à ſe vxorem ſuam, & ab ea ſeparari, det illi repudiatorium ſiue libellũ repudij, teſtimoniũ diſceſsionis, quo ſuam poſſit vxor teſtari innocentiam, quòd non virum ipſa vt adultera aut cupiẽs peccare fugerit, ſed quòd ab illo ſit dimiſſa, ſicq; lex ſeparationẽ videtur viro permittere ſaluo libello repudij, etiã extra cauſam fornicationis, pro alia qualibet diſplicentiæ cauſa, quam in vxore maritus inueniſſet.[b] Ego autem quod tantũ ad cordis veſtri duritiã vobis à Moyſe permiſſum fuit, mea authoritate (qua legẽ habeo ad perfectũ adducere) auferẽs, dico, quòd omnis qui ſuam vxorem relinquerit, aut à ſe dimiſerit, dato etiam libello repudij, peccat, & iniuriam facit vxori: quam quantũ ex ſe eſt, facit adulteram, dũ à ſe dimittendo ſine cauſa legitima, occaſionem prębet illi ſe cõmiſcendi viro alteri. [c] Hic tamen fornicationis cauſa excipitur, qua fides thori coniugalis violatur, ac proinde iniuria non fit vxori, ſi ea ex cauſa repudietur: nec adulterã eã facit expellens, eo ꝙ cauſam dedit ipſa iuſtã diuortij. [d] Et

a Dictũ eſt autem: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellũ repudij.

b. Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiſerit vxorẽ ſuã, c excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, d & qui dimiſſam duxerit adulterat.

quiſquis à marito dimiſſam duxerit,etiamſi libellum habeat repudij,nõ in coniugali ſtatu,ſed in adulterio cum illa viuit.Manet enim illa vxor viri prioris, donec prior vixerit,nec alteri poteſt iũgi marito,vſque ad mortem viri prioris.[a] Præterea,audiſtis dictũ eſſe patribus veſtris,Nõ facietis periurium,neq; falſo iurabitis.Quæ autem cum iuramẽto domino promiſeritis,ea ſtudebitis vt ſunt promiſſa & iuramẽto cõfirmata perſoluere:vbi periurium tantum,nõ autẽ ſimplex iuramentum prohibetur,& iuramenti facti adimpletio pręcipitur.[b]Ego autem perfectiori doctrina nõ ſolum periuriũ prohibeo,verumetiam à iuramẽto omnimodis abſtinere,quantum poſsibile fuerit,vt prorſus nõ iuretis, niſi vbi neceſsitas popoſcerit,aut proximorum magna vtilitas,ad faciendam fidẽ ſermonibus,illic vbi alia ratione non poteſt certa oſtendi veritas,vtq; omnino caueatis ab illa vulgata hominum cõſuetudine,qua ad iuramenta ſunt pronisſimi,in rebus etiam friuolis & nihili. Iuramento nanq; Deus vt prima veritas in teſtem adducitur, & aduocatur in teſtimonium.Non ſolum autem qui ad falſitatis teſtimoniũ Deũ aduocat teſtem, Deo facit irreuerẽtiam,verũetiam ille qui pro re futili & nihili temerè illũ in teſtimonium dicti,tametſi veri, aduocat,abſque neceſsitate vel vtilitate id expoſtulante. Quare non ſolum à periurio,verũetiam à iuramento,quantum commodè fieri poteſt, volo vos abſtinere.[c]Non ſolum autem iurare vos prohibeo per creatorẽ Deũ,ſed etiam per quamlibet,ſiue ſuperna ſiue inferiorem creaturam,videlicet nec per cælum,quoniam ipſum eſt ſedes & thronus Dei, in quo tãquam in tẽplo ſancto ſuo,& tanquã in ſede maieſtatis ſuæ manifeſtius ſuã demõſtrat gloriã:ac proinde irreuerentia redit in ipſum cęli habitatorem & dominum, cum per cęlum iuratur.[d] Neq; per terram iurabitis, quoniã ipſa eſt tanquam ſcabellum pedum eius,infimum quoddam exiſtens mundialis machinæ, & cæli altitudini longè ſubiecta, quomodo ſcabellum ſedi ſupponitur:ſicq; in Deum recidit irreuerentia, cum per terram iuratur. [e] Neque per ciuitatem ſanctam Hieruſa

a Iterum audiſtis: quia dictũ eſt antiquis: Nõ periurabis, reddes autem domino iuramenta tua.

b Ego autẽ dico vobis non iurare omnino,

c Neque per cælum,quia thronus Dei eſt:

d Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedũ eius.

e Neq; per Hieroſolymã, quia ciuitas eſt magni regis:

Hieruſalē iurare vobis eſt licitū,quoniam ciuitas eſt magni regis Dei,ſpecialiter illi ſanctificata, & illius cultui peculiari electione deputata: quare in ipſum qui in ea habitat & colitur, reuertitur irreuerentia. [a] Neq; poteſt quiſquā iurare per caput ſuū,quoniam nō in ſua habet poteſtate illud,cum non poſsit vel capillū vnum pro ſua voluntate facere albū aut nigrum ſed Deus eſt capitis ipſius dominus,qui ipſum capillis veſtit, vt vult, & eo colore coloratis quo vult, ac proinde in Deum iuramenti irreuerentia reuertitur. Cum enim iuramētum ſit primæ ſummæq; veritatis adductio in teſtimonium,per creaturā nō poteſt fieri iuramētum,niſi quatenus ad Deum(qui eſt prima & ſumma veritas) ordinatur:& aliquo modo ad ipſum ſpectat,eſtque ipſius vel ipſum in ſe habet:neque poteſt per creaturam fieri iuramētum,vt in ſe conſideratā,niſi Deo fiat iniuria, creaturæ Diuinū tribuendo honorem.Quare neceſſe eſt omnem irreuerētiam temerarij,ac ſuperuacanei iuramēti, non in creaturā ſed in Deum recidere.[b]Erit autem ſermo veſter quo adinuicē vtemini,ſimplex & firma affirmatio,abſque iuramēto,dicendo ita eſt,ita eſt,aut ſimplex, cōſtans & firma negatio,dicendo,nō eſt ita,non eſt ita.Talis debet eſſe tāquam verax & probatus ſermo veſter,vt ſimplici aſſertioni veſtræ aut negationi fides habeatur:& ad plenam certitudinē veſtri dicti ſatis eſſe debebit replicata & cōſtans affirmatio, aut replicata & conſtans abnegatio,dicendo ita eſt, ita eſt, ſi ita res ſe habeat,vt dicitur:aut dicendo, ſic nō eſt, ſic nō eſt. ſi nō ita ſe res habet.Neq; opus eſt paſsim & temerè iuramentū pro cōfirmatione adiicere.[c] Quod autem vltra hæc adiicitur,ad confirmationem dicti vel dicendi,iuramentū vnum aut plura,id ſuperuacaneum eſt:& à malo procedit, à mendacio videlicet & fraude hominum.In cōmuni quidem ſermone, vbi neq; neceſsitas,neq; vtilitas iuramentum poſtulat,ex malitia eſt propria eius qui ſuperuacaneum emittit iuramentum:atq; etiam in neceſsitate vel vtilitate, quodam modo à malo procedit iuramentum, quoniam ex hominum imperfectione infidelitate,mendacita-

a Neq; per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum.

b Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt,non non.

c Quod autem his abūdantius eſt à malo eſt.

te,& cõſuetudine inuicem fallendi,procedit iurandi interdũ neceſsitas, ad facienda fidem. Nam ſi nemo inueniretur mẽdax aut deceptor,ſed vnuſquiſq; ſimpliciter enũtiaret iuxta animi ſententiam, ſufficeret ſimplex aſſertio vel abnegatio, nec vllo confirmante

b Audiſtis quia dictum eſt: Oculũ pro oculo,

aut certificante iuramẽto foret opus.[a] Præterea, audiſtis dictum eſſe patribus veſtris, Secundum talionis legẽ, oculum licet pro oculo ad vindictam repetere vt pro oculo eruto is qui eruit,ad vindictæ ſatisfactionem oculum ſuum debeat reddere:id eſt,ſuó quoque priuari: vt ſic per iudicium vindictæ quædam fiat

b dentem pro dente.

c Ego autem dico vobis,non reſiſtere malo:

damni in vtroq; æqualitas:[b] ſimiliter vt pro dẽte excuſſo,is qui excuſsit,ſuo quoq; dẽte priuaretur:atque in cæteris lex talionẽ vindictæ proponebat,quã licebat & docebat exquirere.[c] Ego autẽ quod melius atque perfectius eſt vobis volẽs tradere, hos vos doceo & moneo,vt omnino malo nõ reſiſtatis,per iracũdiã vindictæq; appetitũ vos opponẽdo iis qui vobis mala intulerint,aut inferre voluerint,ſed patientia magis armari volo ac vincere, ac tali eſſe animo, vt etiã ad maiora ſitis ferẽda parati,vbi Dei gloria aut proxi-

d ſed ſi quis te pcuſſerit in dexteram maxillã tuam,præbe illi & alteram.

morum vtilitas id popoſcerit:[d] videlicet vt ſi quis te percuſſerit in maxillam vnam,non ſolum non iracunde in illum inſurgas,ad reddendum talionem,verumetiam animo ſis parato ad alterã quoq; obiiciendam ictui, pro Dei gloria & proximorum vtilitate.

e Et ei qui tecũ vult in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere dimitte & pallium:

[e] Item ſi quis te velit in ius trahere,ac iudicio tecum pro rebus ciuilibus cõtẽdere, & quippiã tibi iudicio auferre,animo ſis parato pro Dei gloria & proximorũ vtilitate,etiã plura illi quàm exigit relinquere,potius quàm vllum ſcadalũ generare,aut proximis officere,aut Dei gloriam tua cõtentione imminuere:videlicet vt ſi tunicã aduerſarius tibi voluerit auferre, paratus ſis dimittere cũ tunica etiam pallium,potius quàm cũ detrimento tuæ animæ aut gloriæ Dei de-

f Et quicunque te angariauerit mille paſſus vade cum illo & alia duo.

fendas tunicam.[f] Item ſi quis te cõpulerit per vim vt miliariũ vnũ vel paſſus mille cũ illo ambules,parato ſis animo cum illo,ſi res expoſcat,ambulare etiã alia duo miliaria,ſiue alia duo millia paſſuum, ſupra quã exegit, potiuſquam iracundè reſiſtendo tuæ animæ

aut

aut proximorum ſaluti damnum inferas. [a] Inſuper,ſi quis abs te poſtulat aliquid eorum quę in tua ſunt poteſtate,da illi ſecundũ quod ipſius qui poſtulat requirit indigẽtia,ſecundum quod tua patietur facultas,& ſecundum quod ratio dictabit eſſe dandũ, Non enim ſemper dandum eſt quod poſtulatur,quoniã irrationabiliter nonnunquã poſtulatur:neq; rarò expedit petẽti,non exaudiri in eo quod poſtulat.Frequẽter etiam non eſt in poteſtate eius à quo petitur,dare quod petitur.[b]Et ab eo qui poſtulat ſibi dari mutuò,ne auertaris: qui habes facultatem, noli vultũ auertere,noli propter auaritiæ metũ negare, cum poſsis. Eſt enim hoc perfectæ iuſtitiæ,proximis cõmodare,& miſericordiã præſtare, prout potueris: nec in charitate poteſt cõſiſtere,q miſericordię viſcera claudit fratribus neceſsitatẽ patiẽtibus.[c]Rurſum in lege audiſtis pręceptũ.Diliges proximum tuũ,quod exponentes Phariſæi,de amicis tantũ putant intelligẽdum, de inimicis minime,[d]quos putant licitè haberi odio ,idq; occaſione eius quod ſignãter dicitur: Diliges proximũ tuum,per quẽ intelligũt amicum,conſequenter hinc colligẽtes à ſenſu contrario,permiſſum eſſe,inimicũ habere odio.[e]Ego autem erroneo huic ſenſui apertè contradicẽs,præcipio vobis,nõ amicos tantũ,verumetiã inimicos diligere,etiam ipſorũ ſalutem & bonũ optando , dẽq; illorũ malis dolendo. [f] Et ne ſatis eſſe putetis diligere inimicũ linguã, aut falſo ac ſimulato affectu,volo vos etiã in exteriori effectu internam dilectionem erga inimicos oſtẽdere, beneficijs ſcilicet afficiendo eos qui vos perſequuntur odio:beneficiis(inquam)Vel corporalibus vel ſpiritualibꝰ,prout vobis opportunum fuerit,& illis expediens , in quos conferenda ſunt beneficia. [g] Et orate pro iis qui vobis perſequutiones ſuſcitant,& afflictiones inferunt, vóſq; inſectantur calumniis,vel abſentibus detrahẽtes , vel conuitia & probra ingerentes præſentibus. [h] Sic enim veri & germani filij efficiemini patris veſtri,qui in cælis eſt,illius manſuetudinẽ , patientiam & longanimitatem,in vobis exprimentes, qui nõ ſtatim aduerſus ſe delinquentibus infert vindictam.

a Qui autẽ petit à te da ei.

b Et volẽti mutuare à te, ne auertaris.

c Audiſtis quia dictũ eſt, Diliges proximum tuum,

d & odio habebis inimicũ tuũ.

e Ego autẽ dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

f benefacite his qui oderũt vos:

g & orate pro perſequẽtibus et calumniantibus vos:

h vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt.

a qui ſolẽ ſuũ oriri facit ſuper bonos et malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.

[a] non ſtatim malũ reddit pro malo,ſed longanimiter ferẽs ac patienter diſsimulãs iniuriam,beneficia largitur malis ſicut & bonis, æquè ſuper illos ac ſuper hos ſolem ſuũ oriri faciens,& de cælo pluuiã deſcendere.Hic enim diuini effect⁹ beneficij, nõ minus reprobis quàm bonis conducit, quantũ ad corpus attinet.Aequè enim vtriq; de terræ fertilitate paſcũtur, quæ à ſolis illuminatione & pluuię irrigatione deſuper datur.Omnino autẽ neceſſe eſt, ſi cæleſtis patris veri vultis eſſe filij,talem in vobis charitatem atq; dilectionem inueniri,quæ cõplectatur vniuerſos,æquè inimicos atq; amicos.[b] Si enim tantum eos diligatis qui viciſsim vos diligũt:id eſt, veſtros tantũ amicos, inimicos habẽtes odio,[c] quàm poteſtis ex hac ſemidilectione,imò vix dilectionis particula ſiue potius vmbra,beatæ retributionis expectare mercedẽ?nunquid talem dilectionẽ dignã eſſe cenſebitis mercede regni cæleſtis?an talem priuatam amicorũ vnius aut alterius dilectionẽ ad ſalutem arbitramini poſſe ſufficere?[d] Nequaquam.Nam etia publicani & peccatores,qui ſolũ temporalia ſectantur lucra,talẽ dilectionem habent erga eos qui ipſos diligũt,ſic & gentiles & alij quicunq;:quos tamen cõſtat hac dilectione ſalutem nequaquam cõſequuturos.[e] Et ſi tantum fratres veſtros ſalutaueritis:id eſt,ſi charitatis indicia & beneuolentiæ effectus erga illos tantum oſtẽderitis qui vobis ſunt ſanguine aut vinculo aliquo cõſanguinitatis vel affinitatis,vel ſingularis familiaritatis aut ſocietatis coniũcti,cæteros tanquam alienos interim reputãtes,nec vlla fraternitatis aut charitatis indicia eis demõſtrantes,[f] quid magnũ,quid eximium, quid dignum filio altiſsimi hac in re facitis, propter quod ſperare debeatis cæleſtẽ à patre veſtro retributionẽ?[g] Nonne etiam Ethnicos & gẽtiles homines á Deo prorſus alienos,iſta agere cernimus?quibus tamẽ ob hæc non eſt ſpes vlla beatæ remunerationis.Quamdiu enim ita particularis ſiue priuata eſt dilectio & beneuolentia,vt quoſdam tantum complectatur, aut ad quoſdam ſe extendat, ad alios autem non manifeſtum eſt nõ ex radice veræ charitatis illa procede-

b Si enim diligitis eos qui vos diligunt,

c quam mercedem habebitis?

d Nonne & publicani hoc faciunt?

e Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantum,

f quid amplius facitis?

g Nonne & Ethnici hoc faciunt?

re, quamuis ſecundũ exteriorem ſpeciem charitatis
& beneuolẽtię opera eſſe videantur. Charitatis enim
latitudo ad omnes omnino homines ſe extendit, ne-
que quenquam à dilectione vel beneuolentia exclu-
dit. Quare dum huic impenditur dilectio, illi nõ ma-
nifeſtum eſt, ex naturali tantum inſtinctu (quomodo
& in gentilibus & in peccatoribus) nõ ex charitatis
affectu, illam prodire, ac proinde beatæ remuneratio
nis non inde eſſe expectandam mercedem, cum opus
nullum niſi ex charitate vera procedens, beatitudinis *a Eſtote ergo*
præmiũ queat promereri. [a] Oportet itaq; vos qui cæ *vos perfecti, ſi-*
leſtis patris filij haberi & eſſe vultis, ipſiúſq; hęredita *cut & pater ve*
tem accipere, ita perfectos eſſe in charitate, vt ſimpli *ſter cæleſtis per-*
citer omnes dilectione cõplectamini, & erga omnes *fectus eſt.*
pro veſtra facultate & opportunitate ſitis benefici,
quomodo pater veſter cæleſtis perfectã erga omnes
oſtẽdit ſua dilectionẽ, ſua dona omnibus cõmunicãs.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

QVoniam ipſi poßidebunt terram.* Græcè eſt κληρονομήσουσι clero-
nomiſuſi, quod ſignificat, hæreditate poſsidebunt, aut in ſor-
tem ſiue hæreditatem accipient: quod in Pſalmis aliquando dici-
tur hæreditabunt, vt illic: *Iuſti autem hæreditabunt terram. Ordo* quo-
que in Græcis vulgatis diuerſus eſt, in ſitu harum beatitudinum. Pſal.
Prius enim de lugentibus fit mentio quàm de mitibus. Verùm ordo 35.
noſter apparet conuenientior. Humilitati enim proximè eſt adiun- Mat.
cta mititas, quas & ſaluator coniunxit, dicens, *Diſcite à me, quia mitis* 11.
ſum & humilis corde. ¶ *Dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes,
propter me.*) Nouiſsimum iſtud, propter me, nõ proximè anteceden-
ti coniungi debet, mentientes, ſed ad orationis principium referri,
atque toti orationi applicari, in hunc ſenſum: Beati eſtis, cum
propter me maledixerint vobis homines, &c. ¶ *Quòd ſi ſal euanuerit.*)
Græcè eſt μωρανθῇ moranthi, quod ſonat infatuatum fuerit. Dici-
tur autem ſal infatuatum, poſtquam euaneſcit, virtute deperdita, vt
ſuo officio vltra non deſeruiat: quo ferè modo ficum fatuam appel-
lant, quæ virtutem non habet ferendorum fructuum. Illud autem
quod ſequitur: *In quo ſalietur*? quidam imperſonaliter accipiunt, in
hunc ſenſum: Sale infatuato & virtute ſaliendi priuato, in quo (vt
ita dicam) fiet ſalitio? quo vtentur homines in ſaliendo? Non enim
ad ſaliẽdum ſal deſeruit inſulſum. Melius autem eſt, vt perſonaliter

accipiatur,habeátque pro ſuppoſito ſal, in hunc ſenſum , Si ſal euanuerit,ipſum ſal infatuatum in quo ſalietur , vt virtutem recuperet perditam?Vt ſignificetur,infatuatum ſal nõ poſſe ſale alio iuuari aut corrigi. Atque hic ſenſus apud Marcum clarius exponitur vbi capite nono ſic legimus , Si ſal inſulſum fuerit , in quo illud condietis? ¶*Sic luceat lux veſtra.*) Dictio illa,ſic, poſſet ad præcedentem referri ſimilitudinem,hoc modo: Quomodo dixi lucernam ſuper candelabrũ lucere omnibus qui ſunt in domo,ſic & veſtram lucem dico lucere debere coram hominibus,ita vt videant bona veſtra opera.Vel ſimpliciter,Ita luceat lux veſtra,vt videãt,hoc eſt, adeò luceat lux veſtra vt videant homines. Manifeſtum eſt autem particulam, vt, hic nõ ſignare cauſam finalẽ.Nõ enim dicitur: Ad hoc luceat lux veſtra vt videant homines,ſed,ſic vel ita luceat,adeò luceat,vt videãt.Nam hic tantum conſequutiò indicatur, nõ finis inſinuatur intentio. Veluti cum dico, Sic profecit adoleſcens iſte , vt omnes coætaneos ſuperauerit. ¶*Iota vnum aut apex vnus.*) Per hunc modum loquendi inſinuat,nec minimum aliquid eorum omnium quæ in lege prædicta ſunt fore irritum,quod nõ impleatur. Nam apud Græcos nõ inuenitur minor litera,quàm Iota,quę vnica fit protractione ſimplici: ſic apud Hebræos,Iod omnium literarum minima eſt.Adhuc autem minor eſt apiculus,qui literæ ſuperponitur. ¶*Omnis qui iraſcitur fratri ſuo.*)Græci Codices vulgati addũt εἰκῆ iki , quod ſonat fruſtrà vel temerè,aut ſine cauſa,atq; idem etiam in ſequentibus intelligẽdum putant.Quiſquis temerè dixerit fratri ſuo racha,aut fatue.No enim omnis ira ſimpliciter prohibetur,cũ ſit quædã rationabilis: ſic & rationabilis eſt quædã increpatio proximi,quando expedit dicere illi fatue aut racha.Nõ eſt tamen ſimpliciter neceſſaria huius particulæ additio,neq; ſi omittatur,ſenſui erit periculũ. Ira nanq; vitioſa intelligitur,quæ damnatur,& ex tali ira procedens damnatur indignatio atq; conuitium, vt habes in Elucidatione.¶*Racha.*)Quidam ſignificare dicũt vanum aut inanem, ſed magis videtur probanda aliorum ſententia,qui dicunt interiectionẽ eſſe certi nihil ſignificantem,ſed indignantis eſſe animi indicium: quemadmodum heu, Latinis non aliquid ſignificat,tamen dolentem monſtrat animum. ¶*Quoniam frater tuus habet aliquid aduerſum te.*) Ille aduerſum te aliquid habere dicitur,quem tu offendiſti , videlicet qui habet vnde tecum expoſtulet,qui cauſam habet de te conquerendi,tanquam à te læſus nec placatus. Qui autẽ te offenderit, aduerſus hũc tu aliquid habere dicendus es,quoniam habes vnde cum eo expoſtules,& quur de eo quęraris.Signanter ergo Saluator iubet, ſi aduerſum te frater aliquid habeat,

beat,vt non offeras oblationem niſi reconciliatus.Si verò tu aduerſum alium habes aliquid:id eſt,ſi tu ab alio læſus es,nõ pręcipitur tibi,vt ante oblationẽ recõcilieris fratri,quoniam quidem tu fratrem nõ offendiſti.Magnę tamen perfectionis fuerit,ſi propter charitatẽ, fratrẽ inducas qui te offendit vt tibi recõcilietur,& quaſi offeras te ipſum ad reconciliationẽ, ac eum vltrò ipſe ſolicites ad redeundum tecũ in gratiam,à quo tu rogari debueras.Notanda eſt tamen differẽtia,inter recõciliari fratri,& fratri dimittere.Si enim te frater læſerit,non debes offerre Deo ſacrificiũ, niſi prius fratri offenſam dimiſeris:non tamen exigitur,vt fratrẽ accedens cum illo te reconcilies,cũ eum non offenderis:ſed tu ſi offenderis, reconciliationem debes curare antequã offeras.Itaque læſus debet dimittere,lædens autẽ reconciliari debet,antequam offerant. ¶ *Vade prius reconciliare fratri tuo.*) Quidã codices Latini habent per infinitiuum , reconciliari, quẽ iungant imperatiuo,vade.Melius tamen per geminum imperatiuũ legitur, *Vade prius,reconciliare fratri tuo*,cui cõſonat lectio Græca ὕπαγε πρῶτον,διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου. ¶ *Donec reddas nouiſsimũ quadrantem.*) Significatur hac metaphorica loquutione perſolutio debiti vſque ad extremum:id eſt, rigoroſiſsima pro ſingulis peccatis pœnarũ exactio , quomodo ſupra dicens,iota vnum aut vnũ apicẽ non præterire,ſignificauit omnium etiam minimorũ in lege adimpletionem. ¶ *Iam mœchatus eſt eam.*) id eſt,cũ ea mœchatus eſt,impropriè dictum eſt. ¶ *Det ei libellum repudij.*) Græce vnico vocabulo dicitur ἀποστάσιον apoſtaſion : id eſt, dimiſſoriũ ſiue repudiatorium: hoc eſt,libellũ ſiue chartam dimiſsionis atque repudij. Huiuſmodi dimiſſoria quidã veterum dicunt publicos notarios debuiſſe cõſcribere quibus eſſet commiſſum hoc officij. ¶ *Et qui vult tecum in iudicio contendere.*) Græcè eſt θελοντί σοι κριθῆναι:quod ſi ad verbum exprimatur ſonat,volenti tibi iudicari,vel tecum iudicari,quod interpres Latinus aptè per Periphraſim expreſsit ,dicens , Et qui vult tecum in iudicio contendere. ¶ *Et quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*) In Græcis vulgatis ſic legitur : *Et quicunque te angariauerit miliare vnum , vade cum illo duo* , vt ſignificetur vnius tantum miliaris adiectio. Plus indicat lectio Latina , quæ præter poſtulatum miliare alia duo ſuperaddit. Mille autem paſſus, pro vno miliari poſiti ſunt,quod mille paſſus vnum miliare contineat. ¶ *Diligite inimicos veſtros , benefacite his qui oderunt vos.*) In Græcis interſeritur hoc loco : *Benedicite maledicentibus vos* , quod ex alio loco huc videtur tranſlatum, vel ex Lucæ Euangelio , vel ex Pauli ad Romanos epiſtola. ¶ *Quid amplius facitis?* Græce eſt

τι περ

τι περισσὸν, ti periſſon: hoc eſt, quid abundãtius, quid ſuperabundans facitis, vel quid amplius, videlicet prę gẽtilibus & publicanis, q eadẽ faciũt, quid ſcilicet facitis in quo illos exceditis? Hoc enim ſonat periſſon, id quod ſupereſt & abundat. Simili modo apud Paulũ dicitur 3. cap. epiſtolæ ad Romanos, *Quid ergo amplius eſt Iudæo?* vbi etiam Græcè περισσὸν periſſon ponitur, hoc eſt, quid habet Iudæus in quo abundet præ gentili, aut ſuperet gentiles?

ELVCIDATIO CAP. VI.

a Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis,

b Alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum qui in cælis eſt.

CAETERVM & hoc diligentiſsime vobis attẽdendum eſt, cum opus aliquod ex ſuo genere bonum feceritis, ne id faciatis coram hominibus, ne oculos habeatis ad homines eos requirentes ſpectatores, vt ab eis videamini, ſicq; laudem & gloriam accipiatis ab eis. [b] Nam ſi opera veſtra ſecundũ ſpeciem, vel ſecundum genus ſuum bona, ad humanã gloriã feceritis, quaſi hominibus placere cupientes, ita fiet vt cæleſtem perdatis mercedem retributionis æternæ, quã vobis erat pater cæleſtis daturus ſi coram eo & ad ipſius gloriam tãtum opera illa bona fuiſſetis operati. Opus enim quodlibet exterius, quãtũuis ſecundum ſpeciẽ, aut ſecundum ſuum genus bonum exiſtat, beatã à Deo non meretur retributionẽ, ſi non ad Deum referatur intẽtio, ſi nõ fiat quaſi ſpectatore Deo, ad ipſi placendũ, ipſique exibendũ in voluntatis ſuæ adimpletione honorem. Si verò homines habeas ante oculos, ſi per opera bona hominibus placere, & ab eis laudem accipere vel honorem elegeris. Deus ſua remuneratione beata nõ dignatur opera eiuſmodi, quæ ſibi intentione recta dedicata non fuerint.

c Cũ ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te,

d ſicut hypocritæ faciunt,

[c] Itaque (vt ab hac generali doctrina deſcẽdamus ad exempla particularia) cum eleemoſynã facere tibi viſum fuerit, aut aliud quodlibet miſericordiæ opus quo proximo ſubuenias, caue hominum quęras conſpectũ, eáq; gratia tubam facias te antecedere, vt ad ſpectaculum prodeat homines viſuri te eleemoſynã facientem: [d] quemadmodum ſanctitatem fingentes, & per bonorum operum exterius apparens ſpecimẽ ſancti ac iuſti haberi laborantes faciunt hypocritæ:

idque

[a] idq; in locis publicis, vtpote in ſynagogis atq; pla-
teis, vbi à plurimis poſsint videri: ad eũ vtiq; finẽ, vt
ab hominibus honorẽ accipiãt, & tãquã ſancti ac mi
ſericordes glorificẽtur. [b] De quibus in veritate certã
vobis ſentẽtiã profero, quod nihil in futuro remune
rationis à Deo debeãt prę̃ſtolari, quãdoquidẽ merce-
dẽ ſuam omnẽ quam quærũt, in hoc mũdo accipiũt:
nec eſt quod expectẽt à Deo mercedẽ, quę̃ opera ſua
operãtes nõ habuerũt ante oculos, & cuius remune-
rationẽ minime quæſierũt. [c] Qui verò eleemoſynam
vtiliter & ſalubriter eo modo quo fieri debet facere
voluerit, hic nequaquã publicũ quærere debet, ſed ſe
cretũ potius, vt quãtum fieri poteſt occultè faciat, a-
deò vt ne ſiniſtra quidẽ ſciat quid dextera præbeat, vt
tali loquẽdi exceſſu ſummũ ſecretum deſignemus: vt
quantũ ex intẽtione tua eleemoſynã tuam facias in
abſcondito, neq; vllum quæras hominem ſpectatorẽ,
vnde laudem vel honorem recipias, ſed Deũ ſolũ. pro
pter cuius honorẽ & amorem facere debes quod fa-
cis. [d] Atq; ita fiet, vt pater cæleſtis quem nullum latet
ſecretũ, qui etiã occultiſsima quæque nouit, homini-
bus penitus incognita, mercedẽ tibi retribuat longè
meliorẽ atq; deſiderabiliorem quacunq; mercede tẽ-
poraria, mercedẽ magnã nimis, nempe ſemetipſum:
ob cuius vnius expectationẽ, meritò omnem tempo
ralẽ mercedem debeat homo faſtidire, cõtemnere &
execrari. [e] Ita & in oratione agendum. Cum enim vo
bis orare placuerit, cauete ne exẽplum imitemini, &
affectũ hypocritarum qui amãt & ſolent libenter in
locis publicis, vt pote in ſynagogis & vicis communi
bus, orationes facere, ea intẽtione vt videãtur ab ho-
minibus, propter quod etiam ſtantes & in pedes ere-
cti cõſiſtentes orare ſolent, vt facilius ab intrantibus
& exeuntibus & prætereuntibus cernãtur, ſicq; finem
ſuę orationis faciũt, non vt Deum honorent, non vt
à Deo quippiã impetrẽt, ſed vt apud homines hac ra-
tione laude ſibi occupẽtur, & tanquam ſancti à vulgo
hominum habeãtur in multa reuerẽtia. [f] De quibus
hoc vobis vt certũ & indubitatũ pronuntio, quòd in
præſenti tẽpore omnem ſuam accipiant mercedem,
post

a in ſynagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus:

b Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

c Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito:

d & pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi.

e Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ qui amant in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus,

f Amẽ dico vobis, receperunt mercedẽ ſuam.

poſt hanc non habituri aliam,eo quòd non Dei gloriam ſed proprium honorem ſuis orationibus quæſierint. [a] Quiſquis verò ſalubriter & rectè vt oportet orare voluerit,hic ſecretum potius eligere debet,ita vt ex intentione ſua nequaquã publicum quærat,aut ſpectari ab hominibus ſed Deum quærat vnicũ ſuæ orationis teſtẽ,ingreſſuſq; cubiculum(vt ita ſecretũ & ſolitudinem ſignificemus)& oſtio clauſo,vt nõ introeat homo ſpectator aut orationis turbator:cubiculum(inquã)corporale aut ſpirituale cordis ſui ingreſſus,& clauſo oſtio vel corporali vel ſpirituali animæ: id eſt,corde in ſe recollecto & in vnitate firmato,ita orationem ſuam fundat ante Deum in abſcondito, nihil hominum conſpectum curans,[b] Ita fiet,vt pater tuus cæleſtis qui nouit etiam occultiſsima hominũ, qui non minus ea videt quæ in abſcõdito,quàm quæ geruntur in publico,(vtpote cui tenebræ non ſunt tenebræ,cui nox non eſt nox,& cui ſecretum nullũ eſt ſecretum(ipſe tibi retribuat mercedem beatæ retributionis:& quod in oratione poſtulas,tibi daturus,ſicut tibi ſalutare cognouerit,& deinde pro opere bono ſanctæ ſynceræque orationis(qua ipſe ſummè honoratur,veráque ei exhibetur latria)redditurus tibi deputata iuſtis actibus largiſsima præmia. [c] Orare quoq; volentibus etiã illud obſeruandũ,vt non fidant in multiloquio,nec in inani verborũ multiplicatione putent orationis vim ſitam,quomodo faciunt gentiles,qui in multiplicatione verborũ ſitã arbitrantur vim orationis,tuncque optime ſe orare exiſtimãt,cũ verba quã maxime multiplicauerint, perinde quaſi Deus verba requirat,& vocis ſonitu aut labiorũ fatigatione oblectetur,aut quaſi ad audiendũ cum putẽt eſſe tardiorẽ,nec audire quæ poſtulantur,niſi multis verbis inclamata fuerint eius auribus, aut quaſi ad exaudiendum ſit difficilis nec ab eo poſsit quicquam obtineri,niſi importunis clamoribus & multa verborum replicatione, atque inculcatione extorqueatur. [d] Nolite ergo gẽtilibus iſtis idololatris,& verũ Deũ non cognoſcentibus ſimiles fieri,ſic fidentes in multiloquio,ſed ante omnia orantes affectum in Deũ ſubleuare

a Tu autem cũ oraueris, intra in cubiculũ tuũ, & clauſo oſtio ora patrem tuũ in abſcondito:

b & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.

c Orantes autẽ, nolite multum loqui,ſicut Ethnici faciunt: Putant enim,quòd in multiloquio ſuo exaudiãtur

d Nolite ergo aſsimilari eis,

leuare & corde illi appropinquare magis quàm ore contendite. Hoc ſcientes, quòd labiis Deũ honorare, vbi cor abfuerit, prorſus vanũ ſit atque ridiculũ, quodque tali multiloquio & nuda verborũ multiplicatione orare ſine cordis affectu reſpondente, vanum ſit & minimè Deo acceptum. [a] Quòd enim multiloquio apud Deum non ſit opus manifeſtum eſt ex eo quòd omnia quæcunq; verbis ei dici poſsint habeat probè cognita, antequam rogetur à poſtulantibus. Propter quod, non opus habet multiplicatione verborum, vt intellectum & cognitionem accipiat poſtulandorũ. Neque item vt importunitate verborum eum impellamus ad exauditionẽ, quoniam ex ſe bonus eſt & pater piiſsimus, vt quæ nobis neceſſaria cognouerit libentiſsime donet poſtulantibus. [b] Volo itaque vobis bonam orandi formam præſcribere, quaſi in exemplum: quæ erit verbis quidẽ parca, ſed affectu pleniſsima, & ſenſu abſolutiſsima, vt vel hac oratione libentiſsime vtamini, vel ad huius orationis exemplum, ſecundum quod ſpiritus vos docuerit, alias orandi formulas cõmodas, ipſi vobis formetis, quibus vtamini, cum patrem orare placuerit. Sic itaque orabitis: [c] Pater noſter, qui nos ſecundum corpus & animam tales quales ſumus rationales homines & beatitudinis tuę capaces creaſti, qui affectu verè paterno nos proſequeris, paternã de nobis curam gerens, [d] qui in ſublimibus cælis glorioſe inhabitas, tanquã in templo ſancto tuo, inque throno gloriæ tuæ, vbi tuam maieſtatem peculiarius erga angelos & electos tuos demonſtras, in oſtenſione gloriæ tuæ, nos hîc ſuper terram reptitantes vermiculi indigni tui filii, quos ad hæreditatis cæleſtis poſſeſsionem creaſti atque prædeſtinaſti, [e] ad te in ſublimibus reſidentem clamamus, poſtulantes vt glorioſum & in ſæcula benedictum nomen tuum ſanctifices in vniuerſo mundo, & peculiariter in electis tuis: vt nomen tuum facias ab omnibus in vniuerſo orbe terrarum coli, adorari, benedici, & debito honore honorari, tanquam nomen illud quod eſt ſuper omne nomen. Da, vt nomẽ illud tuum nos & corde & ore & vita ſanctificemus,

vt tali

a Scit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.

b Sic ergo vos orabitis:

c Pater noſter

d qui es in cælis,

e Sanctificetur nomen tuum.

vt tali nomine in quod credimus, quod confitemur, nihil vnquā agamus indignū, quo ipſum à nobis blaſphemetur & contemnatur. Agnoſcant etiam tui nominis virtutem & gloriam vniuerſi terrarum habitatores, ipſúmq; fide debita & cultu iuſto ſanctificent ac honorent per omnia. Deſtrue, & ad nihilū redige omnes ipſum blaſphemātes, ipſum inhonorantes, & ad vnitatem fidei eius congrega omnē orbem terrarū, vt vnanimes & vno ore omnes confiteamur nomini tuo magno, quod eſt terribile & ſanctum, ab ortu

Pſal. 98. — *a Adueniat regnum tuum.*

quoque ſolis vſq; ad occaſum ſemper laudabile.[a] Adueniat nobis regnum tuū, & modo in bona tua gratia, & poſt vitam iſtam, in perfecta beatitudinis gloria: vt tu modo regnes in noſtris cordibus, pulſo dæmone & peccato quæ in nobis ſemper ſibi regnū cōſtituere quærunt, nos quoq; tecum poſtmodū regnemus in gloria beatorum. Non regnet in nobis in hoc mortali corpore vllum peccatū: non dominetur noſtri tyrannus diabolus, qui regnū tenet ſuper omnes filios ſuperbiæ, & princeps eſt mundi huius, non praua dominetur in nobis, cōcupiſcentia, ſed tu in nobis regna, tu in noſtris cordibus obtine imperiū, tu tibi noſtra corda in ſtabilem poſſeſsionem vēdica, pulſis vitiorum turmis: fac tibi manſionem in intimis noſtris, ſit regnū tuū intra nos, & ſancta charitas tua dominetur in nobis, atq; ita ſuperuincat ſupereemineátque vt nihil ipſam queat peſſundare. Ita nūc tuū nobis regnū adueniat, ac deinde in regnū illud glorioſum, quod ab origine mūdi omnibus electis tuis pręparaſti, nos inducas: vbi omnes electi tui reges erunt coram te & ſacerdotes, regnabúntq; in cōſpectu tuo in ſæcula ſæculorum.[b] Voluntas tua bona, beneplacens & perfecta ita fiat in terra, quomodo in cælo: vt quomodo in cęlo ſemper impletur tua volūtas, nec illi quiſquā præſumit reſiſtere, ſed omnes perfectiſsime tuæ voluntati obediunt, ita vt nec in cogitatione nec in affectione nec in verbo nec in opere vnquam vel minimum te offendát, ſic & in terris cor mūdum crea in hominibus, & ſpiritum rectum in ipſis innoua, vt ab offenſionibus tuis ſolicite cauentes, ſtudioſiſsime

Marginalia: Pſal. 112. — Rom. 6. — Iob. 41 — Ioā. 12 — Apoc. 5. — *b Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.* — Pſal. 50.

ſiſsime tuam voluntatem, tua præcepta,tua conſilia adimpleant,ſuamque voluntaté tuæ per omnia cōforment,vt quæ tu diligis diligant,quæ tu odis odiant, quæ tu facere ipſos vis,faciát,quæ omittere omittát, neq; faciant vnquam quod tu nolis fieri,aut omittát quod tu factũ velis.[a]Panem quoq; noſtrum illum ſuperſubſtantialé da nobis hodie.Donec in hac vita viuimus,da nobis pabulum cæleſte & ſpirituale ſalutaris gratiæ,ſacræ doctrinę,& ſanctę Euchariſtiæ,q triplex panis omnem panem ſubſtátialem & corporalé ſuperexcedit,& omni ſubſtantiali pabulo eſt pręſtantior,quo neceſſe eſt cōfirmari cor noſtrum. Tu enim optime noſti quàm ſimus ex nobiſmetipſis infirmi, quomodo ſemper ex nobiſipſis ad corruptioné atque defectũ tendimus:propter quod nō eſt poſsibile nos in ſpiritus bono robore, & recta animi habitudine conſiſtere,niſi tuo ſuperſubſtantiali pane iugiter confirmemur,atq; conſeruemur in bono ſtatu animæ:pane ſcilicet ſanctę gratię tuę,quę per ſpiritum tuũ cordi noſtro infuſa,animũ in omni bono nutrit,& vigere facit,incremétaq; ſumere:pane item ſalutaris verbi tui,quo ſiue exterius per ſcripturas ſanctas ac tuos prædicatores,ſiue interius per vnctioné ſpiritus tui, nos paſcis,& in ſtaturam iuſtá facis excreſcere:paneité ſuauiſsimo tuę euchariſtiæ ſiue bonę gratiæ, qui de cælo deſcendit,que quiſquis dignè manducauerit, viuet in æternum.Triplicé hunc pané ſemper da nobis domine,& hoc die,& omnib[9] diebus vitæ noſtræ, quibus ſuper terrá permanebimus. Nnnquá nos deſtituat gratia tua,nunquam verbum tuũ & vnctio tua nobis ſubtrahatur,ſalutaris euchariſtiæ panis digna à nobis reuerétia,ad ſaluté animarũ noſtrarũ ſumatur in tui memoriá.[b]Quoniá verò in multis offendimus omnes,& ſepties in die cadit etiá iuſtus,& ſi qs peccatum dicit ſe non habere,mendax eſt:cogimur ô pater benigniſsime,ad te quotidie exclamare pro dimiſsione peccatorũ noſtrorũ,in quæ ex nimia noſtra fragilitate(quam tu noſtri figméti cōditor & cognitor non ignoras)vel ex obſcura cæcitate, vel ex concupiſcentiæ prauitate,aut aliter quomodocũque

a Panem noſtrum ſuperſubſtantialé da nobis hodie.

Pſal. 103

Rom.5

Ioan.6

b & dimitte nobis debita noſtra,

nimium frequẽter incidimus, vt ea nobis pœnitentibus, & peccata noſtra cõfitentibus, deque tua offenſa dolẽtibus, liberaliter dimittas, & indulgẽter relaxes.

a Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

[a] Et ne fortè ſit quod tuam miſericordiam à peccatorum noſtrorum remiſsione impediat, ecce quicquid aduerſum nos deliquerunt homines fratres noſtri & proximi libenti animo propter tuum amorẽ illis dimittimus, nullam reſeruantes iram, nullum vindictæ deſiderium, nullam nocendi pro talione reddẽda cupiditatem, vt ſic tu quoq; nobiſcũ viciſsim agas.

b Et ne nos inducas in tentationem.

[b] Et ne nos inducas in tentationem, ne patere nos ita in vllam tentationem induci, vt ab ea ſuperemur vel abſorbeamur: nulla nos tentatio apprehẽdat niſi humana, ne patere nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed fac ſemper cum tentatione prouentum, vt poſsimus ſuſtinere: adſiſte nobis in omnibus tentationibus noſtris, nec vllis tentationibus permitte nos in peccatũ induci.

c Sed libera nos à malo.

[c] Sed tua gratia libera nos ab omni malo, vt nihil verè malum nobis prçualeat, vt nihil animę noſtræ noxium ſuper nos venire permittas: ſed tua potẽti dextera & benigna miſericordia, cuncta noſtræ ſaluti aduerſantia fortiter & benignè depellas, vt ab omnibus malis hic liberi tandẽ apud te ſatietate fruamur perfecta omnis boni, Amen.

d Amen.

[d] Ita bone pater, ita verè & feriò petimus, cuncta hæc nobis à te concedi, vt iſta noſtra continet oratio.

e Si enim dimiſeritis hominib9 peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cæleſtis delicta veſtra.

[e] In hac autem orandi forma, illud ſignanter dictum aduertite: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, vt videlicet ſpondeat ſe dimittere proximo qui à Deo quęrit remiſsionẽ. Ita enim Deus agit cum homine, quomodo ille agit cum proximo ſuo, vt ſi dimittat homo proximo ſuo, non tantũ ore nec ficta ſimulatione, ſed ex corde ſyncero, offenſam quá ab eo offenſus eſt, omnem ponens iram, amaritudinem, & cupiditatem vindictæ, Deus quoque viciſsim ipſi donet & remittat offenſas in ſe commiſſas, modo agat delictorum pœnitentiam.

f Si autem nõ dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.

[f] Si autẽ nolit homo proximo offenſam dimittere, aut ſi tãtũ ore ac ſimulata apparentia, non autem ex vero corde ita vt in animo teneat erga proximũ amaritudinẽ, rancorem, odium, cupi-

cupiditatem atq; molimen vindictæ,ſi quando ſe occaſio obtulit,proculdubio neq; Deus huiuſmodi homini, quantumuis pœnitentiã ſimulet,& ore pro remiſsione clamet,indulgentiam concedet peccatorũ ſuorum.Eſt enim Deus,vt erga pios ac miſericordes pius ipſe & miſericors:ita aduerſum duros & immiſericordes,ipſe quoq; ſeuerus & ad miſerendũ difficilior,iudiciũ ſine miſericordia in illos exercens,q nolunt in proximos facere miſericordiam.[a] Quomodo autem ſupra de eleemoſyna & oratione diximus, ſic & de ieiunio nunc dicendũ ſuo ordine,ipſum nõ debere fieri ad oſtentationem,aut captãdam inané gloriam.Vnde cum ieiunare vobis placuerit,cauendum erit,ne exemplo hypocritarum efficta moroſitate,& vultus ſeueritate,cupiatis veſtrũ oſtentare ieiuniũ. [b]Sic enim faciũt hypocritę,facies ſuas exterminãtes quaſi extra conſuetos terminos violenta quadam detorſione cõſtituentes,cõſuetamq́; & natiuam vultus ſpeciem,velut obſcurantes & deſtruentes, artificioſa quadam cõpoſitione,non ad aliud,niſi vt hominibus hoc pacto perſuadeant,ieiunio plurimũ ſe affligi,ac velut conſumi inedia,ſicq́; laudem ſibi aucupétur & quæſtum inanis glorię.[c] In veritate dico vobis huiuſmodi homines ſic ieiunãtes nihil bonę mercedis manere apud Deũ in retributione iuſtorũ , quoniã totã ſuam quam quęſierunt mercedem,in hoc mũdo accipiũt,vt nihil poſt exceſſum corporis habeãt reliquũ. [d]Quiſquis verò rectè & vtiliter,ad Dei gloriam,ſui corporis caſtigationem,& faciliorẽ plenioremq́; diuinorum pręceptorũ obeditionem,ieiunare voluerit omnino nõ curet homines ſuum noſſe ieiuniũ,[e] imo caput potius vnguat,quomodo ſolent facere in ſolennitatibus,& faciem lauet diligenter,vt pulchre ſplendeat ac niteat,ſicque ieiunium vultu non prodat hominibus.[f]Ita fiet,vt pater tuus qui vbiq; adeſt,tam in abſcondito quàm in manifeſto,& vbique videt omnia,tam in occulto quàm in manifeſto videat te ieiunantem & pro tuo ieiunio retribuet tibi bonam mercedem , & in præſenti te facturus tuarum paſſionum malarum & concupiſcentiæ dominum ,

a Cum autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.

b Exterminãt enim facies ſuas vt pareant hominibus ieiunãtes.

c Amẽ dico vobis,quia receperunt mercedem ſuam.

d Tu autẽ cum ieiunas,

e vnge caput tuum et faciem laua,ne videaris hominibus ieiunans,

f ſed patri tuo qui eſt in abſcondito : & pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi.

(pro quibus edomandis aſſumpſeras coram Deo ieiu niũ) & in futuro beatitudinis ſuæ tibi pro opere pio

a Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.

collaturus mercedem.[a] Quoniam verò plurimi theſaurizare & diteſcere deſiderant, etiam hoc docebo, quomodo vtiliter vobis theſaurizare debeatis: qui igitur voluerit vtiliter theſaurizare, nõ ſit occupatus in auarè congregandis cum multa cura & ſolicitudine terrenis diuitiis, quarum non eſt firma poſſeſsio,

b vbi ærugo & tinea demolitur,

[b] vtpote quas ærugo vel rubigo aut corruptio qualibet putrefactionis exedit & conſumit per lapſum tẽporis: aut tineæ, blattæ, aliique id genus vermes corrodunt ac deſtruunt:

c & vbi fures effodiunt & furantur.

[c] denique, antequam corruptio inuadat diuitias congeſtas, frequẽter etiam fures per foſsis parietibus, furto eas diripiunt & auferunt: ſicq; priuatur poſſeſſoriis quæ magna cura congeſsit, & perditorum dolore grauiter torquetur.

d Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo,

[d] Magis autẽ ſtudere debet vnuſquiſque, vt ſibi congreget theſaurum in cælo indeficientem: id eſt, vt diues fiat in operibus bonis, quæ Dei & virtutis ſunt ſedulò operãdis inſiſtens, quibus ſolis theſaurum in cælo ſibi comparant homines: id eſt, amplę mercedis expectationem.

e vbi nec ærugo neque tinea demolitur,

[e] Sic autem theſauriſare, longè vtiliſsimum eſt, eo quòd diuitiæ illę cæleſtes ſint omnino ſecuræ, vtpote incorruptibiles & inauferibiles, quæ non poſſunt ab ærugine aut rubigine aut quauis ſuperueniẽte corruptione conſumi vel deſtrui à tineis aut blattis aliiſq; huiuſmodi,

f & vbi fures nõ effodiunt nec furantur.

[f] nec denique à furibus occultè ſubtrahi, aut etiam à raptoribus & prædonibus vlla violentia diripi. Seruat enim hunc theſaurum ſuis ſeruis fidelis & potens Deus, nec congeſtas bonarum operum meritò diuitias perdere valeant.

g Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

[g] Idcirco autem vos moneo in cælo magis quã in terra theſaurizare, quoniã vbi vniuſcuiuſq; fuerit theſaurus, illic erit & cor ipſius: vbicunque illud eſt cui ſuper omnia homo afficitur, illic affectus & cor eius verius eſſe dicitur, quàm illic vbi corpore agit. Vnde ſi theſaurus tuus fuerit in cælo, erit quoque in cælo cor tuum, ſi verò in terra, erit hîc quoque cor tuum. Cum autem corda veſtra malim ad cælos euolare atque in cælis agere, quàm terrenis infingi, & inhærere ſordibus,

volo vos nõ in terra corruptibiles diuitias,ſed in cęlo incorruptibiles theſaurizare. [a] Docebo vos inſuper, quomodo in omnibus,bona intẽtio veſtris operibus debeat dare directionẽ.Quomodo oculus corporalis lucerna eſt,& quaſi candela accenſa,lucẽ præbens toti corpori,ſic mẽs ipſa tua fidei lumine illuminata,& recta mẽtis(quæ ex ſyncera fide procedit)intẽtio,eſt lucerna lucem præbens toti corpori:id eſt, omnibus membris ſiue viribus animæ,vt ſecundũ eam dirigẽtem rectè omnes vires aliæ incedant, & operentur ſuas operatiões.[b]Hic oculus ſi fuerit ſimplex,lucidus nõ infectus vlla macula impediente viſus acumen,ſi mẽs tua recta ſit fide,& ſyncera intẽtione lucida, pro culdubio & totũ corpus erit lucidũ:id eſt,reliquę omnes animę vires ab hac fideli & recta intentione fiẽt illuminatæ,& participabũt bonitatem atq; rectitudinem à mente ſyncera,& rectè in ſuis operationibus dirigentur,neq;fruſtra aut malè operabũtur ſua opera:quomodo ſi oculus corporalis benè lucidus fuerit, cætera omnia membra beneficio luminis eius rectè funguntur ſuis officiis,vt pes nõ aberret in ambulando,neq; manus in operãdo,atque ita in cæteris.Tota quoq; cõgeries operationũ tuarũ,quę vt corpus quoddam cõſiderari poteſt,erit lucida & bona:id eſt,erunt omnia quæ ex fide & recta intentione agis tibi ad ſalutẽ meritoria.[c]Si autẽ econtrario mens infidelis aut praua intentione corrupta fuerit,erit vniuerſum corpus tuũ in tenebris,reliquæ omnes quæ in te ſunt vires,ſiue corporis ſiue animæ,in tenebris erunt,neque conueniẽter aut meritoriè operationes ſuas operari valebunt propter defectũ bonæ intentionis & rectæ fidei,à qua debent omnia hominis opera dirigi & rectificari:quẽadmodum cum oculus corporeus malus fuerit & lumine viſus carens,omnia corporis mẽbra ſunt in tenebris,opera ſua debite exercere non valẽtia,eo quòd lumine careant dirigente ipſa in actionibus ſuis.Tota quoque congeries humanarum actionum , deficiente prædicto lumine , tenebroſa erit, & debita bonitate ac merito carens. [d] Si ergo ipſum quod in te deberet eſſet lumen ſit tenebræ,ſi mẽs tua

a Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.

b Si oculus tuus fuerit ſimplex, totũ corpus tuũ lucidum erit.

c Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.

d Si ergo lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?

tenebroſa ſit infidelitate,& intẽtio corrupta malitia, quæ deberet lumen eſſe & directionẽ pręberе omnibus viribus & mẽbris in operando,quantæ ergo erũt in homine tenebræ,quę quidẽ non in ſolo ſunt oculo aut mente,ſed expanduntur per totum corpus,per omnes corporis & animæ vires?Omnia nanq; ſunt in tenebris,ſi vni deſit menti fides & recta intentio,quẽ admodum in tenebris ſunt omnia corporis membra, oculo priuato lumine.[a] Duobus autem dominis diuerſis non coniunctis adinuicem,ſic & eiſdem obſequiis & eodem miniſterio non poſsit ambobus ſatiſfieri,non eſt poſsibile quenquam vnum ſimul inſerui re.[b]Aut enim ex eis alterum odio habebit , & alterũ diliget,ſi cõtrarij fuerint adinuicem hi domini:[c] aut alterum eorum ſuſtinebit,& feret tanquam dominũ legitimum,eiusq; parebit imperio:altero cõtempto atq; neglecto.Quomodo enim vnus homo pluribus diuerſa imperantibus & plerunque contraria , vel vt minimum incompoſsibilia, poſſet rectè ſatisfacere: vnũ ergo eligat neceſſe eſt,cui iſeruiat.Neutri enim ſeruiet,ſi vtriq; ſeruire velit.[b]Sic fieri nõ poteſt,vt qs Deo ſeruiat,ſimul & diuitiis theſauroq; congregando,ſed alterũ è duobus eſt eligendum,alterum dimittendum:vt ſi ex corde Deo ſeruire velis,non poſsis ſimul cor apponere diuitiis , vel acquirendis vel augẽdis:ſi autem diuitiis ſeruire velis & cor apponere,nõ poſsis ſimul Deo vt oportet ſeruire.Vni enim rei ſuper omnia cor inhæreat neceſſe eſt,cui ſeruiat,& præ omnibus intendat.[e] Et quoniam ſimul Deo & temporalibus rebus ſeruire cor humanũ non poteſt,ideo ego quod vtilius eſt docere volens,dico vobis,ne cor apponatis rebus temporalibus,etiam ad vitã neceſſariis,vtpote eſcis & veſtimentis,neque pro illis occupetur cũ ſuperflua ſolicitudine veſtra cogitatio atque affectio quã volo eſſe liberam ad vacandum Deo & Euangelio.Non erit autem vobis difficile ſuperuacuam de rebus temporalibus proiicere ſolicitudinẽ, ſi Dei reſpiciatis liberalitatẽ,in iis quę iam pręſtitit vobis.[f]Nemini enim dubiũ eſt,qn ipſa anima rationalis qua viuitis,infinito maioris ſit prętij,quàm eſca quæli

a Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.

b Aut enim vnum odio habebit,& alterũ diliget,

c aut vnum ſuſtinebit & alterum cõtemnet.

d Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.

e Ideo dico vobis,ne ſolicıti ſitis animæ veſtræ,quid manducetis,neq; corpori veſtro quid induamini.

f Nõne anima plus eſt quàm eſca?

quęlibet corporalis,cũ ſit illa immortalis ad imaginẽ Dei formata: iſta corruptibilis, & in vſum tantũ corporis creata. [a] Neq; rurſum dubium eſt,quin corpus humanũ in quo anima inhabitat,tã artificioſè fabricatum,ſicq; mirabiliter viuificatũ,multò ſit nobilius & dignius indumẽto quo induitur,quod plerumq; de lana texitur brutorum animaliũ. Hæc ergo nobiliora,nempe animam & corpus,cũ vobis liberaliter donauerit Deus abſque veſtra ſolicitudine, nõ eſt quod animi anxietate ſitis ſoliciti de aliis vilioribus,vtpote alimẽtis & tegumentis:maximè cũ illa ſciat Deus, iam datis vobis corpori & animæ ſuſtẽtandis eſſe neceſſaria. [b] Præter rationem, etiam exemplum vobis adiũgo,quod mouere vos debet ad deponendam vanam ſolicitudinem. Vertite oculos ad aues quæ in aëre volitant, & conſiderate, quomodo volatilia iſta abſque omni diſtrahente ſolicitudine viuunt. [c] Neque enim ſeminant agros,neque metũt, neq; in horrea cõgregant,quemadmodũ faciunt homines. [d] Viuunt tamen & paſcuntur abſque ſua ſolicitudine, ex Dei liberalitate & prouidentia mirabiliter inueniũt nutrimentum ſibi congruũ: & cum tam diuerſæ ſint volatiliũ in aëre ſpecies, támq; innumera indiuidua omnibus tamẽ abſq; ſua ſolicitudine Deus prouidet eſcam in opportuno tempore: quæ tamen nihil aliud faciũt,quam cãtilare,volare,pullos procreare & enutrire,atq; huiuſmodi, ad vlteriorẽ verò finem ſupernæ beatitudinis nõ ordinantur. [e] Vos verò rationales creaturæ,factæ à Deo ad æternam diuinitatis fruitionem,in quibus eſt Dei tam precioſa imago,lõgè maioris eſtis dignitatis & infinito maioris apud Deũ æſtimationis ac precij,quàm ſint illa irrationalia animalcula,actibúſq; longè nobilioribus inſeruitis Deo per rationalem animam,quàm illa poſsint. Ac proinde, nihil dubiũ eſſe vobis debet, quin multò maiorẽ de vobis curã gerat Deus, ſitq; paratior vobis quàm illis præbere neceſſaria,ſi modo vos iuxta veſtræ conditionis exigentiã fideliter illi ſeruiatis, vt illa iuxta inſtinctum ſuæ naturæ ei ſeruiunt & obediunt. [f] Deniq;,nemo eſt veſtrum ex ſe tam potens, quantũcun-

a & corpus plus quàm veſtimentum?

b Reſpicite volatilia cæli,

c quoniam non ſerunt,neq; metunt,neque congregant in horrea,

d & pater veſter cæleſtis paſcit illa.

e Nónne vos magis pluris eſtis illis?

f Quis autẽ veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturã ſuã cubitum vnũ?

quę ſit anxius vel ſolicitus, quātũuis id cogitet, velit, moliatur, laboret vt ſua ſolicitudine poſsit ſe vel cubito vno facere maiorē, neq; quiſquā ſua ſolicitudine à puerili ſtatura minima ſe prouexit ad ſtaturam ętatis virilis, ſed Dei prouidētia & diſpoſitione quiſque debitũ ſumit incrementũ. Si ergo Dei prouidentia ſine veſtra ſolicitudine vos hucuſque prouexit ad tantā ſtaturam, meritò confidere debetis, ꝙ ſuſtentationi naturali amodo nō denegabit neceſſaria. Valde enim iniquũ eſt, ei quem multo tēpore fidelem comperimus, ſine cauſa poſtmodũ diffidere: & qui in maioribus nobis ſemper benignè aſtitit, non confidere illi in minimis.[a] Quòd ſi nec ꝓ eſca ſolicitos vos eſſe conuenit, quæ tamen vitæ corporali ſuſtentandæ eſt ſimpliciter neceſſaria, multominus haud dubiè pro veſtimento, quod magis honeſtati quàm neceſsitati deſeruit.[b] Ad cuius perſuaſionē, aſpicite exemplũ liliorũ quæ in orto vel agro creſcũt. Videte quomodo illic ſine ſolicitudine ſua naſcũntur, & debitũ ſumunt incrementũ, atque externũ ornatum.[c] Manifeſtũ eſt ea neq; laborare ad texendum veſtimentũ, neq; nere ſiue fila à lino vel lana de colo ducere, quēadmodum laborant homines ad componendũ ſibi indumenta. Nō igitur ipſa lilia ſua ſolicitudine aut ſuo labore ſe veſtiunt.[d] Attamen illud audeo dicere, ne Salomonē quidem (quamuis regē prę cunctis qui ante ipſum fuerant, ac pòſt venturi erant, opulentiſsimum & omnimodis glorioſiſsimũ) tanta gloria fuiſſe coopertum, tam ſpecioſo ornatu amictum, tam decoro amictu ornatũ, vt eſt ornatum & amictũ colore & habitu viuidiſsimo candidiſsimóq;, vnum quodlibet lilium quod creſcit in agro.[e] Nunc itaq; ſi lilium tale quod non niſi gramē eſt aut herba creſcens in agro, Deus ita abſq; ſua ſolicitudine ad honeſtatē ornat, & tam decorũ exterius apparere facit: tale (inquam) gramen ſiue fœnũ aut herbam, quod permodicæ eſt durationis, vtpote quod hodie viret, & poſt diem vnum aut alterum arefactum in clybanũ proiicitur vt comburatur, & prorſus conſumatur:[f] quanto magis vos confidere debetis, diuinam prouidentiam gerere curam

a Et de veſtimento quid ſolicitu eſtis?

b Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt,

c non laborant neq; nent.

d dico autē vobis, quoniā nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis.

e Si enim fœnũ agri quod hodie eſt & cras in clybanum mittitur, Deus ſic veſtit:

f quanto magis vos modicæ fidei?

ram veſtri,vt honeſto & decēti induamini veſtimento, quod ad honeſtatem & neceſsitatem ſatisfaciat? debetq; vos iſta tam diligens circa inſenſibilem herbam Dei prouiſio,meritò reddere fidētes, vt propter veſtimēta non anxia diſtrahamini ſolicitudine, quæ vos à diuino obſequio impedit aut remoretur?ᵃ Nolo itaque vos anxia diſtrahi ſolicitudine pro conſequendis tēporalibus bonis, iis etiā quæ corpori ſunt neceſſaria: vt dicatis cū magna anxietate, quēadmodum ſolent homines nihil niſi terrena ſcientes.ᵇ Vnde viuemus? vnde nobis victus ſuppeditabitur? vnde nobis erit veſtimentū?ᶜ Huiuſmodi enim cogitationes anxiæ & occupationes ſolicitæ pro rebus corporalibus,ad homines gētiles ſpectant: qui Deum non credētes,& prouidentiā Dei erga res humanas ignorantes,neq; aliam quam hanc præſentem vitam cognoſcentes,nullam gerūt ſolicitudinē, niſi pro temporalibus & corporalibus rebus.ᵈ Iccirco autem vos Deo & prouidentiæ eius credentes,meritò nō debetis pro iis tēporalibus gentiliū more eſſe ſoliciti,quo niā pater veſter cœleſtis (q vobis corpus dedit corruptibile)optime cognoſcit figmentū ſuum, & conditionē nouit ac neceſsitatē corporis veſtri,quòd ſcilicet his omnibus, nempe victu & veſtitu indigeatis. Quòd ſi creditis,vt credere certe debetis, confidere vos quoq; eius bonitati conſequēter decet, quòd neceſſariis vos nunquam deſtituet.ᵉ Ante omnia itaque cor apponite,& ex toto affectu ſuper omnia quærite regnum Dei: id eſt, bona cœleſtia: & iuſtitiam regni Dei,qua ſcilicet peruenitur ad regnum. Cętera deinde omnia, Deo committite: ipſe vobis omnia velut adiiciet,ſuppeditabitq; ad ſufficientiam abſque veſtra ſolicitudine.ᶠ Nolite igitur eſſe in longinquum ſoliciti,nolite pro venturis temporibus in longū anxia & ſuperuacanea ſolicitudine vexari, quaſi diffidentes Deo,aut quaſi nō hactenus ſatis experti benignitatem Dei, qui vos pauit à matris vtero.ᵍ Ventura nanque tempora ſuam habebūt ſolicitudinem. ʰ Preſenti autem tempori,ſua malitia atque afflictio quæ eſt in comparando corporis neceſſaria, ſufficit.

a Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes:

b Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?

c Hæc enim omnia gentes inquirunt.

d Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis.

e Quærite ergò primū regnum Dei, & iuſtitiā eius: & hæc omnia adiicietur vobis.

f Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum.

g Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibiipſi.

h Sufficit diei malitia ſua.

Quid opus eſt aut quid iuuat,ante tempus fieri te miſerũ,& ſine cau ſa teipſum curis affligere pro venturis tēporibus, de quibus prorſus incertus exiſtis,num ad ea peruenies,cum neſciat vnuſquiſque quid ſibi craſtina ſit paritura dies? Sufficiat diei & tempori in quo nũc viuis,ſua malitia ſuáque afflictio, quæ eſt in acquirendo & parãdo victum iam neceſſarium. Vanũ eſt autem,diem hunc atq; tempus modo præſens,onerare curis ſuperfluis, pro diebus olim vēturis. Si autem Dei benignitas craſtinum tibi diem conceſſerit, ſi ad ætatem longiorem tibi dederit peruenire,tum habebis pro tempore illo curam, & ſolicitudinem ſuam adducent ſecum ventura tempora.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

NEſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Cum ſit manifeſtum,nõ intelligendum iſtud ſimpliciter vt verba ſonãt, eo quòd neutri manuum conueniat ſcire aliquid vel ignorare, quidam ad morales recurrunt interpretationes:quas nos quidem nõ reprehendimus. Conuenientius tamen exiſtimamus,ſermonem iſtum vt prouerbialem & hyperbolicum accipere, ad ſignificandum ſummum ſecretum, vt indicetur debere hominem quod facit boni, ita velle ſecretum eſſe,quantum ex ſua parte attinet, vt nemo id ſciat, ita videlicet vt non ipſe quenquam id pro ſua gloria ſcire cupiat. Ad affectum nanque propriæ laudis iſta maxima occultatio referri debet. ¶*Et pater tuus, qui videt in abſcondito reddet tibi.*) Græci codices vulgati hîc & in ſequentibus,quoties hæc particula replicatur, adiiciunt ἐν τῷ φανερῷ en to phanero:id eſt,in manifeſto vel in propatulo,vt indicetur, Deum qui in abſcondito videt, operi quod fit in abſcondito, daturum bonam remunerationem in manifeſto, coram omnibus in die iudicij. Sententia quidem commoda eſt, ſed an adiectitia ſit illa particula, vt ſunt pleraque in Græcis codicibus adiecta, incertum eſt. ¶*In angulis platearum.* Cum anguli loca ſint ſecretiora, & quæ in angulis fiunt paucis ſint conſpicua, quomodo Phariſæos quærentes videri ab hominibus, dicit dominus quæſiſſe platearum angulos? Sciendum autem eſt, angulos hîc non intelligi occulta diuerticula aut receſſus,ſed duarum platearum aut plurium ſimul conuenientium coniunctiones, quæ vocantur compita, propriè enim angulus fit ex duorum rectorum coniunctione, vt ex duabus lineis in figuris ſimul coëuntibus conſurgit angulus: ſic ex duorum parietum cõiunctione, item & duarum platearum. ¶*Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum.*) Quomodo ſuprà diximus, ſummum ſecretum ſignificari, cum dicitur, *Neſciat ſiniſtra quid faciat*

faciat dextera, ſic & in propoſito, per ingreſſum cubiculi oſtiiq; con-
cluſionem,ſecretum & ſolitudo ad literam videtur ſignificari. Ne-
que enim domini eſt ſententia,ſolùm in cubiculo orandum,& oſtio
clauſo,quaſi damnet orationem,quæ fit in publico. Sed ſecretum &
ſolitudinem intẽtionis potiſsimum vult docere,vt deſideret homo,
quantum ad ſe attinet, neminem ſcire quod Deum oret, neque vl-
lam omnino ex hoc à quoquam gloriam poſtulet.Moraliter quoque
per ingreſſum cubiculi,& oſtium clauſum, mentis recollectionem
& cordis vnitatem pulchrè intelligũt.Cum autem ſequitur: *Ora pa-
trem tuum in abſcondito*,videtur prima facie illud,in abſcondito, iun-
gendum cum verbo,ora:vt ſit ſenſus.Illic in abſcondito,ora patrem
tuũ.Sed articulus in Græco adiectus indicat potius ad nomen patris
eſſe referendũ. Sic enim in Græco legitur,*πρόσευξαι τῷ πατρί σου, τῷ
ἐν τῷ κρυπτῷ*. hoc eſt,ora patrem tuum qui in abſcondito,ſupple eſt,
vel adeſt,vel videt,vel ſimile aliquid.¶ *Orãtes autem nolite multũ loqui.*
Græcè eſt *μὴ βαττολογήσητε* mi battologiſite.Significat autem ver-
bum *βαττολογέω* battologeo,multiloquium eſſe,eadémque ſæpius
inutiliter replicare.Eſt enim battologia, eorundem frequẽs & inu-
tilis replicatio.Sumptũ eſt vocabulum à Batto quodam, quem Poë-
tam dicunt fuiſſe, ſuperuacanea eorundem replicatione plurimum
moleſtum. Alij inſigniter balbum putant fuiſſe, quorum eſt eadem
frequenter iterare.Ipſe autem textus quid intelligat, paulo pòſt ex-
plicat,cùm ait: *Putant enim quòd in multiloquio exaudiantur*:vbi in Græ-
co non battologia ponitur. ſed *πολυλογίᾳ* polylogia quæ apertè ſo-
nat multiloquium. In quem autem ſenſum iſtud ſit accipiendum,&
quomodo non longarum precum deuotio hîc reprehendatur, ſed
fiducia in clamore & multiplicatione verborum,more gẽtilium, ex
Elucidatione diligens lector ſatis valebit aduertere. ¶ *Sed libera nos
à malo*.) Tam Græcis quàm Latinis ambiguum eſt,in quo genere ſit
accipiẽdus ablatiuus.Intelligi enim poteſt à diabolo,qui eſt malus,
& cuius eſt tẽtare,atque ad malum pro virili inducere. Vnde cap.4.
dicitur de diabolo,*Accedens tentator*, &c. Cõmunius tamẽ per genus
neutrum intelligimus ab eo quod malum eſt.Cęterum in codicibus
Græcis vulgatis,poſt prædicta,ante concluſionẽ Amen, quædam in-
teriecta reperiũtur in hunc modũ: Quia tuũ eſt regnum & virtus &
gloria in ſæcula:ac deinde finiũt,adiiciẽtes,Amen.Verũ iſta quibuſ-
dã videt̃ adiectitia,licet ea Chryſoſtomus & Theophylactus expo-
nãt in ſuis cõmentariis.¶ *Si enim dimiſeritis hominibus*.) Adiicitur iſtud
ad declarãdũ,quur in petitione quinta dominus dixerit:*Dimitte nobis
debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, quare videlicet
ſimi

ſimilitudinē illam exprimere voluerit pro remiſsione peccatorum orātes. Non eſt autem ſimpliciter intelligendum, omnē eum qui alteri dimittit, accipere à Deo peccatorum remiſsionem. Nam ſi quis omnibus dimittat in ſe peccātibus, ipſe tamen in impœnitentia ſuà permaneat, hic licet remittat aliis, à Deo tamē remiſsionem nō accipiet. Intelligitur ergo remittere Deus peccata ex animo remiſsionē petētibus, quod nō poteſt fieri niſi à pœnitētibus. Non enim poteſt quis ex animo pro peccati dimiſsione rogare Deū, niſi de commiſſo doleat, & non iterū committere proponat. Vel intelligatur iis qui proximis dimittunt Deū eſſe paratum ad dimittendum peccata, ſi veniā petierint, iis autē qui proximis recuſant dimittere, Deū quoque non eſſe paratum ad dimittendum, donec in tali propoſito perſtiterint, quantūcunque videantur remiſsionem petere. ¶*Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.*) Si (triſtes) iungas cum nomine, hypocritæ, vt adiectiuū cum ſubſtantiuo, eſt ſenſus: Nolite fieri ſimiles triſtibus hypocritis. Si verò nomen triſtes, non coniūgas cū nomine, hypocritę, hūc habebis ſenſum: Nolite fieri triſtes, ſicut hypocritę: id eſt, nolite fieri admodū hypocritarum, triſtes. Triſtitia autem iſta non ad animū, ſed ad vultum potius referatur. Vnde in Græco eſt σκυθρωποὶ ſcythropi, id eſt, tetrici, obſcuri. Dicimus enim interdum triſte quod non eſt clarū, limpidum, amœnum: vt aërem triſtem dicimus, pro nubilo, triſtem vultū, pro vultu ſeuero vel tetrico: triſtem potū, pro turbulento. ¶*Exterminant enim facies ſuas.*) Græcè eſt ἀφανίζουσι aphanizoſi, quod Chriſoſtomus interpretatur, corrumpūt & perdūt. Cyprianus interpretatur, cōficiunt. Ponitur autē idem vocabulum Grę̄cū paulo pòſt, cum ſubditur: *Vbi ærugo & tinea demolitur:* ac rurſum, *Vbi ærugo & tinea non demolitur.* Vnde & hîc verti poterat: Qui demoliūtur facies ſuas, vel deſtruūt. Idem autem ſibi vult quod noſtra interpretatio habet, extermināt. Theophylactus interpretatur, obſcurant, ratione videlicet palloris quē ieiunantes ſuperinducunt vultui, & per quē obſcurantur ieiunantium facies. Sententia eadem penè in omnibus eſt, hypocritas efficere vt vultū torqueant, & aliter apparere faciāt, quàm habet naturalis diſpoſitio. ¶*Vnge caput tuum.*) Veterū mos erat, in feſtiuis gaudiis & ſolēnitatibus ad lętię ſignum vngi oleo & precioſis vnguentis, lauandóq; nitētem reddere faciē: queádmodū econtrario, in triſtibus, ab vnctione & lotione abſtinebāt, qua de re nōnihil diximus in Pſalmos ſuper illo Pſal. 103. Vt exhilaret faciē in oleo. Hac ergo hyperbolica loquutione ſignificare vult dominus, ieiunantē, quantum ad ipſum attinet, nequaquam debere optare hominū notitiam, ſed magis celare debere, & occultare ſua

ſua ieiunia ſignis lætitiæ:quẽadmodum ſupra per loquutiones ſimiliter hyperbolicas,de ſiniſtra & dextera,deq; ingreſſu in cubiculum ſimilia voluit ſignificare. Vnde illud quod dicitur:Ne videaris hominibus ieiunãs,nõ ſic accipiendum eſt,quaſi velit dominus, à ſtudio & propoſito homines celare ſua benefacta,cũ id non ſatis conſonet ei quod in præcedenti capite dictũ fuit:*Sic luceat lux veſtra coram hominibus*,vt videant opera veſtra bona,& glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt:ſed affectum vult amouere inanis gloriæ,vt omnino nõ quærat ieiunans noſſe id homines, pro accipienda ab eis gloria, ſed gloriam tantum quærat apud Deum.¶ *Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus.*)In Græcorum vulgatis exemplaribus non adduntur pronomina,ſed tantum dicitur:*Lucerna corporis eſt oculus.* ¶ *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.*)Syriaca lingua idem ſignificare dicunt mammona,quod apud Græcos ſignificat πλοῦτος plutus,quem diuitiarum deũ fingunt,& pro diuitiis vſurpare ſolent,Sic mammona generaliter hîc poſitũ videtur pro diuitiis,& quibuslibet rebus tẽporalibus, vt ſimul etiã honores & pompæ intelligantur. ¶ *Nónne vos magis pluris eſtis illis?*)Grecè legitur,οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν.Hoc eſt, Nônne vos magis excellitis vel præcellitis ea?Eundẽ ſenſum habet communis lectio. ¶ *Quis autem veſtrum cogitans.poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?*)Cogitans,non ſimpliciter accipiendum eſt, ſed pro cogitãte cum ſolicitudine & anxietate, & circumloquendo ſic verti poterat: Quis veſtrũ ſolicitans,vel ſolicitudinẽ gerens, aut ſolicitus exiſtens,poſsit &c.id eſt.Quis per ſuam ſolicitudinẽ tantũ poſsit efficere?¶ *Quãto magis vos,modicæ fidei?*) Græcè vnico nomine dicitur ὀλιγόπιστοι oligopiſti:id eſt,paruam habẽtes fidem.Sed quærat aliquis,quonã pacto id adiũgatur præcedentibus?Videtur enim nihil coherere cum eo quod ſtatim antecedit.Parua nanq; fides,aut fidei defectus meretur priuari Dei beneficiis:quemadmodum fidei perfectio ecõtrario ea meretur accipere.Videtur ergo potius dicẽdũ:Quanto magis vos,ſi fueritis bonæ fidei.Sciendũ ergo eſt illud, modicæ fidei,adiici quaſi per blandã increpationem, veluti ſi dicat pater filio:Nullũ eorum ſeruorum ego patior neceſſariorum rerum pati ęgeſtatẽ,quanto minus te patiar neceſſariis deficere,nequã malè patri fidens?Blandus enim eſt hic increpãdi modus,cũ poſt expoſitũ paratum beneficium, eius ſubditur cum amaritudine increpatio,quod impedire poſsit paratũ patris beneficiũ.¶ *Quærite ergo primum regnum Dei,& iuſtitiam eius.*)Intelligi poteſt,iuſtitiam Dei, vel regni Dei,& eadẽ eſt ſententia.Veruntamen Græcè lectioni conformius eſt,vt eius referat Deum.Eſt enim relatiuũ in genere maſculino

lino poſitũ.Pulchrè autem, cum dixiſſet, regnũ Dei,ſtatim adiicit, & iuſtitiam eius:vt indicet,finem per debitum eſſe quærendum medium,& non niſi per iuſtitiam ad regnum aſpirandum. ¶*Hæc omnia adijcientur vobis.*) Mira eſt emphaſis in verbo illo προστεθήσεται proſtethiſetæ:id eſt,apponẽtur vel adiiciẽtur. Significatur enim, ꝙ tanquã minus principalia,& tanquam adiectitia addentur ſupra præcipua ſpiritualia bona,ita vt illa vix dona vel bona ſua velit Deus cẽſeri,vocãs ea tantum adiectitia vel appoſititia. Quanquam iſta appoſitio intelligi etiam poſſit,ad eũ modum quo conuiuis apponuntur vel præponũtur cibaria. Omnes enim quaſi conuiuæ ſumus Dei, &
Pſal. 144. de eius vnica menſa nos omnes paſci neceſſe eſt:quẽadmodum Pſalmiſta indicat,dicens:*Oculi omnium in te ſperant domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Vult ergo nos non eſſe ſolicitos,quoniã diues noſter paterfamilias in mẽſa ſua apponet nobis quæ erũt neceſſaria:quẽadmodum non eſt neceſſe,filios patrisfamilias eſſe pro victu ſolicitos, quibus opportuno tempore ad mẽſam diſcumbentibus,cibus apponitur patris ſolicitudine. ¶*Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibiipſi.*) Quidam codices Græci habent μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς:hoc eſt,ſolicitus erit,vel curabit quæ ſuiipſius:id eſt,quæ ſibiipſi erũt neceſſaria. Alij habent,μεριμνήσει ἑαυτῆς:id eſt,(vt noſtra habet lectio) Solicitus erit ſibiipſi,vel curam habebit ſuiipſius. Improprie autẽ dicitur dies craſtinus curam habiturus ſuiipſius, quatenus videlicet homines craſtino die ſoliciti erunt pro iis quibus tum opus erit. In eo autem quod ſequitur:*Sufficit diei malicia ſua,* maliciam non moralem intelige,ſed pœnalem:id eſt,afflictionem.

ELVCIDATIO CAP. VII.

Nolite iudicare, et non iudicabimini, nolite cõdẽnare, & nõ condemnabimini.

b In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini:

c & in qua mẽſura menſi fue-

CAVETE, ne per ſuperbiam & faſtum animi proximos veſtros iudicetis aut cõdemnetis,dicta eorum aut facta nimium ſeuerè iudicãtes,atque in partẽ peiorẽ ſiniſtra interpretatione rapientes,id quod facere ſolẽt hypocritæ & ſuperbi, qui ſibiipſis nimiũ placentes,alios cõtemnunt,ac ſine cauſa iudicãt, temeréque condemnant. [b] Ad hunc enim modũ ſi nõ iudicaueritis proximos veſtros, aut condẽnaueritis,neq; vos viciſſim iudicabimini aut condemnabimini. [c] Secundum iudicium enim quo vos alios iudicaueritis,ipſi quoq; iudicabimini:& ſecundum

dum mēſuram qua vos aliis metimini, viciſsim remetietur vobis. Deus enim talem ſe erga homines exhibet, quales ipſi ſe exhibuerint erga proximos ſuos. [a] Quale eſt autem hoc, vt videat quis in oculo fratris ſui feſtucam modicam, & in oculis propriis non ſentiat magnā ac craſſam trabem? Quàm noua res eſt, vt peccatū paruulum vix vllius pōderis ego obſeruem, & deprehēdam in proximo, in meipſo autem nō aduertā peccatum ſine comparatione vlla maius & intolerabilius. [b] Et quomodo ſaluo pudore poterit quis dicere fratri ſuo: Frater ſuſtine, & ſine pauliſper: eiiciā ego ex oculo tuo feſtucā, quam in eo video, qui ipſe trabē in oculo ſuo habuerit? Qua fronte quis aliū velit iudicare, & arguere pro peccato paruulo, & facile ferēdo ſiue excuſabili, quod fortè in eo deprehenderit exacta obſeruatione & curioſa perſcrutatione alienæ cōuerſationis, cum ipſe in ſe habeat peccatū longè grauius, quod excuſari nullo modo poſsit, nec tamen pro eo ſe arguat aut emendare ſtudeat? [c] Hypocrita, qui alios ſeuerè corripiendo ſanctitatem ſimulas, & zelū virtutis oſtētas, cum intus omni ſis pietate vacuus, ſi proximū arguere velis, recto & neceſſario procede ordine. Primū enim, tuiipſius miſerere, & tuæ animæ præſta correptionis eleemoſynam, incipiat à teipſo iudiciū, vt expurgare te ſtudeas ab enormibus illis vitiis quę cor tuum occultè obſident: ac deinde recto ordine procede ad miſerēdum atque medendum proximo. [d] Diligenter autem attendite vos, quibus commiſſa fuerit diſpenſatio myſteriorū Dei, vtpote diuinorū verborum prædicatio, & ſacrorum ſacramētorum adminiſtratio, ne ſancta eiuſmodi veſtrę cōmiſſa fideli diſpēſationi exhibeatis canibus, id eſt, hominib⁹ in malo furioſis & obſtinatis, q neq; rationi neq; authoritati volūt acquieſcere, ſed ſuū tantū cerebrū inſequentes, nihil aliud q̄ oblatrāt, & rabido ore cōtradicunt eloquiis veritatis. [e] Neq; itē margaritas mūdas & precioſas ſpargetis ante porcos, animalia immunda & ſordida, margaritarū precium ignorātia: id eſt, ante homines toto affectu terrenis ſolis inhærentes: quemadmodū porcus luto gaudet,

ritu, remetietur vobis.

a Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?

b Aut quomodo dices fratri tuo: Frater, ſine eiiciam feſtucā de oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo?

c Hypocrita eiice primum trabē de oculo tuo: & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui.

d Nolite ſanctū dare canibus.

e neque mittatis margaritas veſtras ante porcos:

& oblectatur in volutabro luti. Ante huiuſmodi homines non ſunt ſpargenda precioſa diuinæ veritatis eloquia, quę ſunt tanquã precioſę margaritæ.[a] alioqui & ſanctis fiet irreuerẽtia magna à porcis ignorãtibus preciũ eorũ, dum homines terrenis voluptatibus & rebus tẽporalibus toti inhærentes irridebunt, & ſubſannabũt veritatis eloquia:[b] & vobis erit non paruum à canibus periculum, ne ipſi vos aggrediantur, & in vos furibundi inſurgant, ſanctorum exhibitione magis irritati. [c] Quoniam autem multa vobis paſsim occurrent diſcrimina in tanto negocio, & quoniam ſubinde multis indigebitis, tã ſpiritualibus quàm temporalibus rebus, idcirco vnum vobis trado refugium, quo obuẽtura omnia euincere & ſuperare valeatis. Id eſt, orationis inſtãtia, per quam poteritis obtinere omnia quæcũq; vobis neceſſaria fuerint, ſiue pro veſtra ſalute, ſiue pro veſtri functione miniſterij. Si qua autem re egueritis, ex affectu inſtãter petite, & dabitur vobis, quãdo, vbi, quãtum, & quomodo pater veſter cæleſtis iudicauerit quàm maxime & ſuæ gloriæ & veſtro veſtrorúmque commodo expediẽs.[d] Si qua re egueritis, à Deo illã precibus querite, & aſſequemini quod quæritis.[e] Diuinæ miſericordię oſtium precibus pulſate, & aperietur vobis, profibitque aduocatus diuinæ miſerationis effectus. [f] Quiſquis enim ſeriò & ex affectu cum debita inſtãtia Deũ poſtulat, eorũ aliquid quæ pro ipſius honore faciunt, abſque dubio accipiet, vel hoc ipſum quod poſtulat, ſi ita ſuo honori magis cõuenire Deus iudicauerit, & illi magis ſalutare, vel poſtulati loco aliud ſuæ gloriæ, & illius ſaluti magis profuturum.[g] Quòd autem rectè vt decet poſtulantibus non ſit negaturus Deus quæ ſunt ſalutaria, manifeſta mõſtratur ex rebus humanis ſumpta ſimilitudine. Quis enim hominũ eſt qui filio poſtulãti panẽ, rẽ proculdubio vtilem ſibi & neceſſariã, pane denegato, porrigeret pro pane lapidem, eſui prorſus inutilem? [h] Aut piſcem poſtulãti, aptum eſui, eo negato, ſerpentem porrigeret venenatum & noxium? Non eſt proculdubio patris officium, neq; id fieri paternus ſinit affectus: ſed filiis famelicis

a ne fortè conculcent eas pedibus ſuis.

b & conuerſi canes diſrumpant vos.

c Petite & dabitur vobis.

d Quærite, & inuenietis.

e Pulſate, & aperietur vobis.

f Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit: & pulſanti, aperietur.

g Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panẽ, nunquid lapidẽ porriget ei?

h Aut ſi piſcẽ petierit, nũquid ſerpentem porriget ei?

famelicis ſeriò poſtulantibus panem, dat pater & cũ pane obſonium, ſi facultatem habet: & piſcem petẽti filio, piſcem dat pater, vel aliud forſitam delicatius & melius, ſi facultatem habuerit. [a] Ad hunc ergo modũ ſi vos, q natura mali eſtis, ab originis corruptione ad malum ſemper procliues, bona tamen data ſiue dona noſtis, & ſoletis dare filiis à vobis quippiam petentibus: [b] quantomagis pater veſter cæleſtis, qui totus bonus eſt & æquiſsimus, in quo nihil eſt commixtum malitiæ, verè bona & ſalutaria daturus eſt filiis ſuis ſe poſtulantibus? [c] Sit autem vobis in agendo omnibus hæc certiſsima regula, & quaſi primum circa mores principium: vt quæcunque vobis ſecundum rectæ rationis iudicium, & naturalis æquitatis dictamen vultis exigitiſque à proximis fieri, eadẽ vt vos faciatis proximis. Item vt alteri non faciatis vnquã, quod ſecundum rectum rationis iudicium, & naturalis æquitatis dictamen vultis exigitiſque non fieri vobis. [d] In hac ſiquidẽ generali regula, ſummatim tota lex & prophetæ omnes includuntur: particularia omnia legis pręcepta atq; prohibitiones, itẽ & exhortatiões omnes atque comminationes, quæ in Prophetis continentur, in hoc fundantur generali principio: deducuntur quoque & eliciuntur ex eo. [e] Vos autem diſcipulos & ſeruos meos ſolicitè præmoneo, ne ad multitudinem aſpiciẽtes, & plurimorum præuia exempla inſequentes, latam & ſpacioſam vitiorũ viam ingrediamini, vt ambuletis in ea, ſed omni ſtudio pręelegite viam anguſtam virtutis. [f] Nam lata hæc via & ampla porta terminum habet amariſsimum & terribiliſsimum, nempe perditionem atque mortem æternam, ad quam peruenient vniuerſi qui viam illam ad finem vſque perambulauerint. [g] Multi autẽ ſunt qui per malam hanc incedunt viam, & ad infœlicem illum perueniunt terminum, quoniam ſtultorum eſt infinitus numerus: vt nemo multitudinis ſeducatur exemplo. [h] Sed viam arctam & anguſtam portam prælegite: quæ licet admodum ſit anguſta, & difficultatem magnam videatur exhibere per eam ambulantibus, habet tamen exitum ſuauiſsimum, & finem

a Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris?

b quantomagis pater veſter qui in cælis eſt dabit bona petentibus ſe?

c Omnia ergo quæcunque vultis vt faciãt vobis hoĩes, ita & vos facite illis.

d Hæc eſt enim lex et prophetæ.

e Intrate per anguſtam portã.

f quia lata porta & ſpacioſa via eſt quæ ducit ad perditionem:

g & multi ſunt qui intrant per eam.

h Quàm anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam.

longè optabiliſsimum:nempe vitã æternam,præ cuius deſiderio & expectatione,meritò pro nihilo computari debet omnis labor quem via videtur adducere:imò dulcis & iucunda debet eſſe omnis moleſtia, quamcunque in via contigerit occurrere. [a] Et hanc viam admodũ pauci inueniunt,qui in ea ad finem vſque perambnlant:vt nemo ideo viam ſpernat,qui à paucis comparatione ad alteram priorem, calcata. [b]Cauete autem vobis diligenter à falſis doctoribus, ne acquieſcatis malis eorum doctrinis:[c]qui ad vos veniunt,& coram vobis ſeſe oſtẽtant tanquã Prophetæ ſiue doctores veritatis,ſub ſpecie ſanctitatis, verbis & geſtibus exterius ſimulantes humilitatẽ & ſimplicitatẽ:cum intus pleni ſint omni malitia & dolo,ſub ouina ſpecie lupinum geſtantes animũ,cupientes veſtras animas deuorare & in perditionẽ abducere ſuis prauis doctrinis: quemadmodum lupus nõ venit ad oues niſi vt furetur,mactet, & perdat. [d] Certiſsimus autem probationis modus eſt ab ipſis eorũ fructibus. Nolite attendere ad verborũ folia,ad verborũ ornatum,& blandiloquẽtiam,qua ſeducunt ſimplices:ſed ad fructum attendite,qui in vita eorũ apparet,& ex doctrina ipſorum conſequitur.[e] Ex fructibus autem certã eſſe probationem,diſcimus ex conſideratione herbarum & arborum fructiferarum.A malis nãque & infructiferis arbuſtis aut herbis,nõ ſolẽt boni fructus colligi:quemadmodum de ſterilibus ſpinis nunquam vuas colligunt,neq; ficus de tribulis.[f] Ita generaliter inter arbores fructiferas,illa iudicatur bona, non quę folia pulchra habet,ſed quę fructum bonum facit,& melior,quæ meliorẽ fructũ:ſiue genus generi conferas,ſiue ſpeciem ſpeciei,ſiue indiuiduũ indiuiduo in eadem ſpecie.[g] Econtrario autẽ mala arbor iudicatur,quę fructus producit malos,&peior quę peiores fructus profert.Foliorum nullus habetur reſpectus neq; item corticis pulchritudo vel lenitas attẽditur,ſed tantum fructus conſiderantur,& ex his integrum profertur,de arbore iudicium.[h]Non poteſt autem fieri,vt quæ arbor bona eſt malos proferat fructus,donec bona manet:aut quæ mala eſt,bonos fructus

a & pauci ſunt qui inueniunt eam.

b Attendite à falſis Prophetis,

c qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autẽ ſunt lupi rapaces.

d A fructibus eorum cognoſcetis eos.

e Nunquid colligunt de ſpinis vuas,aut de tribulis ficus?

f Sic omnis arbor bona fruct[9] bonos facit,

g mala autem arbor,malos fructus facit.

h Nõ poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere,

fructus

ctus proferat, donec mala permanet. Ita nõ poteſt eſſe doctrina mala, ex qua verè boni fructus per ſe procedunt: neq; poteſt eſſe bona quę malos fructus profert. [a] Omnis autem arbor talis mala, quæ non producit fructum bonum poſtquam tolerata fuerit diu ſatis & probata, vt ſpes non ſit meliorum fructuum, [b] ſecuri admota radici, excidetur, & tanquam inutilis ferēdis bonis fructibus in ignem mittetur. Sic omnis doctor malus cum doctrina ſua, quæ à Deo non fuerit, & generaliter quilibet peccator non faciens fructū bonū, auferetur de vita iſta tēporali per mortē, & in ignem proiicietur æternum. [c] Manifeſtum eſt itaque quomodo ad ſimilitudinē arborum ex fructibus cognoſci atque à veris Prophetis diſcerni debeant pſeudo prophetę. Soli igitur fructus ſunt (vt iam antè dictū eſt) ex quibus arbor bona aut mala cenſetur. Neque bonæ ſunt arbores, quæ pulchra habēt folia, ſed quæ fructus bonos proferunt. [d] Ita quoque nō omnes qui in ore pietatem oſtentant, qui verbis ſanctitatem ſimulant, labiis me honorantes, & verbis confitentes ſe noſſe Deum, dicentes mihi, Domine, Domine, pater, pater, Deus, Deus, & huiuſmodi, bonæ arbores cēſendæ ſunt, neque omnes tales vitam æternam accipient in regno cælorum: [e] ſed quiſquis facit voluntatem patris mei cæleſtis quiſquis in vita ſua Deum glorificat, mandatis patris obediens, neque ſolum verbo, ſed etiam opere & corde Deum agnoſcens & confitens, hic arbor bona cenſendus eſt, & hęreditatem accipiet regni cæleſtis. [f] In illa autem die diſtricti examinis & nouiſsimæ retributionis, videbuntur multi propter operum bonorum defectum, ſpe beatę retributionis fruſtrari, qui tamē ſibi perſuaſerant, eā ſibi deberi, ratione mortuæ ſuæ fidei, & gratuitorum quorundam donorum, quibus in vita ornati & vſi fuerant. [g] In illo enim die, multi cum ſe viderint excludi à regno cælorum, obiicient mihi, qui iudex ero & retributor omnium: Domine, in quem viuentes credidimus, nónne in fide & virtute nominis tui prophetauimus, alios ex illuminatione quam à te acceperamus docentes, atque etiam prædicentes futura?

a Omnis arbor quæ non facit fructū bonum, b excidetur, & in ignem mittetur.

c Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.

d Nō omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnū cælorum:

e ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnū cælorum.

f Multi dicent mihi in illa die, g Domine, dn̄e nónne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? et in nomine tuo virtutes multas fecimus?

nonne item in fide atq; virtute nominis tui quod inuocabamus, eiecimus dæmonia, & alia multa magnę virtutis ſigna & prodigia fecimus? Quomodo ergo nũc à regno excludimur, qui olim tibi ſic familiares fuimus? Nonne meritò pro his omnibus debetur nobis vitæ præmium? Nos certè arbitrabamur ſecuros nos eſſe de præmio, poſteaquàm tibi tam fuimus familiares in tuo miniſterio. Quomodo ergo nũc fraudamur noſtra ſpe, & fruſtramur propoſito? [a] Et ego horũ obiectioni reſpondebo, dicens: Hæc omnia quę adducitis nihil ad rem faciunt, cauſam veſtram adeò nihil adiuuant, vt etiam aliqua ex parte reddant deteriorem, eo quòd talibus à me donis, & tali mea familiaritate donati, non duxeritis vitã Deo dignam. Nõ hîc de donis, non de familiaritate fit quæſtio, ſed de operibus tantũ quę geſſit quiſq; in corpore. Et quoniã opera nõ habetis fidei reſpõdẽtia, ſed operatores fuiſtis iniquitatis, ſic vos mihi extraneos & alienos à me habeo, acſi nunquam vos nouiſſem, neque vos me agnouiſcetis. [b] Vos omnes qui eſtis operati iniquitatem, diſcedite à me maledicti in ignẽ æternũ. Finem denique impoſiturus prolixo huic meo ſermoni, volo externa atq; ſenſibili vobis mõſtrare ſimilitudine, quãtum interſit inter eum qui audit ſimul & implet verba mea, & eũ qui audit, ſed non implet ea. [c] Omnis ergo qui verba mea iſta, qbus Chriſtianæ & Euãgelicæ vitę deſcripſi regulam audit, & poſtquam audierit, non auditor eſt obliuioſus, ſed factor operis, ſolicitus quomodo ea operibus impleat, & vita exprimat, hunc ego comparabo viro prudenti, qui domũ ſuam ſupra locum petroſum, ſuper ſolidum ac ſtabile fundamentũ ædificauit, caute ſibi proſpiciens, ne fortè ædificationis ſuæ aliquando iacturam patiatur, & perdat omnem laborẽ quem inſumpſit in ea: prꝗuidenſq; futura pericula, quæ à tempeſtatibus & ventis obuenire poterant, elegit ſibi ſtabilẽ atq; petroſam terram: cui ſuperædificauit domum ſuam. [d] Factumq; eſt, vt orta grandi tempeſtate abundans pluuia deſcẽderet è cælo, & excreſcentibus ex alueo ſuo torrentibus atque fluminibus domus illa aquarum fluctibus con

a Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos.

b Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

c Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapiẽti, qui ædificauit domum ſuã ſuper petram:

d & deſcendit pluuia, & venerũt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam:

concuteretur ab imo, vẽtorum quoq; flatu admixto, obrueretur à ſummo faſtigio.[a] Verùm non potuerunt fluctus aquarum pariter cum impetu ventorum præualere aduerſus domum illam, neque potuerunt hoc efficere, vt eam deiicerẽt, aut vel in partem alteram inclinarent.[b] Nimirum ſuper petroſum ſolum benè fundata erat, cuius fundamenti beneficio inuicta & immobilis perſtitit in die malo, non deiecta nec inclinata, ſed tantum à ſordibus (ſi quæ fortè extrinſecus adhærebant) vndarum ablutione emundata.[c] Qui verò ſibi ſatis eſſe putat audiſſe verba mea, & poſtquam audierit, auditor obliuioſus factus, non ea in corde cuſtodit, neque in vita ſtudet exprimere, hunc ego comparabo viro ſtulto: qui ædificans domum, non habet curam ſolidi fundamenti, ſed ædificat ſuper terram arenoſam: propter quod non potuit eſſe firma aut diuturna illa ædificatio.[d] Mox enim vbi inundante pluuia excreuiſſent torrẽtes & flumina in domum illam irruentia, ventique flaſſent deſuper ceſsit ædificatio, & collapſa eſt in terram, & fuit grauis admodũ ruina domus illius. Prorſus enim diſſoluta atque confracta cecidit. Nimirum fundamentum ſolidũ nullum habebat ædificatio, ſed ſuper arenoſam erat terram fundata: propter quod, irruẽtibus vndis & ventis, non valens reſiſtere ceſsit quantotius & corruit.[e] Poſtquam autem finem feciſſet loquendi præceptor Ieſus populi (qui vſque tunc ſupremum ſilentiũ auribus & corde toti in eius doctrinam intenti præſtiterant) vehementi ſunt admiratione commoti: ruptóq; ſilentio, magnæ admirationis voces proferebant adinuicem ſuper doctrina tam noua, tam eximia, tam efficaci, tam ſolida, tam cordis intima penetrante, & naturali rationi maxime conſentanea: qua tam fuerãt refecti, vt citra faſtidium etiam prolixius differentem audire eſſent parati.[f] Erat enim docens magna cum authoritate, ſicut poteſtatem habens præcipiendi, legémque interpretandi, ac perficiendi eam, item & miracula faciendi doctrinam cõfirmantia:[g] & non more Scribarum atque Phariſæorum, qui tantum ea quæ Moſes præſcripſerat, item tradi-

a & non cecidit.

b Fũdata enim erat ſuper petram.

c Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam:

d & deſcendit pluuia & venerũt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domũ illam & cecidit, & fuit ruina illius magna.

e Et factum eſt cum cõſummaſſet Ieſus verba hæc admirabantur turbæ ſuper doctrina eius.

f Erat enim docens eos ſicut poteſtatẽ habẽs,

g & non ſicut Scribæ eorũ & Phariſæi.

tiunculas & præſcriptiones aliorum frigidè proponebant & exponebant populo, dicentes: Moſes dicit, Tradunt ſeniores, aut alia huiuſmodi forma loquendi vtentes, nullis quoque miraculis ſuam doctrinam valebant confirmare.

Parabolæ de Sapiente & ſtulto ædificatore latior explicatio.

FIRMA hæc petra eſt, doctrina Chriſti infallibilis atq; certiſsima, vtpote ab eo procedens, qui fallere vel mentiri non poteſt. Super hanc ædificat, quiſquis eam auditam cuſtodit in corde, & toto conatu ſtudet vita atque moribus exprimere, omnesq; ſuas cogitationes, affectiones, ſermones, & actiones, ſuper eam fundare: id eſt, ſecundum eam dirigere eſt ſolicitus. Hæc enim eſt ædificatio, quam prudẽs homo ſuper tali fundamento ſuperſtruit, ſiue ſuperædificat. Venit pluuia, veniunt flumina, veniunt venti: quando tentationes obueniunt, vel à carne, vel à mundo, vel à diabolo, quæ noſtram ædificationem quærunt ſubuertere, quæ nos à propoſito virtutis, & vitæ Euãgelicę perfectione quærunt deiicere. Ab imo flumina, à ſupremo venti veniunt: quoniã ex omni parte multiplex tentatio nos quærit à ſtatu virtutis euertere. Flumina molliter alluunt, & velut ſuauiter circũlambunt domũ, vt eã dulciter abſorbeant. Venti autẽ rugitu magno ſæuiunt, & toto impetu in eam irruunt, vt vi proſternant in terram: quoniam proſpera per molliciẽ homines diſſoluere quærunt, aduerſa velut impetu proſternere. Vel aliter, per circũlambẽtes vndas, carnalium tentationum blandimenta: per ventorũ flatus, malignorum ſpirituũ ſuggeſtiones ſignantur. Illæ plærunq; hominem frequenti ſolicitatione blandè emolliũt, & mollicie reſolutum in ſe abſorbẽt. Hæ verò, ſubito impetu magis ſolent abripere inſtabiles. Qui autẽ Chriſti doctrinæ firmus innititur, hunc neque proſpera, neq; aduerſa, neque carnis blandimẽta, neque tentamenta diaboli, à ſtatu rectitudinis deiicere, vel etiam inflectere poterunt. Imo verò, ablutis ſi quæ adhærebant ſordibus etiam mundior remanebit domus, quoniam tentationibus probatus adeò nõ accipiet ſpiritualis homo detrimentum, vt etiam euadat mundior. Super arenam verò ædificat, quiſquis vitam ſuam non ſuper doctrina Chriſti fundat atque inſtituit, ſed vel ſecundum carnis ſuaſionem, vel ſecundum maligni ſubgeſtionem, vel ſecundum errantis multitudinis, ac mundi exemplũ, vel etiam ſecundum aliquam purè humanam doctrinam, quæ nõ eſt

à Deo

à Deo neque diuinæ conſona. Quiſquis autem ita ædificauerit, ſtultus eſſe monſtratur, ex eo ꝙ omnem ſuam ædificationem perdit, & omnem laborem quem impendit illi. Mox enim, aduenientibus tentationibus quibuslibet, cedit, & omni ex parte miſer efficitur. Hinc carnis & mundi blandimentis in quæuis carnalia vitia diſſolutus im mergitur, illinc maligni ſuggeſtionib⁹ in quæuis quantũuis magna facinora impellitur. Et licet nõnulli ex illis qui Chriſti non innitun tur doctrinæ, ad tempus nõnunquam videantur bene ſtabiles: adueniente tamen tẽtatione citò monſtratur, quoniã is qui tentationum impulſibus cecidit, ſtabili non erat ille gradu. Quàm autẽ magna ſit ædificationis huiuſmodi ruina, tũc declarabitur, quando cum ædificante ſtulto omnis illá ſtulta ædificatio dabitur in eſcã ignis æterni. Hoc ante concluſionem huius prolixi ſui ſermonis, voluit dominus ſuos eſſe præmonitos, vt nemo ſibi ſufficere putet, quòd verba Chriſti audierit, ſed ſolicitus ſit vnuſquiſque audita fideliter cuſtodire. Beati enim qui audiunt & cuſtodiunt verbum Dei.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

N*olite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, &c.*) Græcorum vulgati codices alterum tantum habent, videlicet: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Apud Latinos autem, poſſunt ambo illa in eandem accipi ſententiam: vt propter inculcationem & declarationem, bis idem dicatur. Explicat enim, condemnare, quid ſit iudicare: quanquam & in diuerſam ſententiam poſſunt accipi, vt condemnatio poſterior ſit & grauior iudicio: quemadmodum in cauſis ciuilibus prius iudicatur, ſequitur condemnatio. ¶*In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.*) Prouerbialis ſermo eſt, ſignificans ita tecum agendum, quomodo tu agis cum altero: vt ſi tu bene vel male agas cum proximo, itidem agatur tecum. Quidam autem hoc intelligunt de viciſsitudine, quæ redditur ab hominibus: vt ſit ſenſus, Sicut tu alios iudicaueris, ita viciſsim alij te iudicabunt: & in qua menſura tu aliis menſus fueris, viciſsim alij metientur tibi. Verùm hoc licet frequẽter ita eueniat, nõ generalem habet veritatem: cũ ſæpe in hoc mũdo ab aliis iudicentur & cõdemnentur, qui neminẽ iudicant. Id quod vel in Chriſto apertiſsimè videmus, cui nequaquã remenſum eſt iuxta menſuram qua menſus eſt nobis. Econtrario quoq; nõnulli iudicium & condemnationẽ effugiunt in præſenti tẽpore, qui iudicant & cõdemnant alios. Quare, pro generaliori expoſitione, videtur ſermo iſte diuinũ ſpectare iudiciũ. ¶*Nequando conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi canes dirumpant vos.*) In Græcis co-

dicibus non additur, canes, ſed tantum dicitur, *& conuerſi dirumpant vos*. Certum eſt tamen, de canibus partem iſtam accipiendam, priori ad porcos attinente. Porci enim cōculcant, canes dirumpunt. ¶ *Aut quis eſt ex vobis homo*. Gręcè eſt ἤ, quod interdum valet, aut, interdum, an. Videretur huic loco commodius dicere: *An quis eſt ex vobis homo*, eſſetque ſenſus dilucidior. Tota quoque illa oratio, *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius eius panem, nunquid lapidem porriget ei?* Ad verbum ex Græco reddita eſt, quæ quidem ſic clarius poſſet efferri: Quis veſtrum eſt, qui à filio ſuo poſtulatus panem, lapidem porriget ei? Vel ſic, Si quem veſtrum filius ſuus panem poſtulauerit, nunquid ipſe lapidem porriget ei? Vel ſic: Qui ſi ipſum filius poſtulauerit panem, lapidem porriget ei? ¶ *Bona data*.) Datum accipitur nominaliter, quaſi pro dono. Forſitan datū pro dono poſuit, ad cacophoniam vitandam, ne diceret, dona bona. Non eſt tamen in Græco hoc loco δῶρον doron, quod propriè donum ſignificat, ſed δόμα doma, quod potius datum nominaliter ſignificat. ¶ *Omnia igitur quæcunque vultis &c.*) Videtur nullam illationem ſignificare coniunctio, ſed tantum continuationis eſſe nota. ¶ *Quæ ducit ad perditionem*.) Græcè eſt ἀπάγουσα apaguſa, id eſt, quę abducit. Quod videretur in malam partem poſſe accipi, niſi ſtatim in eo quod ſubditur, Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, idem verbum poneretur. Nam illic nō poteſt in malum ſonare. Rectius ergò ſimplicis tantū ſignificationem intelligimus, quomodò noſtra habet lectio. Quæ ducit ad perditionem & vitam. ¶ *Quàm anguſta via*.) In Græco eſt ὅτι hoti: id eſt, quoniam vel quia. Vnde quidam codices Latini pro Quàm, legunt Quòd. ¶ *A fructibus eorum cognoſcetis eos*.) Fructus doctorum, poſſumus dupliciter accipere: vel fructus quos docentes faciunt: id eſt, fructus doctrinæ, qui videlicet ex ipſorum doctrina proueniunt. Vel fructus proprios ipſorum qui docent: id eſt, opera ipſorum & conuerſationes. Prior tamen videt᷑ generalior & certior. Facilius enim & certius doctor probatur, conſiderato fructu doctrinæ: diligenter videlicet attendendo quò tendat, an ad pietatem an ad impietatem, ad Deum vel ad carnem. Difficilius autē ex propria conuerſatione poſſunt diſcerni pſeudoprophetæ, propter ſimulationem ſanctitatis. Plerique enim tanti ſunt in ſimulando artifices, ita ſe transfigurare norūt in angelos lucis, vt vix ab oculatiſsimis eorum cōuerſatio deprehendi poſsit aliud quā ſancta & immaculata: adeò vt hoc artificio, miniſtri Satanæ plurimos poſt ſe nonnunquam abducant, ſuoque adſcribant domino cui militant. ¶ *Sic omnis arbor bona, &c.*) Quamuis ad propoſitum eorum quæ præcedunt magis propriè de doctoribus intelliga

igatur,generaliter tamē etiam omnibus hominibus rectè applica-
ur.Quod autem dicitur: *Non poteſt arbor bona fructus malos facere,&c.*
ccipiendum eſt,vt plurimum. Poteſt enim arbor bona, interdum
ructum vnum aut alterum producere non bonum:quemadmodum
bonus homo, interdum opus aliquod facit non bonum. Verum
n generalitate & multitudine intelligi debet,arborem bonam eſſe,
uæ vt plurimum fructus bonos producit. ¶ *Sed qui facit voluntatem*
atris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.) Illud poſtre-
num,ipſe intrabit in regnū cælorum non habetur in vulgatis Græ-
orum codicibus. Habet tamen ipſius additio magnam emphaſim.
¶ *Multi dicent mihi,in illa die.*) Demonſtratio eſt ad intellectum, diei
llius magnæ & ſemper memorabilis, quomodo & Paulus Timo-
heo ſcribens,dicit: *Repoſita eſt mihi,corona iuſtitiæ,quam reddet mihi do-*
minus in illo die,iuſtus iudex. ¶ *Admirabantur turbæ.*) Græcè eſt ἐξε-
πλήσσοντο exepliſſonto, quod ſonat, non ſimplicem admirationem,
ed vehementem & quandam obſtupefactionem. Vnde in aliis ali-
uot locis, verbum illud Græcum vertitur,obſtupeſcebāt vel ſtupe-
ant. ¶ *Et non ſicut Scribæ & Phariſæi.*) Græci codices non habent il-
ud nouiſsimum, & Phariſæi.

ELVCIDATIO CAP. VIII.

CHRISTO verò poſt ſaluberrimam do-
ctrinam Apoſtolis turbiſque traditam
deſcendente de monte,quem docendi
gratia conſcenderat,ſequutę ſunt eum
turbæ multæ, ex iis quæ eum docen-
em in monte audierant admirabilem & imitabilem
obis oſtendentes deuotionem ſuæ fidei, qua ſic per-
eueranter domino adhærebant. [b] Deſcendenti ita-
ue de monte domino,obuiam proceſcit vir quidam
lenus immunda lepra in corpore, fide tamen candi-
us,ac mundus in mēte,ſub ſordido corpore mūdum
ccultans animum.Hic morbum agnoſcēs,& ſanita-
em deſiderās,medicum requirit,à quo ſe poſſe cura-
i credebat:eúmq; accedens,reuerentiā impendit tan
o medico & tāto domino debitam, pro ſuæ fidei de-
otione genibus flexis in terrā humiliter procidens,
adorans corā eo:ſimulq; in breuiſsimo vno verbo,
fidei ſuæ proteſtationē,& deſiderij poſtulationem,
onus orator enunciat,dicens: [c] Domine, qui omnia

Cvm autē deſcēdiſſet de monte,ſequutæ ſunt eum turbæ.

b Et ecce lepro-ſus veniens adorabat eū, dicēs:

c Domine,ſi vis, potes me mundare.

 potes,

potes,cui nihil eſt in Deo impoſsibile,qui potes quæ non valet natura,hoc apertè proteſtor corā omnibus, poteſtatē eſſe tibi me curādi à lepra mea,ſi modo volueris.Quod nulla virtute,nullo medicamento, valet natura, quod arti omnino non eſt poſsibile, credo,& proteſtor tua ſola voluntate abſq; mora & omni difficultate mihi poſſe præſtari.[a] Statim benignus dominus,deſideriū & fidē orantis attendēns, ad exauditionem paratus,manū extendit,tanquā inſtrumento ſuę diuinitatis ea volēs vti,ad operationē miraculi:eumque extenſa manu cōtingens,verbū virtutis protulit, dicens:Volo:eſto mundus.Tu mihi dicis,Si vis,potes me mundare.Propter hanc tantæ tuæ fidei tam apertam confeſsionē,ego vicißim iuxta tuū deſideriū dico tibi, Volo te mundum fieri : eſto mundus. [b] Mox leproſus ille ſalutari beatæ manus cōtactu & efficacioris verbo ſanitati pleniſsimè eſt reſtitutus,omníſque ab eo lepra abſceſsit.[c] Volēs autē dominus exēplū humilitatis nobis proponere,& ſuperbę vanitatis gloriam cōdemnare,dixit illi quem curauerat:Caue, ne hoc quod in te oſtendi diuinæ potentiæ miraculū in vulgus efferas,neq; ſtatim coram aliis proclames, vt applauſum mihi populi ſuſcites,quē nō affecto,ſed patris gloriam. [d] Tu autem iuxta legis conſtitutionem vade, & oſtende te ſacerdoti, vt ſit ipſe conſcius emundationis tuæ,ad quem ex legis præſcripto ſpectat lepræ iudiciū:vt per me factus mundus,per illum mundus proberis.[e] Offer quoque oblationem quam Moſes in emundatione leproſorum conſtituit offerri,in teſtimonium ipſis leproſis,quòd verè à lepra ſua eſſent curati. Erat ſiquidem legalis illa oblatio eis in teſtimonium ſuæ emundationis,quoniā non niſi poſt compertam mundiciam illa offerebatur oblatio.[f] Factum eſt autem, domino ingrediente Capharnaum, vt Centurio quidā homo gentilis in ea ciuitate à Romanorum poteſtate cum militum cētenario numero ad loci cuſtodiam cōſtitutus, fama nominis & virtutū eius audita,ad ipſum accederet, ſuppliciter orans, ac dicens:[g] Domine puerum ſiue miniſtum habeo mihi vnicè charū, q domi meę iacet totus diſſolutus paralyſi,

a Et extendens Ieſus manum tetigit eum, dicēs: Volo: mundare.

b Et confeſtim mundata eſt lepra eius.

c Et ait illi Ieſus. Vide, nemini dixeris.

d Sed vade, oſtēde te ſacerdoti,

e & offer munus tuum, quod præcepit Moſes in teſtimonium illis.

f Cum autē introiſſet Capharnaū, acceſsit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens:

g Domine, puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur.

paralyſi,qua & torquetur grauiſsimè, cuius miſeriã non ſine magno animi mei dolore valeo conſpicere. Pro hoc tibi ſupplico,vt eum à morbo ſuo curare digneris,quemadmodum hactenus malis multis leuaſti plurimos.[a] Attendens dominus deuotionem & fidem interuenientis pro ſeruo domini:benignum illi reſponſum dedit, dicens.[b] Accedam ego domum tuam,vbi iacere dicis hunc puerum tuum:& pro tuo deſiderio curabo illum,[c] At verò Centurio iſte vidẽs dominũ ob ſuas preces velle domum ſuam accedere,ac iam recto itinere illuc tendere, præ humilitate cordis tato munere indignum ſe reputans,cuius cauſa tãtum laborem inſumeret ille quem pro fidei ſuæ magnitudine maximi faciebat,indignũ autẽ ſe reputãs,qui in domũ ſuam homo gentilis tantum tamq; diuinum virum ſuſciperet, humili reſpõſione cœptũ domini iter ſiſtere conatus eſt,dicens:[d] Domine,non tanti meipſum facio, neque tam parui te æſtimo, vt me dignũ putem ſuſcipere te in domum meam:cum ſim ego gẽtilis homo & peccator,cuiuſmodi ſimplex etiam Iudæorũ genus ſolet deſpicere, ac velut canes pro nihilo ducere:quanto minus ferendum mihi eſt, vt tu talis ac tãtus populi doctor & diuinus Propheta domum meam ingrediaris,cauſa ſanandi vilis ſeruuli? Abſit,vt tantam tibi vilitatem oſtendam, quem omni credo veneratione digniſsimum.[e] Sed verbo tantum iube fieri quod poſtulo, & fiet:nihil opus eſt tua præſentia,neq; vt videas, neq; vt cõtingas ægrotum.Credo enim tantæ te eſſe potentiæ,vt abſens abſentem ſolius iuſsionis tuę verbo curare poſsis.[f] Neque verò mirũ,ſi ſolo verbo tu id poſsis: quandoquidem ego purus ac fragilis homo,nullam habens niſi ab hominibus poteſtatem,nempe à ſuperiori Romanorum poteſtate: ſub qua ſum conſtitutus, ſolo verbo meo obedientes habeo miniſtros mihi ſubiectos, vt quum huic dixero,vade,vadat: quum alteri, veni, mox veniat: quum alteri dixero, Fac hoc ſiue illud, ſtatim ad obediendum ſe componat. Quanto magis tu,cui omnia parẽt,ex poteſtate tibi non ab homine, ſed à Deo tradita, creata omnia habebis tuis iuſsis

obedi

a Et ait illi Ieſus:

b Ego veniam, et curabo eum.

c Et reſpondẽs Centurio,ait:

d Domine,non ſum dignus vt intres ſub tectũ meum:

e ſed tantum dic verbo,& ſanabitur puer meus.

f Nam & ego homo ſum ſub poteſtate cõſtitutus,habẽs ſub me milites: & dico huic, vade & vadit: & alio,veni,& venit: & ſeruo meo,fac hoc,& facit.

obediētia:vt ſi morbo imperaueris abſcedere, abſcedat?ſi ſanitatē venire iuſſeris,adueniat?[a] Tātæ autem fidei tā aperta proteſtatione audita,circūſpiciēs Ieſus ad eos qui ipſum comitabantur apoſtolos,& turbas alias,in modum hominis admirātis vultum compoſuit,ad fidei tantæ in gētili homine relucentis comprobationen. Dixítque iis qui ipſum comitabantur:

a Audiens autem hæc Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit:

[b] In veritate dico vobis,ab eo tempore quo prædicās circuire cœpi,tantā fidem nec inter ipſos quidem Iſraëlitas inueni:hactenus neminē expertus ſum Iſraëlitarum, (qui tamē ob ſcripturarū teſtimonia, & veterem eruditionem legis meritò debebāt fide pollere præ gētibus)qui tantā mihi fidem vel verbo monſtrauerit,vel opere,qualem hic homo gentilis verbis & opere exprimit.

b Amē dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël.

[c] Propter hoc in veritate dico vobis,multos ex gētium populis huius Centurionis ſimiles,ab oriēte,occidente,ſeptentrione, atque meridie:id eſt,ex omni parte orbis, & omnibus gentibus, tribubus,linguis & populis,per fidē venturos ad gloriam regni cęleſtis,illicque diſcubituros cum ſanctis Patriarchis,Abraham,Iſaac,& Iacob,tanquam veros ſecundum ſpiritum & legitimos ipſorum filios, propter imitationem rectæ plenæque fidei.

c Dico autem vobis:quòd multi ab, oriente & occidēte venient, & recumbent cum Abrahā & Iſaac & Iacob,in regno cælorum.

[d] Cum interim carnales Iudæi qui vidētur & ſunt filij regni (vtpote carnale ſemē Patriarcharum , quibus factæ ſunt promiſsiones regni)propter incredulitatē ſuam excludētur foras,nec admittentur ad poſſeſsionem regni,ſed detrudentur in profundum inferni:vbi erunt tenebrę externę,palpabiles,& horridiſsimæ,vbi nulla erit lucis conſolatio.

d Filij autē regni , eijcientur in tenebras exteriores.

[e] Illic quoque perpetuus erit fletus,pro amiſsione tātorum bonorum,quibus ſeipſos priuauerūt:& pro tantorum inuentione malorū, quæ poterant euadere,æternus ſtridor dentium:quibus triſtitiam & deſolationē ſummam teſtabuntur, qua intus torquebuntur grauiſsimè.

e Ibi erit fletus & ſtridor dentium.

[f] Quibus dictis, ad Cēturionem ſermonem conuertens dominus ait illi:Promeretur fides tua tam inſignis,quam proteſtatus es,vt quod petiſti obtineas.Dignum eſt, vt potētiam virtutis meæ ſentias,quam nōdum in te expertus tantopere commendas.Vade in pace, iuxta fidem

f Et dixit Ieſus Centurioni, vade,& ſicut credidiſti fiat tibi.

tuam

tuam fiat tibi:accipe quod poſtulaſti breue & finale verbum. Fiat quod petiſti.[a] Ad cuius verbi enunciatioñe ipſo momento puer ſanitatem perfectam recepit,ita vt plenus illi reſtitueretur membrorũ omniũ vſus, rediréntq; ſingula ad ſtatum & officia priſtina. [b] Ingrediés auté Ieſus domũ in qua Petrus commoratus fuerat, antequã ſequeretur dominum. quã pro præceptoris amore, ad vnius iuſsionis vocé reliquerat,reperit ſocrũ Petri lecto decumbentem,& æſtuãtem febribus. [c] Quam, per apoſtolos interpellatus, manu apprehẽſam, protinus à febris ardore liberauit:ſicq; ſubitò ſanitati & viribus priſtinis reſtituit, vt ſurgens de lectulo vbi decubuerat, domino cũ ſuo comitatu in neceſſariis miniſtraret, tãquam ſi nihil fuiſſet mali perpeſſa.[d] Circa autem ſolis occaſum, fama iam diſperſa in populo de Chriſti in domo Petri præſentia,allati ſunt ante domũ in qua erat cõplures dæmoniaci:quos ipſe nullo negocio,ſolo verbo curauit,præcipiens dæmonibus exire ab obſeſsis, eóſque relinquere liberos.Neq; ſolum dæmoniacos curauit, verumetiam alios omnes quocunque morbi genere vexatos.Nulla enim erat illi differentia in morborũ generibus,nulla ex grauitate vexationis aut téporis lõginquitate diſcretio,qui eadem facilitate (nimirũ ſolo verbo) curabat omnia.[e] Atq; hoc pacto impleta eſt prophetia illa Eſaiæ Prophetæ, de Meſsia ita loquentis:[f] Ipſe infirmitates noſtras à nobis abſtulit & languores noſtros noſtráque vulnera ipſe portauit. Quæ ſcriptura,licet ſecundũ præcipuam ſpiritus ſancti intẽtionem ad paſsioné Chriſti ſpectet,per quam infirmitates noſtras in ſe accepit ad ſatiſfaciendũ pro eis paternę iuſtitię,& noſtras ægrotationes noſtróſq; dolores portauit,debitas nobis pœnas in ſe ferendo: minus principaliter nihilominus etiam de corporalibus infirmitatibus rectè accipitur, quarum ſanatio corporalis præuiũ ſignum erat ſanationis ſpiritualis, qua per paſsionem ſuam omnes erat à morbis ipſorum curaturus medicus animarum noſtrarum. [g] Vidés autem dominus ad ſe congregatas iam eſſe turbas plurimas,poſtquam aliquandiu in negocio labo-

a Et ſanatus eſt puer ex illa hora.

b Et cum veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem & febricitantem.

c Et tetigit manum eius, & dimiſit eã febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis.

d Veſpere autẽ facto, obtulerũt ei multos dæmonia habẽtes, & eijciebat ſpiritus verbo, & omnes male habentes curauit.

e Vt adimpleretur quod dictũ eſt per Eſaiam Prophetam dicentem:

f Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.

g Videns autẽ Ieſus turbas multas circum ſe, iuſsit diſcipulos ire transfretum:

ris fuiſſet verſatus,prædicãs,& miracu la faciens, voluit ad tempus ſe à turba ſubducere, dixitq; diſcipulis ſuis:Tranſeamus nauigio lacum iſtum, in partem alteram.[a] Domino autem ad nauem cauſa tranſnauigãdi proficiſcente,in via acceſsit ad eum Scriba quidam,dicẽs:Præceptor,adeó me allexit vis tuæ prædicationis,ita mihi placent & doctrina & vita tua,vt(ſi ita tibi viſum fuerit)cupiam tuo adiũgi ſodalitio,tibiq; indiuiduus comes fieri quocunque perrexeris. [b] Dominus autem probare volens illius animum,& quãtam rem,quámque difficilem poſtularet,apertius ei explicare,dixit illi: Quod petis,rationabile quidẽ & ſalutare eſt,ſed magnum & difficile,omnia videlicet tua propter me derelinquere,& mihi pauperi homini adhærere,cuius tãta eſt paupertas,vt ipſis etiam animalibus irrationalibus,ſiue quæ in terra,ſiue quæ in aëre habitant ſim pauperior.[c] Nã vulpes quidem in terra habitãtia animalcula priuatas ſuas & peculiares habent foueas intra terram, vbi ſuos educant fœtus,vbi ſe abſcõdunt & latitant,ad quas recurrunt ſi perſequutionẽ ſuſtineãt,ad quas deferunt ſi quam cœperint prædam. [d] Volucres item quæ in aëre volitant,nidos ſuos proprios habent,vbi oua reponunt, pullos educunt & educant, in quibus ſe abſcondunt, & ad quos ſemper habent refugium ſi quid occurrerit.[e] Ego autem vilis hominis filius,humilis & ignobilis homo,quod ad corpus attinet,nõ habeo in mũdo proprium quicquam: non dico domum, non dico cubiculum,non lectum,ſed ne tantillum quidem vbi caput meũ reclinem.Id eſt, non tantum loci proprij, vbi dormire poſsim,quomodo in ſuis foueis dormiũt vulpes, & in nidis aues. Vel ne ceruical quidem, aut puluinal,quod dormiturus ſupponam capiti. Tãta cũ ſit mea paupertas, vide quid ſit, propter me omnia relinquere, mihíque indiuidua ſocietate adhærere. [f] Acceſsit ad Chriſtum alius qui iam de numero erat diſcipulorum, dixítque illi: Magiſter, rectè placet mihi tua ſocietas,neque te cupio in totum derelinquere.Peto tamen dari mihi facultatem, vt tantiſper à te abſens eſſe poſsim, ſalua tua gratia, donec patri meo

a Et accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocunque ieris.

b Et dicit ei Ieſus,

c Vulpes foueas habent,

d & volucres cæli nidos.

e Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.

f Alius autem de diſcipulis ait illi: Domine, permitte me primũ ire, & ſepelire patrem meum.

meo iam ſenio cōfecto claudam oculos, eique debitum funeris obſequium, vt bonum decet filiū impendam: quo peracto, redibo quantotius, vt fiam tibi comes indiuiduus. Tenet enim me patris deſiderium, affligit me ipſius grādis ſenectus, cui iuſtum videtur me filij impēdere obſequium. [a] Ieſus autem volens apud ſe illum detinere, vanū ipſius deſideriū refutat, dicēs: Perſeuera tu mecum. Vana tentatio eſt inſtabilitatis, quæ te ſolicitat, ſub prætextu pietatis. Non te indiget pater tuus: habet familiā ſuam, habet miniſtros, habet amicos, & forſitā filios alios, qui illi in neceſſariis inſeruiant. [b] Sine infideles ſe inuicem curare & ſepelire: nec opus eſt vt tu propter tuū patrem infidelem & mundanum hominem, deſeras Euangelij negocium, qui iā ſpiritualis & fidelis factus es. Abiice vanū iſtud deſiderium, depone falſam pietatem, & in eo quod ſemel elegiſti permane ſancto propoſito. Nā ſi ad domum paternam redieris, neſcis quanta tibi inſtent pericula, quæ te à ſancto propoſito quærant retrahere. [c] Dominum dehinc aſcendentem in nauiculam transfretandi gratia, ſequuti ſunt obedientes diſcipuli: quibus perinde erat, ſiue terra, ſiue mari, ſequi dominum, nimirū toti ex eius voluntate pēdentes, vt nihil vellent ipſi, niſi quod vellet præceptor. [d] Iam autem in naui ipſis exiſtentibus, & nauigare incipientibus, permiſit dominus (ad patris gloriam miraculo patēti manifeſtandam, & diſcipulorū fidē probandam primum, ac deinde confirmandam) tēpeſtatem magnam & commotionem in mari excitari, ita vt fluctus maris à ventis concitati in nauim irruentes, ipſam obuoluerent, ac velut operirēt. [e] Ipſe verò dominus in interiori parte nauis longo fatigatus labore, dormiebat: tum vt fatigatum laboribus, & diutina vigilia humanum corpuſculum aliquātulum ſomnus inſtauraret viribus, cuius gratia à natura ſomnus datus eſt animalibus: tum vt eſt hoc magis diſcipulorum fides probaretur quibus non tantus veriſimiliter metus fuiſſet obortus, ſi non dormiuiſſet dominus. [f] Videntes autem diſcipuli tantū ſibi dormiēte præceptore imminere periculum, iámque

in pro

a Ieſus autem ait illi, Sequere me,

b & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

c Et aſcendente eo in nauiculā ſequuti ſunt eum diſcipuli eius.

d Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.

e Ipſe verò dormiebat.

f Et acceſſerūt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes:

in proximo niſi ſuccurreretur mortẽ ſibi imminere præceptorem accedunt,& dormientem excitaut, velut neceſsitate compulſi,dicentes:[a] Cuſtodi nos præceptor,& ſerua ab imminẽte periculo. Iam enim niſi tu ſuccurras,vniuerſi perimus. Tempeſtas tãta eſt, vt obſiſtere vltra nõ valeamus,niſi tu adiuueris. [b] Exurgẽs à ſomno dominus,primum ipſos increpat de terrore nimio, quo erat correpti, qui ex imperfectione videbatur procedere fidei. Quid (inquit) vos homines modicę fidei,exiguęq; fiducię tã immoderato timore eſtis propter hanc tempeſtatẽ conterriti? Quaſi nõ poſsim ego etiam dormiens vos ſaluare à cunctis periculis æquè atque vigilãs,quaſi mecum vobis poſsit mali quicquam cõtingere. Qua in re oſtenditis modicam & imperfectam adhuc eſſe fidẽ veſtrã, & fiduciam exiguam,quum dormiẽtem putatis vobis ſaluandis non ſufficere. [c] Tunc ſurgẽs,& in apertum procedẽs ad locum ſuperiorem,imperauit ventis(à quibus erat tempeſtatis initium)vt ſilerẽt,& impetuoſe ſic flare deſiſterent:& mari imperauit, vt fluctibus ſuis nõ amplius nauem moleſtaret. [d] Statimq; ad domini imperium ceſſauit ventus,quieuerunt fluctus: & facta eſt in mari magna tranquillitas, omni tempeſtate ſedata.[e] Qui ergo in naui erant cum apoſtolis, atq; ij etiam in coniunctis erant nauibus, vidẽtes tam præclarum & euidens miraculum,in vehemẽtem ſunt admirationẽ adducti, ſuper tanta Chriſti poteſtate,qua etiam ventis & mari imperare poterat,dixeruntque adinuicem: [f] Qualis & quantus hic eſt,cui etiam venti & mare obediunt, qui ſolo verbo poteſt cõcitatos ventos ſubitò continere, tumultuas mare compeſcere?cui ad nutum ſic obediũt illa, etiã quę irrationalia ſunt,imò quę horũ omnium videntur ferociſsima? Sicq; in hoc miraculo & patris gloria magnificè claruit,& diſcipulorum fides poſt probationem non parum eſt confirmata.[g] Poſtquam verò,trãſito mari,veniſſet dominus in regionem Geraſenorum,quæ erat in ripa oppoſita loco illi vnde ſoluerat nauis,occurrerunt ei dæmoniaci duo exeuntes de ſepulchris mortuorum,quæ extra ciuitatem erãt, in quibus

a Domine,ſalua nos,perimus.

b Et dicit eis Ieſus,Quid timidi eſtis modicæ fidei?

c Tunc ſurgens imperauit ventis,& mari:

d & facta eſt trãquillitas magna.

e Porrò homines mirati ſunt, dicentes:

f Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?

g Et cum veniſſet Ieſus, trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerũt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeũtes.

in quibus latitabant acti illuc à dæmonibus:qui vt filij ſunt mortis & horroris,æternis tenebris deputati, ita loca horrida mortuorum quærebant:tum etiam, vt hominibus timorem & horrorem incuterent:talibus ex locis prodeuntes. [a] Erantque dæmoniaci iſti ſæui & terribiles valdè,ita vt nemo auderet per viam illam tranſire,eo quòd ſine incurſu & nocumento neminé tranſire permitterent.Statim enim vt tranſeuntes aliquos videbant,aduolabant,& impetum faciebant in tranſeuntes,non ſine verberibus illos dimittentes.[b] Hi cum vidiſſent aduenientem Ieſum,ſentientes virtutem & poteſtatem eius,vehementer timere cœperunt:ad eum modum quo conturbantur timore latrones atque prædones,vbi præfectum vident cum magna vi militum ad ſe cómprehendendũ & puniendum venientem:imminétiſque pœnæ metu,cœperunt clamare dicentes:[c] Quid nobis rei tecum eſt Ieſu fili Dei?Nihil nobis tecum eſt negotij. Nos tibi aut tuis nocere non quærimus,vt neq; poſſumus,agnoſcentes,tuam potentiam quam habes à Deo.Tu item ne nobis noceas.Quid huc voluiſti venire ad locum iſtum vbi arbitrabamur nos liberos à tua præſentia & poteſtate,vbi te non arbitrabamur neque timebamus venturum? [d] An ideo huc veniſti, vt ante tempus nos torqueres,eiiciens nos ex habitationibus noſtris,& in abyſſum demergens,antequã generalis iudicij dies adueniat? Noli quæſumus ita agere.Saltem hanc nobis facias gratiam , vt non in abyſſum inferni nos ſtatim conijcias.Satis enim tempeſtiuè ad locum illum carceris venturi ſumus:ſine interim nos aliquãtulũ adhuc in aëre verſari.[e] Iuxta locum autem illum in quo hæc agebantur,grex magnus erat porcorũ è ciuitate propinqua,qui illic paſcebantur.Dæmones itaque videntes,ex Chriſti comminatione & virtute quam iam ſentire incipiebant, fore ſibi exeundum ex hominibus,magno abyſsi metu perterriti,ſeruili ſupplicatione deprecantur dominum,dicentes:[f] Si ita omnino tibi decretum eſt:vt ex corporibus iſtis humanis nos eiicias,ſaltem hanc nobis facias gratiam , vt in porcos iſtos nos ingredi

a ſæui nimis,ita vt nemo poſſet tranſire per viã illam.

b Et ecce clamauerunt , dicentes:

c Quid nobis et tibi Ieſu fili Dei?

d Veniſti huc ante tempus torquere nos?

e Erat autẽ nõ longè ab illis grex multorum porcorũ paſcẽs: Dæmones autẽ rogabant , eum dicentes:

f Si eijcis nos hinc , mitte nos in gregem porcorum,

a Et ait illis, Ite.

liceat.[a] Conſenſit autem dominus poſtulationi dæmonum,dans illis poteſtatem,vt egredientes ab obſeſsis corporibus hominum ingrederẽtur in porcos.

b At illi exeuntes, abierunt in porcos.

[b] Accepto autem exeundi ab homine imperio,& licentia ingrediendi in porcos obtenta, relinquentes obſeſſa hominum corpora,ſtatim introierunt in immunda pecora,& qui prius duorum tantum obſederant corpora,totum iam illum porcorũ gregẽ impleuetũt,quoniam numero plurimi erant,qui abinuicẽ diuiſi tantam porcorum multitudinem ſufficiebant implere.

c Et ecce magno impetu abijt totus grex per præceps in mare: & mortui ſunt in aquis.

[c] Et ecce ſtatim vt in porcos ſunt ingreſſi,cœperunt illos ad curſum agitare verſus mare:totuſque grex ille porcorum magno impetu,agminatim ſe præcipitem dedit in mare,& ſubmerſi ſunt in eo.

d Paſtores autẽ fugerunt,& venientes in ciuitatem, nuntiauerũt hæc omnia, & de ijs qui dæmonia habuerant.

[d] Qui autem porcos iſtos paſceb ant,videntes tam horrendum ſpectaculum,partim timentes ne & ipſis mali forſitan quippiam contingeret à dæmonibus vel obſeſsis porcis,partim metuentes ne ipſorum negligentiæ ad culpam imputaretur porcorum perditio,ſi diſtuliſſent nuntiare factum dominis,fugientes ingreſsi ſunt ciuitatem:nuntiaueruntque ciuibus,& rumorem ſparſerunt in populo,de iis quæ facta fuerant,de porcorum ſubmerſione,& de ſanatis dæmoniacis.

e Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Ieſu.

[e] Quo rumore tantæ nouitatis audito, vniuerſi penè ciuitatis illius incolæ,foras ciuitatem ſunt ingreſsi,ad tam nouum ſpectaculum:vt oculis viderent,cuius iam ãditu famam acceperant,ſicque egrediẽtes,proceſſerunt obuiam Chriſto.

f Et viſo eo,rogabant eum,vt tranſiret à finibus eorum.

[f] Quo viſo & cognito,quòd ipſe huius eſſet author miraculi, obſtupefacti pro miraculi nouitate,& re terribili conterriti,forſitan etiam pro porcorum damno dolentes,deprecabantur eum vt à finibus ſuis diſcederet.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

V*olo, mundare.*) Diſtinctè legendũ eſt,Volo,mundare. Eſt enim, mundare,imperatiuus paſsiui generis.Id in Græco manifeſtũ eſt,θέλω,καθαρίσθητι. ¶*In teſtimonium illis.*) Nos expoſuimus,in teſtimonium illis leproſis:quoniam oblatio illa quã præſcribit lex offerri à leproſis in emundatione ſua,erat ipſis teſtimonium ſuæ emũdationis

ionis.Sic enim lex dicit Exod.14. *Hic eſt ritus leproſi quando mundan-dus eſt: Adducetur ad ſacerdotem,qui egreſſus de caſtris,cum inuenerit leprā ſſe mundatam,præcipiet ei qui mundatur, vt offerat duos paſſeres, &c.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt,oblationem teſtimonium fuiſſe cer-um emundationis,quoniam non permittebantur offerre,niſi poſt udicium ſanitatis.Poteſt etiam ſic intelligi,In teſtimonium illis ſa erdotibus,vt ſcilicet nō habeāt vnde me poſsint calūniari quaſi le-gis trāſgreſſorē poſteaquā te iuxta legis præſcriptū ad illos miſerim. ¶*Acceſsit ad eum Centurio,rogans eum &c.*) De hoc Centurione vide-ur nōnulla diſſonantia inter Matthęū & Lucam,qua de re illos vide t lege,qui plenius de conſonantiis Euangeliorū ſcripſerunt. ¶*Ego veniam,& curabo eū.*) Hoc verbo non quid ipſe facturus ſit prænūtiat, ed ad quid ſit pro deprecantis deuotione paratus indicat:tāquam ſi icat,Paratus ſum tecum domū accedere,& illic languentē curare. Quod & feciſſet dominus,niſi obuians fidei magnitudo impetra[illegible] et ublimiorē curationis modū,quo videlicet abſens curauit abſentē, ublimiorem nanq; curationis modū ſublimior fides impetrare me uit.Eſt autem ſublimior curandi modus,quo abſens abſentē curat erbo,quàm præſens præſentem contactu. ¶*Non inueni tantam fidem n Iſrael.* Græcè aliquanto maiori emphaſi dicitur , hoc modo, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ,&c.id eſt,neque in Iſrael tantam fidem inueni:vel,ne n Iſrael quidem,illic videlicet vbi maximè videbatur fides requi-enda propter Prophetarum vaticinia.Nōn debet autem hoc ſimpli iter intelligi,neminem fuiſſe in omni populo Iſraelitico fide pa-em huic gentili Centurioni.Beata enim virgo Iſraelitica erat, Eli-abeth,item & Ioſeph,Simeon quoque & Anna,& fortaſſe horum rant ſimiles alij plures.Sed hoc ſignificare vult , ex quo prædicare t miracula facere cœpiſſet,hactenus non occurriſſe quenquam Iſ-aelitarum à ſe quippiam petentem,qui tantam monſtraſſet fidem. Vel magnitudo iſta reſpectiuè conſideretur,pro conditione homi-is gentilis,& terrenis impliciti negotiis. ¶*Ipſe infirmitates noſtras cæpit,& ægrotationes noſtras portauit.*) Allegatio hæc iuxta ſeptua-inta eſt interpretes: Hieronymus autem ſic ex Hebræo vertit, Verè languores noſtros ipſe tulit , & dolores noſtros ipſe portauit: ſtque ſententia eadem. ¶*Et accedens vnus Scriba , dixit illi: Magi-ſter,&c.*) Vulgata eſt doctorum ſententia , hunc Scribam malo & olоſo animo Chriſtum acceſsiſſe. Dicunt enim hoc ipſum quæ-ſſe à domino,quod pòſt Simon Magus à Petro in apoſtolicis Acti-us deſcribitur quæſiſſe.Quia enim viderat Chriſtum magnæ mira ula facientem , cogitabat apud ſe ſtimulatus cupiditate auaritiæ

h 2 (vt ip

(vt ipſi aiunt)quomodo eam poſſent adipiſci poteſtatẽ talia faciẽdi miracula,vt ex eis ſibi quæſtum venaretur. Atq; ob hoc reſponſum durum,illum aiunt audiſſe,dicente domino: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos &c.* Quod in hunc modum interpretantur. Quid ex mea ſocietate,ô doloſe Scriba,tibi quęris diuitias: cum tam ſim ego pauper:vt nemo me ſit pauperior?ſicque reſponſionem hanc domini volunt eſſe reprobantis & reiicientis doloſum animũ. Nos vt huic ſententię plurimum patrum nequaquã refragamur,ita nec omnino aſſentimur?maximè cum in textu omnino nihil poſsit aſsignari,quod nõ eadem facilitate poſsit in bonam partẽ atque in malam interpretari. Et quanquã ipſum profeſsionis nomẽ odioſum aliquid prima facie ſonet,quoniam ſcriba appellatur(quod eſt nomen perſequutorũ Chriſti)nõ eſt tamen neceſſe,omnes Scribas fuiſſe malos & doloſos:quẽadmodũ nec omnes Phariſæi,neq; omnes legiſperiti mali erãt. Vnde dici poteſt citra cuiuſcunq; præiudiciũ,hunc Scribã commotum efficacia verborum Chriſti,cõcepiſſe propoſitum bonũ ipſum inſequendi,hocque propoſitum domino iam abſcedere paranti verbis indicaſſe,quæ ponuntur in textu: *Magiſter ſequar te quocunq; ieris*: id eſt,propoſitũ habeo te ſequendi,ſi tibi videbitur me in tuam ſocietatem admittere. Reſponſio autem domini accipi poteſt conueniẽter,nõ vt reiiciat doloſum,ſed vt tenero & mollibus aſſueto.Scribę difficultatem exponat conditionis poſtulatæ,tanquã ſi dicat:bonum eſt quod poſtulas,ſed tu vide qui mollibus aſſueuiſti, & delicatius enutriri ſoles,non tam duræ conditioni par eſſe valeas. Vide qui omnium rerum ſoles pro voto & nutu habere abundantiam, num magiſtrum ſequi poſsis,omnibus relictis,tantę paupertatis,vt neque locum habeat,vel pluuinar vbi caput reclinet. Atque hoc modo,commiſerantis potius vox iſta eſt quàm reiicientis. Sic enim ſolent difficilium inſtitutorum præpoſiti,vt cœnobiorum patres, poſtulantibus in ardore ſpiritus ad eiuſmodi inſtituti profeſsionẽ recipi,quę in ea profeſsione ſunt duri,ora proponere,idque nõnunquã magna cum cõpaſsione,cũ tenellos vident corpore,animo tamẽ fortes tirunculos,ad dificilia ſeſe pro nomine domini offerentes. Hanc ſententiam ſuperius textum elucidantes,indicauimus: ſic tamen,vt nemini præiudicatũ velimus.¶*Non habet,vbi caput ſuũ reclinet.*) Poteſt intelligi de loco,vel de puluinari. Magis tamen quadrat,vt de loco intelligatur,quoniam de locis vulpium & auium præmittitur. Quaſi dicat, Habent loca ſua vulpes & aues, in quibus requieſcunt & habitant. Ego autem nec tantillum proprij loci poſsideo,vbi caput meum valeam reclinare. ¶*Permitte mihi primum ire, & ſepelire patrem meum.*

meum.) Quidam accipiunt, patrem mortuum fuiſſe, & tantum facultatem hunc petiiſſe, vt patri impenderet funeris obſequium. Veriſimilius autem eſt, vt per ſepelire patrẽ, intelligat habere patris curam donec ipſum ſepeliat: quomodo in hiſtoria beatæ Luciæ virginis, matrem ipſius legimus dixiſſe, *Claude primũ filia oculos meos, &c.* hoc eſt, tãtiſper tuum differ propoſitum vel petitionem, donec ego vixero: & poſtquã meos clauſeris oculos, tum facies quod volueris. ¶*Quid timidi eſtis, modice fidei?*) Græcè vnico nomine dicitur ὀλιγόπιστοι oligopiſti, quod vnica voce latina nequit exprimi: ſignificat autem paruos fide, vel homines parua fide. ¶*Tunc ſurgens imperauit ventis & mari.*) Græcè eſt ἐπετίμησε epetimiſe, quod poteſt verti, increpauit: eſtque ſententia eadem. Increpando nanque mare & vẽtos eiſdem imperabat vt ceſſarent, & imperando increpabat. Cum imperio nanque dominus mare increpauit, & cum increpatione imperauit. ¶*Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* Græci codices coniunctionem, καὶ &, ſtatim poſt quia ſubnectunt: poteſtque ſingularis in hoc emphaſis notari hunc eliciẽdo ſenſum: Qualis eſt hic, quia etiam venti & mare obediunt ei? ¶*Veniſti huc ante tẽpus torquere nos.*) Siue id per interrogationem legatur, ſiue per amaram pronuntiationem, eadem eſt ſententia. Eſt enim vox querimoniæ, & quaſi deplorationis pro eo quod metuebant. Id ex Euangeliſta alio cognoſcitur dicente: *Deprecabantur eum multum, ne in abyſſum irent.* ¶*Et ecce magno impetu abiit totus grex.*) Pro toto illo, magno impetu abiit, Græcè tantum eſt, ὥρμησεν hormiſen, quod vno verbo Latino, penitus exprimi non potuit. Sonat enim, rapiebatur, rapido curſu ferebatur vel agebatur, aut ſimile aliquid. ¶*Et de his qui dæmonia habuerant.*) Græcè eſt, καὶ τὰ τῶν δαιμονιζομένων, hoc eſt, ad verbum reddendo. Et ipſa dæmoniacorum: id eſt, ea quæ acciderant obſeſſis dæmonio: quod pulchra periphraſi noſter interpres tranſtulit, dicens, & de his qui dæmonia habuerunt.

ELVCIDATIO CAP. IX.

ET aſcendens Ieſus in naviculam, transfretauit, et venit in ciuitatem ſuam.

GEraſeni verò quoniam oblatã ſibi gratiam reſpuentes, ſe fecerunt indignos Chriſto, idcirco eis relictis iterũ nauẽ conſcendit, vt trãſnauigaret ad ripam oppoſitam. Venitq; ad ciuitatẽ ſuam, nempe Capharnaum: quæ ciuitas dicitur Chriſti, nõ quòd in ea natus vel educatus fuerit, ſed quia in ea plurimũ demoratus & cõuerſatus eſt cum ſuis Apo-

ſtolis,poſtquã prædicare cœpiſſet, inque ea miracula fecit plurima. [a] Illuc autem ingreſſo, obtulerunt quendam hominem paralyticũ lecto decumbentem: qui quoniam per ſemetipſum impotens corpore non potuit ad Chriſtũ accedere,à miniſtris vel amicis deferri ſe fecit vnà cum lecto in quo iacebat, vt ſanitatem impetraret. Et quoniam locus cõueniẽs nõ erat exhibendi eum ante Chriſtum a platea, propter populi multitudinẽ aſcenderũt ad tectũ domus vbi erat dominus,& tegulis effractis, tectóq; nudato ſic demiſerũt illum ante Chriſtum,tali artificio vtentes & tãta diligẽtia vt ſanitatem infirmus acciperet. [b] Agnoſcens autẽ dominus & approbans tantam iſtorum fidẽ,nempe & eius qui ægrotus decumbebat lecto, & eorũ quorum miniſterio deferebatur, miſericordia motus eſt,vt tãtæ fidei præſtaret quod poſtulabat. Voluit tamẽ à radice morbum ſanare, & prius ſpiritualem infirmitatem (quæ corporalis morbi videbatur eſſe origo)quàm corporalẽ curare. Propter quod dixit paralytico, ſuorũ peccatorum in afflictione proculdubio agenti pœnitentiam: [c] Bono animo eſto fili,& bonã habeto fiduciam, breui tibi veniet optata ſanitas.Iam tui morbi radicẽ præſcindens, dico tibi, quod dimittũtur tibi peccata tua:vt ex maiori beneficio ſuſcepto, confidas de præſtando minori. [d] Quidam verò Scribarũ qui illic aderant occaſione illorũ verborũm Chriſti ſeipſos ſcandalizantes, ſua inuidia & maleuolẽtia,dixerunt in cordibus ſuis: Hic homo blaſphemat,quod Dei ſolius eſt ſibi tribuens, qui nõ niſi homo eſt.[e] At verò benignus Ieſus oculo illo diuinitatis ſuæ:id eſt, per omniſcientiam diuinam qua cũctas hominum cogitationes nouit, & omnia cordis abſcondita intimè perſpicit cognoſcens ita illos malè cogitare in cordibus ſuis,ad redarguendum eorum impium & iniquum iudicium, quo ipſum blaſphemum iudicabant ſine cauſa, dixit eis: [f] Quare in cordibus veſtris geritis mala & impia iudicia, me iudicantes blaſphemum, eo quòd dixerim, Dimittuntur tibi peccata? [g] Interrogo vos ego, vtrum ſit horum facilius,dicere homini peccatori,Dimittuntur

a Et ecce offerebant ei paralyticum iacẽtem in lecto.

b Et videns Ieſus fidem illorũ dixit paralytico:

c Confide fili,remittuntur tibi peccata tua.

d Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe, Hic blaſphemat.

e Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit:

f Vt quid cogitatis mala in cordib[9] veſtris?

g Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere,Surge & ambula?

tur tibi peccata tua:id eſt,ſolo verbo pèccatori peccata dimittere,& iuſtificare impium:an dicere homini paralytico,Surge & ambula:id eſt, ſolo verbo hominem paralyticũ ſubitò ſanare,ac in pedes reſtituere? Nónne hęc duo æquè ſunt homini difficilia,imò impoſsibilia?nónne æqualiter ſolius ſunt Dei, qui ſolo verbo facit quæcunque voluerit?Quia ergo non poſſum vobis ad oculum id demonſtrare ,quòd poteſtatem habeam ego filius hominis dimittendi peccata ſuper terram (eo quòd res iſta intus tranſigatur in ſpiritu, & ſicut non peccatum,ita nec peccati remiſſio poteſt oculis cerni) volo vobis per aliud ſenſibile ſignum ęqualis virtutis,veritatem illius oſtendere,& per huius paralytici ſolo verbo ſanationem, quam oculis veſtris cernetis,demonſtrare, quòd non vanus fuerit meus ſermo ille prior,quo dixi, Dimittũtur tibi peccata: ſicq́ue per id quod videri poteſt, aſtruam vobis id quod videri non poteſt. [a] Vt ergo certo ſciatis & abſque contradictione fateri cogamini, ꝙ ego verè poteſtatem habeam ſuper terram hominibus peccata dimittendi (quemadmodum in verbo illo ſupradicto viſus ſum indicare, & propter quod vos me tanquam blaſphemum iudicatis) conuertens me ad hunc paralyticum, ecce dico illi,omnibus vobis & cæteris qui adſunt audientibus: [b] Surge ſanus, & in perfectæ ſanitatis ac virium tibi redditarum teſtimonium, accipe in humeros lectum tuum in quo iaces, & vade ſic lecto onuſtus in domum tuam: vt ſciant & videant omnes coram oculis ſuis,te plene eſſe ſanatum, nec vlla ſuperſit calumnia. [c] Statim ad verbum domini homo ille ſurrexit ſanus,priſtinis viribus reparatus,imò fortior effectus quàm ante fuerat,Chriſto ſemper ad abundantiam reſtituente omnia. [d] Surgensq́ue homo ille & in pedes conſiſtens, iuxta verbum domini, alacriter in humeros ſumpſit lectum in quo delatus fuerat: & qui paulò antè nec ſuum ſolum corpuſculum portare valuit, iam etiam lecti onus portare ſufficiẽs, cũm gaudio & exultatione in domum ſuam abſceſsit coram omnium oculis. [e] Videntes autem populi ſimplices & pij tam euidẽs

a Vt autẽ ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico:

b Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

c Et ſurrexit,

d & abiit in domum ſuam.

e Videntes autẽ turbæ timuerũt,

miraculum,vehemẽter admirati ſunt, & timuerunt: id eſt,magna erga Chriſtum reuerẽtia & deuotione ſunt affecti: [a] & gloriam dederunt Deo(ex cuius virtute Chriſtũ hæc omnia agere credebant)quia dignatus eſſet populum ſuũ viſitare per talẽ Prophetã tam glorioſa poteſtate & authoritate prǫditum,quódque populum ſuum voluiſſet tam potenti viſitatore lætificare & glorificare,à quo viam quoq; ſalutis audirẽt. [b] Aſcendens autẽ dominus à loco in quo paralyticũ curauerat venit ad locũ vbi in telonio ſiue ad teloniũ reſidebat homo quidã cui nomẽ erat Matthæus, vbi ipſe publico fungens officio reſidebat ad vectigalia ſuſcipiẽda,totus intẽtus nummis & lucris temporalibus. [c] Quem videns dominus corporei ſenſus oculo, magis etiã ſpirituali oculo miſerationis ſuæ,vocauit eum ad ſe, dicẽs,Veni, & ſequere me. [d] Quæ vox domini cũ interna alloquutione atq; motione affectus, tã fortiter & validè in eo eſt operata,vt ſtatim ea audita,relictis omnibus illis lucratiuis occupationibus, lucris omnibus ſpretis,ſurgẽs à loco vectigalium ſequeretur vocantem dominum. [e] Matthæus autẽ iſte diſponens indiuidua ſocietate poſthac comitari dominum,prius conuiuium ei magnificum parare voluit,quo & ipſum exciperet & ſuis vale diceret: quẽadmodum fieri ſolet, vbi abinuicem diſcedunt veteres ſodales,aut amici adueniunt. Ita ergo factum eſt, vt domino diſcũbente in domo ipſius Matthæi, multi publicani & peccatores ex conſociis Matthæi venientes ſimul cum eo diſcumberent. [f] Quod videntes peruerſi Phariſæi, ægrè tulerunt, & calumniati ſunt aggredientesque diſcipulos, eo ꝙ à præceptore traduci metuerent,faciliúſque diſcipulos ſe poſſe cõfundere ſperarent,dixerunt eis: [g] Quid hoc ſibi vult quòd Magiſter veſter(qui ſanctus & tãquam Propheta à Deo miſſus æſtimatur, doctorémq; ſe perfectionis profitetur) non abſtinet à communione & conſortio huiuſmodi hominum peccatorum & publicanorum, inter quos nunc conuiuatur? [h] Audiens dominus conquirentes Phariſæos cum diſcipulis ſuis, pro ipſis reſpondit, dicens, Qui benè valentes ſunt, his

a & glorificauerunt Deũ,qui dedit poteſtatẽ talem hominibus.

b Et cum trãſiret inde Ieſus, vidit hominem in telonio Matthæum nomine.

c Et ait illi ſequere me.

d Et ſurgens ſequutus eſt eum.

e Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes diſcumbebant cũ Ieſu & diſcipulis eius.

f Et videntes Phariſæi dicebant diſcipulis eius,

g Quare cum publicanis & peccatorib⁹ mãducat magiſter veſter?

h At Ieſus audiens,ait, Non opus eſt valenti bus medico, ſed malè habentibus.

his non eſt opus medico:ſed qui morbo aliquo laborant, hi egent medicorum opera. Sic ego qui ad hoc miſſus ſum à patre vt medear ſpiritualibus infirmitatibus:id eſt,peccatis hominũ,conuerſari debeo inter peccatores.Vos autẽ ac veſtri ſimiles,q videmini vobis iuſti & benè valentes ſpiritu,exiſtimatis vobis nõ opus eſſe mea doctrina, neque eam requiritis neque ſuſcipitis:propter quod ſine lucro & ſine fructu inter vos veſtriq; ſimiles conuerſarer. [a] Vos autem qui ita ſeuerè per ſuperbum veſtrum ſuperciliũ condemnatis & deſpicitis peccatores abite & diſcite, quid ſit quod dicit per Prophetam Oſee dominus. Miſericordiam volo,& nõ ſacrificium.Hoc eſt, miſericordiam præpono cuilibet corporali ſacrificio,& magis in illa quàm in his oblector.Hoc videlicet in verbo illo magis requirit à vobis Deus,vt peccatorum miſereamini per compaſsionẽ & nõ deſpiciatis per ſuperbiam, quàm alia quæcunque externa opera,vel ſacrificia in quibus vos omnẽ ponentes confidentiã,deſpicitis cæteros. [b] Quod autem dixi, non opus eſſe bene valentibus medico,ſed male habentibus,hoc volui ſignificare, ꝗ non veni ego vocare eos qui ſibi iuſti videntur: ſed peccatores qui ſua peccata agnoſcere voluerint, hos ego veni vocare ad pœnitentiã & peccatorum remiſsionem. Nullam proinde habetis cauſam ægrè ferendi,ꝗ cum huiuſmodi peccatoribus cõuerſer: cum hoc faciam non pro mea voluptate, ſed pro ipſorum vtilitate. [c] Confutatis autem Phariſæis, veniunt diſcipuli Ioannis qui ab eo vitam auſteram in ieiuniis & magna abſtinentia didicerant, vt erat in ſeipſo Ioannes homo auſterus: accedẽtẽſq; ad dominum,dixerunt ei: [d] Quare nos diſcipuli Ioãnis iuxta doctrinam magiſtri noſtri,ſimiliter & Phariſæi iuxta traditionẽ & exemplum ſeniorũ, crebris affligimur ieiuniis: tui autem diſcipuli nulla obſeruant noſtro more particularia ieiunia:Mirum videtur cum Ioannes ita nobis præſcripſerit abſtinentiam, ſimiliter & Phariſæi ſuis diſcipulis, non etiam te tuos diſcipulos docere ſimilia. [e] Reſpondit illis dominus, Non eſt decẽs,vt filij ſponſi ſiue filij nuptiarum (quorum pa-

a Euntes autem diſcite,quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium.

b Non enim veni vocare iuſtos ſed peccatores.

c Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes:

d Quare nos & Phariſæi ieiunamus frequenter: diſcipuli autem tui non ieiunãt?

e Et ait illis Ieſus: Nũquid poſſunt filij ſponſi lugere, quandiu cum illis eſt ſpõſus?

ter ſponſus eſt, vel ad quos ſpectat intereſſe nuptiis) in luctu viuant ieiunantes & abſtinentes, donec nuptiarum tempus ſponſo præſente perdurat: ſed magis lætari debent & gaudere, quoniã ad nuptias ſpectant gaudia: videretúrq; in ſponſum, & nuptias eſſe iniurius, q velle nuptiarũ tempore ieiunare: & nimium moroſus eſſet ac planè ridiculus ſponſus, qui nuptiarum ſuarum tempore à filiis triſtia exigeret ieiunia. Sic nolo ego diſcipulos & filios meos, donec cum eis ſum corporali præſentia, triſtibus affligi ieiuniis, ſed læta eos libertate gaudere volo. Quadiu enim ad deſponſandã mihi Eccleſiam cũ illis ſum corpore præſens, volo eos leniter tractare, & quaſi in nuptiali feſto libertate gaudere. [a] Veniet autem poſtmodũ tempus, quando ego ſponſus eorũ ab eis auferar, per mortem & aſcenſionem in cælum: & tunc quaſi finitis lætis nuptiis, triſtibus vacabunt ieiuniis: poſtquam ego ab illis abſceſſero, tunc inſtabit tempus luctus atq; laboris.[b] Præterea, nemo prudens, ſi veſtimentũ vetus ſit reſarciendum, in locũ qui implendus eſt immittet, vel inſuet partem panni noui, quam cõſuat cum panno veteri. [c] Qui enim id facere tentauerit, duplex damnum facit: quoniam primum quidem aufert à veſtimento illo veteri ſuam plenitudinem & integritatem, propter commixtionem illam panni noui cũ veteri, quæ commixtio indecoram reddit veſtem propter deformitatem. [d] Deinde, nocet illa commixtio: quoniam paulò pòſt cõmixtionem pannus nouus violentia ſua rumpit partes veteris panni, quibus aſſutus erat, propter defectum reſiſtentiæ: fitq; ſciſſura peior & maior quàm ante fuerat. Ita tam decori quam vtilitati obeſt illa panni rudis in veſtimentum vetus immiſſio. Si autem veſtimentum vetus ſit reſarciendũ, accipiendus eſt quàm fieri poteſt pannus ſimillimus quo impleatur hiatus: eritq; talis ſuppletio, & magis decora, & magis durabilis. [e] Iterum, nemo prudens nouum vinum mittit in veteres & debiles vtres. Qui enim id facere tentauerit, geminum damnum incurrit: quoniam & vtres rũpuntur violentia muſti, quam ferre non poſſunt, & vinum ruptis vtribus effunditur

a Venient autẽ dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.

b Nemo autem immittit commiſſuram pãni rudis in veſtimẽtum vetus.

c Tollit enim plenitudinẽ eius à veſtimento,

d & peior ſciſſura fit.

e Neq; mittunt vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinũ effunditur et vtres pereũt.

ac perit. [a] Qui autem prudentes ſunt, vino nouo parant vtres nouos: vt ſic & vtres conſeruētur, ſufficientes propter nouitatem muſti ferre impetū, & vinum ſeruetur, vtres tales non potens dirumpere. Ad hunc modum, mei diſcipuli quaſi vetus veſtimentū ſunt, & quaſi vtres veteres: debiles ſunt, paruuli, & imperfecti adhuc: propter quod nolo illis imponere grandia, donec ego cū illis ſum, & in imperfectione eos tolero. Verùm poſt meam aſcenſionem in cælum, cum per ſpiritum meū eos nouos fecero, & in gratia ſpiritus confirmauero, tunc maiora iniungam illis, tunc ieiunabunt, tunc prædicabunt, tunc magna & ferent & facient. [b] Domino autem prædicta ad Phariſæos, & Ioannis diſcipulos loquente, ac pro diſcipulis ſuis rationem reddente, ecce vir quidam magnus princeps vel præſes Synagogæ acceſsit ad eum: exibitáque cum humilitate reuerentia, ſupplicauit ei, dicēs, Domine, filiam meam à domo abſcedēs reliqui in extremis agentem, & modo veriſimile arbitror eam eſſe defunctam, priuſquam huc ad te venerim: propter quod nūc ad te ſupplex venio, obſecrans, vt digneris mecum ad domū accedere, manúmque tuam puellæ ſiue defunctę, ſiue in extremis agēti imponere. Quod ſi facere non dedignaberis, credo eam ad contactum manus tuæ, vel redituram ad vitam ſi mortua fuerit, vel ſanitatem recuperaturam, ſi fortè adhuc in ea manet anima. [c] Benignus dominus, audiens humiliter deprecantem pro filia principem, quantotius ſurgens à loco vbi quieuerat ipſe cum diſcipulis ſuis, comitatus eſt hominem, & eum tanquam viæ ducem protinus ſequi cœpit. [d] Verùm iſtud miraculum exhibendum in Archiſynagogi filia, antevertit aliud in muliere ſanguiniflua. Chriſto nanque properante ad domum Archiſynagogi, ecce mulier quædam quæ ſanguinis fluxu laborauerat duodecim annos, & multa à compluribus medicis perpeſſa fuerat vt curaretur, omnémque ſubſtantiam penè illis impenderat, neque tamen quicquam omnino profecerat: hæc muliercula ex tam multis præclaris Chriſti miraculis, quæ vel audierat, vel partim viderat,

a Sed vinū nouū in vtres nouos mittunt, & ambo cōſeruantur.

b Hæc illo loquente ad illos, ecce princeps vnus acceßit, et adorabat eum dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni impone manum tuam ſuper eam, & viuet.

c Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum, & diſcipuli eius.

d Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceßit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.

viderat, concepta fiducia magna, occultè à tergo ad Chriſtum acceſsit, tetigitq; latenter extremam oram ſiue fimbriam veſtimenti eius.[a] Perſuaſum enim ſibi habebat, & tanquam certum ac indubitatum fide credebat, ſi quicquam poſſet contingere eorum quę erãt domini, vel fimbriam tantum veſtiméti eius, ſe à ſuo morbo curandã. Tanta erat huius mulieris fides, tanta fiducia, vt etiam ſine domini verbo, ſolo veſtimenti ipſius occulto contactu ſe crederet eſſe ſanandam. Propter quod, ſanitatem meruit accipere, factúmque eſt illi ſecundum fidem ſuam.[b] Dominus verò non ignorans quod factũm fuerat, cõuerſus ad mulierem, dixit illi: Bono animo eſto filia, & ne timeas: fidẽ tuã ego laudo, quę hoc meruit, vt ſanitatẽ reciperes. Eſto ſana à plaga tua, & vade in pace.[c] Statímque ad illũ contactum, in ipſa illa hora perfectæ reddita eſt ſanitati, & ceſſauit omnis ſanguinis fluxus.[d] Poſt verò exhibitum in muliere ſanguini flua miraculũ, dominus iter proſequẽs cum veniſſet ad domum Archiſynagogi, vidiſſetq; ibi tibicines, qui ad luctum excitandum iuxta morem populi, erant conducti, & turbam tumultuantem (vt ſolet fieri in domibus magnatũ atque diuitum, vbi quopiam in ædibus defuncto ſepultura paratur) volẽs dominus coram paucis exhibere miraculum, turbam iuſsit eiici, dicens:[e] Abſcedite hinc vos tibicines & tumultuantes reliqui. Non eſt quod hic agatis. Non eſt puella mortua, ſic vt mortua maneat: nõ eſt mihi mortua, qui eam iamiã ad vitam redire faciam, neq; vobis eſt penitus mortua, qui breui illam iterum viuẽtem videbitis, ſed dormit puella iſta, tã mihi, qui eã reſuſcitabo, quàm vobis qui poſt paululum eam iterũ viuam cernetis.[f] Illi verò, certò ſciẽtes puellam exhalaſſe animam, & vita eſſe priuatam, deridebant dominũ, non intelligentes myſterium ſermonis eius.[g] Turba autem omni tibicinum & tumultuantium iuxta imperium domini domum egredi iuſſa & foras miſſa, intrauit ad locum illum in quo iacebat puella mortua: apprehẽdensque manum eius, verbum virtutis protulit, dicens: Puella, ſurge: reuertatur in te anima tua, & vitam recipe, ſurgensq; à ſtrato

a Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero.

b At Ieſus cõuerſus et vidẽs eam, dixit, Confide filia, fides tua te ſaluam fecit.

c Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora.

d Et cum veniſſet Ieſus in domum principis, et vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicit illis,

e Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit.

f Et deridebant eum.

g Et cum eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manũ eius & dixit: Puella ſurge. Et ſurrexit puella.

ſtrato tuo vitæ ſignū præbe. Statim ad verbū illud rediit in corpus anima: & viua ſurrexit puella quæ fuerat mortua.[a] Exiitq; rumor miraculi huius tam præclari, in vniuerſam regionem illam, & in cuncta circūiacentia loca. Sic patris huius fides & deuotio, non tātum ægrotanti filiæ impetrauit ſanitatem, vt fecerat pro ſuo puero Cēturio, verumetiam defunctæ vitam reſtituit: idque fide non omnino perfecta. vt vel hinc pateat, omnia poſsibilia eſſe credenti. [b] Tranſeūte autem pòſt hæc domino, à loco vbi miraculum prædictum fecerat, duo cæci eum inſequuti ſunt: qui ex magno recuperandi viſus deſiderio, clamauerunt dicentes, [c] Miſerere cæcorum iſtorum ô Meſsia fili Dauid. Nos te credimus verum illum eſſe meſsiam, quem prædixerunt Prophetæ naſciturum de ſemine Dauid, credimus te potētem ex virtute Dei nobis viſum reſtituere, & iuxta fidem noſtram oramus nobis fieri.[d] Cum verò introiſſet dominus in domum proſequentes ſuum negotium cæci cōfidenter accedunt eum, & petitionē replicant, dicentes: Miſerere noſtri fili Dauid, & lumen viſus reſtitue nobis.[e] Volens autem dominus probatam eſſe aliiſq; teſtatam illorum fidem, interrogauit eos. Creditis me hoc poſſe vobis præſtare, vt viſum vobis reſtituam?[f] Qui ſtatim vt corde credebant, ita ore confitebantur, dicentes: Vtique domine, ſic credimus abſque vlla hæſitatione, & hoc & maiora te poſſe. Non enim à te poſtularemus quod crederemus præſtare non poſſe.[g] Tunc manu ſua contingens eorum oculos, ad demoſtrandum, quomodo in omnibus operibus miraculorum humanitate vt inſtrumēto vteretur diuinitatis, verbum virtutis protulit, dicens: Fiat vobis ſecundum fidem veſtrā, ſicut creditis me id poſſe, ita volo id fieri, vt reſtituatur vobis lumen oculorum veſtrorum.[h] Statimque illuminati ſunt eorum oculi, & viſum receperunt, qui prius clauſi fuerant: id eſt, viſu carentes.
[i] Sanatis autem cæcis, dominus diſtrictè & quaſi interminando præcepit, vt non in vulgus efferrēt miraculum, neq; cuiquam dicerent quod ipſis in occulto præſtitum fuerat.[k] Illi autem poſtquam abſceſsiſſent

à Chriſt

a Et exiit fama hæc in vniuerſam terram.

b Et transeunte inde Ieſu ſequuti ſunt eum duo cæci clamātes, et dicentes:

c Miſerere noſtri filij David.

d Cum autem veniſſet domū, acceſſerunt ad eum cæci.

e Et dicit eis Ieſus: Creditis quia hoc poſſum facere vobis?

f Dicunt ei: Vtique domine.

g Tunc tetigit oculos eorum, dicens, Secundum fidem veſtram fiat vobis.

h Et aperti ſunt oculi eorum.

i Et comminatus eſt illis Ieſus, dicēs: Videte ne quis ſciat.

k Illi autē exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa.

à Chriſto,huius miraculi rumorem & Chriſti famã ſparſerunt per totam illam regionem.[a] Poſt vero cæcos luminis beneficio donatos, oblatus eſt Chriſto mutus quidam habens dæmonium, à quo loquendi poteſtas illi adimebatur. Hic deuotione & fide credentium domino oblatus eſt, vt curare eum dignaretur à malis ſuis.[b] Statímque miſertus dominus afflicti hominis, dæmonium eiecit, à grauiori & radicali malo incipiens ſanitatem, ac radicem totius auferẽs mali: eiectóque dæmonio ſtatim rectè loquutus eſt, qui prius mutus fuerat.[c] Ex eodem autem miraculo, hi quidem proficiũt, & in laudem Dei conſurgũt: alij verò ſcandalizantur & conuertuntur ad blaſphemias. Turbę nãque ſimplices & humiles, licet in doctæ, tamen peruerſum non habentes paſsionibus iudiciũ, cum reuerentia & timore admiratæ ſunt ſuper tam præclaris Dei operibus: ínque proteſtationẽ ſuę fidei & admirationis, dixerũt adinuicem:[d] Nunquam talis ac tãtus Propheta, tam potens in opere & ſermone, viſus eſt in Iſraël. Videtur nobis hic Propheta magnus præ omnibus qui vnquam ad populũ domini miſsi ſunt, qui tam potenter tam multa paſsim miracula ædit. Nam & Moſes licet quædam miracula magna fecerit, & alij poſt eum, nemo tamen illorũ ſic paſsim quibuſcunq; occaſionibus oblatis tam crebra támque miranda ædidit prodigia.[e] Contra verò. Phariſæi licet literati & in lege inſtructi, paſsionibus tamen inanis gloriæ iræ & inuidiæ excæcati, Chriſti miracula conabãtur peruertere: & quoniam facta ipſa, ob nimiam euidẽtiam negare non poterant, ex modo & origine calũniosè peruertere ea quærebãt, dicentes, Chriſtũ illa miracula omnia facere virtute non diuina ſed dæmoniaca. Dicebant enim, illũ fœdus iniiſſe & pactũ habere cum dæmoniorum principe: atque ita cum vellet, poſſe dæmones inferiores eiicere, non quidem data ſibi à Deo virtute, ſed tali contracto fœdere, vt volente Chriſto princeps dæmonũ inferioribus ſtatim iuberet abſcedere. Neque hac calũnia ſolum Chriſti miraculis volebant detrahere, verumetiam ab eius doctrina populum auertere, in

a Egreſſis autẽ illis, ecce obtulerunt ei hominẽ mutum dæmonium habẽtem.

b Et eiecto dæmonio loquutus eſt mutus.

c Et miratæ ſunt turbæ, dicentes,

d Nũquam apparuit ſic in Iſraël.

e Phariſæi autem dicebant, In principe dæmoniorum eiicit dæmones.

re,indicantes eum ſeductorem eſſe & magum, talia cum dæmone pacta habentem: ad ſeductionem & perditionem populorum. [a] Sciens autem Chriſtus non vni tantũ ciuitati ſe miſſum, ſed toti Iudæorum populo,& ad vniuerſas oues quæ perierũt domus Iſraël: vt iniunctũ ſibi prædicatoris & paſtoris munus perficeret, noluit in vna aliqua ciuitate quietẽ accipere, ad cæteras miſsis Apoſtolis, ſed tanquam curam gerens de omnibus, de loco ad locum multo labore proficiſcebatur: non tantũ inſignes ciuitates, aut magnifica oppida viſitãs, verumetiam humiles vicos & pagos vigilanter perluſtrans, formã præbens præpoſitis Eccleſiarum, non otioſè deſidere in ciuitatibus vel aulis ſuis, ſed præeſſe in ſolicitudine, & inuigilare ſubditis, tãquam qui coram Deo de ipſorum animabus ſint reddituri rationem. Neque ſatis ipſis eſſe debet in alios onus reiicere vt ipſi viuant in otio. Non hoc exemplum reliquit eis paſtor bonus, qui per ſemetipſum multo labore circuibat ciuitates & caſtella. Neq; dedignentur humiles viſitare pagos, neque ſuam dignitatem putẽt dedecere viſitationem locorum humilium, quoniam quidem Chriſtus etiam caſtella & pagos perluſtrabat. Quorſum autem ſic loca Iudææ circuibat? An forte tanquam curioſus ſpectator rerum nouarum, cuiuſmodi deſiderium multos ſolet ſtimulare ad inutilium itinerum ſubeunda diſpendia? Nequaquam, ſed propter vtilitatem & ſalutem populi ſui. [b] Ad hoc autem dominus per ciuitates & caſtella circuibat, vt doceret homines, & palàm in ſynagogis prædicaret, non quidem fabulas aut nugas, nõ humanam ſapientiam, ſed id cuius cognitio erat vtiliſsima, Euangelium regni: id eſt, bonum nuntium regni cæleſtis, & quæ ad illud conſequendum ſunt neceſſaria hominibus: exemplum præbens Eccleſiarum præpoſitis commiſſum ſibi populũ inſtruẽdi, de iis potiſsimũ quæ ad ſalutẽ adipiſcẽdam ſunt neceſſaria: & omnes omnino populi doctores, debere nõ ſui oſtẽtandi gratia docere, quæ ſuperuacanea ſunt aut nimiũ ſublimia, ſed ad populi ſalutẽ quæ ad regni cæleſtis conſequutionẽ ſunt neceſſaria.

a Et circuibat Ieſus omnes ciuitates & caſtella,

d docens in ſynagogis eorum & prædicans Euangelium regni.

Inte

a curans omnẽ languorem et omnem infirmitatem.

[a] in teſtimonium autem & confirmationem ſuæ doctrinæ,virtutes multas & magnas ædebat,curãdo lãguores & morbos quoslibet,quãtumuis graues quãtũuis humanæ arti incurabiles,ſolo verbo vel contactu,abſque omni moleſtia:fiduciam in hoc præſtans poſt ipſum venturis Eccleſiarum prępoſitis,vt(ſi opus ſit) etiam ſignis potentiſsimis confidant poſſe ſe Euangelium quod prædicant confirmare:vt confidant etiam maiora, ſi opus ſit, perficere pro Dei gloria. Quòd ſi non ſemper debeant ſigna adhibere in confirmationem doctrinæ, ſemper tamen bonæ vitæ & immaculatæ conuerſationis exempla, verbis debent adiungere.

b Vidẽs autẽ turbas,miſertus eſt eis: quia erant vexati et iacentes,ſicut oues nõ habentes paſtorem.

[b] Cum autem loca diuerſa ſic viſitando per ciuitates & caſtella dominus pertranſiret, vidẽs homines in erroribus & peccatis abſque debita paſtorum cura iacere neglectos,miſericordia motus eſt ſuper eis:quoniã erant vexati & afflicti à propriis cõcupiſcentiis,& vitiis ſuis in quibus contabeſcebãt,partim à dæmonibus qui plurimos etiam corporaliter obſidebant, partim à doctoribus qui ipſos negligebant,aut malè aut corruptè inſtituebãt: ſicq; tanquã derelicti & torpidi iacebant in ſordibus peccatorum ſuorum, tãquam oues errabundæ, non habentes paſtores à quibus ex animo edocerentur.

c Tunc dicit diſcipulis ſuis, Meſſis quidem multa.

[c] Túncque miſericordia tactus erga eos, dixit ſuis diſcipulis: Videtis omnem hunc populum ita derelictum & pereuntem in ignorantia atque cupiditatibus ſuis. Ecce meſsis hîc copioſa eſt, multa & ampla materia laborandi offertur Euangelij prædicatoribus:omnes enim iſti ad meſſem pręparati ſunt, & tales ſunt qui ſi doceãtur Euangelicam veritatem, poſſint ad ſalutem adduci, & in patris mei horreum cõgregari:

d Operarij autem pauci.

[d] ſed heu per pauci ſunt veri fideléſque operarij, qui ex animo & ſyncero affectu propter Dei gloriam & zelum animarum, negotium Euangelicum agant.

e Rogate ergo dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

[e] Orandus eſt ergo Deus,& vos peculiariter diſcipuli mei,qui ad hãc rem erudimini,rogate Deũ patrem meum qui eſt meſsis dominus, cui metitur,& in cuius horrea colliguntur atque inferuntur quoſcũq; Euãgelica capit prædicatio,vt ipſe in meſſem

ſem ſuam operarios mittat iuxta cor ſuum. Vt ipſe curam gerēs populi ſui, viros mittat ſecundum cor ſuum, ſuo ſpiritu indutos & feruore fidei charitatiſque zelo ſuccenſos, qui ex animo, nō vilis quæſtus gratia, nō ambitioſæ dominationis cupiditate, ſed ſynceriter ex amore Dei, & zelo ſalutis animarum homines doceant Euangelium regni cæleſtis. Tametſi enim Deus pater diſpoſuerit eos mittere & tempus iam aduenerit, vult tamen orari à ſanctis, vt quod decretum eſt impleatur, adiuuantibus veſtris precibus, in tempore ſuo.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

T*Ranſfretauit.*) vox eſt à freto dicta, ſignificans, trans mare nauigare de ripa ad ripam oppoſitam. Græca dictio διεπέρασεν dieperaſen: ſecundum proprietatem ſuæ ſignificationis valet, tranſripauit, ſi ita liceret dicere. Vnde verti poteſt, transfretauit vel tranſnauigauit vel traiecit, aut modo conſimili. ¶*Videns Ieſus fidem illorum.*) Quidam ad ſolos baiulos id referūt. Nos autem ſimul ad ipſum qui portabatur referēdum putamus. Veriſimile eſt enim, iſtud diſpoſuiſſe aut iuſsiſſe virum hunc qui deferebatur, aut ſaltem conſenſiſſe. Nō enim tantum laboris & moleſtię ſine huius iuſſu, aut certè conſenſu, fuiſſet ſuſceptum ad offerendum hunc domino, adeò vt ſcribat Marcus, aſcendiſſe illos ſolarium domus, & tecto nudato reguliſq; effractis illum demiſiſſe. Et rarò admodum inueniuntur tam fideles ſerui vel amici, vt tam difficilem rem aggrediantur ſine iuſſu domini vel amici. Poſſet & ſic intelligi, *Videns Ieſus fidem illorum baiulorum*: id eſt, quam illi baiuli oſtendebāt ex iuſsione ægroti, cui fides illa inerat. Nec abhorret ab hoc, quod ſtatim ſubiungitur, *Dixit paralytico, confide fili, &c.* ¶*Quid eſt facilius dicere.*) Infinitiuus iſte, à quibuſdam legitur coniunctim, hoc modo: Quid eſt facilius dicere, an hoc quod dixi, Dimittuntur tibi peccata? an illud quod audietis poſterius, Surge & ambula? Conueniētius videtur, infinitiuū ſeiungere, hoc modo: Vtrum horū eſt facilius, an dicere, Dimittūtur tibi peccata, an dicere, Surge, &c. Pro qua diſtinctione, facit replicatio infinitiui. Alioqui, iuxta primam connexionē, ſufficeret infinitiuus ſemel poſitus. Eſt autē ſenſus: Vtrum iudicatis facilius, an dicere cum vi effectus & cum efficacia operis, Dimittūtur tibi peccata, an dicere ſimiliter cum efficacia operis, Surge & ambula? Quaſi dicat, Nōnne iudicatis vtrunque æquè impoſsibile naturę virtute aut humanis viribus? vt ſi vnum ſit in poteſtate verbi mei, ſit item reliquum. ¶*Vt autem ſciatis quia poteſtatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico, ſurge, tolle, &c.*) Difficultas hîc eſt in ſermone, eo quòd

incipitur oratio tanquam ex ore Chriſti, dum dicitur: *Vt autē ſciatis, quia poteſtatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata.* Omnino enim hìc videtur ipſe loqui dominus ad Phariſæos, non ad lectores Euangeliſtæ. Quod verò deinde ſubiungitur: *Tunc ait paralytico,* iam non poteſt eſſe vox Chriſti, ſed Euangeliſtæ eſt verbū: ſicq; orationē Chriſti incompletam relinqui neceſſe eſt. Huic difficultati facilè ſatis mederi poteſt, ſi illud (*tunc ait paralytico*) per modum parentheſis interiectum dicamus, vt Euangeliſtæ vocem indicantem quorſum ſermo Chriſti deflectat: quod autem ſequitur, *Surge & tolle*, proſequutio ſit orationis, diuertens tamen ſermonem à Phariſæis, quos alloquebatur in ſermonis exordio, ad paralyticum per quē illos vult confutare: vt per continuati ſermonis vnitatem, cogat illos ad miraculum oculos deflectere, & animum intēdere. Eſt autem hic ſimilis loquendi modus, tanquam ſi te alloquens, coram nobis poſito cæco, ita loquar: Vt credas tu incredule, me non ex me loqui, ſed à Deo miſſum hæc tibi nuntiare, tu cæce viſum in nomine domini recipe.

Mar. 2. Vehemēs enim & perefficax eſt iſta ſermonis deflexio. Qui loquēdi modus, aliquātò etiam apertius apud Marcum videtur indicari, vbi expreſſo appoſito pronomine demonſtratiuo ſic dicitur: *Vt autē ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) tibi dico, ſurge tolle, &c.* Qui autem per parentheſim iſtud legere noluerit fateatur neceſſe eſt, declinando à perſona ſecūda ad tertiā, imperfectam relinqui orationem Chriſti: quæ tamen perfici poſsit, ex eo quòd in narratione Euangeliſta proſequitur. ¶ *Vidit hominem ſedentem in telonio.*) Non per e ſcribendum eſt teloneum, ſed per i telonium. Sic enim Græcè eſt ἐπὶ τὸ τελώνιον epi to telonion: id eſt, ad teloniū, vel in telonio. Deriuatur autē teloniū: à nomine τέλος telos quod tributum, cēſum vel vectigal ſignificat: vnde telonarij dicūtur qui vectigalia & tributa cōmunia recipiūt. Teloniū ergo dicitur, nō ipſum tributū aut vectigal, ſed ipſe locus publicus in quo reſidebant qui ſuſcipiebant vectigalia, & ad quem erant illa deferenda. Atque hoc videtur huic loco conueniēs, vbi noſtra verſio habet, In telonio. Vel teloniū pro menſa accipitur ſiue arca in qua recipiebātur vectigalia, & ad quā reſidebāt telonarij, libris & chartis ad cōſcribēdū impoſitis. Hoc autē illi ſeruit quod apud Marcū dicit noſtra verſio, ſediſſe Matthæū ad teloniū: quod nō poteſt intelligi (vt vulgò intelligitur) ad recipiendū vectigal. Nam vectigal, nō teloniū, ſed telos dicitur. ¶ *Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.*) Duplex eſt intelligētia. Vel iuſtos, intelligendo ſimulatè & ſuperbè, cuiuſmodi erāt Phariſæi, in ſe confidentes tanquā iuſti (vt apud Lucā dicitur) & aſpernā

tes

res cæteros. Vel, ſi de quibuslibet verè iuſtis accipere malis intellige. Nō veni vocare ad pœnitentiã, quod apud Lucam expreſſe adiicitur. Verè enim iuſtos, ad pœnitentiã non venit vocare Chriſtus, cum non egeant pœnitentia quatenus iuſti ſunt. ¶ *Nemo immittit commiſſuram panni rudis.*) Per commiſſuram intelligitur particula panni, quæ conſuitur vel aſſuitur in locum rupturæ. Dici poteſt eadem particula etiam aſſumentum. Græcè eſt ἐπίβλημα epiblima, ſignificans, id quod immittitur vel iniicitur vel aſſuitur. ¶ *Domine filia mea modo defuncta eſt.*) Quomodo hoc ſit accipiendum, & de apparenti diſcordia quæ videtur eſſe inter Euangeliſtas, require apud tractatores conſonantiæ Euangeliſtarum. ¶ *Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.*) Pro toto illo, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, Gręcè vnica dictio ponitur αἱμοῤῥοῦσα hæmorrhouſa: id eſt, quæ fluxit ſanguine, quod pulchrè expreſſum eſt tali periphraſi. Quæ ſanguinis fluxum patiebatur. ¶ *Non eſt enim mortua puella, ſed dormit.*) Communiter intelligitur. Non eſt mihi mortua, ſed mihi dormit, cui omnia viuunt, & (quemadmodũ dicit Apoſtolus) qui vocat ea quæ nō ſunt, tanquam ea quę ſunt. Nos tamẽ in Elucidatione indicauimus generaliter rectè accipi, Nō eſt mortua, neq; mihi neq; vobis, ſed dormit tam mihi quàm vobis, propter mox reſtituendum vſum vitę. ¶ *Diffamauerunt eum.*) In bonam partem, præter communem vſum, verbum iſtud accipitur. Reſpondenter enim ad verbum Græcum διεφήμισαν dephimiſan vſurpatur, idem valens quod, famam ſparſerunt. ¶ *Meſſis quidem multa.*) hoc eſt, multa eſt operandi materia in hominibus iſtis ſic derelictis abſq; paſtore. Sic ferè apud Ioannem dicitur, *Videte, quia regiones iam albæ ſunt ad meſſem*: id eſt, iam tempus inſtat vt per falcem Euangelicæ prædicationis populi iſti inferantur in horreum Dei, in vnitatem fidelis Eccleſię & regni cæleſtis. ¶ *Vt mittat operarios.*) Gręcè eſt ἐκβάλῃ ecbali: id eſt, Emittat, vel eiiciat, vel extrudat, ad maiorem vehementiam.

ELVCIDATIO CAP. X.

ET conuocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum,

POſtquam verò aliquandiu iam cum domino verſati fuiſſent diſcipuli, ipſumque & docentem audiſſent, & miracula vidiſſent facientem, voluit ſe adhuc viuente ipſos quoque ad prædicandum & ſimilia miracula faciẽdum emittere: vt hîc tanquam in præludio quodam bonus pręceptor velut tentaret probaretque ſuos diſcipulos, & ipſi ſe experirentur vel aliqua ex parte quomodo poſt præ

ceptoris mortem quando erant in omnem terram emittendi ſe gererent, fiduciam quoque acciperent ex hac minore peregrinatione in diuerſas Iudææ partes, agente in terris magiſtro, ſuſcipiēdi alteram illā difficiliorem in omnes partes orbis quæ poſt mortē præceptoris ipſis erat imponenda. Quemadmodum artifex quiſpiam vbi diſcipulū habuit ſuę artis, eūq; tanto iam tempore ſecum detinuit, ſicq; cuncta edocuit vt meritò iam artem tenere deberet, antequā tamen eum dimittit à ſe, probat eum donec adhuc cū illo agit, iubens illum opus artis ſuæ integrū coram ſe diſponere atque perficere, vt ſi quidem in magiſtri præſentia bene ſuccedat diſcipulo, auſum & fiduciā inde ſumat etiam cū à magiſtro abſceſſerit opus idē exercēdi: ipſe quoq; magiſter ſecurè illi poſsit cōfidere, & à ſe eū dimittere. Sic profectò iſta prior emiſsio tanquam probatio quædam diſcipulorū fuit, & quaſi præludiū ſiue præparatio ad eam quæ poſterius ipſis erat iniūgenda. Valdè enim ſucceſſus proſper huius peregrinationis domino viuente illos confirmauit, vt poſt mortem abſente domino aliam illam auderent aggredi. Itaque, tempore quodam ab oratione prolixa veniēs Dominus, ex omnibus ſuis diſcipulis quos plures habebat præcipuos duodecim conuocauit, & quaſi vnum peculiare collegium ex illis conſtituit: [a] eiſque ad confirmationem doctrinæ, poteſtatem dedit ſuper omnes ſpiritus immundos, vt ſolo verbo eos poſſent eiicere ab obſeſsis, poteſtatem itē ſanandi omnem languorem & morbum, ſiue recentem ſiue veterem, ſiue multi ſiue pauci tēporis, quaſi prędicationis ſuæ ſigillum ipſis dedit: vt talibus & miraculis & beneficiis, quæ erant dicturi cōfirmarēt, & hominum animos (tam miraculorum ſtupore, quàm beneficiorum dulcedine) ad fidem inducerent. [b] Hæc autem ſunt nomina duodecim diſcipulorum, qui ab emiſsione iſta ad prædicationis miniſteriū, dicti ſunt Apoſtoli: [c] Primus omnium, tanquam caput & princeps cæterorum, dictus eſt Simon, filius Iona: quem dominus cognominauit Petrum, à firmitate rectæ fidei & ſoliditate fidelis confeſsionis ſuæ. [d] Cuius

a vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.

b Duodecim autē Apoſtolorū nomina ſunt:

c Primus Simō qui dicitur Petrus,

d & Andreas frater eius: Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi & Ioannes frater eius:

ius frater ſimul cum ipſo vocatus,dictus eſt Andreas. Poſt hos ſequuntur, Philippus & Bartholomæus & duo filij Zebedæi, Iacobus & Ioannes. [a] Præterea Thomas,qui dicitur Didymus,& Matthæus qui telo narius ſiue publicanus fuerat,& à telonio ad Apoſto latũ Dei gratia extitit vocatus:deinde Iacobus filius Alphæi,ad diſtinctionẽ prioris Iacobi,qui filius erat Zebedæi: & Iudas frater eius, qui & Thaddæus dici tur,vnde etiã interdũ Iudas Iacobi nominatur:id eſt, frater Iacobi huius poſterioris.[b]Poſtremò Simõ,qui ad diſtinctionem Simonis Petri dicitur Chananæus, iuxta appellationẽ Hæbraicã,vel Zelotes iuxta Grę-cam.(Quod enim Hebraicè chana,id Græcè ζῆλος ze lus dicitur)[c]& Iudas ille,vel à loco vel à tribu dictus Scariotes vel Iſcariotes,ad diſtinctionem Iudæ prio-ris Thaddæi: qui quidẽ Iudas Scariotes,poſtmodum traditor eſt factus domini & præceptoris ſui,ex Apo-ſtolo proditor & parricida effectus.[d]Duodecim iſtos ſic electos & ad ſe conuocatos,miſit dominus ad præ-dicandum:prius tamen eos præceptis inſtituẽs,quid agere aut loqui, & quomodo ſe gerere deberent in omnibus,dixitque eis:[e]Nolite modo gẽtes adire.Nõ enim nunc vos emitto ad prædicandũ illis,quoniam nondũ tempus aduenit.[f] Item in ciuitates Samarita-norum,qui idololatræ ſunt cõmixti Iudæis,ne intro-ieritis prędicãdi gratia.Neq; ad hos enim modo vos mitto:quoniam ſicut non ego miſſus ſum à patre,niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael,ſic neq; vos do-nec vobiſcũ corpore ſum pręſens,ad alios mittere vo lo.Dabitur huius priuilegij gratia filiis Iſrael,& ciui tatibus Iudęorum propter electionẽ & promiſsiones patrũ,quibus volo primum omniũ Euangeliũ prædi cari,antequam in gentes tranſeat.[g] Sic autẽ facietis, cũ ad locum aliquẽ deueneritis,quomodo me priorẽ vidiſtis facientem.Annuntiabitis hominibus Euan-gelium regni:id eſt,bonum lætumq; nuntium regni cæleſtis,dicentes:Prope eſt regnũ cælorum , tempus gratiæ iam aduenit,quo reconciliabitur Deo genus humanũ(quod hactenus ſub ira ipſius detẽtum fuit) vt poſsit vnuſquiſq; cęleſtis regni hęres fieri,qui vitę

a Thomas & Matthæus publicanus, et Iacobus Alphæi et Thaddæus:

b Simon Chananæus,

c et Iudas Scariotis,qui et tradidit eum.

d Hos duodecim miſit Ieſus, præcipiens eis, dicens:

e In viam gentium ne abieritis,

f et in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed potius ite ad oues quæ perierũt domus Iſrael.

g Euntes autẽ prædicate dicentes: Quia appropinquabit regnum cælorum.

veteris & peccatorum ſuorum voluerit agere pœnitentiam. Hæc & huiuſmodi, de regno cælorum & ad ipſum attinentibus, qualia me prędicantem audiſtis hominibus annuntiabitis. [a] In confirmationem autẽ prędicationis veſtræ, ex poteſtate quam vobis tradidi, & trado, ædite fidenter miracula, curate oblatos vobis infirmos & languidos, etiã mortuos ſuſcitate, mundate leproſos, dæmones eiicite. In ſumma quicquid me vidiſtis facientem fidenter audete: atq; illis etiam maiora, ſi occurrerint facienda. [b] In omnibus autem quæcunque ex commiſſa vobis authoritate & poteſtate loquemini vel facietis, abſit à vobis auaritia aut quęſtus cupiditas, vt neq; verbum prędicationi neq; opera miraculorum ad lucrum diuẽdatis: ſed ſicut gratis & liberaliter omnino, abſq; vlla mercatione, abſq; omni pacto & ſpe vllius lucri iſta vobis tradidi, eorũq; poteſtatẽ vobis cõtuli, ſic vos viciſsim gratis & abſq; ſpe lucri vel quęſtus intentione, ea administrãte & impẽdite iis ad quos miſsi fueritis. Hãc enim peſtem peſsimam, longiſsimè abeſſe volo à veſtris affectibus, ſpem videlicet lucri aut quęſtus: quæ ſi ſemel veſtros animos peruaſerit, ſcandalũ maximũ præbebit hominibus, & damnum maximũ veſtrę prędicationi faciet. [c] Et vt omnem prorſus auaritię occaſionem à vobis auferam, ſimul & ab omni cura terrena reddam expeditos, volo vos neque aurum, neque argentũ, neq; vllam omnino pecuniam poſsidere, aut vobiſcũ deferre in veſtris zonis ſiue marſupiis. [d] Imò neque peram ſiue manticam aut ſacculũ vos geſtare volo in via, in qua vobiſcum commeatum deferatis de loco ad locum, tanquam illic quò venturi eſtis, nõ inuenturi vnde viuatis: [e] neq; etiam plura indumenta vos habere volo, vt poſsitis veſtitum mutare, nunc hoc nunc illo veſtimento vos veſtientes, quẽadmodũ facere ſolent diuites ſæculi, cum ad feſta proficiſcuntur. [f] Denique, neque calciamenta vos habere patior integra, cum non ſint vobis neceſſaria, ſed ſandalia ſufficiant. [g] Neq; etiam virgam ſiue baculum defenſorium geſtare vos patior, cum diuinam habeatis cuſtodiam Dei opus agentes. [h] Neque verò vllo

a *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, lepro-ſos mundate, dæmones eiicite.*

b *Gratis accepiſtis, gratis date.*

c *Nolite poſsidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis veſtris:*

d *non peram in via,*

e *neque duas tunicas,*

f *neque calciamenta,*

g *neq; virgam.*

h *Dignus enim eſt operarius cibo ſuo:*

præ

prædictorum vos egebitis,quādoquidem operarius dignus eſt mercede ſua:atq; hac lege & naturali & Diuina,vobis debebit ab iis quibus prædicabitis de neceſſariis prouideri, vt vobis non ſit opus vlla ſolicitudine,neque qnicquam vobiſcum deferre indigeatis.His modis,volo vos omnibus rebus terrenis eſſe nudatos, & omnino terrenū nihil deferre vel accipere,niſi tantū victui neceſſaria: primū quidem propter voſmetipſos vt ab omnibus terrenis expediti plena libertate affectus & mentis toti intendatis prædicando Euangelio,vtque vobis omni pręciſa occaſione cupiditatis(poſtquam ſuperfluum nihil vos habere patior) vni intēdatis glorię Dei, vbi alioqui ſi prædicta nō adimerentur:partim de veſtro quæſtu aut lucro ſoliciti non purè quærere tis Dei gloriam. Debēt autem Euangelici prædicatores tales eſſe,vt in ſua prædicatione nihil niſi Dei gloriam aſpiciāt, neque in quicquam omnino aliud intendant oculos. Alioqui facilè vel dicunt vel agunt quod non debent,aut minus dicunt vel faciunt quàm debent,perſonas aſpicientes & mirantes quæſtus gratia:vbi ij qui ſolam Dei gloriam quærunt,perſonam non reſpiciunt,ſed viam Dei in veritate docent. Præterea ſic ab omnibus vos nudatos volo, etiam propter vtilitatē eorum ad quos mittemini, vt maiorē in eis fructum efficiat verbum prædicationis veſtræ. Nihil enim magis contemptibilem reddit apud homines doctrinam veritatis, quàm ſi doctores ad quæſtum eam videantur proponere, & ſua commoda quærere: ac proinde non fieri poteſt, vt tales doctores fructum multum faciant in populo. Contra verò, doctrinam reddit admirabilem & plurimum venerandam, ſi ipſius profeſſores non ſe probentur quærere, nec ſuis conſulere commodis,ſed Dei tantum gloriam & auditorum ſalutem ſpectare,facítque tale doctorum exemplum, vt fructum multum operetur ſermo doctrinæ. Proinde, ſi iuxta meum præceptum omnia vos abiicere & contemnere viderint homines,neq; niſi ſimpliciter victui neceſſaria admittere, non poterit non maximum fructum operari veſtra prædicatio. Nam de victui neceſſariis, nemo ſanæ mentis vel particulam rationis habens,offendi poterit ſi ea accipiatis ab iis quibus prædicatis, quandoquidem nemo tam vilis eſt operarius, etiamſi viliſsimum & minimum quid operis faciat, qui non mereatur ſuo opere victum neceſſarium, ſi totum ſe operi impenderit. Imò etiam iumenta naturæ lege paſci debent ab iis quibus laborant, iuxta quod in lege definitum eſt: *Non alligabis os boui trituranti.*. Quanto magis vos toti intenti Euangelico negotio, paſci ab illis debebitis quibus prædicabitis. Sic itaque vos emitto omnibus quidem Deut. 25.

rebus priuatos neceſſariis tamen non deſtitutos, imò omni ſolicitudine leuatos & de omni neceſsitate pro uiſos. [a] Cum autem in ciuitatem quamlibet introieritis cauſa prædicandi Euangelij, non perinde ſit vobis, apud quos ſuſcipiamini hoſpitio, probi ſint an improbi, bonæ famæ an malæ, ſed cum iudicio, dignum Euangelicis viris hoſpitium quærite. [b] Itaque ciuitatē aut vicū ingreſsi, perquirite ab incolis loci illius, vt cōmonſtret vobis virū aliquem pium, religioſum & hoſpitalem, qui ſolitus ſit pauperes & peregrinos hoſpitio ſuſcipere, qui bonæ ſit famæ & opinionis in populo, vt dignus ſit apud quem hoſpitentur prædicatores Euangelij. Nuſquam enim locorum deſunt homines veritatis & miſericordiæ amatores. [c] Et cum talem aliquem inueneritis, ad eum diuertite, & ab eo rogate hoſpitio ſuſcipi: ſuſceptique apud eum maneatis, donec illo in loco permanebitis, nec futili aut leui cauſa mutetis hoſpitiū. Primū nanq; cū magno iudicio deligēdus vobis eſt apud quem hoſpitemini. Nā ſi apud hominē mali nominis demoraremini, vilem redderetis apud homines prædicationem veſtrā. Tales enim haberemini vos, quales habentur illi apud quos demoramini. Nam ita ferè iudicant homines. Contra verò ſi apud viros probos & optimi nominis demoremini, & vos ex eorum commercio æſtimabimini meliores, & veſtra prædicatio erit commendatior. Deinde digno aliquo hoſpite inuento, volo vos non futili aut leui ex cauſa mutare hoſpitium, ne inſtabilitatis notemini, aut tanquam vagabūdi habeamini, diſcurrentes de domo in domum, & ne ſcandalizentur illi qui vos priores exceperūt, ſi ad alios præter rationem tranſieritis, ne etiam ſuſpicio de vobis oriatur quòd delicatiora quæratis, non contenti iis quæ primus hoſpes liberaliter obtulerit pro ſua facultate, quæ omnia Euangelicum prædicatorem nō decent. Nolo tamē prohibere ex cauſis grauibus vel vrgente neceſsitate, aut ſuadente charitate mutare domicilium, maximè cum conſenſu & gratia prioris hoſpitis. Neq; etiā prohibeo quin ad eos qui fortè vos inuitauerint ex amore Euāgelij poſsitis accedere, cum in

a In quācunq; autem ciuitatē aut caſtellū intraueritis,

b interrogate quis in ea dignus ſit.

c & ibi manete, donec exeatis.

in hoc meum habeatis exemplū qui facilē me omnibus & humanū præbeo,ſed de mutando loquor diuerſorio & de iure hoſpitij nō violando ſtatuo. [a] Statim verò vt domū aliquā ingrediemini, in ipſo ingreſſu offerte illi & omnibus quæ in ea ſunt ſalutationē, dicētes:Pax Dei ſit in domo iſta, & in omnibus qui inhabitāt eam:ſic illos beneficio orationis veſtræ in benefaciēdo præuenire ſtudete, vt prius illis impendatis ſpiritualia,quàm ab eis ſumatis tēporalia:ſimul & hoc ipſo ſermonis initio oſtēdite vos eſſe Dei filios, & Dei negotiū agētes,vt verè pacificos & pacis nuntios. [b] Et ſi quidē in ea domo fuerint filij pacis, ſi homines bonæ volūtatis in ea inueniantur, qui Deū timeāt,& iuſtitiā ſeruēt,aut certè in malo nō obdurati vos ſuſcipiāt,veſtræq́; prædicationi ſint credere & obedire parati, habebit locū illa pax veſtra in eis,& bona illa precatio in cordibus eiuſmodi hominū faciet fructū. [c] Si verò in domo illa nō fuerint filij pacis,homines idonei oblatam diuinam pacem ſuſcipere(vtpote ſi in malitia & infidelitate ſint obdurati, nec iuſtitiā ſeruātes,nec iuſtitia volentes ſuſcipere,q in impœnitentia & peccatis ſuis permanere eligunt) ſic quidem inuanum erit prolata pacis bona precatio. [d] Reuertetur enim ad vos pax quā obtuliſtis illis cū fructu ſuo, poſteaquam locū in illis nō inuenit, & licet illi fructū nullum ex hac precatione accipient,eo ꝙ repellant pacē oblatam,vos tamē merito & fructu veſtro nō priuabimini,qui quod veſtri erat officij feciſtis:quod bonū & ſalutare erat offerēdo, tametſi illi nō acceptarent: ad eum modum quo iuſti hominis oratio,quæ fit pro obſtinatis in malo, in ſinum ipſius conuertitur orantis, in eo pro quo funditur nullum fructum inueniens. [e] Si autem ad aliquam ciuitatem vel vicum aliquem declinaueritis, vbi neque vos ſuſcipere,neque veſtram prædicationem audire voluerint incolæ loci illius,vos poſt oblatam & refutatam tantam gratiam egrediētes de domo illa vel ciuitate vel vico,etiam puluerem qui pedibus veſtris adhęſerit ex calcatione platearum vel terræ loci illius,excutite de pedibus veſtris, in proteſtationem quòd non

- a *Intrantes autem in domum, ſalutate eam dicentes,Pax huic domui.*
- b *Et ſi quidem fuerit domus digna,veniet pax veſtra ſuper eā.*
- c *Si autem nō fuerit digna.*
- d *pax veſtra reuertetur ad vos.*
- e *Et quicunque nō receperit vos neque audierit ſermones veſtros , exeuntes foras de domo vel ciuitate,excutite puluerem de pedibus veſtris.*

cauſa petendi terrenum aliquid eos acceſſeritis, ſed econtrariò ad præſtandum eis ſalutaria & multò maxima beneficia. Item & in execrationem atq; deteſtationem illorum, ad inſinuandum quàm grauis ſuper illos veniet condemnatio. Indicabitur enim hac puluerũ excuſsione, quòd in nullo cũ eis cõmunicare & participare vultis: quod fieri ſolet, execratis & deteſtadis hominibus.[a] In veritate dico vobis, ꝙ in nouiſſimo die iudicij mitius agetur cum habitatoribus Sodomæ & Gomorræ, quàm cũ hominibus ciuitatis illius: aliqua ex parte ſiue aliqua conſideratione, ſeuerius & durius agetur cum his quàm cũ illis: quatenus videlicet hi tanta ſibi vltrò oblatam gratiã noluerũt ſuſcipere, ſed abiecerũt & repulerunt eam, illis verò nunquam hæc gratia oblata fuit, & forſitan ſi oblata fuiſſet ex animo egiſſent pœnitentiam. Nihil autem dubium, quin hac ex parte & hac conſideratione erit horũ damnatio grauior, quàm illorum. Contemptus enim diuinorũ beneficiorum, valde contemptoribus aggrauat pondus iudicij. [b] Vt autem vos mei dilecti Apoſtoli, cõtra omnia aduerſa quæ vobis poſsint occurrere, armemini & præmuniamini (quoniã minus feriunt iacula quæ præuidentur) præmonebo vos de multis & grauibus malis: quæ licet forſitan nõ in hac prima emiſsione vobis occurrẽt, ſuo tempore tamen poſt meum à vobis abſceſſum euenient, & viciſsim quæ aduerſum illa mala vobis conferentur remedia, prænuntiabo: vt ſicut nunc in hac veſtra prima emiſsione prõptos vos exhibetis, ita & ad poſteriorẽ illam magis difficilẽ ſitis præparati. Hoc itaq; ſcitote in primis, ꝙ ego cum vos emitto ad Euangelicæ prædicationis officium, ſic vos emitto tanquam agnos inter lupos, imò in medio luporũ. Vos enim homines inuenietis plurimos lupis ſimiles, qui vobis cõtradicẽt, qui vos omni ex parte perſequentur, qui denique in morem luporum vos diſcerpere & dilacerare deſiderabunt, cum vos interim tanquam oues ſimplicitatem, humilitatem, & manſuetudinem ſemper tenere debebitis, & in patientia illorum rabiem ſuſtinere, quantumuis multis & magnis malis vos homines afficiant:

a Amẽ dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quã illi ciuitati.

b Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.

ficiant:vt nõ putetis vobis ſtatim eſſe vindictã requirendam vel exercendam in eos q vobis aduerſati fuerint. Nõ enim vos emitto vt canes inter lupos,aut vt lupos inter lupos, aut vt leones inter lupos, ſed ſicut oues inter lupos,imò in luporũ mediũ.Ex omni enim parte vos adorientur cõtradictores atque perſequutores inſtar luporum, hinc quidem mundi ſapiẽtes,illinc mundi potentes,hinc Iudæi,illinc gentiles, hinc amici,illinc inimici, atque ita in reliquis.[a] Volo ergo vos prudentiam habere ſerpentinam, prudẽtiam fidei bonã, & colũbinam ſimplicitatẽ:quibus duabus rebus omnẽ luporũ rabiem nõ pertimeſcetis,imo ſuperabitis & ſuperuincetis in omnibus malis.Serpentũ hæc eſt prudentia,aures ſuas obturare magis & incantatoribus,ne carminũ ſuauitate educãtur de petra aut cauerna in qua latitãt,& in captionẽ veniãt,ſicq́; ſeipſos velut ſurdos faciũt ne incantati decipiantur. Hanc prudentiam vos imitari opus, vt aures veſtras ad omnia vana fabulamẽta mundi ſapientum & cuncta promiſſa mundi potentum obſtruatis, neque vllis ſuaſionibus aut promiſsis à ſemel ſuſcepta fide & doctrina veritatis poſsitis auelli, vt tanquam ſurdi his omnibus nihil moueamini.Nam his ſi aurem pręberevelletis,facilè vos ſapientes incantatores fallerent, & ab ea in qua benè ſecuri latitatis fide veritatis,educerent in damnationis laqueum. Eſt item prudentia ſerpentum,ſi quando deprehendantur atque cedantur,ſuper omnia capitis curam gerere,corpúſque totum libenter verberibus exponere, vt caput in petra aut anguſto foramine ſaluent, ſalua ſibi putantes omnia,ſi caput ſeruent. Ita euangelicos prædicatores, quod in ipſis eſt, caput fidem veritatis & Chriſtũ veritatem omnibus decet præponere,libentérque pro eo capite ſeruãdo in quo vita eſt,corpus quibuslibet paſſionibus expendere: vt omnia ſibi ſalua putent, donec Chriſtũ teneant & fidem eius illęſam cuſtodiant, nihilque detrimẽtum aut damnum exiſtiment, modo illum non perdant. Hoc præterea in ſerpentibus prudentiæ magnæ naturaliter inditæ eſt argumentũ, quod erga aduerſarios aut eos quibus nocere volunt

a Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpẽtes, & ſimplices ſicut columbæ.

ſunt non viribus agunt, ſed aſtutia ſiue prudentia. Taciti enim obſeruant opportunitatem venenum ſuum emittendi, neq; illud niſi commodiſsimo tempore & modo effundũt, vt ſic præualeant. Cum enim corporis molem non habeant magnam comparatione ad cætera animalia, neque inſtrumenta valida ad pugnandum cum impetu, ſed tantum venenum habeat quo quicquam agere poſsint, cautè ſibi proſpiciũt, vt illud effundant quàm cautiſsimè, & ad nocẽdũ quàm poſſunt efficaciſsimè. Sic & Euangelij prædicatoribus agendũ eſt non potentia aut viribus magno cum impetu, ſed magis prudentia, obſeruando tempus quo commodius, & modum quo maiori cum gratia & efficacia valeant proferre ſermonem Euangelicũ, qui eſt velut ſalutare quoddam venenũ, quod vbi cum opportunitate & efficacia immiſſum fuerit hominibus ad cor vſq; penetrans, & intima contingẽs, hominem facit ſibi ac mundo ſalubriter mori ac Deo viuere. Sic enim fidelis & prudens ſeruus, quem dominus ſuper familiam ſuam conſtituit, prouidere debet, vt in opportuno tẽpore det illis mẽſuram tritici. Non putetis rem Euangelij clamorum impetu agendam, ſed cum prudentia & manſuetudine. Cum hac autẽ ſerpentina prudentia volo coniunctam eſſe colũbinam ſimplicitatem. Quemadmodum enim colũba animal eſt ſimpliciſsimum, dolum & omnem ſimulationem penitus ignorãs, neque aliud vnquam exterius oſtẽdens, quàm intus mediteturːſic omnino ſynceros & rectos abſq; dolo & ſimulatione decet eſſe Euãgelij prędicatores. Cũ enim in omnibus hominibus ſit execrabilis duplicitas, tũ maximè in prædicatoribus ſynceriſsimi & ſimpliciſsimi Euãgelij. Prudentes enim vos eſſe volo, ſed ſicut ſerpẽtes bona ſalutari dignáque imitatione prudentia: non autem ſicut vulpes mala & doloſa aſtutia. Volo item vos ſimplices eſſe, ſed ſicut columbas rectitudinis ſynceritate, non autem ſicut aſinos ignorantiæ ſtoliditate.

a Cauete autẽ ab hominibus. [a] Attendite autem, ne cuilibet vos credatis: ſed cauete vobis ab hominibus, & cautè attẽdite quibus fidatis aut voſmetipſos credatis. *b Tradẽt enim vos in concilijs* [b] Futurum eſt enim, vt

perſeq

perſequutioně grauiſsimam vobis ſuſcitĕt homines, tradituri:id eſt,delaturi vel exhibituri vos ad cōcilia & conceſſus iudicum, tanquam reos qui puniamini: [a] & in locis publicis vbi omnes conueniunt, palàm vos cedĕt flagellis,tāquam flagitioſos homines.[b] Super hæc etiam coram regibus & præſidibus,tanquam rei ſiſtemini,vt de vobis fiat quæſtio & feratur iudicium. [c] Patiemini autem hæc omnia, non tanquam malefactores propter veſtra facinora, ſed vt veritatis confeſſores & prædicatores, propter fidem nominis mei & prædicationě doctrinæ meæ. [d] Eueniéntque vobis illa omnia, in teſtimonium ipſis Iudæis atque Gĕtibus.Per has enim perſequutiones,quas pro meo nomine próq; mea doctrina ſuſtinebitis, clarificabitur & commĕdabitur mirum in modum doctrina veritatis, & palàm omnibus perefficax teſtimoniū illi perhibebitur,tam apud Iudæos quàm apud Gĕtiles. Cum enim doctor tam cōſtanter quamlibet magnas perſequutiones ſuſtinere non trepidat, pro eo quod docet,vehemĕter ſuam doctrinam tali conſtantia & patientia commodatam reddit apud illos coram quibus talia paſſus fuerit:& quāto pluribus in locis, quāto apertius,quanto crudelius,aduerſum vos ſæuitum fuerit à perſequutoribus,tāto maius,latius & firmius erit teſtimoniū veritatis: ita vt perſequutionum harum occaſione,& plurimum & celerrimum profectū ſit habiturum Euangelij negotium. Ita diſponente Deo,ad gloriam cedet Euāgelij & populorum ſalutem,quod impij perſequutores in contrarium finem egerint.[e] Ne verò tantorum malorum terrore, infirma adhuc veſtra corda frangantur,poſt enarrata mala quę vobis ſuo tempore occurrent perferenda, ſubiūgam eueſtigio quæ vos aduerſum illa abundè valeant conſolari.Et primum quidem,ne fortè veſtram vtilitatem cōſiderantes,obiiciatis, quo pacto id fieri poſsit,vt vos homines rudes,indocti, & prorſus elingues,ſiue ineloquentes,ita coram regibus & præſidibus,ſapiĕtum quoque ſynagogis & conſiliis, pro veſtrę fidei defenſione dignum quicquam agere valeatis.[f] Illud vobis prædico, vóſque præmoneo, cum in eum

a & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos,

b & ad reges & præſides ducemini,

c propter me,

d in teſtimoniū illis & gĕtibus.

e Cum autem tradent vos.

f nolite cogitare,quomodo aut quid loquamini.

cum articulum vos deuenire contigerit, vt tradamini ad cōcilia aut coram regibus aut præſidibus ſiſtamini, vt omnem tūc abiiciatis ſolicitudinē, neque quicquam ſitis anxij de reſponſione aut defenſione, quomodo videlicet, aut quid ſitis coram illis reſponſuri.

a Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

[a] Dabitur enim vobis ſubitò, in illo articulo, quid loquamini: inſpirabit ſuggerétque vobis Deus, per ſpiritum ſuum ſanctum, ſermonem cōgruum & efficacem, tum ad veritatem Euangelij validè confirmandam, tum ad cōtrariam falſitatem atque impietatem dilucidè redarguendā, iuxta quod Deus ipſe pro auditorum cōditione quàm conuenientiſsimum iudicauerit.

b Nō enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis,

[b] Non enim vos illi eſtis qui tunc loquemini, ac proinde vobis non eſt laborandū, vt ex vobiſipſis aut veſtro ingenio proferatis elaboratum ſermonē: ſed ſpiritus patris veſtri cæleſtis, cuius negotiū agitis, ipſe vobis commodum & efficacem ſuggeret ſermonem, ad rationabilem defenſionem eius, quam ex ipſius mandatò prædicabitis, Euangelicæ doctrinæ. Vos proinde ſuper huiuſmodi omnem ſolicitudinē anxiā deponite, ſuum patri negotium commendantes. Eſt enim illi indubiè cordi & curę ſuum negotiū: veſtri autem eſt officij, ea quæ ipſe dederit atque ſuggeſſerit intrepidè eloqui, atq; in ipſum pleno corde confidere.

c Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgēt filij in parentes, & morte eos afficient:

[c] Tanta autem propter fidem nominis mei inter homines vētura eſt diſſenſio & perſequutio, vt ij etiā qui naturali vinculo alioqui ſunt coniunctiſſimi naturalis propinquitatis velut obliti, inuicem ſe perſequātur: ita videlicet, vt frater incredulus fratrē fidelē tradat in mortem, & pater infidelis filium fidelem: imò filij paternam reuerentiam contemnentes, crudeliter aduerſum parētes inſurgent, agéntque aduerſum eos, vt ſumatur de ipſis vltio, & tāquam ſacrilegi aut blaſphemi mortis pœna plectantur.

d & eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum.

[d] Et (vt paucis expediā) toti mundo eritis exoſi, ab omnibus hominibus mūdanis & incredulis ſpernemini, & cōtradictionē patiemini, propter confeſsionem nominis mei, & prædicationem doctrinæ meæ.

e Qui autē perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit.

[e] Verum in his omnibus, qui perſeuerauerit vſque in finē, qui forti & infracto animo mala hæc omnia pro me per patientiam

patiẽtiam ſuſtinuerit, vt non propterea veritatẽ deſerat vitæ vel doctrinæ, hic tanquã legitimus agoniſta ſiue certator, coronabitur: id eſt, pro fideli miniſterio coronam accipiet vitæ & ſalutis æternæ. Non enim qui bene inceperit, aut ad tẽpus aliquantum fidelis permanſerit, poſtmodum reſiliẽs, coronam meretur: ſed qui ad mortem vſque fidelis fuerit. [a] Hoc autem vobis ad qualemcunq; etiam temporalẽ conſolationem permitto, imo pro Euangelij fructu, ac populorũ ſpiritali vtilitate, pro loci & temporis opportunitate conſulo, vt cum vos perſequentur aduerſarij veritatis in ciuitate vna, liberè ad aliã fugiatis, vt illic verbũ Dei prædicetis, quod altero in loco repellitur: niſi forte aliquãdo caſus ſe offerat, vt infirmis ſcãdalo ſit futura veſtra fuga. Tunc enim neceſſe vos erit, pro gloria Dei & gregis ſalute vltrò etiã animã ponere, quomodo ego volũtariè in manus hoſtium ſum daturus animã meã pro ſalute populi. [b] Illud autẽ in veritate dico vobis, quòd nõ conſummabitis ſic fugiẽdo omnes ciuitates Iſraël, donec veniat & ſe oſtẽdat filius hominis: antequã peragraueritis omnes ciuitates Iſraël, omnes ciuitates fideliũ, tẽpeſtiuè ego vobis adero, atq; ſuccurrã, vos cõfortaturus & conſolaturus, vel perſequutionis ſæuitiã mitigando, vel ad meipſum vos aſſumendo poſt labores in requiẽ. [c] Prę-ter autem ſupradicta, magnum vobis in tantis malis debet eſſe ſolatiũ conſideratio eorum quæ prior ego magiſter veſter & dominus pertuli, & quotidie perfero, cauſa Euãgelij. Nõ enim debet diſcipulus ſe maiorẽ facere magiſtro ſuo, neque ſeruus debet ſe maioris ęſtimare quàm dominus ſeſe ęſtimet, vt erubeſcat aut recuſet diſcipul⁹ agere vel perferre quę magiſter nõ erubeſcit aut recuſat facere vel ſuſtinere: aut indigna ſibi putet ſeruus quæ libenter ſuſtinet dominus. [d] Satis autẽ erit diſcipulo, imò abũdè multũ erit, & nimis quã ipſius cõditioni debeatur, ſi ęqualis habeatur ſuo pręceptori, ſi nihil indignius perferre aut facere cogatur, niſi quod ipſe quoq; magiſter ſubinde facit aut ſuſtinet. [e] Sic & ſeruo ſatis eſſe debet, imò abundè multum eſt, ſi hac in parte æqualis habeatur ſuo

domino

a Cum autem perſequẽtur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.

b Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſraël, donec veniat filius hominis.

c Nõ eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum.

d Sufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius:

e & ſeruo ſicut dominus eius.

domino, ſi nõ durius tractetur ſi nõ indigniora ei pro ponantur aut fiant, quàm ſuo ſint propoſita aut facta domino. Alioqui etiã ad indigniora & grauiora meritò parati eſſe debẽt ſerui & diſcipuli, quãto eſt ipſorũ cõditio inferior magiſtrorũ & dominorum cõditione: & magnũ debent reputare, ſi nõ duriora ipſis proponantur, quàm dominis aut magiſtris. [a] Si igitur me veſtrũ dominum & magiſtrum & quaſi patremfamilias, qui toti veſtro collegio præſum ſicut paterfamilias in ſua familia: me (inquã) ſi indignis contumeliis & probris affecerũt, vocantes me Beelzebub: id eſt, hominem magum & cũ dæmone Beelzebub pacta habẽtẽ, dicẽtes in nomine Beelzebub me eiicere dæmonia, & alia huiuſmodi multa: ſi mihi ſic talia probra ingerũt, & contradictiones ſuſcitant, poſt paululũ etiam maiores excitaturi: quid mirũ, ſi vos meam familiã, meos domeſticos, meos ſeruos, diſcipulos, & filios, ſimilibus afficiant opprobriis? [b] Non ergo debebitis admirari, cũ ſenſeritis vobis contradictiones, & perſequutiones propter Euãgelium excitari: recogitantes, quòd & mihi prius lõgè etiam maiores excitarũt. Eritque iſtud in me exemplum, vobis ad confortationem & cõſolationem, vt nequaquam illos timeatis qui vos perſequuntur, ſic vt propter illorũ rabiem vel omittatis vel peruertatis vitæ aut doctrinæ veritatẽ: ſed meo exẽplo fidẽter meã eloquamini, & in ea ad finẽ vſque perſeueretis. [c] Et meritò ſanè pro nihilo contẽnere debetis hominũ cõtradictiones atque blaſphemias, cogitãtes, quòd nouiſſimi dies iudicij omnia declarabit, & quales vos ſitis qui blaſphemamini, & quales ſint illi qui vos ita blaſphemãt. Nihil enim nunc eſt tã opertum, tã abſconditũ, tã latens apud homines, quod non in illo die reuelabitur, ſiue detegetur, fietq; palàm omniũ occulis: & nihil omnino tã occultũ, quod non tunc ab omnibus cognoſcetur. In die enim illa domini, vnuſquiſq; qualis ſit declarabitur, domino illuminante abſcondita tenebrarum, & manifeſtante conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Propter quod paruipẽdere debetis quales nunc apud homines habeamini, nec vobis

a Si patrefamilias Beelzebub vocauerunt, quãto magis domeſticos eius?

b Ne ergo timueritis eos.

c Nihil enim eſt opertũ, quod non reueletur: & occultũ quod non ſciatur.

bis quicquam curæ eſſe debet, quòd ab hominibus nunc contradictiones & perſequutiones patimini. Non enim reſpondebit dies illa huic tempori, neque iudicium illud reuelatis abſconditis, iudicio hominũ erit cõforme quod nunc fit in tenebris. Illic enim mutatis vicibus boni videbuntur, qui hîc æſtimabantur mali, illic in honore cernentur, qui apud homines habebantur contẽptui, illic apparebunt glorioſi, qui hîc fuerunt deſpecti, & omnino admirabilis erit iudiciorum cõmutatio.[a] Huius rei conſideratione roborati, fiducialiter agite, & quæ nunc quaſi in occulto à me auditis, cum tempus aduenerit, palàm omnibus prædicate in lumine:[b] & quæ nunc quaſi ſecretò, & velut in aure auditis, prędicate etiam ſuper tecta: id eſt, in locis maximè publicis. Hoc volo Euangelij doctrinam quam nunc apud me agentes auditis, quaſi in tenebris & quaſi in aure, eo quòd nondum aduenit tempus publicationis Euangelij, quod poſt meam in cælos aſcenſionem erit (propter quod adhuc tantum in paruulo Iudææ loco illam prædico quaſi in tenebris & quaſi in aure, ſi conferatur ad publicum totius orbis cui poſtmodum erit prædicanda) item quam magna ex parte ſecretò & ſeorſum à turbis in idoneis vos doceo, eo quòd vobis datũ ſit noſſe myſteriũ regni Dei, non ita autem apertè turbis omnibus. Hãc, inquam, Euangelij doctrinam per vos meos apoſtolos poſt meam in cælos aſcenſionem prędicandã eſſe per orbem vniuerſum, palàm omnibus hominibus (ſicut qui in lumine loquitur & ſuper tecta, omnibus palàm loquitur) ita vt in omnem terram ſit exiturus ſonus prædicationis veſtrę, & in fines orbis terrę verba veſtra procedant.[c] Nequaquàm verò ab hac audacia ſiue cõfidentia abſtrahere vos debebit timor principum & potentum huius ſæculi, qui poteſtatem habent vos ſecundum corpus occidendi, vitamq; hanc corporalem ſiue temporalem per vim auferendi:[d] cæterum, animam ipſam aut hominem ſecundum animam, non valent occidere, ita vt animam poſsint deſtruere, efficereq; vt ipſa pereat. Nulla ſiquidẽ virtus creata animã hominis poteſt occidere vel deſtruere.

a Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine:

b & quod in aure au·itis, prædicate ſuper tecta.

c Et nolite timere eos qui occidunt corpus,

d animam autem non poſſunt occidere.

Poteſt quidem homo per corporis læſionem ineptũ reddere corpus inhabitationi animę,per diſſolutionẽ proportionis quę ineſſe debet corpori,vt inhabitet ipſum atq; informet anima,ſicq; per actionẽ in corpus & lęſionẽ eius poteſt efficere,vt cogatur anima emigrare & ſeparari à corpore. Illud tamẽ nõ poterit quęcunq; potẽtia,etiamſi omnium principũ vires in vnum cõglomerẽtur,vt vnius hominis vel infimi animã occidãt. Hominis enim anima immortalis eſt & incorruptibilis,neq; vllam paſsionẽ ſui corruptiuam in ſe poteſt à quocunq; corporali agẽte quantumuis potentiſsimo ſuſcipere. [a] Vultis autem cognoſcere, quis vobis ſit iure & ſeriò timẽdus? Ille nimirum qui poteſtatem habet non ſolũ corporis,verumetiã animæ,vtrunq; horũ æque habens ſuę iuſsioni ſubiectũ, poteſtq; non dico corpus tantum occidere, non dico etiam animam occidere(nam id pro nihilo ducerent carnales homines,qui ſibi optarent mortẽ, beſtiarũ morti ſimilem)ſed corpus ſimul & animã: id eſt, totum hominẽ ſecundum vtranq; ſui partem perdere perditione æterna,& coniicere in ignem æternũ & inextinguibilẽ. Hic proculdubio iure eſt metuẽdus: nõ autem timendi ſunt illi,qui tantũ poteſtatem habent corporis occidendi, quod fidelis & pro iuſtitia moriens nihil debet æſtimare,imò tanquam lucrum deputare,vtpote per quod citius ad coronã pertingit & multis malis eximitur. Hac cõſideratione ſi quãdo vobis vanus vllus timor occurrat potentũ huius ſæculi,ex parte fragilis corporis,quod naturaliter,pœnas & mortẽ horreſcit: illum repellite & abiicite,attẽdentes ex parte altera,illa multò magis metuẽda æterna ſupplicia,quæ tam corpori quàm animę ſunt præparata,ſi inordinato timore veritatẽ vel vitę vel doctrinæ dereliquerit,vt ſic velut clauus infirmior validiori clauo pellatur. Neque hęc dico quòd velim vos filios & amicos meos timore cogi tormentorum inferni,(abſit enim vt ſeruilẽ hunc affectum in vobis probem vel exigam: quum nõ ſit timor in charitate, ſed ipſa eum foras mittat,quam ſuper omnia vos habere volo) ſed vt habeatis quomodo timorem inordinatum,

[a] *Sed potius timete eum, qui poteſt et animã & corpus perdere in gehennam.*

tum,qui facile vobis è corporis ſenſitiuo affectu poteſt ſuggeri vel incuti,etiam contrario timore valeatis facillime depellere. Quemadmodum enim delectatio maior expellit minorem,eiusque facit obliuiſci hominẽ:ſimiliter triſtitia maior obliuiſci facit & quaſi aufert minorẽ,ſpes itẽ maior minorẽ, ſic & timor maior de malis videlicet multò grauioribus facillime timorẽ pellit minorẽ,vtpote malorũ incõparabiliter minorum. [a] Debet quoque plurimum vos conſolari contra omnia quæ obuenire vobis poſsint, fides & conſideratio diuinæ prouidentiȩ: quam non dubium eſt Deo erga ſuos fideles eſſe maximam, id quod vel ex vilibus animalculis cognoſcitur. Quid enim apud homines vilius æſtimatur paſſeribus,quorum duo vno aſſe væneunt,nũmo minimo? Attamen quantũuis illi ſint hominibus viles, eſt nihilominus Dei tanta erga ipſos prouidentia,vt nec vnus ex illis ſuper terram cadat,vel morte deficiat,ſine prouidentia,ſcitu,& permiſsione patris cæleſtis.[b] Quòd ſi tanta eſt Dei erga paſſerculos illos prouidentia,vt nec vnus ex eis,quum tam ſint multi,ſuper terram cadat mortuus,niſi Deo permittente,neq; ante tempus definitum & metam præſtitutam vitȩ ipſorũ:proculdubio magis iuſtũ eſt,Dei prouidẽtiã erga vos eſſe maximam:tantam vtique,vt etiã capillos capitis veſtri omnes numeratos habeat,neq; vel capillus vnus de capite veſtro poſsit decidere,ſine Dei ſcitu & permiſſione:id eſt,vt vos & veſtra omnia ſua prouidẽtia curet diligẽtiſsimè.[c] Nõ igitur eſt quod timeatis,meritò omnẽ debetis inanẽ eiuſmodi timorẽ obiicere,q vobis poſsit in Euãgelij negotio impedimentũ præſtare.[d] Nihil enim dubiũ,quin vos multis paſſeribus ſitis meliores,qùin vos pauculos pluris faciat Deus, quàm plurimos paſſeres:Vnde ſi nec vni ex illis mali quicquam contingit ſine Dei prouidentia, ſcitu,& permiſsione,vobis quoque perſuaſiſsimũ eſſe debet, nihil poſſe à quoquam vobis mali(etiam quod ad corpus attinet)euenire ſine prouidentia,ſcitu,permiſsione,& diſpoſitiõe Dei.Quod ſi creditis,vt credere certè debetis,meritò timorẽ debebitis omnẽ abiicere.

a Nõne duo paſſeres aſſe væneunt? & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro.

b Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.

c Nolite ergo timere:

d multis paſſeribus meliores eſtis vos.

Diuinæ enim bonitati confidendum eſt quod nihil ipſa circa vos fieri permittet,niſi quod ſuo honori & veſtrę ſaluti erit quàm maximè cõueniens.Debet autem fidelibus ſuprema eſſe cõſolatio,diuinę volũtatis circa eos adimpletio,debetq; hoc ſummũ eſſe veſtrũ deſiderium,vt Dei voluntas,& prouida eius diſpoſitio impleatur in vobis,quicquid tandẽ ſtatuerit,ſiue ad vitam,ſiue ad mortem:ſcientes,quoniam diligẽtibus Deum,omnia cooperabuntur in bonum. [a] Denique,ſi pręmium ſpectetis quod Euangelij mei conſtãtes pręedicatores manet,illud generali pollicitatio ne vobis enuntio , quòd quiſquis in hoc mundo me coram hominibus cõſtanter & perſeueranter cõfeſſus fuerit,primũ quidem vita & opere ſecundũ Euãgelium meum vitam dirigendo,deinde etiam verbo pro loco & tempore,vbi gloria Dei & proximorum vtilitas ſuaſerit Euangelicam veritatẽ confitẽdo & pręedicando:ſicq; in hac confeſsione ad finem vſque perſeuerauerit,hunc ego viciſſim cõfitebor,& agnoſcam,tãquam meum ſeruum fidelem & filium,in die iudicij coram patre meo cęleſti,vt mercedem beatæ retributionis ab eo accipiat. [b] Ex aduerſo autem,qui me negauerit coram hominibus , quacunque tandẽ occaſione:qui vel concupiſcentia abſtractus,vel timore malorũ deterritus,aduerſus meam doctrinã quicquam egerit vel dixerit , aut certè Euangelicam veritatem,vbi incumbit neceſsitas ſubticuerit & diſsimulauerit,huiuſmodi hominem ego viciſsim reiiciam tanquam ignotum,coram patre meo cæleſti,in die iudicij,quando coram patre meo venturus eſt ad examen iudicij,teſtimonium perhibebo aduerſus illum,quòd non eum agnoſcam inter ſeruos & filios meos.Videat proinde quiſque vt mihi nunc inueniatur fidelis in confeſsione Euangelij , tam in verbo, quàm in opere,quiſque pro data ſibi gratia & iniuncto officio:vt in die illo viciſsim ego eum agnoſcã, & fidelis retributor inueniar.Soli autẽ oris confeſsioni & vocali pręedicationi meę doctrinæ , nemo fidat, quoniam ſi quis ore confiteatur ſe noſſe me,factis autem negauerit:ſi labiis me honorauerit , cor autem lon-

[a] Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt.

[b] Qui autẽ negauerit me corã hominibus, negabo & ego eũ corã patre meo, qui in cælis eſt.

longè à me abfuerit:hic nõ exiſtimet ſe à me cognoſcendũ. Audient enim omnes iniquitatis operatores, No noui vos,diſcedite maledicti. Similiter nemo ſibi ſatis putet,ꝙ ore non abnegauerit,aut verbis non contradixerit doctrinæ meæ.Quicunque corde & factis negauerint:audient in die illo,Non noui vos, diſcedite maledicti.[a] Nemo verò conturbetur aut ſcandalizetur,ſi ex prædicatione doctrinæ meæ videat mirandos tumultus & cõtradictiones grauiſsimas oriri, & omnia in mundo miſceri tumultibus. [b] Non enim veni vt mundo adferã pacem terrenam & tẽporalem, per quã ſecuri & quieti in ſuis peccatis homines permaneant : ſed veni vt mittam gladium: id eſt,ſeparationem & diuiſionem,ac bellum bonũ inter homines quo mala illa pax diſrumpatur , ad ſalutẽ multorum, qui per ſeparationẽ à malis ſaluabũtur,vbi alioqui in pace illa mala periiſſent. Ad hoc enim veni, & ad hoc à patre miſſus ſum,vt teſtimoniũ perhibeam veritati:ad quam teſtificationẽ pax mala ſoluetur , & bellũ bonum ac ſeparatio bona conſequetur,ſic verbo Dei quaſi gladio multos abinuicem diuidente , qui antè erant coniunctiſsimi. [c] Ex eo nanq; ad quod à patre miſſus veni, talis conſequetur diuiſio,vt ſeparetur ac diuidatur filius aduerſus patrem ſuum, & filia aduerſus matrem ſuam, quorũ tamẽ eſt naturaliter ſumma coniunctio,& ſummus conſenſus. [d] Diuidetur item nurus aduerſus ſocrũ ſuam, & gener aduerſus ſocerũ, quorum eſt tamẽ ex affinitate matrimoniali ſumma coniunctio. [e] Et perſequutionẽ patietur qui credere voluerit Euangelio,ſentiétque inimicitias,ab iis qui ſunt domeſtici eius,qui ſuut ſibi vel conſanguinitate vel affinitate coniunctiſsimi : quæ ſanè perſequutio, multam habebit afflictionem. Tãto enim grauius fit homini malum quod patitur , & tanto affligit vehemẽtius,quanto eum qui mala infert minus æquũ erat malefacere,& magis iuſtũ benefacere.[f] In Euangelij autẽ negotio exuẽdus eſt omnis affectus inordinatus cuiuſcũq; rei,etiam natura cõiunctiſsimæ,neq; quicquam omnino poteſt in affectu pręponi mihi & meo Euangelio:talémq; eſſe opoꝛtet eum, qui meus diſcipulus

a Nolite arbitrari,quia pacẽ venerim mittere in terram.

b Non veni pacem mittere,ſed gladium.

c Veni enim ſeparare hominẽ aduerſus patrẽ ſuum, & filiam aduerſus matrẽ ſuam,

d & nurum aduerſus ſocrum ſuam:

e & inimici hominis, domeſtici eius.

f Qui amat patrem aut matrẽ pluſquam me, non eſt me dignus.

pulus & euãgelij miniſter eſſe voluerit, vt potius omnia perdat, & abneget, quam offendat in me vel in Euangeliũ. Vnde, ſi quis patrem aut matrẽ amat pluſquam me, qui illos in affectu mihi pręponit, ſic vt me malit meamq; doctrinã deſerere, quàm patrẽ aut matrem abnegare, hic proculdubio nõ eſt idoneus qui meus ſit aut dicatur diſcipulus & ſeruus.[a] Similiter deorſum deſcendendo in generationis linea, ſi quis filiũ aut filiã mihi præponat vel Euangelio, ita vt propter amorẽ erga filios paratus ſit relinquere me vel Euangeliũ, nõ eſt eiuſmodi dignus qui dicatur meus ſeruus aut diſcipulus. Attamen ſunt hæc iam dicta inter omnia quę ſunt in mundo homini cõiunctiſsima: pater quidẽ & mater in generationis aſcenſu, filius autẽ & filia in generationis deſcenſu. Patri enim & matri ſupernè coiunctus eſt homo, vt aliquid eorum: & ipſi interim infernè coniuncti ſunt filius & filia, vt aliquid ipſius. Quòd ſi nec iſta quæ natura homini proximè coniunxit, & ad quæ amorem indidit naturalẽ, licet mihi pręponere, quantominus reliqua quæ non ſunt ſic coniuncta homini, ſed prorſus extranea, vtpotę aurum, argentum, prædia, poſſeſsiones, & huiuſmodi?[b] Addo & illud: Si quis non accipit crucem ſuam in humeros, & ſequitur me, ſi quis non paratũ ſe offerat animo, pro amore meo & Euangelio, quiduis quantumlibet durum aut probroſum, etiam vſq; ad ſupplicium & ignominiam crucis ſuſtinere, atque ita mihi in patientia fideliter & indiuiſè adhærere, meaq; ſequi veſtigia: qui huiuſmodi (inquam) nõ fuerit, non eſt idoneus vt meus dicatur diſcipulus.[c] Eſt autẽ perutile, ſic omnia propter me contemnere, etiã propriã corporis vitam: & exaduerſò maximum affert homini detrimẽtum, affectu inordinato quicquã mihi præponere, ipſam etiam corporis vitam. Qui enim inordinato affectu ſuam vitam temporalem diligens, eam in hoc mundo inuenire & cuſtodire laborat, potius me relinquere, quàm vitã corporalẽ perdere volens, hic inordinato tali affectu quo creaturã præponit creatori, cauſa eſt ſibiipſi perditionis & damnationis æternæ.[d] Contra verò, qui nunc paratus eſt propter

a Et qui amat filium, aut filiã ſuper me, nõ eſt me dignus.

b Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.

c Qui inuenit animam ſuam, perdet illam,

d Et qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eã.

propter me & Euangelium perdere animā ſuam, eligens magis tēporalem vitā perdere, quàm me aut doctrinā meā abnegare, hic fideli illa dilectione qua me ſuper omnia diligit, animā ſuam ſaluam faciet in vitam æternā: & quam in hoc mūdo videbatur perdidiſſe, in vita æterna inueniet. Et ſi animam perdunt qui vitam corporis, inter omnia tēporalia bona rem nobiliſsimā, mihi prægligunt: quanto magis perdūt animas, qui bona externa res viliſsimas mihi præferūt, ſic vt propter ea inueniēda vel ſeruāda me aut meam doctrinam abnegent? [a] Huiuſmodi autem dignos & fideles meos diſcipulos in quanto precio ego habeam, quantæque ſint apud patrem æſtimationis, breui vobis verbo aperiam. Tanti (inquam) ego facio vos fideles meos diſcipulos, & omnes futuros veſtri ſimiles, vt quicquid vobis beneficij impēſum fuerit, tanquam meis diſcipulis, vtpote ſi quis vos hoſpitio ſuſceperit, aut aliud quodlibet humilitatis obſequiū vobis præſtiterit, id ego mihi factū putem: & tali remuneratione dignabor, ac ſi mihi beneficium tale fuiſſet impenſum.

a Qui recipit vos, me recipit.

[b] Qui autem me recipit, non ſe putet purum tantum hominem iſtum recipere, ſed patrem meum cæleſtem in me recipit, qui in me habitat, & qui me miſit: reputat pater ſibi impenſum beneficium, quodcunq; mihi aut meis membris impenditur: & tali remuneratione beneficium illud dignabitur, acſi ſibi fuiſſet impenſum.

b Et qui me recipit, recipit eū qui me miſit.

[c] Qui ſuſceperit quempiam Prophetam, ſiue doctorem aut prædicatorē veritatis, ſub hac ratione & conſideratione quatenus eiuſmodi eſt: id eſt, quoniam Propheta eſt, vel prædicator veritatis, hic particeps efficietur mercedis illius quę debetur Prophetæ. Quoniam enim non poteſt ſuum officium recte exequi Propheta: vel doctor, niſi ſecundum corpus ſuſtentetur, quaſi Prophetam adiuuat, qui eū ſuſcipit & ſuſtētat: ſicq; velut illi collaborās, meritò particeps efficietur mercedis Prophetæ.

c Qui recipit Prophetā in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.

[d] Imo qui iuſtū quemlibet ſuſceperit, etiamſi Propheta ille non fuerit, modo eum ſuſcipiat in nomine iuſti, ea videlicet ratione & conſideratione, quoniam iuſtus eſt & Dei ſeruus, particeps erit mer-

d Et qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedē iuſti accipiet.

cedis iuſto illi debitæ, propter temporale quod iuſto præbet ſubſidiũ,quod illi ad ſeruiendum Deo eſt neceſſariũ.Signanter dico,in nomine Prophetæ, in nomine iuſti:quoniã ſi propter cognationem,aut aliam aliquam occaſionẽ, vel cauſam benefaciat quis iuſto vel Prophetæ,nõ ob hoc mercedem accipiet iuſti vel Prophetæ:eo quòd nõ in nomine iuſti vel Prophetæ id fecerit. Nam licet idem ſit factũ vel beneficiũ exterius,eiuſdem tamen nõ eſt apud Deũ meriti, quod longè,diſpari exhibetur intẽtione. Qui enim in nomine Prophetæ vel iuſti alicui benefacit, Deũ in intentione habet,& propter Deũ facit quod facit. Non ita,qui vel propter cognationem,vel propter temporale cõmodum,vel propter aliquid huiuſmodi:[a] neq; ſolum mercedem habebunt apud Deum qui magnis Prophetis & inſigniter iuſtis benefaciunt,neq; ij ſolum qui magnis beneficiis illos afficiunt,vt qui ſuſcipiunt hoſpitio,& præbent vitæ neceſſariã,(quod non eſt niſi diuitũ)verumetiam qui minimis, & ſecũdum humanam æſtimationẽ viliſsimis meis ſeruis,vel exiguum aliquod beneficium impenderint. Vnde illud in veritate dico vobis,quicunq; vel minimũ aliquod obſequium aut beneficium impenderit vni alicui ex viliſsimis & abiectiſsimis diſcipulis ac ſeruis meis, vtpote ſi vel poculum aquæ frigidæ porrexerit ad bibendum, quod ſanè perexiguum & minimum eſt beneficium:ſi tamen id quantulumcunque ſit impendat illi in nomine diſcipuli,ea videlicet ratione & conſideratione quatenus meus diſcipulus & ſeruus eſt, nõ manebit illud miſericordiæ & charitatis opus apud me ac patrem meum irremuneratũ. Propter quod, meritò omnes homines laborare debent, & pro viribus conari, vt vobis veſtriſque ſimilibus in corporis neceſsitatibus(ſine quibus Deo ſeruire non valetis) pro facultate ſua ſubueniant, poſteaquam tam certa promittitur retributio benefacientibus.

a Et quicunq; potum dederit vni ex minimis iſtis calicẽ aquæ frigidæ, tãtum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

D*Edit illis poteſtatem ſpirituum immundorum.*) Hoc eſt, ſuper,vel cõtra immundos ſpiritus, quomodo in vulgatis Græcorũ codicibus

bus legitur, κατὰ ἀκαθάρτων πνευμάτων: id eſt, contra vel ſuper immundos ſpiritus.¶ *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc.&c.*) Apoſtolorũ nomen dicitur à Greco verbo ἀποστέλλω apoſtello,quod ſignificat emitto,vel à me mitto.Hinc Apoſtoli dicũtur,quaſi à Chriſto miſsi in mundũ,gratia prædicandi Euangelij:qua ratione etiam Chriſtum Paulus in epiſtola ad Hebræos appellat Apoſtolum,quoniam à patre fuiſſet miſſus in mũdum.Ponitur hoc ipſum verbũ paulo poſt,cum dicitur:*Hos duodecim miſit Ieſus,præcipiens eis, &c.* ¶*Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius.*) In vulgatis Græcorum codicibus, Iacobus & Ioannes, priori loco ponuntur ſtatim poſt Petrum & Andream,quo ordine etiam apud Marcum & Lucam enumerantur,Imò apud Marcum etiam Andreæ præponuntur ſtatim poſt Petrum,ſub appellatione Boanerge,quod eſt filij tonitrui. ¶*Simon Chananæus,& Iudas Scariotis.*) Non eſt exiſtimandum nomen Scariotis eſſe caſus genitiui locum ipſum ſimpliciter ſignificás,vt idem ſit Iudas Scariotis,quod Iudas à Scariote.Eſt enim caſus nominatiui,videturq; dicendum per e in vltima Scariotes.Nam Grecè eſt ὁ ἰουδας ἰσκαριώτης. Solet autẽ η i longum apud Latinos in e mutari,quoties Græcis vocabulis vtuntur Latini,vt vbi per duo η longa Græci dicunt προφήτης prophitis,nos dicamus prophetes vtroque η longo in e longum mutato.Videtur igitur & hic dicendum. Scariotes caſu nominatiuo.Addunt quoque Græci iota in principio,dicentes Iſcariotes,ſed Latini omittunt primam literam.¶ *Ad oues quæ perierunt domus Iſraël.*) Verti poterat,ad oues perditas domus Iſraël.Sic enim per participiũ Grecè dicitur πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα. ¶ *Appropinquabit regnum cælorum.*) Græcè per præteritum dicitur, appropinquauit:id eſt,iam propè factũ eſt,iam inſtat, tanquam venturum in proximo.Eandem quoque ſententiam noſtra lectio habet per futurum. ¶*In Zonis veſtris.*) In zonis,id eſt, quod nos modo dicimus in crumenis vel burſis quas vocant, quod ſoleant in zonis æs ligatũ geſtare. ¶*Salutate eam, dicentes:Pax huic domui.*) In vulgatis Græcorum codicibus totum illud omittitur, dicentes : Pax huic domui, tantum eſt,ſalutate eam.¶*Et quicunque non receperit vos.*) Videtur impropriè dictum,quicunq; nõ receperit vos,in hunc ſenſum:Vbicunque non receperint vos,vel vbicunq; non fueritis recepti.Et reſpondet aptè quod ſequitur,*Exeuntes de domo vel ciuitate illa, &c.* Nõ enim ad ſingulas perſonas attinere iſtud videtur.Alioqui non dubiũ, quin in omni ciuitate & loco multi erant qui non erant recepturi neque audituri Apoſtolos.Nulla enim tam bona fuit ciuitas,in qua nõ magna populi multitudo(vt eſt veriſimile)permãſit incredula, cõuerſis

paucis electis ad prędicationem apoſtolicam. Mirandũ ergo fuiſſet ſi Apoſtoli aduerſum ſingulos à quibus nõ reciperẽtur, ſic puluerem deberent excutere,ſed aduerſus locum dirigi videtur hic ſermo, vbi cõmunitas ipſa tota vel ex eis plurimi & præcipui illos nollẽt recipere:quẽadmodum de Geraſenis legimus,ꝙ exierũt de ciuitate obuiã, imo vt ſcribit Matthæus, tota ciuitas exiit obuiam Ieſu, & viſo eo, rogabat eum vt diſcederet ab eorum finibus:vbi innuitur ciuitatem illam totã Chriſtum nõ ſuſcepiſſe, quẽ rogabant abſcedere: propter quod, etiam prędicationis eius beneficio illo in tẽpore fuit priuata. Clarius hanc ſentẽtiam indicat Marcus capite ſexto,plurali numero vtens: *Quicunque (inquiens) non receperint vos, neque audierint, exeuntes inde,excutite &c.* Atque hoc etiam clarius Lucas his verbis: *In quamcunq; ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos,exeuntes in plateas, &c.* ¶ *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum.*) Sodomorum genitiuus eſt nominatiui Sodoma,pluralis numeri.Sic enim Gręci dicunt,Sodoma Sodomorũ,quemadmodum etiam Hieroſolyma Hieroſolymorum.Sic & apud Eſaiam dicitur,*Principes Sodomorum.* Et capite ſequenti idem nomen apud Græcos in ablatiuo caſu ponitur,cum dicitur: *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te.*Quoniam verò Latinis nõ dicitur vſitatè,Gomorra Gomorrorum,ſed tantum in ſingulari ſecundum genus fœmininũ, idcirco Latinus interpres Gomorræorum dixit, non Gomorrorũ. ¶ *Ecce ego mitto vos ſicut oues, &c.*) Videntur ea quæ ab hoc loco dicuntur, non dicta eſſe à domino promiſsione iſta priori,in qua nihil duri,aut aduerſi leguntur Apoſtoli perpeſsi: neque vlla perſequutio aduerſum ipſos creditur mota,quod & ipſi ſatis teſtantur, quũ poſt cœnam nouiſsimam domino interrogante. *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, nunquam aliquid defuit vobis?* Reſpondent fidenter, *Nihil.* Ad illam igitur præcipuam poſteriorem emiſsionẽ,qua poſt ipſius reſurrectionẽ mittendi erant in mundum vniuerſum ad prædicandũ Euangelium omni creaturæ,ſermo iſte qui ſequitur de perſequutionibus grauiſſimis verba faciens,videtur referendus: vt occaſione prioris emiſsionis ad poſteriorẽ dominus intelligatur tranſiſſe, & quæ tũ erant ipſis euentura iam prædixiſſe. ¶ *Tradent enim vos in conciliis.*) Græcè eſt *ἰς συνέδρια* is ſynedria:id eſt,ad cõſeſſus vel cõcilia,vel in cõciliis. Nam accuſatiuus Græcus frequenter per ablatiuũ apud Latinos redditur. *Nolite cogitare quomodo &c.*)Græcè eſt *μὴ μεριμνήσητε* mi merimniſete,quod valet:Ne curate,ne ſoliciti ſitis.Idẽmq; vult verbũ cogitare, intelligẽdo non ſimplicẽ animi cogitatũ, ſed qui cũ anxietate & ſolicitudine eſt; cuiuſmodi ſolent eſſe cogitationes eorũ qui verſantur

in

in grauibus periculis,& illis maximè quibus ſe noſcunt impares,niſi modus aliquem adinueniant effugiendi.Idem vocabulũ ſuprà poſitum fuit cap.6.cum dicitur, *Quis veſtrum cogitans,poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? &c.*& in eius capituli annotationibus ſimiliter fuit explicatum. *Non conſummabitis omnes ciuitates Iſraël, &c.*) Noue admodum dixit,nõ conſummabitis, ſupple fugiendo omnes ciuitates:loco huius.Nõ omnes ciuitates perluſtraueritis vel perambulaueritis,ſiue(vt ita loquar)nõ eritis cõſequuti finẽ perambulando omnes ciuitates,antequã filius hominis veniat:id eſt,quando venerit filius hominis,nondũ omnes ciuitates perãbulaueritis: adhuc ſupererunt ad quas poſsitis confugere. Eſt autẽ iſte ſimilis loquendi modus,ac ſi magna ferculorũ abũdantia propoſita dicam tibi:Si de ſingulis vel modicũ quid guſtare volueris:dico tibi,non conſummabis omnia hęc fercula,donec ſaueris ad nauſeã. Eſt enim ſenſus:Nõ cõſummabis guſtando omnia fercula,aut clarius, Non finem facies guſtandi ſingula,donec ſatieris ad nauſeã:hoc eſt, prius vſq; ad nauſeã ſatiaberis,quàm ſingula deguſtaueris, aut finem guſtandi feceris.Exponunt autem hunc paſſum admodum varie propter nimiam ſuam obſcuritatẽ.Quidam dicunt,Donec filius hominis à morte reſurgendo:alij,donec veniat ad iudiciũ,propter eos qui in fine tẽporum reliquiis Iſraël ſunt prædicaturi cum perſequutionibus.Nos in elucidatione ſatis clarè noſtram ſentẽtiam expreſsimus,ſic tamen,vt nihil cuiquam velimus præiudicatum. ¶*Si patrem familias Beelzebub vocauerunt.*)Nuſquam legitur, quod Chriſtum appellauerunt Beelzebub,ſed tantum quod in Beelzebub dicerũt eum dæmonia eiicere. Eſt iſtud ergo accipiendum impropriè in talem cẽſum. Si me calũniantur quòd cum Beelzebub pacta habeam quod magus ſim, & dæmonũ opera vtar,&c. Poſſet etiã ad partẽ cæleſtem ſermo iſte referri.Quũ enim Chriſtũ dicerent Phariſæi eiicere dæmonia in nomine Beelzebub,aliquo modo patrem Chriſti appellabant Beelzebub,licet non id intenderent.Beelzebub enim iuxta Phariſæorũ calumniam,erat is in cuius nomine faciebat Chriſtus miracula, & hic ipſe(ſecundũ veritatẽ)erat pater eius cæleſtis. Patrẽ ergo cæleſtem ipſi appellabant Beelzebub.Verum id non tam videtur ad propoſitũ facere,quũ videatur Chriſtus ſuo exẽplo velle diſcipulos ad toleran tiam inducere: quemadmodum apud Ioannem latius exprimitur ca.15.in hæc verba : *Mementote ſermonis quem dixi vobis. Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt.* Poteſt etiam intelligi Chriſtus per execrationem vehementem dictus eſſe Beelzebub: quem

quemadmodum hominem vehemẽter malum interdum execrantes ac deteſtantes, appellamus diabolum: imò interdum certo dæmonis nomine deſignamus, veluti cũ malitia & nocẽdi cupiditate inſignẽ, Luciferum nominamus. ¶*Nihil opertum eſt quod non reueletur.*) Poteſt iſtud exponi de prædicatione Euangelij, iuxta id quod ſtatim ſequitur: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, &c.* Huncq́; ſenſum aſsignant: Verba iſta Euangelicæ doctrinæ, quæ nunc velut operta ſunt, & occulta: aliquãdo reuelabuntur, & ſcientur, fiéntque palàm, Atque in hũc ſenſum videntur apud Marcum eadem penè verba cum quali cunque mutatione adduci, capite 4. in hunc modũ: *Nunquid venit lucerna vt ſub modio ponatur, aut ſub lecto? Nónne vt ſuper candelabrum ponatur? Non eſt enim aliquid abſconditum quod non manifeſtetur: nec factum eſt occultum, quod nõ veniat in palàm.* In eundem omnino ſenſum videntur ſimiliter poſita eadem ferè hæc verba apud Lucã capite octauo, vbi ſic habet: *Nemo autem lucernam accendens &c.* Et poſt pauca, *Non eſt enim occultum quod non manifeſtetur, nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palàm veniat.* In Elucidatione tamen præſentem locũ expoſuimus de omniũ reuelatione in die iudicij, in quẽ ſenſum videntur eadẽ hæc verba accipi, Lucæ 12. vbi ſic turbis loquitur dominus, *Attẽdite a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis:* & ſubdit, *Nihil enim opertum eſt, quod non reueletur: neque occultum, quod non ſciatur.* Videtur quoque hic ſenſus melius cohærere cũ eo quod ſtatim præcedit, *Ne ergo timueritis eos.* Fortiſsima enim ratio ſpernendi hominum iudicia, & timores, eſt conſideratio extremi iudicij, in quo reuelabuntur omnia. ¶*Vnus ex illis nõ cadet ſuper terram ſine patre veſtro.*) Caſus iſte ſuper terrã, mortem ſignat. Ita enim ſolent morientes auiculæ de arboribus in terrã concidere. Vel caſus intelligatur in laqueum, vnde in mortem veniũt. ¶*Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.*) Hyperbolica eſt loquutio, ad ſignificãdum maximam curã eſſe Deo circa ſuos electos, & fidelẽ cuſtodiam, ne quicquam ipſis pereat. Sic enim ſolemus numerata habere ea quę bene ſeruata volumus. Nam vbi numerus nõ habetur, facilè aliquid deperditur è multis. ¶*Multis paſſeribus meliores eſtis vos.*) In Græco eſt πολλῶν ϛρυθίων διαφέρετε ὑμεῖς, hoc eſt, multos paſſeres præcellitis vos. Hoc eſt, pluris eſtis vos apud Deũ, quàm ſint multi paſſeres. ¶*Nónne duo paſſeres aſſe veneunt.*) Græcè eſt ἀσσάριυ aſſariũ, diminutiuum ab aſſe, in quo diminutiuo magna eſt emphaſis, indicãs vtilitatem precij: queãdmodum ſermone vulgari dicere ſolemus, ſtuferulũ, vel octonariolum, vilitatem ſignificare volẽtes. ¶*Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.*) Præter intelligentiam ſuprà poſitam, etiã iſta poſſet

ſet aſignari: Quiſquis recipit Prophetam ſub intentione Prophetæ intédens ſcilicet illam recipere, quia doctor eſt veritatis: Hic à Deo talem recipiet mercedem, qualẽ meretur is qui prophetam recipit: qualiſcunq; tandẽ ille ſit qui recipitur, etiamſi ipſe, falſus & nequã eſſe Propheta, nihilominus qui eũ vt Prophetam & in nomine Prophetæ recipit, ſuã accipiet à Deo mercedem, ac ſi verum ſuſcepiſſet Prophetã. Similiter qui iuſtum ſub intentione iuſti recipit, verè accipiet à Deo mercedẽ illam, quæ eſt deputata ſuſcipienti iuſtum: etiãſi ſuſceptus verè iuſtus nõ eſſet. Quod ideo poteſt intelligi à domino prædictũ, ne nimium anxiè homines perquirerent, quibus pro Dei amore poſtulãtibus debeãt benefacere: ſicq; frequẽter hac ſcrupuloſa inquiſitione & ipſi priuẽtur hoſpitalitatis merito, & miniſtri Euãgelij cõmodo & neceſſario careãt ſubſidio. Quidã etiã de ſingulari Propheta & iuſto, id eſt, Chriſto intelligũt: ſed id minimũ habet veri ſimilitudinis. ¶ *Quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis calicẽ aquæ frigidæ.*) Potũ dederit, Græcè dicitur vno verbo ποτίσῃ potiſi, id eſt, potauerit actiue, cuius paſsiuo vtitur apud Paulũ vetus interpres, dicens: *Omnes vno ſpiritu potati ſumus:* ſed tunc aptius per ablatiuũ diceretur: Quicunq; potauerit vnum, &c. calicẽ aquæ frigidæ. Intelligitur ergo hìc, Quicunq; ad potandum porrexerit vni ex minimis calicẽ &c. Neq; eſt in Græco, aquæ frigidæ, ſed tantum eſt ψυχροῦ pſychru, quod Græci in neutro genere ſubſtãtiuè accipiũt, ſicut Latini interdũ frigidam in genere fœmineo accipiunt ſubſtantiuate, pro aqua frigida, vt cũ dicitur in prouerbio, Frigidam ſuffundere. ¶ *Tantum in nomine diſcipuli.*) Tantũ poteſt iungi cum præcedẽtibus in hũc ſenſum: Qui potũ dederit vni ex minimis tantum, vel non niſi calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli, &c. Vel cum eo quod ſequitur, hoc modo: *Quiſquis vni ex his minimis potum dederit calicem aquæ frigidæ, modo id faciat in nomine diſcipuli:* vel ſi tantũ aut ſi modo in nomine diſcipuli, &c. Quid autem illud ſit, in nomine diſcipuli, clarius exprimit Marcus, qui ſic habet: *Quiſquis potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis, &c.* Hoc enim eſt dare alicui in nomine diſcipuli.

ELVCIDATIO CAP. XI.

ET factum eſt, cum cõſummaſſet Ieſus præcipiens duodecim diſcipulis

AOSTQVAM autem deſiiſſet dominus inſtruere, & præmonere ſuos diſcipulos illos duodecim, quos in Apoſtolos elegit, ſicq́ue inſtructos à ſe dimiſiſſet ad loca diuerſa, cauſa prædicandi

ſuis, tranſijt inde, vt doceret et prædicaret in ciuitatibus eorū.

cādi Euangelij, voluit ipſe non otioſus deſidere, qua ſi emiſsis vicariis ſecurus: ſed ſimiliter ad opus ſe accinxit, de ciuitate in ciuitatē, ac de loco ad locū prędicādo tranſiens: vt pateret nō amore otij vel propriæ quietis vicarios eū emiſiſſe, ſed propter amorem fructus maioris ſe illos in coadiutores & cooperatores in Euāgelij negotio aſſumpſiſſe: optimā dās formam eccleſiarum præpoſitis, vt in ſolicitudine præſint, nec reiecto in alios onere viuant ſecuri, niſi & ipſi pro ſua virili operi ſibi cōmiſſo inuigilent. Emiſsis itaq; diſcipulis, ipſe nihilominus ad diuerſa loca per ciuitates & caſtella trāſiit, prædicandi Euāgelij gratia.[a] Chriſto autem ſic per ciuitates & vicos prædicante, prædicantibus item Apoſtolis, ſicq; vehementer eius fama per totā Iudææ regionem ſe ſpargente, diſcipuli Ioānis qui tū in vinculis detinebatur ab Herode, ad Ioānem præceptorem ſuum antiquum referunt, quæ & quanta de Chriſto ferantur in populo: forſitā inordinato aliquo zelo erga præceptorem affecti, vt ferè ſolent diſcipuli immodicè pro ſuorum præceptorum gloria cōtendere; dolentes magiſtrum ſuum ſuperari ab alio, maximè quod per Ioannem Chriſtus videretur primā apud populum obtinuiſſe authoritatem, ipſo videlicet perhibēte Chriſto magnificū teſtimonium coram omni populo. [b] Ioannes itaque cum ſic relata audiſſet à diſcipulis opera Chriſti, duos ex eis, ipſos forſitā à quibus hæc ſibi relata fuerant, pro ipſorū vtilitate, voluit ad Chriſtum deſtinare, vt occaſionem haberent Chriſtum conueniendi, & clare etiam oculis videndi, quæcunq; fama audierant, ſicque plenius inſtruerētur de authoritate Chriſti, & ſignis cōſpectis, zelū illum (ſi quem forte inordinatum habebāt) deponerent. Vt autem ad Chriſtum magis facilē & liberum haberent acceſſum, quæſtionem eis in os dedit præceptor Ioānes, quam Chriſto proponerent: non quidē pro ſua ipſius inſtructione, qui illam optimè tenebat, ſed pro diſcipulorū inſtructione, qui nōdum plenè de Chriſto, vt oportuit, ſentiebāt.[c] Inſtruxit autem iſtos Ioannes, vt ad Chriſtum veniētes ita dicerēt: Ioānes Baptiſta clauſus in carcere, mittit nos ad te

a Ioannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti,

b mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi:

c Tu es qui venturus es, an aliū expectamus?

ad te,vt hæc tibi proponamus quęſtioné:Tu ne es ille qui in lege & Prophetis ſcribitur vẽturus,ad ſaluãdũ populũ:e tu Meſsias ille,de quo tãta ſunt in ſcripturis præ nũtiata,qué tãtopere deſiderarũt & tã diu expectarũt patres noſtri?an alius eſt expectandus,à quo ſint expectanda,& per qué ſint præſtanda illa omnia? [a]Sciés auté Ieſus bonũ Ioãnis animũ,quod diſcipulos miſit hãc proponere quæſtioné,nõ propter eiiciendã dubitationé de corde proprio,quæ ipſi nulla erat, ſed propter diſcipulorũ inſtructioné,quos maluit veritaté omné de Chriſto corã oculis videre,quàm ſuo ore tantũ docere,ſatisfacere volens Ioãnis piæ intẽtioni, vidẽtibus illis diſcipulis:multa ſigna egregia ædidit, multos infirmos variis lãguoribus ſolo verbo aut cõtactu curãdo,vt potius opere quàm verbo reſpõſum daret quærẽtibus,& ipſa miraculorũ vi quis eſſet palàm oſtẽderet.Quibus ita peractis,diſcipulos iſtos ad Ioannem remiſit, plenius ab eo & maiore cũ fructu poſt ea ſigna viſa inſtruendos.[b]Dixitq; eis:Redeũtes ad præceptorem qui vos huc miſit,indicate illi,quæ à me vidiſtis fieri in exhibitione ſignorũ,& quæ à me audiſtis in verbis doctrinæ[c] quomodo videlicet cæcis ego viſum reddiderim,claudis greſſum,ſurdis auditũ,leproſis mundiciã, imò & mortuis vitã. Hæc ſigna quæ ipſi veſtris oculis vidiſtis, illi nuntiate per me facta,ex quibus quæſtioni propoſitæ ſatisfactum facile vos docebit. [d] Quo ad doctrinam quoque quã audiſtis,indicate hoc illi peculiariter , quòd ego noua admodum doctrina pauperibus euãgelizo,& prædico noua lætáque nuntia,videlicet quia pauperibus ſpiritu,& humilibus per me annuntiatur lætum nuntium regni cæleſtis,quod accepturi ſunt, quicunque non per faſtum meam prædicationem deſpiciunt,ſed per humilitaté & ſpiritus paupertaté ſe illi ſubiiciũt. [e] Et beatus erit,quiſquis in me nõ fuerit paſſus ſcandalum.Bene illi erit,& ad lætum illud ſalutis nuntiũ pertinget, qui nec humilitate nec paupertate mea offenſus,verbis & ſignis diuinæ potentiæ acquieſcés, in me crediderit, & in Euangelium quod prædico: quemadmodum econtrariò , væ illis erit, qui in me ſcanda

a Et reſpondẽs Ieſus,ait illis:

b Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis.

c Cæci vident, claudi ambulant,leproſi mũdantur,ſurdi audiũt, mortui reſurgunt,

d pauperes euãgelizantur.

e Et beatus erit, qui non fuerit ſcandalizatus in me.

ſcandalizati fuerint,mihíque vel meæ prædicationi contradixerint. [a] Ne fortè autem ex hac quæſtione propoſita per Ioãnis diſcipulos quiſpiam ſuſpicaretur,Ioannē dubitaſſe de Chriſto,atque ea cauſa quæſtionē illā per diſcipulo propoſuiſſe,manifeſtè eam ſuſpicionē magnificis laudibus refellere voluit dominus.Propter quod.ſtatim vbi terga vertiſſent Ioānis diſcipuli,cœpit illius laudes magnificè corā turbis prædicare,dicens: Præſentibus nanq; illius diſcipulis,noluit laudare præceptorē,ſed poſt illorum abſceſſum laudauit:modeſtiæ in hoc formā commonſtrās, cuius eſt neminem in os laudare , etiamſi laude dignus fuerit Sapit enim hoc adulationē , quæ ab omnibus Chriſti ſectatoribus debet eſſe aliena. Ferè autē perinde eſt,ſiue preſentem quempiam laudes in faciem,ſiue collaudes abſentem præſentibus iis quos ſcieris mox ad ipſum laudes illas delaturos.Habet enim & hoc eādem adulationis ſpeciem. In eiuſmodi nāque,quodammodo præſens eſt, etiam qui perſona abeſt.Illis itaq; abſentibus , occaſione commodā ſibi præbita,Ioānem Baptiſtam cōmendare voluit , quod multum vtilem fore ſciret illius commendationem. Semper enim vtile eſt cōmendare,eos per quos populus inſtruitur,& dirigitur in viam ſalutis,vt fides maior illorū habeatur dictis, & maior fiat profectus in diſcipulis.Nō vano itaque affectu (vt ſolēt homines vani ſeinuicē commendare)ſed magno cum iudicio, cōſideratione publicæ vtilitatis,tanquam bonum doctorem , palàm omnibus Ioannem laudauit , dicens: [b] Quum nuper ita turmatim conflueretis ad Ioannē prædicātem & baptizantem iuxta Iordanem,ad quid videndū tum exibatis?Qualem hominem tum requirebatis,à quo audiretis verbū ſalutis & baptiſma ſuſciperetis? [c] An hominem quęrebatis vanum & inſtabilē,ſimilem arūdini , virgulto inſtabili & nutabundo,quod omni vento agitatur? Non profectò talem quęrebatis,nec vt ad huiuſmodi vanum hominem accurrebatis,ſed tanquā ad virum grauem & in veritate ſtabilē.Propter quod , dubitandum vobis non eſt, hūc ipſum Ioannē cuius iam audiſtis diſcipulos,eundem

a Illis autē abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne:

b Quid exiſtis in deſertum videre?

c Arundinem vento agitatā?

dem

dem adhuc hominem eſſe,& per omnia ſui ſimilem ac ſibi cõſentientẽ,tametſi nunc carcere cõcluſus nõ poſsit eandẽ vobis ore doctrinam tradere:tametſi lucerna iam ſit ſub modio poſita,neq; iam vltra ſuũ lumen ſpargat vel ardorem,æque tamẽ manet lucerna lucens & ardens:nec arbitremini eum quoquo modo poſſe vacillare,quicquid vos docuit,vt certiſsimũ ac indubitatũ habete.[a] Rurſum,quum ita exiretis,nunquid exibatis ad videndum hominem mollem & delicatum,veſtitum mollibus,& pretioſis indumẽtis,ac delicatis vtentem cibariis?Non vtique.[b]Nam talem ſi quæſiiſſetis,potius ad regũ & principũ aulas fuiſſet accurrendũ.Illic enim quæri & inueniri poſſunt,qui ſic pretioſis indumentis vtuntur.Non autẽ eſt ea conſuetudo incolentibus eremũ.Sed acceſsiſtis ad Ioannem,tanquam ad hominem vitæ admodum auſteræ, inconſueto hominibus victu & veſtitu vtentem:propter quod illum in magna habuiſtis veneratione. Et talis proculdubio etiã nunc permanet, carcere cõcluſus:& licet in domo regis ſeruetur,ipſe tamen per omnia ſui manet ſimilis.[c]Sed cum ita ad Ioannẽ exiretis turmatim,tanquam ad inſignẽ & nouum quẽdam Prophetam exibatis,à Deo cælitus miſſum. [d] Et in hoc ſanè rectè.Verè enim nõ fruſtrati eſtis,neque intẽtione neq; opera veſtra.Eſt ipſe nõ ſimpliciter Propheta,cæterorum more Prophetarũ occulta pandẽs, vel futura prænuntians,ſed eſt etiam Propheta ſimplici excellẽtior,& plus aliquid quàm Propheta:quatenus videlicet quẽ priores Prophetæ omnes verbo tantum poſt venturũ prædixerant,ipſi datũ eſt etiam digito pręſentẽ mõſtrare,ac dicere. Ecce agnus Dei: item quatenus non ſolum Propheta,ſed etiã præcurſor à Deo miſſus fuit.Nemo enim veterum Prophetarum ſimul præcurſoris Meſsiæ officium habuit, vt iſte habuit Ioãnes:cui datum eſt etiam baptiſmo populum pręparare vẽturo ſuo domino.Tanta eſt enim huius Ioannis excellẽtia,ſimul & officij eius præeminentia, vt aliorum Prophetarum ſit vocibus multò antè prænuntiatus, ſimul & ipſius officium aliorum Prophetarum ſit teſtimonio multò antè prædictum.

a Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum?

b Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.

c Sed quid exiſtis videre? Prophetam?

d Etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam.

a Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt:
b Ecce ego mitto angelũ meũ ante faciem tuã qui præparabit viam tuã ante te.
c Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.
d Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.

[a] Ipſe enim eſt quem deſignauit Malachias Propheta in ſpiritu, loquens in perſona patris cæleſtis ad filium, in hunc modum: [b] Ecce ego pater in temporis plenitudine ante te filiũ meum, antequam tu mundo manifeſteris, præmittam quendam nuntium & præcurſorem, qui ante te præparabit tibi viam: qui priuſquam tu mundo manifeſteris, cauſa peragendi ad quod mittendus es, populum Iſraeliticum præueniẽdo præparabit, pœnitentiam & remiſsionem peccatorum operandam per te paulòpòſt venturum, prædicando, & pœnitentiæ baptiſmo pœnitentiam agentes baptizando: vt te poſtmodum ad prędicandũ adueniente, parata ſit tibi apud populum illius præcurſione via & authoritas, te veniente ad conſummationem eius, quod ille velut inceperat atque prænuntiauerat.[c] Denique, ad plenam ipſius commendationem, hoc in veritate vobis teſtificor, quòd inter omnes qui de mulieribus vnquam cõmuni lege ſunt nati, nemo ſurrexit, aut natus eſt excellentior Ioanne iſto, cuius eſt cognomentum Baptiſta: nunquam ſurrexit Propheta excellentior, qui ſic & venturum prænuntiaret Meſsiam, & præſentem eundem digito monſtraret, atque etiam venturo viam pararet. Nullus item ex filiis hominum communi lege natorum de muliere & viro, purus exiſtens homo ſanctitate maior ſurrexit hoc Ioanne, qui ſanctificatus fuit in vtero matris, ita vt mereretur dominum agnoſcere adhuc in matris vtero poſitus, & ad eius præſentiam illic exultare: qui deinde vinum & ſiceram nõ bibit, & à teneris annis in deſertis agens: vitam illic ſanctiſſimam & maximè auſteram duxit, vſque in diẽ oſtenſionis ſuæ ad Iſrael: ac deinde, ſtrenuiſsimè pœnitentiam & fidem in Chriſtũ docuit, atque iuſtitiam: pro qua tandem etiam in vincula coniectus eſt, & ad mortem vſque peruenit.[d] Veruntamen licet magnus ſit & excellens Propheta præ cæteris Ioannes iſte, ſi tamen conferatur ad aliquem angelorum, qui in regno cælorum exiſtunt, imò ad minimum & infimum ſpiritum beatorũ, inferior etiam iſto inuenietur, quantum ad cognitionem Dei, rerumque diuinarum. Excellen-

cellentior ſiquidem eſt cognitio illa beatificæ viſionis,quam habet ſanctorum angelorum vel beatorũ ſpirituũ minimus, & in beatitudinis gradu poſtremus,quã ſit cognitio prophetica Io ĩnis,licet eximia, tamen comparatione ad illam obſcura nimirum,per ſpeculum in ænigmate, nondum facie ad faciem.

[a] A tempore autẽ quo Ioannes iſte Baptiſta cœpit manifeſtari & prędicare populo,plurimi ſunt ad Deũ conuerſi:& ad regnum cælorũ per pœnitentiam,quã ille prædicauit,quaſi turmatim cõfluunt,vt videatur regnũ cælorum vim pati à multitudine & feruore ad ipſum properantiũ:velut quum ad mercem aliquam nouam multitudo magna mercantium turmatim ac currit,ita vt quaſi vi irruant in mercem illam raram, & deſideratã:& ſic violenti rapiunt illud,cum magno feruore & magna multitudine.Ita enim populus,Ioanne prędicãte,exiit in magna multitudine,& ipſum audientes conuerſi ſunt ad pœnitentiam plurimi, diuerſi ſtatus homines, publicani,meretrices, milites, & ex omni genere hominũ:quos omnes in proteſtationẽ pœnitentię baptizando,ad regni cælorũ hæreditatem,per fidem eius quem prædicabat venturum, aſſcripſit. Ioãne quoque prædicante,cœperunt multi ſibip ſis vim inferre:id eſt, pœnitentiã agere,per quã abſtrahitur caro ab illecebris mundi & concupiſcentiis vitiorum:quod ſine dubio abſque vi & violentia nequit fieri.Vim enim inferre ſibi debet,qui per pœnitentiã abſtrahere ſe debet ab omnibus carnis deſideriis,& virtuti inſolitæ dare operam.Item regnum cælorum à tempore prædicationis Ioannis, vim pati cœpit:id eſt,per violentiam pœnitentialẽ cõparari; & violẽti vimq; ſibi faciẽtes,illud diripiũt,illius fiũt hæredes,quod ſine eiuſmodi vi non poſſunt cõſequi.

[a] A diebus autem Ioannis Baptiſtæ vſq; nũc, regnum cælorũ vim patitur,& violenti rapiũt illud.

[b] Neq; mirũ,ſi adueniente Ioanne ita multi conuerſi fuerint ad Deũ per pœnitentiã:quoniã quidẽ omnes Prophetę priores qui ante Ioãnem loquuti ſunt,imò & lex ipſa,ad Ioannis vſq; tempus loquuti ſunt,tẽpus reſpiciũt gratię,quod à Ioãnis prædicatione ſumpſit initiũ,quãdo cœperunt impleri illa quę in Prophetis prædicta erant de Chriſti incarnatione,& mũdi viſitatione

[b] Omnes enim Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt.

tatione,quando etiam impleri cœpit veritas eorum, quæ lex per cæremonias,ſacramenta,& ſacrificia ſua præfigurauerat.[a] Denique,ſi verbo meo vultis credere,dicam vobis quod verum eſt,ipſum eſſe Heliam illum,de quo apud Malachiam dicitur,quòd ſit præuenturus diem domini,tanquam præcurſor & præparator populi,ante faciẽ domini venturi. Quod licet vos difficile ſuſcipietis,aut credetis,nõ intelligentes Malachię Prophetę verba,niſi de Helia Theſbite,ad ụentũ glorioſum poſtremũ meũ præuenturo:attamẽ verè ſic res habet,etiam hunc Ioannem apud Malachiam Heliæ nomine deſignari,ex ratione officij:eo quòd ſicut ille ſecundum aduentum,ſic iſte primum debuit præuenire,atq; etiã propter ſimilitudinẽ vitę & zeli atq; conſtantię.[b]Veruntamen quia dicti huius eſt difficilis,& occulta intelligẽtia,neq; facile id cuiuis poſſet perſuadere,eo quòd omniũ iudicio & interpretatione ſapientũ,nõ niſi de Theſbite Helia ſoleat locus ille Prophetę intelligi, idcirco vnumquẽq; ad diligentius & ſolicitius iſtud myſteriũ exquirendum inuitãs,admoneo,vt qui valet intelligere intelligat, verbiq; intellectũ diligenti meditatione apprehẽdat qui potuerit.[c]Dum autem in huius tam præclari viri laudibus enarrandis occupor,meritò aduerſum illos debeo indignari,qui tam ſanctum atq; probatum virum reſpuentes,eius prædicationi noluerunt acquieſcere,cuiuſmodi in populo hoc Iudæorum ſunt non pauci.Huiuſmodi autẽ homines,dicam vobis parabolica ſimilitudine,quibus mihi videantur ſimiles.[d] Similes ſunt pueris in foro aut platea aliqua latiori cõfluentibus ad ludendum, qui acclamantes ſuis coæqualibus,exprobrant illis ac dicunt, [e] Siue tibiis cecinimus priores, vt vos ad choream & ſaltum induceremus, noluiſtis nobis acquieſcere: [f] Siue lugubria cantica cecinimus, vt vos ad luctum induceremus,& quaſi lugubrẽ ludum inſtitueremus, nec hoc voluiſtis.Sic ſunt iſti homines malæ voluntatis,quomodo pueri moroſi in plateis,cum ſuis coæqualibus exeuntes,tanquam eis colluſuri: qui cum ad ludum proceditur, à ſuis coæqualibus non poſſunt induci, vt

a Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Helias qui venturus eſt.

b Qui habet aures audiendi audiat.

c Cui autem ſimilem æſtimabo generationẽ iſtam?

d Similis eſt pueris ſedentibus in foro,qui clamã tes coæqualibus ſuis,dicunt:

e Cecinimus vobis,& non ſaltaſtis:

f lamentaui mus, & non planxiſtis.

vt agant quicquam, neq; vllum volunt ſiue lętum ſiue triſtem ludum ſuſcipere. Si enim lætum ludū proponant coæquales, dicunt, nolumus iam choream ducere; nolumus lætum ludum ludere: ſiue proponant coæquales ludum triſtem, vlulare incipiētes, & quaſi funeralē ludum celebrantes, nec hunc voluāt ſuſcipere: demq;, quicquid proponatur, præbent ſe difficiles illi moroſi pueri, & plurimū impedimēto ſunt pueris hilarioribus cupientibus exhilarare animū. Iuxta hanc ſimilitudinē, profectò homines peſsimè moroſi, duri & difficiles ſunt homines iſti, quos notare volo q nulla ratione poſſunt ad pœnitentiā & veritatē induci, neq; lætis neque triſtibus ſe patiuntur cōmoueri, ſurdi & immobiles ad omnia.[a] Venit enim ad eos prior Ioannes Baptiſta, in auſteritate magna, vitam ſolitariam & ſingularem ducens, adeò vt neq; comederet, neq; biberet iuxta hominum conſuetudinem, comedens tantū locuſtas, ac mel ſylueſtre, & aquam bibēs: [b] neq; tamen tanta vitę auſteritate iſti commoti ſunt, ſed calumniantes dixerūt, illum dæmonium habere, cuius inſtinctu & virtute tantā præſtaret abſtinentiā: dicunt, nouitatem iſtam non eſſe à Deo, & ſingularitatem illam dæmonia alicui aſſcribunt, per quē eum dicunt ſuſtentari ad decipiendū homines.[c] Poſt Ioannem veni ego velut diuerſa ambulans via, cum hominibus vitam communem ducens, cum omni humilitate & manſuetudine me accōmodans cōmuni vitæ hominū, omnibus factus omnia, vt omnes lucrifaciā, comedens & bibens de iis quæ apponuntur de cōmuni victu hominum: [d] neque rurſum tāta ciuilitate & benignitate moti ſunt iſti calumniatores, ſed peruerſa interpretatione ſua etiā hanc vitam meam cōmunem calumniantes, dicunt me eſſe glutonem & gulo ſum hominem, & vini potatorem: dicunt, me vētrem quęrere & delicata prandia, atque hac cauſa me inter homines conuerſari,[e] & publicanorum amicum me exhibere, vt ab eis frequētius inuitatus vētri & gulę ſeruiam. Sic iſti quocunq; tandē modo inuitētur, recuſant venire ad pœnitentiam: quacunque via tractentur, manent in ſua obſtinati malicia.[f] Nihilominus iuſti

a Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens:

b & dicunt, dæmonium habet.

c Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt.:

d Ecce homo vorax, & potator vini,

e Publicanorū & peccatorum amicus.

f Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis.

iuſtificatur interim Dei patris ſapiētia à filiis ſuis: ab iis qui ſunt ad vitam prædeſtinati, filij regni cæleſtis, qui ſapiētiam Dei patris ad ſe miſſam: id eſt, me filiū patris, digno ſuſceperunt honore, & iuſto exceperunt affectu. [a] Occaſione quoque filiorum illorū alienorum, & incredulorum hominū, quos ſimilitudine ſtatim propoſita ſignanter notauit, tranſit dominus ad increpationem eorū, qui impœnitentes in ſuis peccatis remanſerāt, in ciuitatibus illis in quibus ipſe iam aliquandiu verſatus fuerat & prædicauerat, multaq; miracula præclara ad doctrinæ ſuæ confirmationem ædiderat, eo ꝙ tantas ſalutis occaſiones neglexiſſent & contempſiſſent, necdum cōuerſi per pœnitentiam ab iniquitatibus ſuis: indignānſque & dolēs ſuper eorum impœnitentia, ait: [b] Væ vobis habitatores Corozaim, & habitatores Bethſaidæ, q poſt tot viſa præclara miracula, & tam efficaces toties auditos vel certe oblatos ſermones meos, adhuc in veſtra permanetis impietate, nec egiſtis vel Ioāne vel me prædicante pœnitētiam: vobis omnibus, niſi egeritis pœnitentiam, ſempiternę mortis denuntio comminationem: [c] quoniam ſi in ciuitatibus gentium idololatrarū, cuiuſmodi ſunt Tyrus & Sidon, exhibita fuiſſent hæc ſigna, cum doctrina illa cuius cōfirmandæ gratia fiūt, quæ in te ſunt cum Euangelica prędicatione exhibita, [d] nihil dubiū, quin illorum idololatrarū plærique ſtatim prædicatione audita, & ſignis viſis: olim iā conuerſi eſſent, egiſſentq; pœnitentiam ex animo, etiam exteriori habitu, vtpote ſacco & cinere eā proteſtantes (vt mos eſt inſigniter pœnitētibus atq; dolētibus) qui nunc in iniquitate ſua adhuc permanent. propter defectum eorum quæ vobis exhibita ſunt atq; propoſita. [e] Veruntamen non impune feretis hūc contemptum oblatæ tantæ gratiæ. Dico enim vobis, ꝙ in nouiſſimo iudicij die, initius agetur cū idololatris gentibus in ſua iniquitate mortuis, quibus non fuerint iſtæ tantæ occaſiones ſalutis oblatæ, cuiuſmodi ſunt Tyrij & Sidonij, quam vobiſcū, q oblatam cōtempſiſtis gratiam: erit illorū damnatio leuior, & veſtra grauior, hic ex parte, ꝙ vos cōtemptores fuiſtis exhibitorum

a Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus in quibus facta ſunt plurimæ virtutes eius, quia nō egiſſent pœnitētiam.

b Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida:

c quia ſi in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis,

d olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.

e Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis.

torum vobis diuinorũ beneficiorum: nõ ſic autem illi, quibus eadẽ non fuerant propoſita, imò qui ſi propoſita ipſis eadẽ fuiſſent, veriſimiliter euaſiſſent damnationem. [a] Et vos inhabitatores Capharnaũ, apud quos à prædicationis meæ tempore amplius ſum demoratus, & plura amplius etiam quàm in cęteris ciuitatibus ædidi miracula, & prædicaui abũdantius: vos inquam, qui in hac ciuitate adhuc in impœnitentia perſeueratis, q̃d vobis perſuadetis? Putatis hãc meam tantam familiaritatem vobis ad ſalutem profecturam? Putatis vos, meis his virtutibus in cælum vſque prouehendos, ſi ita perſeueretis nõ agentes pœnitentiam? [b] Profectò ad infernum detrudemini, & in damnationem æternam, coniiciemini, propter veſtram impœnitentiam, qui per meam familiaritatem ad cęlum vſque videbamini exaltati, plurimũmque nobilitati, & quaſi in cælo facti proximi. [c] Erit autem vobis iuſta cõdemnationis cauſa iſte contemptus ſiue neglectus oblatæ diuinæ gratiæ, quoniam ſi hæc ſigna diuinæ virtutis quæ ego ædidi coram vobis, cum prædicatione ad cuius confirmationem adhibentur, exhibita fuiſſent populo Sodomorum, [d] poterant certè hac occaſione oblata, pœnitentiam agere iniquitatis ſuæ, & terribile illud incendium quod totam vaſtauit pentapolim euaſiſſe, Deo repropiciato per miſericordiam. In tanta enim multitudine hominum qui omnes perierunt, veriſimile eſt ſaltem aliquos fuiſſe credituros tam efficaci prædicationi, ſic talibus prodigiis confirmatæ, ſaltem quinquaginta, ſaltem quadragintaquinque, ſaltem qnadraginta, ſaltem triginta, ſaltem viginti, aut ſaltem decem, propter quem iuſtorum numerum Deus olim promiſit Abrahæ totam Sodomorum ciuitatem ſe ſeruaturum, ſi vel decem iuſti in ea fuiſſent inuenti: vt omnino veriſimile ſit, quòd Sodomorum ciuitas in hodiernum vſque diem non fuiſſet deleta, ſi hæc eis oblata fuiſſet ſalutis occaſio, quam vos contemnitis: quemadmodum Niniue olim vnius hominis prædicatione nullis ſignis confirmata agens pœnitentiam, meruit pœnæ comminatæ relaxationem:

a Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cælum exaltaberis?

b Vſque in infernum deſcendes.

c Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te,

d fortè manſiſſent vſque in hanc diem.

a Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſsius erit in die iudicij, quàm tibi.

[a] Veruntamen non impunè feretis tantū diuinæ gratiæ contemptum. Dico enim vobis, quoniam hac ex parte multum aggrauabitur pondus damnationis veſtræ:& erit Sodomitis tolerabilior ſua dānatio, quàm vobis veſtra, conſideratione contemptus illius qui veſtram damnationem multum aggrauat, & defectus oblatæ gratiæ, qui ex altera parte Sodomitarum damnationem alleuiat. Poſtquam autem indignabūdo & condolenti ſpiritu Chriſtus dominus aduerſum incredulos & diuinorum beneficiorum contemptores horrendum væ terribiliter intonuiſſet, conſiderationem vertit ad diuinam iuſtitiam & ſapientiam, cuius iudicio occulto, iuſto tamē, quidam ad fidem aſſumebantur, alij relinquebantur.[b] In illo itaque tempore, in ſpiritu exultans, ſuper cōſideratione iuſtitiæ & miſericordiæ patris ſui, huic internæ conſiderationi & exultationi velut reſpōdens exteriori vocis proteſtatione, dixit: [c] Pater, domine cæli & terræ, & omnium quæ ſunt in eis, tibi gratias ago de æquiſsimis & irreprehēſibilibus iudiciis tuis, quib⁹ diſponis & permittis hæc magnifica tuæ fidei myſteria (ꝓpter quæ annuntianda ego veni in mundum) occulta & incognita remanere quibuſdam, vtpote ſapientibus & prudētibus huius ſæculi, qui per ſuperbiam indignos ſe faciunt, vt à te occulta huiuſmodi doceantur: [d] paruulis autē & humilibus facis ea manifeſta, quos tu per internam tuam inſpirationē trahis ad me, & facis audire vocē meam, & credere iis quæ ego à te miſſus in mundum prædico. Aeſtimant nanq; ſapientes & prudentes huius ſæculi, quæ ego doceo eſſe omnia abſona & abſurda, eo ꝙ omnis tam doctrina quàm vita mea humilitatem ſapiat, à qua ſcandalum paſsi (propter faſtum cordis ſui) permanent increduli, vbi ſimplices & paruuli humiliter ſe ſubiicientes & intellectum captiuantes in obſequium fidei, omnia credunt & intelligunt. [e] Quare autem ſic facias, quare hos derelinquas in cęcitate ſua illos erudias, nō alia eſt quęrenda ratio, quàm ſanctiſsimum tuum beneplacitum ſicut vis, ita facis: & quia vis, ideo facis: nec eſt qui te pro hoc poſsit arguere, imò magna eſt fidelibus laudis

b In illo tempore reſpondens Ieſus dixit.

c Confiteor tibi pater, domine cæli et terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus.

d & reuelaſti ea paruulis.

e Ita pater, quoniā ſic fuit placitum ante te.

dis & gratiarum actionis materia.[a] Et ego quæcunq; habeo, à patre accepi & accipio, qui ab æterno mihi ſuam eſſentiam totam perfectè communicans, ſimul etiam omnem perfectionẽ cõmunicat: eandem dans mihi omnipotentiam, eandem ſapientiam, eandẽ bonitatem, idem dominiũ, eãdem æternitatem, & itẽ omnia. Ita patri meo accepta refero quæcũq; habeo: ac proinde ei meritò gratias ago, illúmque vt omnis boni primũ datorem agnoſco. Omnia præterea creata dedit pater in mea poteſtate, & meo ſubiecit dominio: qui idem mihi ſuper omnia creata dedit dominium, quod ipſe tenet tanquã ſuo vero & cõſubſtantiali filio: ita vt etiam nunc ſecundum veritatem ſim omnium dominus, licet id non oſtendam exequutione propter diſpẽſationem redẽptionis humanę: quod tamen dominiũ poſt reſurrectionem accipiam cũ poteſtatiuã exequutiõne, quando iudex conſtituar viuorũ & mortuorum, omniſq; mihi poteſtas dabitur in cælo & in terra me aſſumpto in patris dexterã. [b] Et nemo hominum perfectè cognouit me filiũ Dei patris, nemo me cognoſcit perfectè ſicuti ſum, niſi pater tantũ, qui me perfectè cognoſcit & comprehẽdit ſicuti ſum: [c] quemadmodum viciſsim illũ nemo cognoſcit plenè & comprehendit, neq; angeli in cælo, niſi tantum ego ipſius connaturalis filius: & ſi cui voluero reuelare, is etiam cognoſcet patrem ſuo modo, iuxta capacitatem ſuam non quidem ſecundum eundem gradum quo filius, ſed aliquo modo, nempe hic cognitiõne ænigmatica per ſpeciem in fide, ac poſtmodum viſione aperta facie ad faciem fruitione beatifica. Mihi tamen hoc eſt peculiare & propriũ, penitus patris eſſentiam comprehendere, & quantum eſt cognoſcibilis, cognoſcere: non quidem ſpiritum ſanctum excludẽdo, quem vt coæqualem mecum includo, & de quo vt de filio eſt idem iudiciũ, ſed omnem excludendo creaturã. [d] Nunc igitur ego ille qui tantam à Deo accepi poteſtatẽ, cui omnia ſunt tradita, qui ſolus patrem noui, qui ſolus poſſum hominibus patrem notum facere, ad omnes vocẽ imitationis & exhortationis emittẽs, abſque perſonarum acceptione

a Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.

b Et nemo nouit filium, niſi pater.

c neque patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.

d Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,

ne inuito vniuerſos. Vos, inquam, omnes quicũq; laſſamini in via iniquitatis, & ambulatis vias difficiles, qui gemitis & ſudatis ſub pondere concupiſcentiarũ malarum, cõfidenter ad me accedite, aurem præbentes, & fidem adhibentes verbis meis,[a] & ego requieſcere vos faciam à laboribus & oneribus veſtris. Auferam à vobis pondera peccatorũ veſtrorum, faciamque auxilio gratiæ meæ, vt lætitia & cõſolatione reficiãtur animæ veſtræ, & iis qui incuruabũtur in terram tanquã caſui damnationis æternæ proximi, vnde nunquã potuiſſent exurgere: ego meæ prædicationi credentibus & pœnitentiã agentibus auferam peccatorum põdera, & accipient hac alleuiatione refocillationẽ & lætitiam magnam in cordibus ſuis, ex adiutorio ſuauis gratiæ meæ, & teſtimonio ſecuræ conſcientiæ, quæ eſt quaſi iuge conuiuium.[b] Audacter autem & fidenter ſuſcipite iugum meũ ſuper vos: id eſt, doctrinã meam (ſecundũ quam vobis inſtituo ducendam vitam) fidẽter arripite, nihil hæſitantes:[c] & peculiariter duo hæc à me diſcite, nempe mititatẽ ſiue manſuetudinẽ, & veram cordis humilitatem, quæ in me ac mea omni conuerſatione & doctrina, tanquam ad oculum deſcripta facillime videre poteſtis, & quæ duo ante omnia maxime ſunt neceſſaria iugũ meum cũ perſeuerantia & fructu ferre volẽtibus, ſine quibus nihil erit ſtabile in ædificio virtutũ.[d] Quòd ſi ita feceritis, docebit vos experientia, ſtatim vbi vel paululum in his permanſeritis, magnam requiem vos inueniſſe animabus veſtris: citò & facilè ſentietis beneficium quietæ atque ſecuræ conſcientiæ, in qua quiete vehemẽter per humilitatem & manſuetudinem ſtabiliemini. Neq; eſt quod deterreamini grauitate, quæ prima facie videtur doctrinæ meę ineſſe, eo quòd corpori graue videatur veterem vitam derelinquere, & nouam priori contrariam aſſumere, quod facere oportet ſecretò volentes agere pœnitentiam.[e] Iugum enim quod ego vobis ad me accedentibus imponam vt ſub eo ambuletis, non eſt iugum difficile, ſed ſuaue: doctrina mea Euangelica ſecundum quã ambulare vos faciam, ſuauitatẽ habet, & dulcedinem

a & ego reficiam vos.

b Tollite iugum meũ ſuper vos.

c & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.

d & inuenietis requiem animabus veſtris.

e Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

dinem gignit in ſpiritu,iis qui ſecundum eam viuunt:neque alligabo ego vobis onera grauia & importabilia,ſed onus paruulum & leue portatu eſt,quod imponam in humeros veſtros: id eſt, doctrina illa mea impleri facile poterit, per adiutorium gratiæ meæ, quod præſto eſt omnibus iis,qui bonæ fuerint voluntatis.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

Cum conſummaſſet Ieſus præcipiens.) Iuxta Græcam phraſim hoc ita dicitur,quod Latinis facilius & vſitatius ſic diceretur:Cũ finem feciſſet præcipiendi,vel cum deſiiſſet præcipere,ſiue à præcipiendo. ¶*Tu es qui venturus es,an alium expectamus?*) Non ignoramus varias aliorum ſuper hoc loco enarrationes, neq; eas damnamus. In Elucidatione tamẽ,quod nobis videbatur,indicauimus. Illud autem *qui venturus es,* ſic accipimus,Tu es ille qui venturus deſcribitur in Prophetis,& multò ante vt venturus expectatus eſt à patribus?Vnde in Greco eſt participium ἐρχόμενος erchomenos:id eſt, veniẽs:vt ſit ſenſus,ille veniens:id eſt,ille qui venire debet,iuxta Prophetarũ vaticinia & expectationẽ patrum.Sic & paulò pòſt dicitur de Ioanne :*Ipſe eſt Helias qui venturus eſt:*id eſt,qui deſcribitur vt vẽturus apud Malachia.Non enim tunc erat vẽturus Ioannes, cum hæc ſaluator loqueretur,ſed iam venerat.Cũ tamen hic in Græco etiam apertius futurũ ſignetur.Sic enim dicitur ὁ μέλλων ἔρχεσθαι, hoc eſt, ille qui futurus eſt venire,ſiue vt veniat(vt ita ad verbũ exprima)ſiue qui venire debet,vt vulgo loquũtur.Vehementer autem vtile eſt,huius participij proprietatẽ iſtam diligenter attendere, quoniam ex eius incõſideratione facilè poſſet à recta ſententia aberrari. ¶*Pauperes euangelizantur.*)Chriſtus apud Lucã de ſeipſo ex Eſaia legit,quod miſſus eſſet euangelizare pauperibus.Eandẽ hic ſententiam dicit per genus paſſiuũ.Idem enim eſt,Chriſtum Euãgelizare pauperibus,quod pauperes euãgelizari à Chriſto:tametſi poſterior loquutio ſit inuſitata Latinis.Dicitur enim Latinis annũtiari,non is cui perfertur nuntius, ſed nuntium ipſum quod affertur.¶*Hominem mollibus veſtitu.*) Græcè eſt,hominẽ in mollibus indumẽtis amictum vel inuolutum:quod pulchrè expreſsit interpres, dicens, *mollibus veſtitum.* Et paulo poſt. *Ecce qui mollibus veſtiuntur:*in Græcis eſt , qui mollia geſtant. ¶*Etiam dico vobis,& pluſquam Prophetam.*) Prius illud, *Etiam dico vobis,* confirmatiuũ eſt præcedentis: approbans videlicet rectè Ioannem quæſitum eſſe vt Prophetam.Quod autem mox additur,*Et pluſquã Prophetam,*augmẽtum eſt laudis prioris.Eſt autem in Græco καὶ περισσότερον,προφήτε,quod verti poteſt,& amplius propheta:vel, quid maius Prophe

Propheta:ſiue pluſquam Prophetam, iuxta noſtrã interpretationẽ. Vel ſic,excellentiorem Propheta. Idem omnia volunt. ¶ *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.*) Magnitudo iſta, vel ad Propheticam & pręcurſoriam dignitatem ſpectat:quam ſententiam apertius Lucas indicat, hoc loco ita inquiens, *Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt*, vbi videtur indicari excellentia in gradu Prophetiæ. Vel magnitudo iſta intelligatur ſecũdum ſanctitatis excellentiam, quæ ſola verè magnũ coram Deo facit. Vtrunque in Elucidatione indicauimus. In eo quoque quod ſequitur, *A diebus Ioannis Baptiſtæ regnũ cælorum vim patitur, & violenti rapiũt illud*, duplicem nota intelligentiam, quarũ vtranq; ſatis clarè pandit Elucidatio. ¶ *Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Helias*) Mos eſt in vulgari ſermone, cum aliquid dicere volunt homines quod ipſi verũ iudicant, aliis tamẽ creditu difficile & vix credibile fore ſuſpicantur, ita dicere: Si vultis credere, aut ſi vultis recipere, ita ſe res habet. Quemadmodum obſcura & difficilia loquẽtibus, mos eſt adiungere. Qui poteſt capere, capiat, vel, Intelligat qui poſsit, aut huiuſmodi aliquid. Vbi enim de credẽdo fit mẽtio quod in voluntate ſitũ eſt, ſignanter dicitur: Si vultis credere vel recipere. Vbi verò de intelligẽdo vel comprehendendo fit ſermo, quod nõ eſt ita in hominis voluntate poſitum, dicimus: Qui poteſt capere, vel qui valet intelligere, capiat atq; intelligat. Et iccirco nũc vtrunque ponit dominus, primum dicens: *Si vultis recipere*: ac mox poſt dictum id quod volebat, eueſtigio ſubiũgens: *Qui poteſt capere capiat*, quoniam erat dictum illud & creditu & intellectu difficile. ¶ *Similis eſt pueris ſedentibus in foro.*) Hunc locũ varij variè enarrant. Quidam ſingulare genus ludi imaginãtur, quo Iudæorum pueri colludebant. Nos quod videbatur nobis, paucis indicauimus. Nõ opus videtur aliquem nouum ludum ſpecialem aſsignare. Satis eſt conſiderare puerorum conſuetudinem qui in plateis congregati apud ſeſe ſtudent ludendo effingere, quicquid ab aliis vident ſeriò agi. Videlicet nunc magiſtrũ & diſcipulos repreſentant, nunc parentes & familiã referunt, nunc pueriles mercationes exercent, nũc proceſsiones publicas celebrant, puerile a a a a a ſolenniter decãtantes. Interdum nuptias fingunt, interdum funeralia obſequia exprimunt. Contingit autẽ pueros à ſuis æqualibus inuitatos, nõ æquè ad quem libet ludum eſſe paratos, ſed iſtud oblatũ refellere, & alium eligere. Interdum verò prorſus moroſi, quicquid fuerit oblatũ reſpuunt, ſiue lætum ſiue triſtem ludum coæquales propoſuerint: vtpote ſiue tibia canant, vt ad choream eos prouocent: ſiue lugubrem vocem ædant, vt ad planctum eos excitent, quemadmodum fieri ſolet in obſequiis

funera

funeralibus. Id autem valde conueniet applicationi & intentioni Chriſti, ſtatim ſubdentis: *Venit Ioanes baptiſta &c.* Nam ea quæ à quibuſdam de variis ludorum generibus dicuntur, admodum parũ huic applicationi conueniunt. ¶*Cecinimus vobis, &c.*) Græcè eſt ηὐλίσαμεν iſliſamen:id eſt, tibia cecinimus vel tibiauimus. Et pro eo quod habemus lamentauimus, Græcè eſt, ἐθρηνήσαμεν ethriniſamen, quod venit à nomine θρῆνος threnos:id eſt, lamentatio, quemadmodum dicuntur threni Hieremiæ. Valet ergo vox Græca lamentauimus ſiue lamẽtati ſumus:id eſt, lamentationes cecinimus. Plus enim aliquid ſonat, quàm ſimpliciter flere aut plãgere. Quẽadmodũ enim tibia canentiũ eſt prouocare ad ſaltum, ſic lamentantium ſiue lugubria aut threnos vlulantium eſt, excitare ad planctum. ¶*Ecce homo vorax & potator vini.*) Græcè eſt φάγος phagos, quod venit à phago φάγω quod eſt, comedo. Vnde nomen illud ſignificat comedonem vel comeſtorem. Vini autem potor Græcis vnica voce dicitur οἰνοπότης œnopotes, quemadmodum Latini dicunt meribibulum vel meribibulam. ¶*Tyro & Sidoni remiſsius erit in die iudicij.* Græcè eſt ἀνεκτότερον: id eſt; tolerabilius vel remiſsius, quæ ferè in idẽ redeũt. Cum quo enim mitius agetur in iudicio, illi erit ſua pœna tolerabilior: ſicut cum quo durius agetur, erit illi ſua pœna grauior & toleratu difficilior. ¶ *Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cælum exaltaberis? Vſque in infernum deſcendes:*) Clarius id habet Lucas, hoc modo: *Et tu Capharnaum vſque ad cælum exaltata, vſque ad infernum demergeris:* atque ad eundem modum etiam hoc in loco habent vulgati Græcorum codices. Eſt autem ſenſus iſte ſatis clarus: Tu capharnaum quæ tã multis & tam præclaris miraculis es mirum in modum glorificata, & quaſi ad cælum vſq; exaltata, demergeris in profundum inferni, quãrum ad eos qui ex his omnibus, nihil profecerunt. *In illo tempore reſpondens Ieſus dixit:*) Cui reſpondit hic dominus, cum nemo eum interrogauerit? Sed ſciendum, quod reſpondere interdum dicimur etiã non interrogati, quando occaſione alicuius rei moti loquimur. Sic infra cap. 15. dicitur: *Reſpondens Petrus dixit: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe:* vbi tamen nemo illum interrogaſſet: ſed reſpõdere dicitur, quia motus illa gloria quam videbat, & ſuauitate quam guſtabat, loquebatur. Sic impræſentiarũ dicitur dominus reſpondere illi exultationi & cognitioni interiori quã ſentiebat, & ex qua mouebatur ad ore cõfitendum: idque apertius indicat Lucas, dicens: *In ipſa hora exultauit in ſpiritu ſancto, & dixit:* ¶ *Ita pater quoniam ſic placitum fuit ante te.*) Quod dicit, *Ita pater*, vehementer confirmat quod dictũ eſt, & magnum aliquid ac diligẽter notandum ſignificat. Quomodo

loquendi

loquendi & aliàs vſus legitur dominus. Vt Lucæ 12. *Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Sic Lucæ 11. *Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.* Simile ferè eſt quod in eodem hoc capite ait dominus: *Etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam.* ¶ *Et ego reficiam vos.*) Græcè eſt ἀναπαύσω anapaſſo: id eſt refoccillabo, reficiā, ſiue (vt dici ſolet) recreabo, vel refrigerabo aut requieſcere faciam. ¶ *Tollite iugum meum ſuper vos.*) Illius quis dicitur iugū ſuſcipere, vel illius iugo ſubmittere ſe aut collum ſuum, cuius ſe ſubdit obedientiæ. Vnde qui ſe diabolo ſubiiciūt ipſius quoque iugum dicuntur ſuſcipere, aut ſuper ſe tollere. Tollere ergo Chriſti iugum, eſt ipſius obedientiæ ſe ſubiicere, & eius doctrinam amplexari. Iugum autē Chriſti ducit vel trahit: qui in eius obedientia viuit. Quemadmodum ecōtrariò iugum diaboli ducit: qui ſecundum ipſius leges & ſuaſiones viuit. Vnde dicit Apoſtolus, *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Et Pſalmiſta, *Dirumpamus vincula eorū, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.* ¶ *Inuenietis requiem animabus veſtris.*) Nomen eſt hic ἀνάπαυσις anapaſſis, cui reſpōdēs verbum ſuprapoſitū eſſe diximus, *Et ego reficiam vos.* Eſt ergo hic ſenſus, Inuenietis refocillationem, refectionem, refrigerationem, recreationem aut requiem vel conſolationem. ¶ *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*) Quidam diſtinctè per horum alterum intelligunt præcepta, per alterum conſilia doctrinæ Chriſti. Nobis videtur commodius, eandem ipſam doctrinam Euangelicam & iugi & oneris nomine ſignificari. Iugum enim eſt, quatenus ſecundum ipſam vitam ducere debemus, & ſecundum ipſam incedere onus eſt quatenus ipſam ferendi ſiue implendi nobis eſt impoſita neceſſitas. Aptè autem ſingulis ſua addidit congrua epitheta, dicens, iugum non leue ſed ſuaue, & onus non ſuaue ſed leue. Solet enim iugum magis aſperitate & incommoditate vexare animalia ſub ipſo incedentia, quàm grauitate: cum ſit iugum non magni ponderis. Onus verò ponderis grauitate ſolet eſſe moleſtum. Vnde difficultatem omnem volens adimere ſaluator, ne quiſquam deterreatur, dicit iugum ſuū non eſſe moleſtum aſperitate, ſed ſuaue & commodum eſſe: & onus non eſſe grauitate moleſtum, ſed leue & facile portatu. Contrarium verò alibi dicitur de Phariſæis, quòd alligabant onera grauia & importabilia in humeros hominum.

ELVCIDATIO CAP. XII.

AMBVLABAT autem quodam tempore dominus Ieſus per ſegetes: in die ſabbati:[b] & diſcipuli qui eum comitabantur fame magna preſsi, vel ob longum itineris laborem, vel ob diutinũ ieiuniũ, ad famẽ vtcunq; reuelandã, data ſibi opportunitate, cœperũt prætereũdo ſpicas euellere eáſq; confricare manibus, & mãducare.[c] Quod vidẽtes Phariſæi præ inuidia nunquã quieſcẽtes, & nuſquã nõ dominũ obſeruãtes, ad Chriſtũ accedunt, in ipſum deuoluturi calũniam, dicúntq; ei:[d] Ecce diſcipuli tui ſabbatũ violant te præſente, facientes ſeruile opus in euulſione & cõfricatione ſpicarũ, quod nõ licet in ſabbato facere. Quomodo iſtã tã manifeſtã trãſgreſsionem diuini mandati ipſe vides oculis, nec arguis? aut quomodo ſic iſtos inſtituis tuis doctrinis, vt diuina cõtemnãt præcepta?[e] Quorũ calũniæ pro ſuis diſcipulis ita reſpõdit dominus: Arbitror vobis in lege eruditis non eſſe incognitũ factũ illud Dauidis quod ſacra deſcribit hiſtoria:[f] quando ipſe à facie Saulis fugiẽs, graui famis inedia preſſus, venit ad Achimelech ſacerdotẽ in Nobe, vbi erat tabernaculũ domini:[g] panéſq, laicos ad manũ ibi nõ inueniẽs, comedit panes ſanctos, nempe panes propoſitionis, quos ex domini mandato nõ licebat cuiquam mãducare, niſi tantũ ſacerdotibus:[h] neque ſolus ipſe de panibus iſtis ſanctis comedit, ſed & ſerui quos in ſuo comitatu paucos habebat. Hic ſi Dauidi cum ſuis licuit, ob famis vrgentẽ neceſsitatẽ, etiã ſanctos panes manducare, quod alioqui tali neceſsitate excluſa prorſus erat illicitũ: quare nõ & his meis diſcipulis conſimilis neceſsitas ſuffragabitur? Quare Dauidis exemplo non erunt à calumnia liberi?[i] Iterum ex lege cognoſcitis, quòd ſacerdotes diebus ſabbati & feſtis in templo violant ſabbatum, ſecundum eum modum quo vos dicitis meos diſcipulos violare ſabbatum. Nam opera externa faciunt multa, immolantes victimas, eáſque lauantes & cremantes, & ſanguinem fundentes, aliáque huiuſmodi faciẽtes, quæ longè magis ſeruilia & magis diſtractiua videntur, quàm iſtud quod in meis diſcipulis

In illo tempore, abijt Ieſus per ſata ſabbato:

b diſcipuli autẽ eius eſurientes, cœperunt vellere ſpicas & mãducare,

c Phariſæi autẽ videntes, dixerunt ei:

d Ecce diſcipuli tui faciũt, quod non licet eis facere ſabbatis.

e At ille dixit eis: Non legiſtis, quid fecerit Dauid,

f quãdo eſurijt, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Dei,

g & panes propoſitionis comedit quos non licebat ei edere,

h neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus?

i Aut nõ legiſtis in lege quia ſabbatis ſacerdotes in tẽplo ſabbatum violant,

lis accuſatis.[a] Et tamen ſacerdotes in templo iſta ſabbatis faciẽtes,ſicq; iuxta veſtram æſtimationem ſabbatum violãtes,ſine peccato ſunt, & nulla accuſatione digni.[b] Dico autẽ vobis in veritate quòd iſti mei diſcipuli ſecum habẽt eum qui templo eſt longè maior & dignior,nempe Dei filium,in quo totius diuinitatis plenitudo inhabitat corporaliter. Vnde ſi ſacerdotes eiuſmodi opera ſeruilia faciẽtes,per templũ excuſantur à trãſgreſsione,meritò & hi mei diſcipuli,etiãſi opus aliquod fecerint in ſabbato ſecundum ſpeciem vtcunq; ſeruile:excuſari poterunt, per præſentiam eius quem ſecum habent, tantò digniorem tẽplo.[c] Vos verò qui ita ſeueri & moroſi eſtis iudices aliorũ,ſi verè intelligeretis vim eius verbi quod per Prophetã dixit Deus: Benignam & cõpaſsiuam miſericordiam ego præeligo quibuslibet externis & corporalibus ſacrificiis,huius verbi germanã ſententiam ſi teneretis, nõ ita temerè & iniquè iudicaſſetis ſine cauſa innocentes.Nam etiam ſi ſecundum externam ſpeciem aliquid viderẽtur egiſſe minus rectũ, debueratis aduertere quòd mea præſentia meúſque cõſenſus illos à crimine reddat immunes.[d] Ego nanque filius Dei,in tempore de homine homo natus,ſicut omnium temporum,ſic etiam ſabbati ſum dominus,vt mea volũtate poſsit in eo fieri opus quodcunque mihi placuerit.[e] Et cum inde abiiſſet, venit in ſynagogam illorum.[f] Erátque ibi in ſynagoga homo quidam habens alteram manum aridam,& prorſus ad agendnm omne opus inutilem.[g] Cuius hominis occaſione,interrogauerunt Chriſtum Phariſæi, licitũ ne eſſet an illicitum, diebus ſabbati curare homines ab infirmitatibus.[h] Idque eum interrogabant inſidioſè,vt ex eius reſponſione anſam acciperent accuſationis atque calumniæ.[i] Dominus autem per ſimilitudinem ita illis reſpondit:[k] Quis eſt veſtrum omniũ,qui ſi ouiculam habeat,contingátq; illam ſabbato cadere in foueam,non eam ſit quantotius apprehenſurus & alleuaturus de puteo?[l] Quod ſi vos ad ouem ſubleuãdam diei feſto non parcitis, neque ſabbatũ violari putatis tali externo opere:quãto magis

lice

a & ſine crimine ſunt?

b Dico autẽ vobis,quia templo maior eſt hic.

c Si autẽ ſciretis,quid eſt: Miſericordiã volo & nõ ſacrificiũ, nũquã cõdẽnaſſetis innocentes.

d Dñs enim eſt filius hominis, etiam ſabbati.

e Et cum inde tranſiſſet, venit in ſynagogam illorum.

f Et ecce homo manum habens aridam:

g & interrogabãt eum dicẽtes: Si licet ſabbatis curare?

h vt accuſarẽt eum.

i Ipſe autem dixit illis:

k Quis erit ex vobis homo qui habeat ouẽ vnã & ſi ceciderit hæc ſabbatis in foueam, nónne tenebit & leuabit eam?

l Quãto magis melior eſt homo oue?

licebit in die feſto curare hominem?cum multo ma-
ioris pretij & dignitatis ſit homo quã ouis:& multo
amplius quilibet ſit deuinctus benefacere proximo
ſuo in natura cõpari,quã iumento irrationali.[a] Vtiq;
ergo licitũ erit,etiam ſabbatis infirmos curare, alia-
que huiuſmodi charitatis opera præſtare proximis,
neque talibus piis operibus vlla ſit diei feſto iniura.
[b] Quo in aduerſariorũ confutationẽ prolato reſpon-
ſo,conuerſus ad hominẽ illum qui manum habebat
aridam,dixit ei:Extende manũ tuam illam quę arida
fuit,& recipe ſanitatẽ:iis omnibus qui adſunt,velint,
nolint,videntibus.[c] Statimq́; obediens homo ille ma
num vt iuſſus fuerat extendit:& plenæ reſtituta eſt ſa
nitati,vt mouere eam eaq́; vti iam poſſet pro libito,
perinde atq; altera,quæ arida nunquam fuerat.[d] Pha
riſæi verò tabeſcentes inuidia ſubducẽtes ſeſe à Chri
ſti præſentia , clanculum aduerſus eum conſulebant
qua ratione eum,ſiue dolo ſiue vi,ad mortem perdu-
cerent.[e] Quam illorum machinationem impiam o-
mniſcientia ſua cognoſcens benignus Ieſus,eo quòd
nondum paſsionis adueniſſet hora,cedere volens fu-
rori,receſsit inde:eumq́; abeuntẽ multi ſequuti ſunt,
partim audiendæ ſalutaris doctrinæ , partim optatæ
ſanitatis recipiendæ gratia:[f] eosq́; omnes qui ſanita-
tis cauſa ſequebantur,ſolita ſua benignitate curauit
ab infirmitatibus ſuis:præcipiens illis,vt nõ ſe prode-
rent,neq; quo in loco ſe contineret palàm facerent.
Latere enim & occultari à facie impiorum voluit ad
humilitatis & manſuetudinis exẽplum,noſtræq́; fra-
gilitatis conſolationem.[g] Sicq́; in hac diſpenſatoria
Chriſti abſcõſione adimpletum ẹſt quod multo antè
prędictium fuerat per Eſaiam Prophetam , in patris
perſona ita de eo loquentem:[h] Ecce filius meus,quẽ
ſingulariter elegi præ omnibus filiis hominum,vt in
eo requieſcam ſecundum plenitudinem diuinitatis
meæ:ſingulariter quoq; mihi prædilectus:in quo ſup
omnes beneplacitum eſt voluntati meę.[i] Super hũc
ego faciam requieſcere ſpiritum menm non ad men
ſuram,vt in cæteris,ſed ſecundum omnem plenitudi
nem,vt in vnigenito meo:[k] generique humano , ac

a Itaq; licet ſabbatis bñfacere.
b Tunc aũt homini : Extende manum tuam.
c Et extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.
d Exeuntes autem Phariſæi, cõſiliũ faciebãt aduerſus eum, quomodo perderent eum.
e Ieſus autem ſciẽs,receßit inde : & ſequuti ſunt eum multi,
f & curauit eos omnes,& præcepit eis,ne manifeſtũ eum facerent.
g Vt adimpleretur quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam dicentem:
h Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ.
i Ponam ſpiritum meum ſuper eum.
k *& iudicium*

gentibus nuntiabit.

ſpecialiter etiã populo gẽtium(partim per ſeipſum, partim per ſuos Apoſtolos,quibus de ſpiritu ſuo daturus eſt)annũtiabit iudiciũ nouiſsimi examinis,diſſerentemq́; bonorum ac malorum(quę illic oſtẽdetur) retributionem,ſimul & ea quæ ad eiuſmodi retributionẽ ſiue bonam,ſiue malam homines modò diſponunt.

a Non contendet neque clamabit, b neque audiet aliquis in plateis vocem eius.

[a]Cum autem in mundum ad prædicandũ aduenerit,non contentioſus erit,neque clamoribus rem aget,[b]neque quiſquã in publicis locis pro inani gloria & plauſu populi(vt ſolent mundi ſapientes) neq; pro excitando tumultu(vt ſolent ſeditioſi)illũ audiet loquentem:ſed in omni potius mãſuetudine & benignitate apparebit,miramq́; erga omnes præ ſe feret manſuetudinem atq; modeſtiam.

c Arundinem quaſſatam non confringet, d & linum fumigans non extinguet,

[c] Arundinem quaſſatam non penitus confringet,ſed alligabit potius & conſolidabit,ne omnino rumpatur: [d] & linum debiliter accenſum aut penè extinctum non opprimẽdo prorſus extinguet:ſed potius ipſum ignẽ in eo fouebit,flammamque nutriet:id eſt,cor contritum & humiliatum non deſpiciet,neq; imperfectum hominũ abiiciet,ſed ineſtimabili ſua pietate puſillanimorum & humilium peccatorum confracta corda ſua medicinali gratia conſolidabit,& imperfectum eorũ qui ſunt bonę voluntatis aſpiciens,fidem & charitatẽ in eis adaugebit.

e donec eiiciat ad victoriam iudicium.

[e] Perdurabitque hæc in puero meo manſuetudo,vſque ad nouiſsimi tempus examinis: quando eiiciet ipſe ac proferet iudicium ad plenam victoriam,quando non iam in forma Euangelicę humilis & mitis,ſed in forma iudicis ſæuerus atq; terribilis apparebit iuſtum de omnibus prolaturus iudicium,plenamque & perfectam accepturus victoriã, omnibus ſubiectis ſub pedibus eius.

f Et in nomine eius gentes ſperabunt.

[f] Interim verò antequam tempus illud adueniat,credent populi & ſperabunt in eum,per fidem & ſpem in nomine eius beatam adepturi retributionem.

g Tunc oblatus eſt ei dæmoniũ habens,cæcus et mutus:

[g] Quodam autem tempore,exhibitus eſt coram domino homo quidam tribus grauibus malis laborans, nempe dæmonio obſeſſus, cæcus,& mutus.

h & curauit eũ,ita vt loqueretur et videret.

[h] Dominus autem (cui non eſt differentia ſiue ab vnica ſiue à multis ſanandis miſeriis)ita plenæ illum ſanitati reſtituit, vt dæmo-

dæmonio eiecto omnis mali radice,& videret & loqueretur rectiſsimè,perinde ac ſi nihil vnquã fuiſſet perpeſſus malorum. [a] Quo miraculo tam patenti, ſimplices turbæ in magnam Chriſti admiratione̋ & venerationem adductæ ſunt,ita vt colloquentes adinuicem,dicerent:[b] Profectò hic eſt Meſsias ille,que̋ ex Dei promiſsione facta patribus, de tribu Iuda,& de ſtirpe Dauid expectamus naſciturum. [c] At verò inuidi Phariſæi ſuo more ad calumniam trahentes omnia, ſignum tam euidentiſsimum, cum factum negare non poſſent, ad dæmonis virtutem conati ſunt referre, dicentes: [d] Quæ hic ædit miracula dæmones eiiciens aliaque huiuſmodi faciens, non per Dei omnipotentis nomen,vt ſanctus Propheta, ſed vt magus ac ſeductor ædit per virtute̋ Beelzebub principis dæmoniorum:cum hoc ipſe fœdus iniit ad ſeducendum ſimplices,atque ex pacto inito princeps dæmoniorum ab iſto inuocatus aliis minoribus à quibus obſidentur homines,imperat vt egrediãtur: ſimiliter & per horum miniſterium alia agit,quæ ſecundum ſpeciem mira videntur ſimplicibus. [e] Ieſus autem per ſuam omniſcientiam cognoſcens impias illorum cogitationes,congruis argumentis illos confutauit, dixitque eis: [f] Omne regnum in quo fuerit diſsidium,ita vt pars vna aduerſus alteram inſurgat, inuicemque ſe laborent perdere diuiſæ partes,citò diſsipabitur,& facile conteretur. [g] Et omnis congregatio ciuitatis, vel domus alicuius, ſi ita fuerit in ſe diuiſa, vt pars vna ſe opponat alteri, non permanebit ſtabilis,ſed corruet propriis vulneribus. Vt enim concordia minimæ res creſcunt, ſic diſcordia maximæ collabuntur. [h] Me autem eiiciente dæmonia, ſi (iuxta calumniam veſtram) dæmon dæmonem eiicit, maior videlicet minorem vi cogit exire locum quem libenter inhabitat, neque niſi coactus deſerit, conſequens eſt, vt inter dæmones ſit diſsidium & pugna. [i] Quòd ſi ita eſt, non ergo poterit eius regnum ſtabile permanere, ſed quantotius deficiat neceſſe eſt. Hoc autem ratiopabile non videtur: quòd regnum Satanæ iamiam

a Et ſtupebant omnes turbæ,et dicebant:

b Nunquid hic eſt filius Dauid?

c Phariſæi autem audientes, dixerunt:

d Hic non eiicit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.

e Ieſus autem ſciens cogitationes eorum dixit eis:

f Omne regnũ diuiſum contra ſe deſolabitur:

g & omnis ciuitas vel domus diuiſa contra ſe non ſtabit.

h Et ſi Satanas Satanam eiicit aduerſus ſe,diuiſus eſt.

i Quomodo ergo ſtabit regnũ eius?

penitus ſit deſtruendum,quoniam ad ſeculi vſq; conſummationē regnabit ipſe ſup filios ſuperbię,eritq; princeps mundi,quantum ad impios. Aut ſi,quantū ad bonos,dicitur regnum eius iamiam defecturū,ſicut verè deficiet,per me id futurum neceſſe eſt fateamini,per quem(vt vos dicitis)mitti iam cœpit inter illos diſcordia.Vel igitur negate,me in nomine dæmonis eiicere dæmones,vel diaboli & inferni victorem debellatoremque me agnoſcite.[a] Iterum dicite mihi.Ego ſi iuxta veſtrā calumniā in nomine Beelzebub principis dæmoniorū eiicio dęmones,exorciſtæ veſtri,filij generis veſtri,qui inter vos coniurationibus eiiciunt dæmonia,in cuius nomine & virtute id faciunt?An & ipſi in nomine Beelzebub eiiciunt dæmones?Nequaquā id fatebimini,ſed ex virtute Dei. Quod ſi de iſtis aſſeritis,dæmones eos eiicere,& non ex pacto cum dæmonio:quo iure,qua rationis apparentia hoc de me comprobabitis,quòd aliter ego dæmonia eiiciam quàm ex virtute Dei?Illi ſi poſſunt ex Deo,quare non potero ego? Quid aduerſum me habetis,niſi veſtrā inuidiam, quæ vos facit mea omnia in partem iniquam peruertere?[b] Ideo ipſi exorciſtæ filij generis veſtri,vos cōdemnabunt in iudicio:erūt ipſi vobis in teſtimoniū iuſtę condemnationis in die iudicij,quoniam videlicet cum illos videritis, tantū exorciſtas & puros homines,ad inuocationē diuini nominis,ſine pacto dæmonum eiicientes dæmonia, me tamen filium Dei impudentiſsimè dixeritis non aliter quàm in virtute dæmonis potuiſſe eiicere dæmonia.[c] Si autem ego(id quod verum eſt)dæmones eiicio per ſpiritū ſanctum,ac per virtutē diuinitatis, quæ in mea humanitate tanquam in inſtrumento domeſtico inhabitat,igitur iam in vos peruenit regnū Dei:tempus igitur nūc aduenit,quo inimicus diabolus per me deuincetur,eiicietur,& cōdemnabitur,regnumq; eius,quantum ad electos,prorſus deſtruetur, & regnū Dei ſurget pro eo in omnibus qui crediderint.Iſta enim viſibilis dæmonū è corporibus expulſio,quam ego per virtutem diuinitatis operor,ſignū eſt illius inuiſibilis eiectionis,qua ille à ſuo regno deturba-

a Et ſi ego in Beelzebub eijcio dæmones,filij veſtri in quo eijciunt?

b Ideo ipſi iudices veſtri erunt.

c Si autem ego in ſpiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei.

turbabitur,vt pro eo conſurgat regnum Dei. [a] Præterea,ſi quis à viro forti & bene armato voluerit prædam tollere,& ea quæ ille chara habet ab ipſo auferre,quomodo fieri id poterit,niſi vi inualeſcat ſuper eum,fortiorq́; eo factus alligauerit eum,atque ita demum velut ablata prius eius fortitudine,domum vniuerſam ſpoliabit,& omnia electa tollet pro libito?Ita ſanè ego cum forti diabolo,nō per amicitiæ pactum,(vt vos inuidioſè confingitis)rem ago,ſed manu violenta cum illo congredior per virtutem diuinitatis ipſum alligo & ſupero:& quos ipſe obſederat, ab eo per vim aufero,vt ſecundum corpus viſibiliter,ita & ſecundum animam inuiſibiliter. [b] Præterea.Qua veri ſimilitudine vos id poteſtis aſſerere, quod pactum ego habeam & amicitiam cum dæmone,cum inuicem maximè nobis aduerſemur? Qui enim non eſt mecum,non mihi conſentit,nō mihi collaborat,non ad idem conatur ad quod ego,ſed omnino contraria quærit & curat,is mihi profectò æſtimandus eſt contrarius:& qui mecum non laborat,vt in vnitatem cōgreget diſperſos,is contrario ſtudio diſpergere laborat etiam vnitos. [c] Atque hoc pacto Satanas,qui ſemper mihi contraria quærit(cum ego præ omnibus diligam,& quæram hominum ſalutem,ille econtrario auidiſsimè ſitiat perditionem,ego toto ſtudio ad vnitatem fidei & ad vnum Eccleſię ouile diſperſos conor reuocare, ille contra per varios errores diſpergere) quomodo vobis poteſt videri amicus mihi aut pacti ſingularis fœdere ſociatus? [d] Quoniā verò ita apertè & contra omnem rationem auſi eſtis in me tam fœdā proferre blaſphemiam,vt opera manifeſtam Dei virtutem teſtantia,ſine vlla ratione vel rationis apparētia diabolo tribuatis, illud ego vobis præmonendo denuntio, [e] quòd omne peccatum quo fortè per fragilitatem vel per ignorātiā homines peccauerint(imò & blaſphemia ipſa,ſi vel ex ignorātia vel ex fragilitate proceſſerit)remitti ipſum contingit & frequenter dimittitur iis qui ſic deliquerūt,agētibus ſui peccati pœnitētiā. [f] At verò blaſphemia ſpiritus,qua quis agnitam manifeſtè veritatē impugnat,quod à ſpiritu Dei ma

a Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis,& vaſa eius diripere,niſi prius alligauerit fortem,& tunc domum illius diripiet?

b Qui non eſt mecum contra me eſt,

c Et qui non congregat mecum ſpargit.

d Ideo dico vobis:

e Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus:

f Spiritus autē blaſphemia non remittetur.

manifeſtè euidenterq́; procedit, per certã & obſtinatã malitiã dæmonis virtuti aſſcribẽdo: blaſphemiã, in quam huiuſmodi in ſpiritũ Dei, vel omnino nunquã vel rariſsimè cõtingit hominib⁹ remitti: quoniã vix vnquã eiuſmodi homines ex animo agũt pœnitẽtiã. Meretur enim hoc illorum obſtinata peruerſitas, & à propoſito aſſumpta cæcitas, vt diuina gratia qua ſciẽtes impugnarunt, nõ recipiatur ad ſalutarẽ pœnitentia.[a] Et quicũq; verbũ aliquod blaſphemię dixerit [in] pſonã filij hominis, videlicet ex infirmitate aut ignorantia, ſcadalũ paſſus in aſſumpta ſerui forma, myſteriũ tãtę humilitatis neſciens intelligere, remiſsionẽ peccati ſui facilè poterit obtinere.[b] Qui autẽ blaſphemiæ verba protulerit contra ſpiritũ ſanctũ, id quod manifeſtè ex ſpiritus ſancti virtute procedere cernitur propter inuidiã & volũtariè aſſumpta cordis cæcitatẽ dæmoni aſſcribens,[c] huiuſmodi vel omnino nũquam, vel nimium raro contingere remiſsionẽ accipere peccati ſui, neq; in hoc ſæculo, neque in futuro: ſed in peccato ſuo morietur, eiusq́; reatu detinebitur & punietur imperpetuum. Veruntamẽ no vſq; adeò mirum debet videri, ſi vos peruerſi Phariſęi impietates & blaſphemias huiuſmodi proloquamini.[d] Alterum enim horum de vobis, ſicut & de vnoquoq; hominum, fiat neceſſe eſt: vel vt curetis eſſe bonę arbores, & bonos proferre fructus: id eſt, bona eſſe volũtate, atque inde verba operaq́; bona producere:[e] vel vt malam habeatis voluntatẽ, atq; inde verba operaq́; mala pferatis. Talis enim debet eſſe fructus arboris qualis eſt ipſa cuius eſt fructus arbor.[f] Nam ex fructu quem profert arbor vnaquæque, bona ſit an mala, dinoſcitur.[g] Et quomodo vos, ò ſerpentũ genimina, de malis parentibus propagati peſsimi filij bona loqui ex vobis poſſetis, cum ſitis in vobis mali, cum malam intra vos geratis radicem peruerſi affectus & peſsimæ voluntatis?[h] Ea enim per os ſolent homines eloqui, quæ amplius intra cordis affectum latent abſcondita, & libenter ea ſolet proferre lingua quæ in voluntate altius hærent infixa.[i] Videlicet bonus homo, de bono cordis affectu velut de theſauro quodam

a Et quicunq; dixerit verbum contra filiũ hominus, remittetur ei.

b Qui autẽ dixerit contra ſpiritum ſanctũ, non remittetur ei,

c neq; in hoc ſæculo neq; in futuro.

d Aut facite arborẽ bonam & fructum eius bonum,

e aut facite arborem malam & fructum eius malum.

f Siquidem ex fructu arbor agnoſcitur.

g Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?

h Ex abundantia enim cordis os loquitur.

i Bonus homo de bono theſauro profert bona,

dam

dam pretioſo, bona depromit verba & opera. [a] Is autem qui malus eſt, de malo cordis affectu (vnde habet vt malus ſit) velut de malo quodam theſauro, aut verius de ſentina mala, depromit opera & verba mala. Opera nanque & verba, ſuam bonitatem atque malitiam accipiunt ex cordis interna bonitate ſiue malitia, vbi quaſi in theſauro quodam conuoluta iacet bonitas atq; malitia externorum verborũ & operũ. [b] Neq; verò illa ſolum impiiſsima blaſphemiæ verba, ſuũ habebunt iudiciũ, ſed & generaliter hoc dico, de omni verbo vano & inutili, quodcunque homines modo loquuti fuerint, reddendam eis eſſe rationem in die nouiſsimi examinis, quando cuncta quæ dixerint feceríntve homines adducentur in iudicium. [c] Ex verbis naque ſuis vnuſquiſque hominum iuſtificabitur vel condemnabitur, ſicut & ex operibus: ita vt ſi ex bono corde loquutus fuerit bona: id eſt, Deo grata, proximiſque vtilia, ſit ex his verbis iuſtificandus, & pro eis coronandus: contra verò, ſi blaſphema in Deum, aut in proximum noxia, aut in ſe vana, de corde malo ſit proloquutus, ex eis ſit condemnandus, & pro eis digna vltione plectendus. [d] In illo autem tempore, quidam de Scribis atq; Phariſæis animo doloſo Chriſtum acceſſerunt, dicentes: [e] Præceptor deſideramus & hoc poſcimus à te, vt portentum aliquod ſingulare de cælo nobis ſpectantibus ædas, cuiuſmodi olim patribus noſtris per Moſen alióſque Prophetas nonnullos oſtenſa ſunt: vt cum ſub Moſe manna de cælo deſcendit, ſub Ioſue ſol ſtetit immotus, ſub Samuele data ſunt tempore ſereno tempeſtates & tonitrua, ſub Ezechia ſol apparuit retrogradiens, atque ita in aliis nonnullis: vt tali aliquo ſigno tam magnifico, certò comprobemus te ex Deo eſſe. Nam ea quæ hactenus à te fieri vidimus, minora apparent, neque multum efficacia. [f] Sciens verò dominus, quòd tantum animo tentandi ſic illi loquerentur, nihilo melius crediturí etiamſi ſigna multo plura & maiora æderet, dura illis increpatione reſpondit, dicens: [g] Peruerſa iſta & adulterina natio incredulorum Iudæorum, à piiſsimis progenit-o

a & malus homo de malo theſauro profert mala.

b Dico autem vobis, quoniam omne verbũ otioſum quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.

c Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

d Tunc reſponderunt ei quidã de Scribis & Phariſæis, dicentes:

e Magiſter, volumus à te ſignum videre.

f Qui reſpondens ait illis:

g Generatio mala & adultera ſignum quærit:

ribus ſanctis Patriarchis nimiũ degenerans,tentando à me ſignum petit,quaſi ſigna nõdum ſufficientia viderit,ſi credere velit.[a] Sed non dabitur ei modo pro ſua curioſitate ſignũ quale poſtulat de cælo,quoniam neq; fructum in eis vllum faceret.[b] Dabitur tamen eis nõ multò pòſt in terra ſignum admirabile,prodigium longè maximũ, quod omnia ſigna priora lõgo interuallo ſuperabit, nempe ſignũ meæ reſurrectionis quæ in Iona Propheta fuit præſignata.[c] Quemadmodum enim Ionas latuit in vẽtre ceti tribus diebus & tribus noctibus, poſtea verò exiuit illæſus:[d] ſic filius hominis,ſecundũ corpus in viſcerib⁹ terræ intra ſepulchrũ clauſus,per triduum (quod tres dies & tres noctes continet) delitèſcet:ac pòſt triduũ:id eſt, poſtquam tertia dies aduenerit, iterũ de ſepulchro viuus reſurget.Hoc ſignum omnium longè maximum,poſterius monſtrabitur generationi huic, poſt quod omnino nullus relinquetur excuſationis locus iis qui ne tunc quidẽ crediderint.O quanta vos tantis ſignis incredulos,in venturo iudicio manet damnatio.[e] Habitatores enim ciuitatis illius magnæ Niniue, in die extremi iudicij & reſurrectionis generalis reſurgent ad vitam, vnà cũ hominibus nationis huius incredulæ,& ſtabunt contra eos in teſtimoniũ iuſtæ cõdemnationis eorum:quoniam quidem ipſi cum ſub offenſa Dei fuiſſent, ad prædicationem tantum Ionæ ſimplicis Prophetæ & hominis puri,pœnitẽtiam egerũt peccatorũ ſuorum ex animo, ita vt retractaret Deus ſententiam mortis cõtra eos ex ore Prophetæ denuntiatam.[f] Et ecce apud iſtos, imò in medio iſtorum aſtat,qui Ionã longiſsimo antecedit interuallo,nempe Dei filius,ipſe omnium dominus Prophetarũ, cuius tantũ vmbra,figura,& miniſter ille extitit:nec tamen ad eius tanti Euãgeliſtæ prædicationem voluerunt pœnitentiã agere infidelitatis atq; malitiæ ſuæ.[g] Item & regina Sabba,quæ ab auſtro olim Hieroſolymam aduenit, ſurget in die iudicij vnà cũ generatione iſta,& contra eam ſtabit in teſtimonium iuſtæ condemnationis: quoniam ipſa ab extremis terræ finibus venit Hieroſolymam, magnum valde itineris diſpen

a & ſignum nõ dabitur ei,
b niſi ſignum Ionæ Prophetæ.
c Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus,
d ſic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.
e Viri Niniuitæ ſurgẽt in iudicio cũ generatione iſta,& cõdemnabunt eã: quia pœnitentiã egerũt in prædicatione Ionæ.
f Et ecce pluſquam Iona hic.
g Regina auſtri ſurget in iudicio cũ generatione iſta,& cõdemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis.

diſpendium ſuſcipiens,deſiderio videndi audiēdique
Salomonem , de cuius ſapientia tantum famā audie-
rat. [a] Iſti verò habent apud ſe,imò in medio ſui,eum
qui lōgiſsimo interuallo illum ſuperat Salomonem,
nempe Dei filium,patris æternam ſapiētiam, cui col
lata omnis ſapiētia Salomonis, quaſi nihilum debeat
æſtimari:nec tamen eius verbis auditū prębēt, eiúſq;
ſapientiam nō ſolum non requirūt abſentem,ſed nec
præſentem & vltrò oblatā ſuſcipiunt, imò reiiciūt &
blaſphemiis inſectantur.Quoniā igitur peſsima hæc
generatio tantam ſibi oblatā gratiam ita indignè ab-
iecit, & quaſi calcibus repulit propoſitā ,per ænigma
vobis indicabo,quid illi in pœnā ſuæ infidelitatis tā-
dem ſit euenturum.[b] Cum itaq; ſpiritus malignus ab
homine aliquo expulſus abſceſſerit,perambulabat lo
ca deſerta ſicca & inaquoſa, ſi in eis cōmodam poſsit
inuenire māſionem : & cū nec illic requiem quietam
firmámq; inuenerit,[c] ſecū decernit reuerti in priorē
domū,vnde abſceſſerat,vt videat an nō rurſum poſsit
in ea locū inuenire. [d] Veniénſq; illuc, inuenit eam à
nullo hoſpite bono inhabitatā, qui ſibi poſſet ingreſ-
ſum prohibere,& ſcopis tātum ab externis ſordibus
expurgatā,atq; externis quibuſdam ornamētis deco-
rata. [e] Tunc gaudens ſpiritus immūdus & plaudens,
propter recuperatā priſtinam domum,præ gaudio ſe
nō continet,neq; ſolus habitationē illam ingreditur,
ſed vadit & inuitat,adducitq; ſecum alios ſeptem ſpi
ritus,ſe etiam impuriores, & ingreſsi pariter habitāt
in domo illa, [f] ſicque nouiſsima hominis illius longè
ſunt peiora prioribus:quoniam à pluribus iam & im-
purioribꝰ ſecurius inhabitatur dęmonibus,qui prius
tantum ab vno , & eo quidem non firma poſſeſsione
inhabitabatur. [g] Sub hoc videlicet ænigmate indi-
care volui,quid generationi iſti peſsimæ pro ſua in-
credulitate ſit euēturum. Propter nanque infidelita-
tem & ingratitudinem diabolo tradētur,qui eos lon-
ga poſſeſsione inhabitabit,& omnibus vitiis pluſquā
anteà vnquam vexabit. [h] Interim verò dum hæc at-
que alia huiuſmodi turbis audientibus loqueretur do
minus Ieſus,contingit matrem ipſius comitatam nō-

a Et ecce plus quàm Salomon hic.

b Cum autē immūdus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiē & non inuenit.

c Tunc dicit, Reuertar in domum meam vnde exiui.

d Et veniēs inuenit eam vacātem, ſcopis mundatam & ornatam.

e Tūc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecū nequiores ſe, & intrantes habitant ibi.

f & fiūt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.

g Sic erit & generationi huic peſſimæ.

h Adhuc eo loquēte ad turbas ecce mater eius et fratres ſtabāt foris quærentes loqui ei

nullis ex cognatis ipſius, foris eũ præſtolari, cupientes dũ exiret ipſum alloqui. [a] Quod cernens quidam aſtantium Chriſto, ſatis ad loquendũ promptulus, (vel vt eum tentaret, ſi forte propter matrem Dei verbum relinqueret, vel vt apud eum gratiam iniret ex nouo & læto nũtio) dixit ei: [b] Ecce mater tua & cognati tui foris te præſtolantur, cupientes te alloqui. [c] At ipſe, vt oſtenderet naturalẽ & carnalem affectũ poſtponendum eſſe diuino amori, nihilque terrenum vel carnale preponendum eſſe negotio Euangeli, ita reſpondit illi qui ſibi indicauerat de matris præſentia: [d] Quid tu carnaliũ amicorum præſentiam mihi denuntians, Euangelicũ niteris perturbare ſermonem? Quid mihi matrem & fratres terrenos commemoras, vbi patris mei cæleſtis incũbo negotiis? Vis ſcire tu, quos ego hoc in negotio ſecundum ſpiritũ æſtimem mihi matrẽ & fratres: id eſt, verè cognatos? [e] Extendenſque manum ad diſcipulos ſuos & auditores, qui tota attẽtione verbis eius vacabat audiendis & intelligendis: [f] Huiuſmodi, inquit, verbi diuini attentos auditores & ſedulos obſeruatores ego ſecundum ſpiritum mihi coniunctiſsimos reputo, vt matrẽ vel fratres. [g] Quicunq; enim voluntatem patris mei, poſtquam attentè audierit, ſolicitè quoq; perfecerit, hũc ego mihi verè cognatum & coniũctiſsimum reputo, æſtimans illum quaſi mihi ſit & frater & ſoror atque etiam mater. Hancq; cognationẽ ſpiritualem pluris ego facio, quàm omnẽ carnalem, etiam proximam, cuiuſmodi eſt inter fratres & ſorores, matrẽ & filiũ. Ac proinde à negotio patris mei cęleſtis, propter præſentiam cognatorum carnis, nequaquam debeo (id quod tua videbatur poſcere oratio) deſiſtere.

a Dixit autem ei quidam:

b Ecce mater tua, & fratres foris ſtant, quærẽtes te alloqui.

c At ipſe reſpõdens dicẽti ſibi, ait:

d Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei.

e Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit:

f Ecce mater mea, & fratres mei.

g Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt.

Parabolæ de Spiritu immundo explicatio.

HOmo iſte à quo ſpiritus immũdus exiit, populus eſt Iudęorum, à quo tunc quaſi diabolus exiit, quando ſibi populum illum Deus primum per Patriarcharum electionẽ, ac deinde per legis dationem

tionem ſegregauit in peculiũ ex omnibus gentibus. Egreſſus autem ab illo populo & excluſus diabolus, obambulabat deſerta gẽtium, in quibus aquæ nó erant gratiarum ſpiritualium. In eis requiẽ quærit, habitans in illis vſque ad tempus gratiæ: ſed quam quærit plenè nõ inuenit, quoniam hoc tempore gratiæ à populo gentiũ per Euangelij prædicationem debebit foras eiici. Hinc verò eiectus, conſiderat apud ſe diabolus: num forte in Iudaicum populũ ſibi permitteretur liber introitus: & veniens in tempore gratiæ credentibus gẽtilibus cernet Iudæos vacantes à gratia Dei, quam noluerunt ſuſcipere, ſcopis tamen mũdatos & ornatos: id eſt, corporalibus quibuſdam expiationibus exterius mũdos, & cæremonialibus quibuſdã obſeruantiis, externíſq; iũſtificationibus legalis literę, in quibus confidunt ſecundum exteriorem ſpeciem velut exornatos. Et quia ſic volentes ſuam iuſtitiam cõſtituere, Dei iuſtitiæ nolent ſubiici, neq; Euangelio credere, iccirco diabolica poteſtas illos in mãſionem accipiet & ſubiectionem, ita vt iam videantur octo obſeſsi dæmonibus, iiſque impurioribus, qui ante ſuſceptam legẽ quaſi vuico eóque minus malo obſeſsi fuerant. Atq; ita fient poſteriora generationis huius prioribus peiora: quoniam longè peior erit horum conditio & maior damnatio, quando poſt electionẽ ſingularem & promiſsiones ſibi factas legẽmque acceptam, tandẽ omnibus erunt ingrati & increduli, exhibitam ſibi & vltro oblatam glatiam ſuſcipere pertinaciſsmè recuſantes, quàm prius, quãdo neque adhuc in populum Dei fuerant ſegregati, neq; promiſsiones adhuc aut legem vel Prophetas accepiſſent.

ELVCIDATIO CAP. XIII.

QVODAM autem tempore egreſſus de domo Ieſus ſedebat iuxta mare. [b] Conuenerúntque ad eũ plurimi doctrinæ eius auidi, ita vt ex terra commodè nõ poſſet eos docere: propter quod, aſcendens in nauiculam, vt cõmodius à tam multis poſſet audiri, atque in ea ſedens, vt mos eſt doctoribus, inde docebat ad ſe confluentem multitudinem quæ ad audiendum ſtabat in littore: [c] loquutúſque eſt eis parabolas multas, quibus quaſi per ſymbola quædam & ænigmata myſteriũ regni Dei illis prædicauit. Inter cæteras autem vna vel pręcipua erat illa, quam de ſemine propoſuit, in hunc modum. [d] Contigit ſeminatorem quendam exire in agrum, ad iaciendum ſpargendum

IN illo die exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecus mare.

b Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculã aſcendens, &c.

c Et loquutus eſt eis multa in parabolis, dicẽs:

d Ecce exijt qui

ſeminat, ſeminare.

a Et dum ſeminat, quędã ceciderunt ſecus viam:

b & venerunt volucres cœli, et comederunt ea.

c Alia autem ceciderunt in petroſa, vbi non habebãt terram multã & continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinẽ terræ:

d Sole autem orto æſtuauerunt, & quia nõ habebant radicem aruerunt.

e Alia autẽ ceciderunt in ſpinas,

f & creuerunt ſpinæ, et ſuffocauerunt ea.

g Alia autem ceciderũt in terram bonam,

h & dabãt fructum: aliud centeſimum,

i aliud ſexageſimum,

k aliud triceſimum.

l Qui habet au

gendúmque ſemen ſuum. [a] Inter ſeminandum verò quędam ſeminum vel vento vel aliàs quomodo libet longius abrepta, ceciderunt iuxta viam in locum patentem, & frequenti calcatione cpmpactum ſiue obduratum, [b]venientéſque aues quæ in aëre volitant, ſemina illa in loco expoſito iacentia abſtulerunt, atq; deuorauerũt ea, neque fructus vllus ex eis enatus eſt: quoniã auium rapina intra terram non ſunt permiſſa ſufficienti temporis mora abſcondi, vt mortificata fructũ facerent. [c] Quædam autem ſeminũm ceciderũt in loca petroſa, vbi profunditatẽ terræ ſufficientem non habuerunt, ad debitè fructificandũm: atque hinc factum eſt, vt ante tẽpus cõgruum exhorta germinauerint, quoniã terræ profunditatem ſufficientem non habebant, vt ſe occultarent vſque in tempus naturæ congruum, vtq́ue radicem figere poſſent ad ſufficientem profunditatem. [d]Veruntamen ſole grauius inardeſcẽte, vt ſolet in meridie æſtatis tempore, ſtatim ab æſtu aſſumpta ſunt quæ enata fuerant, quia radicem ſatis altè non habuerunt infixam, per quam humorem ſufficiẽtem ad ſe attraherent: iccirco à ſuperueniente immodico ſolis æſtu, deficiẽte humore intrinſecus reſiſtẽte, quantotius arefacta ſunt, priuſquam ad iuſtam maturitatẽ poſſent pertingere. [e]Alia verò ceciderũt inter ſpinas: & illa quidẽ licet terram haberẽt ſatis multam, ſufficientémque profunditatẽ, ad fructum tamẽ plenum non valeruut pertingere: [f] quoniam exortæ ſpinæ præualuerunt illis, & opreſſerunt illa, ne ad quantitatem & perfectionem competentem aſcẽderent. [g] Quædam verò ſeminum ſortita ſunt terrã bonam, non obduratam attritione pedum, non expoſitã prædationi auium, non petroſam, non ſpinoſam, ſed mollem & pinguem, benéque fœcundam, [h]& ſemina huiuſmodi fructum magnũ protulerunt, nonnulla, quidẽ magnum valde, vtpote centeſimum: [i]alia mediocrem, vtpote ſexageſimum: [k]alia verò minorem, vtpote triceſimũ. [l] atque hæc dicens dominus Ieſus, magna voce clamauit, dicens: Audiat hæc quiſquis aures habet ad audiendum, apponat his verbis animum vt intelligat, quiſquis ſalutarẽ cupit diſcere

diſcere doctrinã.[a] Accedentes autem ad eum familia ri cõſuetudine diſcipuli, interrogauerunt eum, dicen tes: Quare præceptor bone, hominibus iſtis rudibus per parabolas loqueris, quas nequeunt ipſi inexercita tũ ad huiuſmodi ſenſum habentes intelligere? [b] Reſpondẽs dominus, ait illis: Idcirco illis inter quos plurimi ſunt increduli, nonnulli etiam peruerſi, in parabolis loquor, quoniã incredulis illis & peruerſis non eſt datum intelligere myſteria regni Dei, aut ſecreta doctrinę Euãgelicę, quomodo vobis fidelibus auditoribus id eſt à patre datum. Ita diſpoſitum eſt à patre, vt vobis apertius proponam myſteria Euangelij, illis autem per parabolarum inuolucra, tãquam indignis quibus ſancta nudè proponantur. [c] Ita enim à patre diſpoſitum eſt, vt qui modicũ quid accepit in cognitione veritatis, ſi modico illo benè vtatur, ipſúmque diligẽter cuſtodiat, accipiat ampliora & abundet: [d] is autem qui nõ habet ſciẽtiam veritatis, & cum poſſet habere, vel negligit vel recuſat ſuſcipere (cuiuſmodi ſunt ex iſtis plæriq;) merito etiã eo quod habere videtur, priuatur: vt non ſolum non accipiat id quod ſi voluiſſet poterat, ſed neq; eius quod habet verũ fructũ accipiat. [e] Propter hoc loquor iſtis per parabolas, quoniam ita eorum meretur incredulitas: quoniam videntes oculis ſuis mirabilia diuinæ virtutis opera, méq; ipſum Dei virtutem iſta facientẽ, cæci manent, & videre nolũt, neque per fidem me agnoſcere: [f] audientes item ex me omnia quæ mihi pater mandauit loqui ad illos, nolunt attendere auribus cordis, vt credant & obediant: neq; quæ auribus corporis audiunt mente volunt intelligere. [g] Atque ita adimpletur in eis verbũ Eſaiæ, quod olim ex iuſſu Dei ad populum iſtum loquutus eſt, dicens: [h] Auditu externo audietis verba diuina: & nõ poteritis, quia non voletis, intelligere: [i] viſu quoq; corporali videbitis opera Dei, & non videbitis oculis mentis. [k] Induratũ enim & obſtinatũ eſt cor populi huius per certam malitiam: aurésque obturauerunt ſibi, & oculos clauſerunt, ne audire poſſint aut videre, aut corde intelligere ea quæ Dei ſunt: ſicque ipſi ſibi impedimenta ponunt, & obſtacu

res audiendi audiat.

a Et accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

b Qui reſpondens ait illis: Quia vobis datũ eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autẽ non eſt datum.

c Qui enim habet, dabitur ei & abundabit:

d qui autem nõ habet, & quod habet auferetur ab eo.

e Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident,

f & audientes non audiunt, neque intelligunt.

g Vt adimpleatur in eis prophetia Eſaiæ dicentis,

h Auditu audietis, & nõ intelligetis:

i & vidẽtes videbitis, & non videbitis.

k Incraſſatũ eſt enim cor populi

ſtacula conuerſionis & ſalutis ſuæ, quaſi ad hoc ex propoſito laborãtes, ne quando cõuerti poſſint à malitia ſua & ſanari à miſeriis ſuis.[a] Dum enim ex certa ſciẽtia agnitam veritatem nolũt ſuſcipere, ſed impugnare etiã audent, & confirmãtia eam diuina teſtimonia inſectari gaudent conuitiis: dúmque planè nolunt intelligere vt credant, quaſi aditum omnem ſibi videntur præcludere conuerſionis atque ſalutis, per huiuſmodi obſtinationem & obdurationem cordis ſui.[b] Veſtri autem meritò beati & fœlices oculi, tam mentis quàm corporis: quia videntes vident ea quæ à Deo in hoc tempore decreta ſunt fieri:[c] veſtræ quoque aures meritò prædicantur beatæ & corporis, & multò magis animæ: quoniam audientes audiunt ea quæ in hoc tempore ex Dei voluntate per me annuntiantur mundo.[d] Illud enim in veritate dico vobis, quòd in præteritis à ſæculo generationibus, plerique iuſtorum, magni quoque reges & ſancti Prophetæ amici Dei, magno deſiderio cupierunt videre oculis ſuis illa quæ vos modò videtis, & poſt paululum plura, maioráque videbitis, & non eſt illis datum videre ea:[e] cupierunt quoque & auribus audire ea quæ vos modò auditis annuntiari mundo per os meum, atque etiam amplius apertiúſq; poſtmodum audietis: partim per memetipſum, partim per ſpiritum meum: & non eſt hoc illis datum vt ea audirent. Optabant hæc iſti quaſi ſingulariſſimum donum, & eximium beneficium ſibi æſtimaſſent præſtitum, ſi datũ eis fuiſſet voto potiori. Ac proinde & vos modò, quibus tanta gratia proponitur & ſuſcipitur, meritò beatos & fœlices dixerim.[f] Vos itaque quos pater cæleſtis tam ſpecialis vocationis gratia eſt dignatus, audite enarrationem parabolæ eius quam propoſui de ſeminante & ſemine.[g] Sunt quidam, qui verbum ſancti Euangelij cæleſtíſque doctrinæ auribus quidem corporis ſecundum vocis ſonum accipiunt, ſed virtutem verbi ad interiora non tranſmittunt, non ſtudent quæ audierunt intelligere, & intus in mente reponere atque cuſtodire.[h] Quod cernens diabolus (qui per volucrem cæli ob agilitatem & aëris

huius, & auribus grauiter audierunt,
a & oculos ſuos clauſerunt ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligãt, & conuertantur et ſanẽ eos.
b Veſtri autem beati oculi, quia vident:
c et aures veſtræ, quia audiunt.
d Amẽ quippe dico vobis, quia multi prophetæ et iuſti, cupierũt videre quæ videtis, et non viderunt,
e et audire quæ auditis, et non audierunt.
f Vos ergo audite parabolã ſeminantis.
g Omnis qui audit verbum regni et non intelligit,
h Venit malus et rapit quod ſeminatum eſt.

ris inhabitationē ſignificatur)ſtatim accurrit omnis virtutis oſor,& peculiariter bonorum iniuriorum perſequutor,ſeménque illud cæleſtis doctrinæ quantotius curat arripere,faciēs videlicet illum qui audiuit obliuiſci,& planè negligere,ſiue etiam contemnere audita illa,& non intellecta: ſicque fructus nullus ex hoc ſemine naſcitur. [a] Huiuſmodi homines ſunt, quos prima parabolæ parte ſignaui, per terram ſecus viam, ſemen abſque fructu accipientem: qui videlicet ſemen verbi, quaſi ſecus viam ſuſceperunt, in terra dura & auium prædationi expoſita. [b] Quos autem per ſecundam parabolæ partem ſignare volui, nempe per terram petroſam ſuſcipientem ſemē abſque fructu debito, homines quidā ſunt leues & temporarij: qui dum audiunt verbum Dei, ſubita quadam deuotione affecti, cum gaudio illud videndum quaſi intra ſinum mentis excipere,& ſatis ſibi videntur intelligere,conceptúque ſubitaneo in mente ſe habituros proponunt. [c] Veruntamen radicem ſtabilis deuotionis aut firmi ſatis propoſiti non habent, ſed tantum temporarij ſunt, & ſubitanea nec diu duratura deuotione: [d] id quod manifeſtè tunc oſtendunt, cum tribulatione qualibet ſiue pugna vel modica propter verbum illud exurgente, vel à mundo, vel à carne, vel à diabolo, ſtatim ſuccumbunt: ac perdito vigore, quaſi ab æſtu tribulationis interno radicali humore deficiente conſumpti, ſcandalizantur, & excidunt ab eo quod ſuſceperunt ſancto Dei verbo. [e] Quos deinde per tertiam parabolæ partem,nempe per terram inter ſpinas ſuſcipientem ſemen,& fructum proferre incipientem, volui ſignatos: diuites ſunt ſæculi huius: qui cor apponentes diuitiis amplius quàm oportet, ſi quando verbum Dei audiant, eſſentque alioqui fructum forſitan bonum producturi, attamen per nimiam ſæculi huius curam, qua illorum cor poſsidetur, [f] pérque diuitiarum fallaciam, cui ſupra quàm decet ſunt intenti, verbum cæleſtis doctrinæ fructum nequit proferre debitum: quoniam per ſolicitudines eiuſmodi & fallacias diuitiarum, quaſi ſpinis quibuſdam ſuffo-

catur

a Hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt.

b Qui autē ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, et continuò cum gaudio accipit illud:

c nō autem habet in ſe radicē, ſed eſt temporalis:

d facta autem tribulatione et perſequutione propter verbum continuò ſcandalizatur.

e Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum Dei audit. et ſolicitudo ſæculi iſtius,

f et fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, et ſine fructu efficitur.

a *Qui verò in terrã bonã ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbũ & intelligit,* b *& fructum affert & facit,* c *aliud quidem centeſimum,* d *aliud autem ſexageſimum,* e *aliud verò triceſimum.* f *Aliam parabolam propoſuit illis, dicens:* g *Simile factũ eſt regnũ cælorũ homini qui ſe minauit bonũ ſemẽ in agro ſuo.* h *Cum autem dormirẽt homines venit inimicus eius & ſuperſeminauit Zizania in medio tritici, & abijt.* i *Cum autem creuiſſet herba & fructũ feciſſet, tũc apparuerũt et Zizania.* k *Accedentes autem ſerui patrisfamilias, dixerunt ei.* l *Dñe nõnne bonũ ſemẽ ſeminaſti in agro tuo?*

catur & ſupprimitur, ne in altũ liberè poſsit germinare.[a] Qui autem parabolæ quarto membro, per terram bonam ſemen ſuſcipientem & fructum bonum reddẽtem ſignabantur, hi nimirum ſunt qui verbum Dei, vbi & quando datur, libenter audire ſtudent: auditum quoq; non negligere, ſed omni ſtudio intelligere laborant, inq́ue ſinu boni cordis quaſi intra bonam terram altè reponũt, & quaſi intra eius profunditatem abſcõdunt, dum firmo propoſito decernunt, nullã ob cauſam verbum illud ſemel ſuſceptũ, & benè intellectum de corde proiicere.[b] Et quoniam tam fideliter verbum Dei huiuſmodi homines ſuſcipiunt & cuſtodiunt, idcirco in eis fructũ profert copioſum: nõ in omnibus quidem æqualem, in omnibus tamen ſufficiẽtem:[c] In quibuſdam quidem paucisſimis, fructum plurimum, qui per cẽteſimum ſignificatur:[d] in aliis verò paucioribus, mediocrem, qui per ſexageſimum:[e] in aliis autem ſatis multis, minorem, qui per triceſimum.[f] Aliam quoq; itidem de ſemine & ſeminatore parabolam propoſuit, dicens:[g] Ita ſe res habet cum regno cælorũ, ſic agitur de negotio Euangelij, quod prædicatur in Eccleſia bonis & malis quemadmodum ſequẽs indicat parabola, quæ eſt de homine patrefamiliàs, qui bonũ ſemẽ ſeminauit in agro ſuo,[h] Cũ autẽ ſomno graui dormirẽt homines per noctẽ, inimicus inuidẽs patrifamiliàs tantã vtilitatẽ, atque ipſi etiã agro ſuũ fructum vberem venit, & ſuper ſemen bonũ prius à patrefamiliàs ſeminatum ſuperiecit mala ſemina, eáq; cũ tritico bono ſeminato paſſim commiſcuit: & completo malitiæ ſuæ propoſito, abiit.[i] Cum autem iam ad aliquantam altitudinem aſcendiſſet herba boni tritici, ac tandem poſt iuſtam quantitatem etiam fructum inciperet proferre, tunc ſimul apparuerunt & zizania in medio tritici exorta de ſuperiacto malo ſemine.[k] Quod conſiderantes ſerui patrisfamiliàs, qui ex officio ſuo & amore erga dominum curam gerebãt agri dominici, acceſſerunt: ad illum, & querimoniam dolentes proponunt:[l] Domine, inquiũt, nõnne bonum ſemen in agro tuo ſeminaſti? Quid ergo ſibi volunt iſta quæ nunc ſe

ſe produnt zizauia? Vnde putas iſta conſurgunt in agro tuo, quæ tu nequaquã in eo ſeminaſti?[a] Reſpondit illis paterfamilias: Ego quidẽ ſemẽ bonũ in agro ſeminaui, nec proinde à me ſurgunt iſta zizania. Verũ inimicus homo tritico bono ſuperſeminauit malum ſemen, & hinc zizania.[b] Rurſumq; illi dixerunt ſerui: Quid ergo? Vis domine, eamus in agrum iſtũ, & euellamus atque colligamus iſta zizania mala, vt melius creſcat triticum bonum?[c] Qui dixit: Nolo, ne forte zizania colligentes, ſimul cum eis euellatis & triticum. Difficile eſt enim ea quæ ſic permixtim nata & adulta ſunt ita ſeparare abinuicem, niſi & illi noceatur quod ſeruatum cupimus.[d] Permittite verò, vt creſcant ſimul cum tritico zizania vſque ad tempus meſsis: & tunc meſſoribus meis dicam, vt zizania colligant, & ſeparatim alligent in faſciculos, ad cõburendum igni, quandoquidem alteri nõ ſeruiunt vſui: [e]bonum autem triticum couferant in horreum meũ, in vſus optimos. Huiuſmodi ſeparationẽ ego faciam, cum tempus meſsis aduenerit, interim ſimul vtraq; creſcant.[f] Item & aliam parabolam eis propoſuit de grano ſinapis, dicẽs:[g] Ita ſe res habet cum Euangelij doctrina, per quam ad regnum cælorum pertingitur, ſicut cum grano ſinapis: quod accipiens homo ſeminat in agro vel orto, eſtque in ſeſe, quantũ ad molis quantitatem, minimũ ferè omnium ſeminum, vnde ſurgunt olera aut herbæ communes:[h] cum verò germinauerit, excreueritque in herbam aut ſtipitẽ, omnia iam olera mole ſupergreditur: [i] ſurgitque inde arbor tantę & altitudinis & latitudinis, vt auiculæ volitantes in aëre in ramis eius nidificare, & habitationem ſibi in eis poſsint conſtituere. Ita ſanè & Euangelij verbum, licet ſecundum ſpeciem foris puſillum videatur & humile, magnam tamen in ſe virtutem continet, & ſeminatum in corde bono fructum facit ampliſsimum. Ex ipſo enim tota conſurgit altitudo Eccleſiæ, quæ arbor eſt altiſsima, & vinea latiſſima, ſub cuius vmbra requieſcere, & in cuius ramis nidificare gaudent, etiam qui in mundo honoribus, potentia, aut ſapientia, videntur præcellere, &

vnde ergo habet zizania?

a Et ait illis, inimicus homo hoc fecit.

b Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea?

c Et ait: Nonne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cũ eis & triticum.

d Sinite vtraq; creſcere vſq; ad meſſem, & in tempore, &c.

e triticum autẽ cõgregate in horreum meum.

f Aliam parabolam propoſuit eis, dicens:

g Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro, &c.

h Cum autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus,

i & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant & habitant in ramis eius.

cæteros ſuperare: intra quam ſedulò commorari ſtudent omnes qui ſunt ad vitam prædeſtinati, qui propter fidei celſitudinem volucres cæli poſſunt non incommodè appellari.[a] Rurſum aliam illis propoſuit parabolam, dicens: Simile eſt ſacrum Euangelij verbum fermento: quod cum acceperit mulier, abſcondit ipſum ſub tribus farinæ menſuris: ita vt ex eo vniuerſa illa maſſa corrumpatur ſiue fermentetur, tanta videlicet maſſa à tantillo fermento. Ita verbum Euangelij ſecundum ſpeciem modicū & humile, cum in corde bono fuerit abſconditum, tria quoque farinæ ſata: id eſt, quicquid in homine eſt naturalium virium, natiua ſua virtute fœliciter immutat, ac pro ſua diſponit qualitate.[b] Omnia hæc, atque etiam alia nonnulla huiuſmodi loquutus eſt dominus Ieſus ad turbas, per parabolas:[c] & præter parabolas illo in tempore vix aliud loquebatur.[d] Sicque impletum eſt in Chriſto illud quod in Pſalmis Propheta Dauid ſub perſona ſua Chriſti perſonam repreſentante præ dixerat:[e] Aperiam (inquit) os meum, & loquar per parabolas & ænigmata: atque ſub huiuſmodi ænigmatum inuolucris, ego de plenitudine omniſcientiæ meæ eructabo, proferamque hominibus admiranda & occulta Dei conſilia, quæ ab initio, & ab æterno Deus pater fieri decreuit ante mundi conſtitutionē. Non enim decens foret, illa tam ſacroſancta ſecretiſſimaque myſteria ſic nudè omnibus æque dignis & indignis proponi: ſed figurarum velaminibus ea cōuenit velari, ſicque velata proponi: vt credentes valeant, increduli nequeant intelligere.[f] Poſtquam verò parabolas iſtas Ieſus fuiſſet loquutus, turbis dimiſſis, ingreſſus eſt domum. Vbi cum eſſet ſolitarius, acceſſerunt ad eum familiaritate domeſtica & filiali fiducia diſcipuli, dicentes:[g] Precamur te, præceptor bone, vt parabolam illam de zizaniis in agro ſuperſeminatis tritico, nobis ſuo ordine digneris exponere: quemadmodum iam ante illam de ſemine variè cadente per te expoſitam libenter audiuimus:[h] Dominus verò de diſcipulorum ſtudioſa diligentia lætus, petitioni illorum facilè annuit: enarra-

a Aliam parabolam loquutus eſt eis: Simile eſt regnū cælorum fermento, quod acceptū mulier abſcondit in farinæ ſatis trib⁹, donec fermentatum eſt totum.

b Hæc omnia loquutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas,

c & ſine parabolis non loquebatur eis.

d Vt impleretur quod dictū eſt per Prophetā dicentem:

e Aperiā in parabolis os meū, eructabo abſcōdita à cōſtitutione mundi.

f Tunc dimiſſis turbis, venit in domum: et acceſſerunt ad eū diſcipuli eius, dicentes:

g Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.

h Qui reſpondens, ait:

enarranſque parabolam, dixit eis: [a] Paterfamilias qui bonum ſemen in agro ſeminat, ego ſum filius hominis, qui in mundum veni ſpargere ſemen bonum Euangelij. [b] Ager autem iſte in quo ſemen meum veni ſeminare, mundus iſte eſt, cuius ego ſum cultor & dominus. [c] Semen verò bonũ, quod ego in hoc agro ſemino, hi ſunt iuſti, electi, & prædeſtinati ad regnum æternum, quos ego mea gratia tales, vt eo digni ſint, facio: quos ego in hoc mundo pono ad faciendum bonum iuſtitiæ fructum, ad eum modum quo agricola in agrum ſuum mittit ſemen, vt fructum ibi proferat. [d] Zizania autem ſunt homines mali, filij mortis æternæ, qui fructum bonum non faciunt, ſunt tamen in hoc mundo commixti malis.

[e] Inimicus verò qui zizania iſta ſeminauit, malignus dæmon eſt, inimicus vtique, tam ipſius patriſfamilias, quàm ſeminis boni: quoniam & Dei gloriæ inuidet, & bonorum hominum ſaluti. Hic zizania ſuperſeminauit, cum non ſeminaſſet ea paterfamilias, quoniam fecit Deus hominem rectum, & abſque omni iniquitate. Diaboli verò inuidia, peccatum in homines primum introiuit, nec ceſſat vſq; hodie ad omne malum homines inducere. [f] Tempus autem meſsis, tempus intelligo conſummationis ſæculi & iudicij extremi? quoniam ſicut in meſſe demetuntur quæcunque in agro ſunt, bona cum malis, ſic in conſummatione ſæculi omnes homines de vita auferentur iſta mortali, quicunque tum viui inueniendi ſunt: & ſicut tempore meſsis ſecernuntur zizania à bonis frugibus, locoque diſtinguuntur & vſu, quæ prius erant commixta: ſic, quantum ad bonos & malos, tum fiet. [g] Meſſores verò, quibus paterfamilias exequutionem negotij commendabit, angeli intelligendi ſunt, qui miniſtri erunt iuſtitiæ, & exequutores ſententiæ tunc ferendæ per iudicem. [h] Sicut ergo tempore meſsis mittit paterfamilias meſſores, qui zizania ſeparatim alligant in faſciculos ad comburendum igni: [i] ita cum aduenerit tempus conſummationis ſæculi huius, [k] mittam ego filius hominis,

a Qui ſeminat bonu ſemen, eſt filius hominis.

b Ager autem eſt mundus.

c Bonum verò ſemen, hi ſunt filij regni.

d Zizania autẽ, filij ſunt nequam.

e Inimicus autem qui ſeminauit ea, eſt diabolus.

f Meſsis verò, conſummatio ſæculi eſt.

g Meſſores autẽ, angeli ſunt.

h Sicut ergo colligũtur zizania & igni comburuntur,

i ſic erit in conſummatione ſæculi.

k Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligẽt de regno eius omnia ſcãdala, & eos qui faciũt iniquitatẽ.

tunc in iudicis forma & gloria manifeſtandus, angelos miniſtros meos, qui de agro & regno meo, ſiue de mũdo iſto auferunt omnia peccata: id eſt, omnes qui in hoc mundo deprehenſi fuerint in peccatis viuentes: [a] mittentq́ue ipſi, tanquam miniſtri & exequutores ſententiæ per me iudicem ferendæ, illos meo iudicio damnatos, in ignem æternum & inextinguibilem, vbi perpetuus erit luctus atque triſtitia, neque aliud audietur, niſi grauis vlulatus, & terribilis dentium ſtridor, pro amiſsis æternis bonis, & inuentis æternis malis. [b] Iuſtis verò, licet nunc videátur omnia cum impiis eſſe æqualia, tunc longè alia dabitur retributio. Illis nãque in obſcuriſsimas tenebras protruſis, hi ſplendidiſsima gloria fulgebũt longè ſupra claritatem ſolis, in regno patris mei, qui per me ipſis quoque pater eſt factus. [c] Hæc verba fideliſsima ſunt & vera, omniq́ue attentione digniſsima, quibus æquum eſt intẽdat quiſquis aures habet: quæ quiſquis audierit & cuſtodierit, fructum ex eis non minimum conſequetur. [d] Aliam quoque parabolam propoſuit dominus dicens: Ita ſe res habet cum Euangelij doctrina, per quam ad regnum cælorum pertingitur: quemadmodum ſubſequens indicat parabola, quæ eſt de theſauro quodam pretioſo in agro quopiam occulto: [e] quem theſaurum quum inueniſſet homo quidam, tanti fecit, vt pro eo conſequendo, vniuerſa ſua quæ ante habebat, vendiderit. Ita qui hanc Euangelij doctrinam, quam ego veni manifeſtare mundo, auditu inuenerit, eiuſque pretium cognouerit, tanti illam faciet, vt pro ea poſſeſsione ſtabili conſequenda libenter externorum bonorum omniũ faciat iacturam: cum ſit illa deſiderabilis ſuper aurũ & lapidem pretioſum multum, & dulcior ſuper mel & fauum. [f] Iterum, quomodo ſe habeat negotiũ cæleſtis regni, ſequenti edocetur parabola, quę eſt de negotiatore quodã margaritas pretioſas multo ſtudio perquirente: [g] qui poſtquam vnam quandam præ omnibus inſigniter pretioſam inueniſſet, relictis omnibus aliis pretio & virtute huic vnicæ non comparandis, vendidit omnem ſubſtantiam ſuam pro vnica

a Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

b Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, in regno patris eorum.

c Qui habet aures audiendi audiat.

d Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro:

e quem qui inuenit homo abſcondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit vniuerſa quæ habet et emit agrũ illum.

f Iterum ſimile eſt regnũ cælorũ homini negotiatori, quærẽti bonas margaritas.

g Inuenta autẽ vna pretioſa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, et emit eã.

vnica illa margarita aſſequenda. Ita ſanè, qui cæleſtem hanc doctrinam omnibus aliis doctrinis hominum nulla ex parte comparandam ſemel inuenerit, eiúſq; pretium agnouerit, meritò propter illam firma poſſeſsione obtinendam omnem ſuam ſubſtantiam, & omnino quicquid eſt rerum externarum, debet nihili facere, potius quàm illam deſerat paratus omnia perdere. Quoniã verò per hanc cæleſtẽ meam doctrinã non indifferenter, quilibet ſaluatur audiés, ſed illi tantum qui affectu auidiſsimo illam quaſi theſaurũ & pretioſam margaritam cuſtodiunt, alia quoque adiicitur prædictis parabola, quæ huius rei exhibeat ſimilitudinem. [a] Quemdmodum enim quum ſagena fuerit miſſa in mare, comprehendit quidem ipſa in ſe piſces omnis generis, bonos & malos. [b] Verum non omnes æque in vaſa reponuntur piſcatium: ſed cum impleta fuerit ſagena, ad littus eam attrahunt piſcatores, ipſique ſecus littus ſedentes, ſeligunt piſces bonos & vtiles humano vſui, ab iis qui nullius ſunt apud homines vſus vel pretij: bonos quidem in vaſa ſua reponentes, [c] malos autem foras proiicientes, tanquam nulli bono vſui ſeruiẽtes. Ita profectò & Euangelica doctrina, dum palàm mundo prædicatur, plurimos capit ex omni cõditione hominum, qui fidem habent Euangelio, atque hos intra vnam Eccleſiam, quaſi intra ſagenam vnam concludit. Verum (vt de illis interim taceamus, quos iſta ſagena non capit) etiam qui intra eam concluduntur, non omnes ad regnum cæleſte pertingent. [d] In conſummatione enim ſæculi, quando ſagena ad littus trahetur: id eſt, prædicatio Euangelica ceſſabit, [e] exibunt angeli à Deo emiſsi, & tanquam exequutores ſententiæ domini ſui, ſeparabunt malos à iuſtis, in quorum medio verſantur, donec venerit conſummatio ſæculi: [f] mitténtq; eos & protrudent in gehennam ignis ęterni: [g] vbi ſine omni lętitia perpetuus durabit cruciatus, nihílq; audietur niſi voces luctus & fletus dentiúmq; ſtridor horribilis. [h] Quibus ita per parabolas cum enarratione modica prolatis, conuerſus ad diſcipulos domin⁹ Ieſus, volés eorũ excitare animos,

a Iterum ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti:

b quam cũ impleta eſſet, educentes & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa,

c malos autem foras miſerunt.

d Sic erit in cõſummatione ſæculi:

e Exibũt angeli, & ſeparabũt malos de medio iuſtorum,

f & mittẽt eos in caminũ ignis.

g ibi erit fletus & ſtridor dentium.

h Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam.

dixit:Recténe ea quæ modò loquutus ſum intellexiſtis,an ampliorem dictorum quæritis declarationẽ? Reſpônderunt illi:Satis rectè iſta præceptor intelleximus,tua declaratione adiuti.[a] Rurſum ad illos Ieſus. Ad hunc videlicet modum omnis profeſſor Euangelicæ doctrinæ,quilibet Euangelij bonus prædicator, ſimilis eſſe debet homini patrifamilias,qui de abundantia diuitiarum ſuarum proferre poteſt noua & vetera:id eſt,res varias,omnigenamque ſubſtantiã. Ita debet bonus Euãgelij prædicator,de corde diuite & ſpirituali eruditiõe pleno,noſſe in tẽpore ſuo proferre ſermonẽ auditoribus congruum,modò talem,modò talem,nunc apertum,nunc inuolutum,varijs quoque modis & comparationibus poſſe auditoribus inſinuare Euangelicæ veritatis doctrinam:quemadmodum nunc ego,partim inuolucris parabolarum diuerſis,partim claris earum enarrationibus,de Euãgelio regni vobis audientibus diſſerui.[b] Poſtea verò quàm parabolas iſtas omnes coram turbis palàm propoſuiſſet,& coram diſcipulis ſecretò expoſuiſſet dominus Ieſus,abſceſsit illinc.[c] Veniensque ad patriam ſuam Nazareth,vbi fuerat educatus,ſicut & conceptus,cœpit in ſynagoga publicè docere , & prædicare Euangelium Dei,quemadmodum aliis in locis fecerat. [d] Mirati ſunt autem conciues,qui eum nouerant ab annis pluribus,neque literis inſtructum,neq; in lege humana inſtitutione eruditum:dixeruntq; adinuicẽ: [e] Vnde huic de infima plebe homini ſapientia iſta proceſsit, quam præ ſe ferant eius verba?& vnde ei poteſtas iſta faciendi miracula,quæ eum narrant operari? [f] Nónne ipſe eſt filius fabri illius lignarij , cui nomẽ Ioſeph?Nonne mater eius eſt muliercula quædam Iudæa,nomine Maria? [g] Nónne apud nos ſunt fratres eius ſiue conſobrini,dicti Iacobus & Ioſeph, Simon & Iudas? ſorores item eius ſiue conſobrinæ, nónne apud nos habitant,cognitę nobis ex nomine? [h] Huic ergo de pauperculis & indoctis parentibus nato,in familia ignobili educato,cuius tota ꝓgenies neq; literas nouit,neque mira operari,vnde iſta omnia? tanta videlicet ſapientia,tanta facundia, tanta conſi-

a Ait illis:Ideo omnis Scriba doctus in regno cælorũ, ſimilis eſt homini patrifamilias,qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.

b Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas, trãſijt inde.

c Et veniẽs in patriam ſuam docebat eos in ſynagogis eorũ,

d ita vt mirarentur,& dicerent,

e Vnde huic ſapientia hæc & virtutes? Nónne hic eſt fabri filius?

f Nónne mater eius dicitur Maria,

g et fratres eius Iacobus & Ioſeph,et Simõ et Iudas,& ſorores eius nónne omnes apud nos ſunt?

h Vnde ergo huic omnia iſta?

confidentia,ac deniq; tam magnifica poteſtas ædendi prodigia? [a] Hiſque & aliis huiuſmodi argumentis nimium craſsis & carnalibus, ſeipſos ſcandalizabant plærią; illorũ, ex carnali Chriſti origine,ſibi ſumentes occaſionem non æſtimandi Chriſtum honore debito,neque fidem habẽdi ipſius ſermonibus: cum debuiſſent non ſecundũ faciem iudicare, neq; ad ſolam ipſius humilitatem oculos conuertere. [b] Videns autem Ieſus multos illorũ occaſione ſuæ doctrinæ atq; ſignorum ſcandalizari, dixit eis: Quod vobis modò erga me contingit, non eſt nouum neque inſolitum. [c] Sic enim ſolent Prophetæ nuſquam minus in æſtimatione haberi,quàm in patria ſua,& in cognatione ſua:& cum ab aliis quibus incognita eſt eorum origo habeantur in pretio, fidéſq; habeatur eorum ſermonibus, ab hominibus gentis & cognationis ſuæ parũ ipſis tribuitur. Ita planè mihi vobiſcum nũc euenire video,quemadmodũ olim Prophetis cũ ſuis conciuibus ſolet accidere. [d] Et noluit illic tũ dominus multa diuinæ virtutis opera facere, neq; miracula multa ædere,propter plurimorũ incredulitatem, quæ indignos eos faciebat diuinis beneficiis.Nõnulla tamen, ſed pauca fecit, vel ob quoſdam ex eis credentes, vel vt excuſationem non haberent increduli de peccato ſuo,quam viſi fuerant habituri nonnullam, ſi prorſus nullum apud ſuos oſtentans diuinæ virtutis teſtimonium,fidem ſibi haberi Chriſtus exegiſſet.

a Et ſcandalizabantur in eo.

b Ieſus autem dixit eis:

c Non eſt Propheta ſine honore,niſi in patria ſua & in domo ſua:

d & non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

ELVCIDATIO CAP. XIIII.

CVM autẽ fama nominis Ieſu, virtutũque & doctrinę eius iam inualeſceret, & per vicina circumquaq; loca diffunderetur,tandem & ad Herodẽ Tetrarcham peruenit. [f] Qui ſuper auditis admiratus,recolens Ioannis quẽ occiderat ſanctitatẽ, dixit miniſtris ſuis: [g] Arbitror ego hunc hominẽ de quo tanta feruntur,ipſum eſſe Ioannẽ, cognomento Baptiſtam, quem ego ſine cauſa iniuſtè occidi.Hunc ego arbitror diuina virtute ſuſcitatũ eſſe à mortuis,

e In illo tempore, audiuit Herodes Tetrarcha famam Ieſu,

f & ait pueris ſuis:

g Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo.

eo ꝙ in vita Deum timuit, & pro iuſtitia ſuccubuit: atque ideo nunc mirabilia diuinæ virtutis opera vigent in eo,& efficiuntur per eum,ideo nunc miraculorum gloria claret illuſtris. Et quoniam Herodis & Ioannis metio fieri cœpta eſt, priuſquam ad alia fiat tranſitus,de morte Ioãnis & occaſione, ac modo mortis expedierit præmiſiſſe. [a] Herodes itaque miſsis ſatellitibus,comprehendi fecit Ioannem Baptiſtam, & vinculis alligari,atque in carceris cuſtodiam retrudi. [b] Cauſa autem huius comprehenſionis obuenerat ex Herodiade,formoſa quadam & impia muliere, quæ vxor fuerat Philippi fratris Herodis,ſed abſtulerat illam ab eo Herodes,ſibiq; coniunxerat, vtens ea quaſi legitima coniuge. [c] Quam rem ſciens Ioannes illicitam,& populo omni ſcandalo eſſe cõſiderans,audacter illũ increpauit,dicens: [d] Neque diuina neq; naturalis lex patitur,vt iſta quam fratri tuo viuenti abſtuliſti,pro tua vxore legitima vtaris.Scãdalo es omni populo,amouere te oportet offendicula, illámque ei à quo eſt ablata, & cui ſemel fidem dedit reſtituere. [e] Atque hanc ob cauſam,quoniam ſic à Ioanne arguebatur Herodes,deſiderabat quidem illum interficere,vt eſſet à moleſtia & confuſione liber, poſſetq; ſine contradictione ſua frui libidine. [f] Non audebat tamen eum interficere,propter timorem populi, qui eum maximi faciebant,vt Prophetam eximium,ſpeciali Dei dono ſibi miſſum:propter quod,ſeditionem metuebat in populo excitandam ſi eum tentaſſet occidere. [g] Cum autem aduenisſet Herodis dies natalitius,quem ex conſuetudine principes feſtũ agebãt, feſtiuiſque conuiuiis deducebant, ingreſſa eſt in locum conuiuij filia Herodiadis ornatu admodum curioſo exculta, egitq; illic in medio principum ſaltatricem,tanto artificio, tantáque gratia, vt mirum in modum Herodi,ac ſimul recumbẽtibus placuerit illa eius geſticulatio. [h] Exhilaratuſque animo ſupra quàm decuit Herodes,partim ex vini abũdantia,partim ex ſaltatricis puellę forma ac geſtu,pollicitus eſt illi coram omnibus dare quicquid eſſet poſtulatura, etiaſi regni poſtularet dimidium, promiſsioné quoque

que

a Herodes enim tenuit Ioannẽ, & alligauit eũ, & poſuit in carcerem.

b propter Herodiadẽ vxorẽ fratris ſui.

c Dicebat enim illi Ioannes:

d Non licet tibi habere eam.

e Et volẽs eum occidere,

f timuit populum:quia ſicut Prophetam eum habebant.

g Die autẽ natalis Herodis, ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.

h Vnde cum iuramento, pollicitus eſt ei dare quodcunque poſtulaſſet ab eo.

que ſuperaddito iuramento confirmans. [a] Illa verò tanta promiſsione à rege accepta, cõmunicato prius conſilio cum matre ſua mortis Ioãnis(eo ꝙ cum Herode permanere in adulterio deſiderabat) auidiſsima, iterũ ad regem ingreſſa, dixit: [b] Domine mi rex, licet magna tu mihi obtuleris, rem tamen modicam ego poſtulo. Non enim aliud peto, niſi caput Ioannis iſtius Baptiſtæ, quem tu alligatum tenes in vinculis, mihi huc in diſco adferri, ac dono dari. [c] Quo audito, Herodes quidem nonnihil cõturbatus eſt & contriſtatus: partim ꝙ Ioãnem aliquantulũ reuereretur, & hominẽ Deo atq; hominibus charũ, ita facilè nulla ex cauſa morte afficere, horrẽdũ iudicaret: partim ꝙ ſeditionem aliquam in populo cõmouendam metueret, vbi res nota facta eſſet. [d] Veruntamen, propter verbũ iuramenti ſui, quod verecundũ exiſtimabat infringere, & ꝓpter eos qui ſimul aderãt auditores, & teſtes promiſsi, corã quibus erubeſcebat illud non implere, voluit præſtare puellæ quod petierat. [e] Miſitq; ſtatim ſpiculatorẽ, qui Ioannem in carcere decollauit: [f] capútq; præciſum in diſco allatum eſt, ac puellæ illi ſaltatrici, viliſsimę meretriculæ in ſaltationis ſuæ mercedem donatum. [g] Atque ipſa ſtatim gaudens pro cõſequutione impij deſiderij, attulit illud matri, vt lætaretur venenata vipera in morte hominis ſancti: quem viuentem metuerat, ne per eum ab adulterio ſuo pelleretur. [h] Quo ita in carcere defuncto, acceſſerunt diſcipuli ipſius, truncúmq; corporis eius inde abſtulerunt, & honeſta ſepultura in monumento condiderunt: videlicet quẽ erga viuentem geſſerant amoris affectum, eundem etiam erga mortuum præceptorem talibus obſequiis demõſtrantes. [i] Eóque ſepulto, ad dominum Ieſum venerunt, nunciantes ei quod in Ioannem admiſſum erat crudele facinus. [k] Quod nuntiũ cum accepiſſet Ieſus, conſcendens nauiculam abſceſsit inde, tranſiitque in locũ deſertum & ſolitariũ, vt ibi cũ diſcipulis ſuis poſt longos labores aliquãtulum requieſceret. [l] Turbæ verò Chriſti præſentiam auide ſitientes, cum audiſſent ad locum deſertum eum ſeceſsiſſe, ſtatim ex circumia-

a At illa præmonita à matre ſua:

b Da mihi (inquit) hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.

c Et contriſtatus eſt rex.

d Propter iuſiurãdum autem, et eos qui pariter recũbebant, iuſsit dari.

e Miſitq; et decollauit Ioannẽ in carcere.

f Et allatũ eſt caput eius in diſco, et datũ eſt puellæ:

g & illa attulit matri ſuæ.

h Et accedẽtes diſcipuli eius, tulerunt corpus eius, et ſepelierunt illud:

i et venientes nũtiauerũt Ieſu.

k Quod cũ audiſſet Ieſus, ſeceſſit inde in nauicula in locũ deſertum ſeorſum.

l Et cum audiſſent turbæ, ſequutæ ſunt eum pedeſtres de ciuitatibus.

centibus ciuitatibus plurimi ad ipſum per terram pedites confluxerunt. [a] Ad quos cum exiſſet ſolita benignitate dominus Ieſus, qui requirētibus ſemper ſe exhibet obuium, cōſpexit populum multum illic adeſſe: miſertúſque eorum, qui tanta fiducia multo cum labore ad ſe conuenerant, ſecúmque perm nebant, curauit quotquot attulerant languidos, à quibuſcunque detenti fuiſſent infirmitatibus. [b] Cum autem iam adueniſſet veſpera, diſcipuli pro turbis ſoliciti præceptorem acceſſerunt, dicentes: [c] Domine, locus iſte in quo nūc agimus, deſertus eſt, & inhabitatus hominibus: vbi neque cibus, neque hoſpitium, pretio poteſt comparari: & tempus diei iam ferè defluxit, iam ad occaſum vergit dies. [d] Videtur proinde conſultum vt turbis iſtis vale dicas, abeundique facultatem concedas: vt abeuntes ad vicos pagóſque vicinos, comparēt ſibi alimenta quibus indigent, quæque hoc in loco habere non valent. [e] Ieſus autem diuinæ virtutis opus meditans, diſcipulis ita reſpondit: Nō eſt neceſſe, vt iuxta veſtrum cōſilium abeant populi, ſibíque eſcas comparēt pretio. Per vos enim paſci poterunt. Vos illis date manducare. [f] Quod verbum audientes diſcipuli, vehementer admirati de hac magiſtri iuſsione, dixerunt: [g] Qui fieri poterit, bone pręceptor, vt nos tantam hanc populorum cibemus multitudinem, cum non habeamus hic ad manum quicquam alimentorum, præter quinque panes & duos piſciculos? Quæ eſca tam modica, quomodo ſufficere poſsit tam immēſæ hominum multitudini? [h] Reſpondit præceptor Ieſus: Adferte quantotius huc ad me panes illos atq; piſciculos, vt ex eis omnem hanc turbam (quod vobis impoſsibile videtur) reficiam. [i] Quibus mox per obedientes diſcipulos allatis, iuſsit dominus vniuerſam illam turbam ad ſumendam refectionem ſe accommodare, ac ſuper gramen per ordines & conuiuia in morē diſcumbentium reſidere. [k] Acceptiſque ille in ſanctas manus ſuas quinque panibus & duobus piſcibus, primū oculos leuauit in cælum ad patrem ſuum omnipotētem: à quo ſicut omnia habebat, ita ad eundem omnia refere

a Et exiens vidit turbam multã, & miſertus eſt eis, & curauit lāguidos eorum.

b Veſpere autē facto, &c.

c Deſertus eſt locus, & hora iam præterijt:

d dimitte turbas, vt euntes in caſtella emant ſibi eſcas.

e Ieſus autē dixit eis, Non habent neceſſe ire: date illis vos manducare.

f Reſpōderūt ei,

g Nō habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces.

h Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.

i Et cum iuſsiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum,

k acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, aſpiciens in cælum, benedixit,

referebat:patríque ſuo benedicens, gratias egit,tum pro illa qua in manibus tenebat corporali eſca à patre donata ad vſum hominum, tũ pro eo quod iam iam erat exhibendum,diuinæ virtutis & pietatis beneficio:[a] ac poſt benedictionem, quæ manibus tenebat alimẽta fregit,deditque diſcipulis fractos panes, item & piſces:[b] per quorum deinde manus,miniſtratum eſt vniuerſæ multitudini. [c] Sicque diuina virtute in manibus Chriſti frãgentis alimenta illa paucula ſunt multiplicata,vt omnibus qui illic aderant abũdè ſatisfactũ eſſet.; Mãducauerũt enim omnes quotquot aderat, magni & parui, viri & fœminæ,nec ſolum refecti,verumetiam ſaturati ſunt. [d] Denique, omnibus bene ſaturatis,tãtum ſuperfuit alimẽtorum, vt de fragmentis(quæ colligi iuſsit dominus ne perirẽt) cophini duodecim implerẽtur. Sic copioſè,ſicq; diuiter & magnificè,nouit ſuos paſcere dominus Ieſus.[e] Eorum autem qui mãducauerant numerus fuit haudquaquàm exiguus, nempe virorũ quinque millia,extra numerũ poſitis mulieribus & paruulis,quorum indubiè nõ minor fuit numerus. Sic non eſt domino differẽtia,in benefaciendo paucis & plurimis. [f] Quo tã inſigni miraculo patrato, ſtatim diſcipulos præcepto ſuo coëgit nauem conſcẽdere, fretumque traiicere,ipſe interim ad tempus aliquãtum in loco manẽs,donec turbis vale diceret,eáſque poſt inſtructionẽ debitam maturè dimitteret. [g] Quod vbi paulòpòſt diſcipulorũ abſceſſum feciſſet,vt formam nobis daret recollectionis poſt diſtractionem,& ſolitariæ orationis poſt tumultuoſam actionem, aſcendit ipſe in mõtem,vt ſolus ibi patrem oraret in abſcondito.[h] Et facto iam veſpere,poſt ſolis occaſum, ſolus ibi permanebat in oratione. [i] Interim verò dũ abeſſet ipſe à diſcipulis,ipſiq; eſſent in nauicula ſoli,non mediocre ſunt perpeſsi periculũ,vt ſolent omnia periculis eſſe plena abſente domino.Nauicula enim in medio maris grauibus quatiebatur procellis,hucque & illuc magna cõmotione impellebatur à fluctibus. [k] Nimirum ventus erat illis contrarius, qui tẽpeſtatem hanc excitabat in mari. [l] Cum verò longo iam

a & fregit, & dedit diſcipulis panes,

a diſcipuli autem turbis.

c Et manducauerũt omnes,& ſaturati ſunt.

d Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

e Mãducãtiũ autem fuit numerus,quinq; millia virorum,exceptis mulieribus et paruulis.

f Et ſtatim cõpulit Ieſus diſcipulos aſcẽdere in nauiculã. &c.

g Et dimiſſa turba,aſcẽdit in mõtem ſolus orare.

h Veſpere autẽ facto,ſolus erat ibi.

i Nauicula autẽ in medio mari, iactabatur fluctibus.

k Erat enim cõtrarius ventus.

l Quarta autẽ vigilia noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare.

tempore laboraſſent in remigãdo diſcipuli, vltra noctis mediũ, miſertus pius dominus laborãtium, tandem circa quartam noctis vigiliam ad illos venit ſupra mare, quaſi ſuper aridam ambulãs: vt ſolet laborantibus in ſuo nomine, benignus dominus ſemper adeſſe, rebúſque iam deſperatis, libenter ſuccurrere. [a] Videntes autem diſcipuli illum ſupra mare pedibus ambulantem, turbati ſunt re inſolita, [b] exiſtimantes ſpectrum quoddam eſſe aut territamentum fortaſsis diabolicum, quod ipſis illuderet, non verè ipſum eſſe dominum. [c] Adeóque vehementer ex ipſius ſunt aſpectu attoniti & exterriti, vt voce magna præ timore exclamarent. [d] Quam illorum conturbationem cernens pius dominus, qui non ad incutiendum terrorem, ſed ad ingerendam conſolationem venerat, ſtatim ad illos voce qua ab omnibus facilè poterat agnoſci loquutus eſt, dicens: [e] Confidite, bonóque eſtote animo, filij. Non, vt vos metuitis, territamentum eſt phantaſticum quod cernitis: ſed ego ipſe ſum dominus ac magiſter veſter, qui vt vobis laborantibus ſuccurram maturè adueni. Proiicite metum omnem, animúmq; partim laboribus fractum, partim timore abiectum, me præſente reſumite. Qua paſtoris voce audita & agnita, bonæ ouiculæ omnes acceperunt conſolationem. [f] Præ cæteris verò Simon Petrus, ſuo more ardens vbique, ex magiſtri tam noua præſentia, ſubito feruore concepto, dixit ad eum: Domine mi, ſi tu verè es qui ſuper aquas videris ambulans, iube & mihi, vt [illegible]te itidem ſuper aquas ambulans veniam. Credo enim quòd ſicut tu tua virtute ſuper aquas potes abſque immerſione ambulare, ſic & ego potero tua iuſsione. [g] Videns dominus feruidam diſcipuli petitionem, iuſsit illi, vt ad ſe veniret ſuper aquas. [h] Statímque ad iuſsionem domini ille exiliens de naui, cœpit ambulare ſuper aquas, vt ad præceptorem accederet: neque ceſsit mare, donec in eo non vacillaret feruor fidei. [i] At verò inter ambulandum, cum ſentiret ventum valide flantẽ, ac procellas in mari excitantem, oculíſque paululum à magiſtro deflexis cœpiſſet in pericula naturæ ordine

a Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes:
b Quia phantaſma eſt.
c Et præ timore clamauerunt.
d Statimq; Ieſus loquutus eſt eis, dicens:
e Habete fiduciam: ego ſum, nolite timere.
f Reſpondẽs autem Petrus, dixit: domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.
g At ipſe ait: Veni.
h Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquã, vt veniret ad Ieſum.
i Videns verò ventum validũ, timuit:

ordine ſibi incumbentia intendere,timore correptus eſt.Factúmque eſt diuina diſpenſatione,vt aquæ maris, quæ prius donec firma ſtetiſſet eius fiducia ſolidum locum per miraculum ei præſtiterăt,poſt timorem & dubitationem iam cederent calcanti, ita vt ſubſidere ac mergi inciperet.[a] Poſitus autem in ſubmerſionis periculo,rurſum ad dominum oculos quos paululū auerterat reflectens auxilium eius implorauit,voce magna clamans:[b]Domine, inquiens, ſaluū me me fac,& eripe ab imminēti ſubmerſionis periculo.[c] Statímque dominus, propinquus omnibus de tribulatione ad ſe clamantibus,extenta manu apprehendit eum:timorémque illum inordinatum,& malam diffidētiam, quæ in periculum eum induxerant, redarguens,ait:[d] O homo exiguæ fidei, modicæque fiduciæ: quare me præſente & iubente hæſitans,metuebas implere quod iuſſeram?Quid vēti flatum, aut maris procellas metuebas,me præſentē habens & iubentē,qui ventis & mari impero?[e] Quúmque aſcendiſſet dominus vnà cum diſcipulo in nauim ad ſuos, ſtatim vētus quieuit,& mari reſtituta eſt tranquillitas:ſicq; poſt longum ex Chriſti abſentia laborē,ſubſequuta eſt copioſa conſolatio ex ipſius præſentia, quemadmodum & aliàs ſemper poſt luctum bonis ſubſequitur conſolatio.[f] Illi verò qui erant in naui, nēpe diſcipuli, nautæ, & forſitan alij qui ſimul cum diſcipulis nauem cōſcenderant viſo tanto miraculo, tum in ambulatione vtriuſq; ſuper aquas, tū in venti cohibitione,mariſque ſedatione,accurentes ad Ieſum poſtquam nauē eſſet ingreſſus,magna deuotione ipſum adorauerūt, confitentes quòd verè ipſe eſſet Dei filius,in quo tā præclara diuinæ virtutis opera effulgerēt.[g]Quumque traieciſſent mare applicauerunt ad terram Geneſar.[h] Et quum ab incolis terræ illius fuiſſet agnitus, emiſſi ſunt nūtij per vniuerſam illam regionem, & in omni circumiacētia loca: adductique ſunt ad eum plurimi ex locis illis languidi,variis morbis & malis vexati,exhibitiq; ſunt ante eum,tanquam coram medico ægroti:& deprecabantur, vt vel extremam oram veſtimenti eius liceret

a & cum cœpiſſet mergi, clamauit,dicens:

b Domine, ſaluum me fac.

c Et cōtinuò Ieſus extendēs manum,apprehendit eū, et ait illi:

d Modicæ fidei quare dubitaſti?

e Et cum aſcendiſſet in nauiculam,ceſſauit vētus.

f Qui autem in nauicula erant, venerunt & adorauerunt eū, dicentes: Verè filius Dei es.

g Et cum trāſfretaſſent,venerunt in terram Geneſar.

h Et cum cognouiſſent eum viri loci illius,miſerunt in vniuerſam regionem illam,& obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabāt eū, vt vel fimbriā veſtimenti eius tangerent.

ipſis contingere.Ita enim cõfidebant,ſi vel fimbriam veſtimenti eius poſſent contingere, quantotius ſe malis ſuis leuandos.[a]Factúmque eſt illis iuxta fidem ſuam: & quicunque fimbriam tetigerunt, ſalui facti ſunt,virtute diuina ab ipſo procedente, à quacunque fuiſſent infirmitate detenti.

a Et quicũque tetigerunt ſalui facti ſunt.

ELVCIDATIO CAP. XV.

QVANTVMVIS autem multa & magna æderet miracula Ieſus, quantumcunque ipſe beneficia multiplicaret,& potentiæ ſuæ virtutem efficaciter demonſtraret, Scribæ tamen & Phariſæi in ſua malitia inueterati & obdurati,non deſiſtebant perſequi dominum, eiuſque bonæ opinioni inſidias & calumnias ſtruere.[b] In illo nanque tempore, poſt tam multa egregia oſtenſa diuinæ virtutis inditia, Scribæ & Phariſæi quidam ab Hieroſolymis,qui illuc cauſa obſeruandi Chriſtum (quod videtur veriſimile) aduenerant, videntes diſcipulos Chriſti manducare non lotis ante manibus, occaſionem hinc ſibi acceperunt calumniæ, accedúntq; diſcipulorum magiſtrum, tanquam ad eum deuoluturi calumniam, dicentes: [c] Quare pateris diſcipulos tuos negligere, & transgredi doctrinam atque ſtatuta maiorum? Quare non illos probius inſtituis? An fortè tu item vt illi maiorum es contemptor, & eorum quæ patres noſtri tradiderunt neglector? [d] Si quæras in quo transgrediantur ſeniorum traditionem, vidimus illos non lauare manus antequam cibum manducent, quum ſeniorum habeat traditio, non ſumendum eſſe panem, niſi lotis ante manibus. [e] Videns autem dominus inuidam horum mentem, & amarum animum, non tam ex zelo paternarum traditionum, quàm ex inuidia aduerſus veritatem innoxios arguentem, iniuſtam calumniam iuſta increpatione voluit retundere, dicens: Vos meos arguitis innocentes diſcipulos, quòd ſeniorum doctrinam non ad neceſsitatem præſcriptam, ſed ad honeſtatem tantum externam traditam, occupatio-res

b Tunc acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes:

c Quare diſcipuli tui transgrediuntur traditiones ſeniorum?

d Non enim lauant manus ſuas, cùm panẽ manducant.

e Ipſe autem reſpondens, ait illis:

res in rebus neceſſariis obſeruare neglexerint.[a] Ego verò magis iuxta ratione vos poſſum & debeo arguere, qui non ſeniorum traditiones ad honeſtatem ſolum traditas negligitis, ſed præceptum diuinæ legis (cuius eſt obſeruatio ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria) infringitis tranſgrediendo, propter veſtram malam traditionem, propter falſam & noxiam doctrinam veſtram, quam propter auaritiam ipſi vos adinueniſtis, & effinxiſtis. [b] Lex enim diuina per Moſem lata diſtrictè præcipit, patrem & matrem honorare: obſeruantibus præceptum ſignanter adiungens promiſsionem vitæ longioris, tranſgredientibus autem comminationē mortis. [c] Sic enim in lege dicitur: Honora patrem tuum & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram. [d] Qui patri aut matri maledixerit, qui parentes inhonorauerit, morte moriatur: indignus eſt vt vitam viuat, qui erga illos ingratum ſe monſtrat, à quibus vitam accepit: Tanta diſtrictione diuina lex à filiis, parentum exigit honorationem. [e] Vos verò propter veſtram auaritiam, ad emungendam à populo pecuniam, eámque conuertendam in lucrum veſtrum, quæ à filiis foret expendenda in ſuſtentatione parentum, ſubtili & callida adinuentione peruerſam doctrinam confinxiſtis vobis, qua homines docetis præcepto huic diuino contrauenire. Sic enim docetis homines: [f] Quicunque filius patri vel matri, ſuo ſubſidio indigenti, dixerit: [g] Pater aut mater, quicquid ego in templo Deo obtulero, quodcunque munus à me Deo oblatum fuerit, id tibi quoque proderit non ſecus ac mihi: quare præſtat, vt hoc quod eram in tuam neceſsitatem expenſurus, offeram templo, vt ſic & mihi & tibi inde commodum proueniat. [h] Vos (inquam) dicitis, quòd quiſquis ita parentibus reſpondeat ſubſidium à filiis poſtulantibus, & reipſa nullum eis honorem ſubuentionis atque ſubſidij præſtet, rectè faciat, & parentibus ſatisfaciat verbis eiuſmodi, etiamſi re illis non ſubueniat: & hac doctrina peſsima impeditis, ne quicquā amplius quàm hæc bona verba dent filij indigis paren

a Quare & vos tranſgredimini, mādatum Dei propter traditionem veſtram?

b Nā Deus dixit:

c Honora patrem & matrem: Deu. 5.

d qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

e Vos autem dicitis:

f Quicunqae dixerit patri vel matri:

g Munus quodcunq; eſt ex me, tibi proderit,

h & non honorificabit patrem ſuum aut matrem ſuam.

parētibus,nec finitis filios vero honore afficere ſuos parenteſ:qui non in verbis blandis tantum, neque in exterioribus reuerētiæ ſignis eſt ſitus,ſed maximè etiã in neceſſariorũ ſubminiſtratione. [a] Atq; ita perverſa hac doctrina ſiue traditione veſtra,feciſtis irritũ mandatum Dei, videlicet dum filios docetis inhonorare parētes,quod eſt diuino præcepto manifeſtiſſimè contrariũ. Prætexitis autem veſtro huic dogmati ſpeciem pietatis,quaſi propter Dei & templi reuerētiam ita agendum doceatis,quum non niſi ex intus latēte auaritia procedat impia & crudelis iſta doctrina, quæ & naturæ aduerſatur, & diuino præcepto. [b] O ficti & ſimulati hypocritę,qui ſub pietatis ſpecie & ſimulata extrinſecus ſanctitate peruerſum cor geritis,qui ſub ouina pelle animũ lupinũ tegitis,quàm graphicè vos depinxit Propheta Eſaias,quàm expreſſe aptéq; vos ac veſtri ſimiles deſignauit,quum diceret in perſona domini:[c] Populus iſte labiis me honorat,verbis pietatē quandam ſingularem præ ſe fert, ſimiliter & exteriorum operationum atque obſeruationũ ſpecie miram quandam ſanctitatem atque religionem oſtentat:[d] verũ cor ipſum, quod ſuper omnia requiro & intueor,procul abeſt à me, non eſt rectum cor eorum ante me,cor ori non reſpondet,cum intus pleni ſint rapina atque malitia. [e] Inuanum autē & fruſtra colunt me,ore tantum & externis obſeruationibus:non conſequentur retributionē mercedis meæ ex cultu talis oris tantum,aut externarũ operationum,docentes populum non quæ veræ ſunt pietatis,ſed doctrinas tantum & mandata hominum, talia quæ non ſolum diuinis mandatis non ſunt conſona, verũetiam manifeſtè repugnantia:ſic quæ veræ pietatis ſunt omittentes,imò peruertentes, quæ autem ad quæſtũ ipſorum faciunt adinuenientes,effingentes,& auribus hominum inculcantes, propter auaritiam. [f] Hiſq; ita vt digni erant cum authoritate & ſeueritate refutatis (ꝙ feſtucam in aliis vidiſſent, ipſi trabem in ſuo oculo non videntes) turbas ſimplices, & ad pietatis doctrinam ſuſcipiendam paratas ad ſe conuocat,vt ſuper Phariſæorum quæſtione propoſita,

a Et irritum feciſtis mandatum Dei, ꝓpter traditionem veſtram.

b Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Eſaias dicens:

c Populus hic labiis me honorat,

d cor autem eorum longè eſt à me.

e Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.

f Et conuocatis ad ſe turbis, dixit,

ta,quod veritatis eſt illos edoceat.Conuocatis itaque turbis dixit:[a] Quæ dicturus ſum vobis,diligenter attendite,& mentis intelligentia laborate comprehendere.[b] Fieri non poteſt,vt id quod in os intrat,hominem verè coinquinet,aut immundum reddat tali immundicia,quæ coram Deo immundum faciat,quæ ſola vere immundicia cenſenda eſt:[c] ſed ea quæ procedunt ab homine,quæ à corde malo proficiſcuntur aut mala voluntate:ac deinde per os egrediuntur(id quod frequentiſsimũ eſt)hæc verè immundum corã Deo hominem conſtituũt,de cuius corde & ore talia mala proficiſcuntur.Nihil enim hominẽ coram Deo poteſt immundum conſtituere,niſi peccatũ:quod per nullum cibum in hominẽ introducitur,ſed à malę voluntatis radice abintus naſci debet.[d] His dictis,vidẽtes diſcipuli Phariſæos ira efferueſcere,& inuidia rũpi,tametſi mutire non vltra auderent ſemel egregiè traducti,accedunt præceptorem,vt eum commonefaciant eius quod viderant, dicuntq́ue illi.[e] Aduertiſti præceptor, quomodo Phariſæi iſti audito hoc tuo reſponſo,plurimum ſcandalizati fuerint? Noſti quod ægerrimè verbum iſtud à te acceperint,quodque grauem tibi parent ex eo calumniam , quaſi diſcretionem omnem ciborum quam in lege Deus præcepit per Moſem,abſtuleris atq; confuderis?[f] Audiẽs verò pio affectu pro ſe ſolicitos, proq́ue ſuo honore & bono zelantes diſcipulos, ita reſpondit illis: [g] Quicquid à patre meo non proficiſcitur, quicquid à Deo fundatum atque plantatum non eſt,nõ habet ſtabilitatem,ſed radicitus euelletur ac deſtruetur:doctrina iſta peruerſa quæ nõ à patre meo profecta aut plantata eſt,ſed quam ipſi ſibi de corde ſuo confinxerunt,deſtrui atque euelli debet mea prædicatione,& plantatione contrariæ veritatis: quemadmodum econtrario,veritas quæ plantatur à patre meo, non euelletur,ſed permanebit in æternum.[h] Proinde, ſinite illos ſcandalizari vt velint. Non ego illos,ſed ipſi ſe ſcandalizant ſua malitia. Ego ad hoc miſſus ſum, & ad hoc in mundum veni, vt teſtimonium perhibeam veritati,& falſitatem deſtruam. Mei eſt

a Audite et intelligite:

b Non quod intrat in os,coinquinat hominẽ:

c ſed quod procedit ex ore,hoc coinquinat hominem.

d Tunc accedentes diſcipuli eius dixerunt ei:

e Scis quia Phariſæi,audito hoc verbo ſcandalizati ſunt?

f At ille reſpondens,ait:

g Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cæleſtis eradicabitur.

h Sinite illos:

officij, quæ ſunt veritatis ſemper docere, & vitia falſitatesque redarguere. Si illi propter cæcitatem ſuam, ex eo vnde profectum accipere debuerant ſcandalũ ſumere malint, habeant ſibi: non eſt quod mihi indignentur, in ipſis eſt omnis culpa.[a] Cæci ſunt ipſi, malitia & inuidia excæcati, quæ eos non ſinunt quod verum & rectum eſt iudicare, & duces ſunt cæcorũ, magiſtros ſe & doctores fatentur ignorantium Scribarum & Rabbinorum magnificis titulis gaudẽtes, [b] Quòd ſi cæcus vnus cæcum alterum habeat ducem, facilè ſimul ambo in foueam cadunt: non eſt idoneus alteri ducatum præſtare, qui ipſe cæcus fuerit. Sic & iſti in ſemetipſis cæci exiſtentes, dum alios docent ignorantes, & ſe & eos quos docent, in damnationem mittunt. Quamobrem vehementer expedit, ad commonefactionem ſimplicium, & ignorantium populorum inſtructionẽ, durè hos peſtiferos doctores redargui, ne ab eis incauti & nimiũ creduli ſeducantur, ac pro pietate impietatem doceantur.[c] Cum autem in domum veniſſet Saluator, ſeorſum à turba Petrus vnà cum reliquis diſcipulis, nondum plenè intelligentes quod breuibus apud populum dixerat, accedentes ad dominum rogãt, vt exponere eis dignetur ſermonem illum de eſca non coinquinante, qui eis parabolicus intellectuq; difficilior iudicabatur.[d] Ieſus autẽ volens illos reddere ad ſua verba, eorumq; intelligentiam attentiores, ſimulq; ad hoc adducere, vt diſcant ſtudio mentis fixius intendere intelligẽtię ſermonũ ſuorum, obiurgatione illos ferit priuſquam verbum ſuũ ediſſerat, dicens:[e] Adhuc & vos adeò eſtis inintelligentes, vt ne id quidẽ per voſipſos capiatis, quod non multum eſt intellectu difficile, & vnicuiq; mentis aciem diligentius intendenti facilè patere poteſt. [f] Intelligitis ne hoc, quod omne in os extrinſecus ingrediens, non in cor aut ſpiritũ ingrediatur, vbi omnis immundicia vera naſci debet, ſed in ſtomachum & ventrẽ mittitur, ac deinde quod ſuperfluũ fuerit, & ad nutritionẽ corporis delectũ nõ fuerit, in ſeceſſum expellitur? Quod autem in ventrẽ tantũ cadit, & per ſeceſſum emittitur, nõ poteſt hominem immundum redde-

a Cæci ſunt, & duces cæcorum.

b Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.

c Reſpondens autẽ Petrus, dixit ei: Ediſſere nobis parabolã iſtam.

d At ille dixit:

e Adhuc et vos ſine intellectu eſtis.

f Non intelligitis, quia omne quod in os intrat in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur?

reddere.[a] Verùm mala illa quæ de ore procedunt,hęc de corde proficiſcuntur,vbi & gignuntur:& hæc impurum reddunt hominem.A voluntate nãque mala, dum mala deſideria & mala propoſita gignũtur,quæ deinde frequenter per os ebuliunt(quoniam ex abũdantia cordis os loquitur)ita homo coram Deo verè immundus efficitur.[b] A corde nanq;procedunt cogi tationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta,falſateſtimonia,blaſphemię,&maledicẽtię,ſiue in Deum,ſiue in proximum.Omnia hęc à corde procedunt,ipſa quidẽ talium peccatorũ mala propoſita immediate in corde naſcuntur,ipſa verò in exteriorẽ effectum adimpleta opera nihilominus à malis cõce ptionibus malisq; propoſitis,quæ in corde latent,pro cedunt.[c] Et hæc atq; huiuſmodi ſunt,quæ hominem verè immundum faciunt,cuius mũdicia vel immundicia ſecundum eam partem conſiderari debet,quæ præcipua eſt:id eſt,ſecundum cor & ſpiritum,non ſecundum corpus aut carnem,quæ eſt vilior pars homi nis.[d] Manducare autem non lotis manibus, hominẽ non poteſt coinquinare,quum id tantum corporalẽ quandam immundiciam habeat,non ad ſpiritum per tingat:quemadmodũ econtrario,ante cibum ſumen dum manus lauare nequaquam ſanctificat hominẽ. [e] His itaque geſtis,voluit dominus paululum Iudæos ex magna parte incredulos relinquere,atque ad gen tilium partes diuertere, ad vicos ſcilicet & caſtella iuxta Tyrum & Sydonem,ciuitates gentilium,quas inhabitabat Chananæi,qui in terra relicti fuerant à principio,quando occupauerunt filij Iſrael terrã pro miſsionis,quòd eos delere non potuiſſent.Ad hos vo luit Chriſtus, Iudæa relicta, diuertere: non quidem vt illic prædicaret, & palàm miracula æderet, ad eum modum quo fecerat in Iudæa (nondum enim tempus aduenerat)ſed ad pręſignandum id quod pau lò pòſt futurum erat,& ad inſtruendum Apoſtolos, quid aliquando eſſent acturi,quomodo videlicet poſt ipſius reſurrectionem Iudæis reſiſtentibus verbo Euangelij, eoque ſe indignos reddentibus,ad gentes eſſent tranſituri,corde deuoto ipſum ſuſcepturas.

a Quæ autem procedũt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.

b De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, & blaſphemiæ.

c Hæc ſunt quæ coinquinãt hominem.

d Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.

e Et egreſſus inde Ieſus, ſeceßit in partes Tyri & Sydonis.

a Et ecce mulier a finibus illis egreſſa, clamauit, dicens ei:

[a] In cuius figuram, domino ad partes gentilium declinante:mox Chananæa quædam muliercula,hac iu parte totius poſtmodum Chriſto credituræ gentilitatis typũ gerens,à partibus illis ad quas ipſe declinauerat egreſſa,magna fide ac deuotione ad ipſum acceſſit,quem Iudæi vltro ſe offerentẽ repellebant,dicitq́; ei:

b Miſerere mei fili Dauid:

[b] Miſerere mei potens Meſsias,fili Dauid,quem ego fama virtutum in Iudæa æditarum audita,credo verum eſſe Meſsiam illũ,qui olim Iudęis promiſſus eſt,vt venturus de ſemine Dauid,ad liberationẽ populi ſui:pręſta mihi quam à te poſtulo miſericordiã.

c filia mea male à dæmonio vexatur.

[c] Filia nanque mea grauiter à dęmonio torquetur,& peſsimè ab eo tractatur,cuius miſeriam atq; afflictionem non ſecus ac propriam doleo,ac proinde vt mei miſerearis ſupplex depoſco.Credo enim,ſi velis poſſe te ſanare illã.

d Qui non reſpondit ei verbum.

[d] Ieſus audita mulieris oratione,neque verbum vllum reſpondit,veluti diſsimulãs quod audiſſet,volẽs mulieris gentilis fidem & deuotionẽ, quam in corde contuebatur,exercitare & declarare, per patientiam atque perſeuerãtiam:quo etiam modo non raro cum electis ſuis agit,vt orantium preces, licet ſalutaria poſtulantes,nõ ſtatim tamen exaudiat, ſed velut diſsimulando differat , vt patientiam exerceat electorum ſuorum,& deuotionis accẽdat deſiderium.Creſcunt nanq; dilata deſideria,ſi verè deſideria ſunt.

e Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum,dicentes:

[e] Diſsimulante autem Saluatore,& nihil reſpondente,non ſtatim mulier à propoſito ceſſauit, neque clamare deſiit:ſed in oratione perſeuerans:ipſum proſequuta eſt in itinere,clamorem continuans, ita vt diſcipuli vel miſericordia moti , vel improbis clamoribus mulierculę cõuicti, dominũ quaſi interceſſores accederent,eiq́; dicerent.

f Dimitte eam, quia clamat poſt nos.

[f] Dimitte domine mulierculam iſtam,quoniam clamat poſt nos. Da illi quod poſtulat,& in pace eã abire iubeas.Vides enim quanto affectu,& quanta deuotione nos proſequatur clamoribus,quàm te perſeuerãter & ſeriò roget,idq́; pro filia.Parum eſt vt hoc illi tam ardẽter,tamq́; perſerueranter poſtulanti concedas,qui tã multa paſsim apud Iudæos malè gratos præſtas beneficia. Et ſi fortè non mereatur exaudiri gentilitas,vincat tamẽ improbi

probitas:obtineat cordis deuotio,quod non meretur corporis generatio. Ita ſancti Apoſtoli deuotionem mulieris ſua interceſsione adiuuāt,quomodo & nūc in cælis nihil dubiū eſt illos fieri nobis orantibus interceſſores,& ad impetrandū adiutores. [a] Interpellatus Saluator per Apoſtolos, qui prius nec verbo dignabatur mulierē,verbo iam reſpondet,dicēs: [b] Non ſum miſſus niſi ad perditas oues domus Iſraēl. Non eſt mei officij prædicare,& miracula facere in perſona propria,coram gentibus, ſed tantum coram filiis Iſraēl,quibus(propter electionem patrum & populi, promiſsionesque patribus ac ſemini eorū factas)peculiariter ego miſſus ſum à patre,tanquam eorū miniſter,prædicator,& doctor, ad confirmandas & implendas promiſsiones patrum,& coram his mihi incumbit prædicare Euāgelium,ipſumq; ſignis & prodigiis confirmare.Ad gentes autē poſt meam paſsionem, per Apoſtolos meos ſalus ex ſuperabundanti Dei bonitate diffundetur. Non ergo conuenit,vt in terra hac gentilium ædam miracula. Tacentibus ad hoc verbū Apoſtolis,vtpote non habētibus quod rationabiliter contra obiicerent,illa tamen fide & deuotione plena non ſiluit,non ab oratione ceſſauit: egregiæ perſeuerantiæ nobis exemplum in ſe demonſtrans,quæ primum vultus auerſione,ac deinde acris reſponſi confutatione bis repulſa,perſeuerat nihilominus in orationis propoſito. [c] Creſcente itaque ex repulſa deſiderio & deuotione ſumente incrementum,propius ad Saluatorem acceſsit muliercula:procidensque coram eo in terram,& quantam potuit humilitatem illi demonſtrans,dicebat: [d] Domine, qui omnia potes,adiuua & exaudi me.Non poſſum oratione compoſita mulier ruſtica & barbara coram te multa proloqui,neque opus eſt, neque tu deſideras. Ecce breui verbo cordis mei tibi pando affectū.Domine,adiuua me.Gaudet in mulieris perſeuerantia & humilitate dominus, necdum tamen obtinet illa quod poſtulat,ſed vnicum adhuc ei certamen proponitur, vt in trina probatione oſtendatur fidei & patientiæ perfectio. [e] Rurſum itaque illi Saluator reſpondit

a Ipſe autem reſpondens,ait:

b Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierūt domus Iſraēl.

c At illa venit & adorauit eū, dicens:

d Domine adiuua me.

e Qui reſpondens,ait:

a Non eſt bonũ ſumere panem filiorũ, & mittere canibus.

ſpondit: [a] Non eſt decens, neq; honeſtum, vt panem accipiens filiorum, dem illum canibus. Nõ eſt decẽs, vt ego doctrinam Euangelicam, & miraculorum virtutem, quibus miſſus ſum paſcere populũ Iſraël (qui ſunt ſpecialiter filij promiſsionis, & filij patris mei, ratione cultus Dei, & electionis patrum) ſubtraham filiis, & ea vobis exhibeam gentilibus, qui ratione infidelitatis & erroris veſtri, quaſi canes ante Deũ, comparatione ad illum electorum populũ cenſemini. Videris ergo (ô mulier) poſtulare quod eſt rationi, honeſtati, & æquitati contrarium.

b At illa dixit:

[b] Iterum ſilentibus diſcipulis, illa ſuam cauſam bene fidenter proſequitur: & occaſione accepta ex ipſis domini verbis, quibus videbatur confutanda, ſuam inde partem per humilitatem fouet & perficit, vnde mens ſuperba graue accepiſſet ſcandalum. Audiens nanque Iſraëlitas filios, ſe verò ac ſuum genus canes nominari, audiens illis panem deberi, ſibi non deberi, tam odioſa comparatione nõ eſt exacerbata mulier, quãquam alioqui ex ſexus conditione nimiũ irritari facilis: quinimo in humilitate & manſuetudine perſiſtens, & domini quidẽ verbum nõ impugnans, ſed confirmans, ſuum nihilo minus propoſitum proſequitur, dicens: [c] Bene dicis domine, & quod dicis verum eſt, non eſſe bonum, panem filiis ſubtrahi, ac mitti canibus. Non tamen ex hoc conſequitur, denegandum eſſe mihi quod poſtulo.

c Etiam domine,

d Nam & catelli edũt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.

[d] Tametſi enim non debeat canibus proiici panis ille menſæ appoſitus, quo ſaturandi ſunt filij ad menſam diſcumbentes: attamen nemo incongruum iudicat, vt catelli qui ſub menſà infernè iacent ad pedes filiorũ, de micis illis comedant, quæ de menſa accumbẽtium filiorum, atque dominorum deciderint. Sic neque indecens erit, poſteaquam filios Iſraël tam copioſè cibaſti, ſi nos canes vel miculam vnã accipiamus: id eſt, ſi in me gentilẽ mulierculam vel vnum aliquod beneficiolum conferas. Hic non vltra ſe potuit continere diuina benignitas: quæ licet iam ab initio orationis, deſideriũ pauperculæ exaudire diſpoſuiſſet, & præparationẽ cordis eius audiiſſet, prouidè tamen exauditionẽ diſtulit, donec mulieris huius fide,

deuo-

deuotio,& patientia,ad plenũ probata eſſet, in cõfuſionem increduli & ingrati populi Iudæorũ,& inſtructioné omnium credentiũ. [a] Reſpondens itaq; dominus mulieri egregiæ iam probatæ,ait: O mulier,magnã oſtendis fidẽ,deuotionem,& patientiã: magnam fiduci. præ te fers,ex qua tam perſeuerãs,tam humilis,tam ardens in oratione tua apparuiſti. [b] Meretur hæc tua tam inſignis fidei deuotio, vt licet nondũ tẽpus aduenerit palàm ædendi in gentibus diuinæ virtutis prodigia,ſpeciali tamen priuilegio tibi cõcedatur quod poſtulas. Volo, ego tuam filiam à dæmonio eſſe liberam:& hoc ipſo meo verbo dæmoni impero, vt tuã filiam quantotius egrediatur,nec vltra in eam introeat. Tu vade in pace:habes,licet diu dilatũ,tandem tamen impetratum quod poſtulas. [c] Statímque ad verbum domini, egreſſum eſt dæmonium à filia, atque ab illa hora perfectè curata eſt,ita vt nunquam vltra ad eam vexandam redierit, matris fide perfectã hanc filiæ impetrante ſanitatem. [d] Profectus autem inde,quoniam multa ibi miracula facere aut Euangelium prædicare nolebat, venit ad mare Galilææ, ſiue mare Tyberiadis, quod & ſtagnum Geneſareth. Aſcendénſque in montem, cauſa ſolitudinis & orationis,ibi quieuit. [e] Eóque ab oratione egreſſo,acceſſerunt ad eum turbæ multæ,ex omnibus circunquaque iacentibus locis, habentes ſecum mutos,cæcos,claudos, [f] & debiles, id eſt, manu altera impotentes, & alios multos variis infirmitatum atq; languorum generibus comprehenſos. [g] Quos omnes domino obtulerunt curandos ante pedes ipſius ponentes atque proiiciẽtes eos cum magna fiducia, tanquam obtrudentes medico curandos ægrotos. [h] Ipſe verò iniuriæ immemor,ſibi paulò antè à Phariſæis illatę oblatos ſibi ægrotos,quantumlibet grauibus, & humano iudicio inſanabilibus morbis detentos potẽter ſanauit: ita vt in aperta virtute tantorum prodigiorũ admirarentur ſimplices turbę,dum viderent paulò antè mutos iam rectè loquentes, [i] paulò antè claudos rectè incedentes, paulò antè cæcos iam probè videntes,item & manus alterius vſu priuatos vtraq; manu

a Tunc reſpondens Ieſus,ait illi:O mulier magna eſt fides tua:

b fiat tibi ſicut vis,

c Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.

d Et cũ trãſiſſet inde Ieſus, venit ſecus mare Galilææ. Et aſcendens in mõtem,ſedebat ibi.

e Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ habentes ſecum mutos, cæcos, claudos,

f debiles, & alios multos,

g & proiecerunt eos ad pedes eius:

h & curauit eos, ita vt turbæ mirarentur

i videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes.

rectè vtentes, dæmoniacos curatos, ſanatos paralyticos, atq; ita in reliquis, tanquam ſi nunquam vlli fuiſſent morbo ſubiecti perfecte ſanatos, ita vt nec vllæ remanerent morbi reliquiæ.

a Et magnificabant Deum Iſraël.

[a] Dederúntque turbæ, his conſpectis, gloriam Deo cæli, cuius ſolenne erat nomen Deus Iſraël, à quo omnē illam credebāt proficiſci virtutem, quam in ſignis iſtis conſpiciebant, & à quo miſſum credebāt ſuum Meſsiam, hunc qui tam potenter verbo operabatur, quæ ſecundū naturæ virtutem prorſus erant impoſsibilia.

b Ieſus autem conuocatis diſcipulis ſuis, dixit:

[b] Cum autem turbæ iſtæ per multum iam tēpus cum eo fuiſſent in loco deſerto demoratę, ſciens Ieſus illorum egeſtatem, volénſque diuino illos miraculo paſcere, conuocatis ad ſe diſcipulis, quorum miniſterio populū volebat paſcere, dicit illis:

c Miſereor turbæ: quia triduo iam perſeuerāt mecum, & non habēt quod mäducent.

[c] Miſeret me turbarum iſtarum, quæ tanto ſtudio & affectu mihi indiuulſè adhærent, iamque triduum totum in magna patientia mecum in loco iſto deſerto & horrido commorati ſunt, & iam cibaria illorum cōſumpta ſunt, nec habent quod comedant.

d Et dimittere eos ieiunos nolo ne deficiant in via.

[d] Nolo autem famelicos à me dimittere, ne fortè ſi ieiuni minimeque cibo refecti abſcedant, in via eos contingat deſtitui viribus, præ cibi defectu ſimul & labore itineris, antequam domū perueniant, aut diuerſoria inueniant, vbi cibum ſibi comparent. His verbis compaſsionem & miſerationem ſuam erga eos, qui propter Euangeliū paterentur neceſsitatem, teſtabatur dominus, maximè erga eos qui perſeuerantes eſſent, nec ſtatim aduemente tentatione ab Euangelio diſcederent.

e Et dicunt ei diſcipuli:

[e] Diſcipuli autem verbis domini auditis, facilè conicientes ex animo ipſius eſſe, de ſuo cibo turbas paſcere, poſteaquam teſtatus eſſet & illos non habere eſcas, & ſe nolle eos famelicos dimittere, ignorantes quomodo ſine miraculo id poſſet fieri, dicunt illi:

f Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, vt ſaturemus turbā tantam?

[f] Videris tu quidem tuis hiſce verbis hoc exigere, vt de noſtris eſcis turbam paſcamus. Vnde verò nobis tantum panum hîc in deſerto inuenire aut comparare poterimus, vt turbam hanc tantā reficiamus? Quomodo ergo naturæ via id fieri poſsit quod verbis indicas, non videmus:

g Et ait illis Ieſus:

[g] Quo vero clarius fieret ad patris gloriā quod parabat oſtēdere miracu

raculum,hoc diſcipulorum audito reſponſo, interro-
gabat eos dominus. [a] Quot habetis panes? Illi reſpõ-
dent:Panes ſeptẽ habemus,& obſonij paululum,nem
pe piſciculos paucos, vt ſpes nulla ſit via naturali,vni
cuiq; ex turba hac tanta vel micam vnã pro refectio-
ne porrigẽdi,cũ ſit victus iſte ſiue cõmeatus noſter ni
miũ tenuis ac perexiguus. [b] Ille ad miraculum ſe pa-
rans,diſcipulis iubet,vt turbã faciãt ſuper terram diſ-
cumbere. [c] Turbiſque diſpoſitis,accipiens dominus
& ante ſe conſtituens,partimq; manibus tenens ſeptẽ
panes illos,& paucos piſciculos, [d] primũ Deo patri
ſuo gratias egit,laudans illum & benedicẽs, de cuius
munere præſentes illi panes & piſces pauci proceſſe-
rant & de cuius liberalitate totus ille cibus quo erat
omnis illa turba paſcenda, expectabatur:erudiẽs nos
hac ſua gratiarũ actiõe, debere nos Deo gratias age-
re de omnibus donis,præteritis,præſentibus,atq; fu-
turis, nec cibũ vnquam ſumere, niſi benedictione &
gratiarũ actione præmiſsis,quę cibus omnis ſanctifi-
catur. [e] Poſt autẽ gratiarum actionẽ, cœpit frangere
panes illos atq; piſciculos,ac diſcipulis ſuis partes di-
ſtribuere: [f] qui deinde quę à domino accipiebant,ad
populũ diſcumbentem in ſuis ordinibus deferebant:
ſicque in manibus frangentis,panes illi & piſces ſunt
multiplicati,vt neq; de manibus domini frangentis,
neq; de manibus diſcipulorũ deferentiũ cibus defice-
ret,donec turba illa vniuerſa probè refecta eſſet atq;
ſatiata. [g] Comederũtq; de paucis illis panibus &
piſcibus omnes qui aderant,viri ac mulieres & pueri
& vniuerſi ſaturati ſunt ad omnẽ ſufficientiam. [h] Ne
que tantũ ſunt ſaturati, quin & reliquiæ ſuperfuerũt
copioſæ,quæ collectæ impleuerunt ſportas ſeptẽ: lon
ge videlicet amplius ſuperfuit,poſt omnes probè ſa-
turatos,quàm ante fuerat,quũ adhuc omnes eſſent fa
melici. [i] Numerus autem eorum qui manducauerãt
erat,quatuor millia virorum,extra numerum hũc po
ſitis mulieribus & paruulis minoris ætatis: quorum
haud dubiè præter illa quatuor millia, non modicus
erat numerus. Tam pulchro & euidenti miraculo
ſimplices turbas ſecum in labore perſeuerãtes voluit

a Quot panes habetis? Ai illi dixerunt: ſeptẽ: & paucos piſciculos.

b Et præcepit turbæ,vt diſcũberent ſuper terram.

c Et accipiens ſeptem panes,

d & piſces,& gratias agens,

e fregit, & dedit diſcipulis ſuis,

f & diſcipuli dederũt populo.

g Et comederũt omnes,& ſaturati ſunt.

h Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.

i Erant autem qui mãducauerunt, quatuor millia hominũ, extra paruulos & mulieres.

paſcere Chriſtus, qui non poteſt non miſereri ſibi fideliter & perſeueranter adhærentibus. Quos licet interdum in egeſtatem venire permittat, differens ſubinde in longum miſerationis effectum, opportunè tamen ſemper adeſt antequam deficiant, qui ipſum ſuſtinent, neque eos neceſſariæ ſua ope deſtituit. Neq; tamen ſufficit, horam vnam cum Chriſto agere, ſed triduum totum requiritur, antequam diuinæ ſe miſerationis prodat effectus: ad deſignandũ ſolidam ſtabilémq; & benè probatam perſeuerantiam requiri in iis qui diuinis affici ſperent beneficiis.

a Et dimiſſa turba, aſcendit in nauiculam, et venit in fines Magedan.

a Hoc autem tam egregio támque ſpectabili coram turbis oſtenſo miraculo, ſtatim à ſe Chriſtus turbas dimiſit, iuſsítq; abſcedere, ac reuerti in propria. Ipſe verò conſcenſa nauicula, illis dimiſsis, venit ad fines Magedan: formam dans nobis veræ humilitatis, vt hominum gloriam fugiamus, & eorum qui nos laudant præſentiam non ſolùm non requiramus, vt inanis gloriæ cupidi, verumetiam fugiamus, tanquam de perdendo boni operis merito pauidi. Huius nanq; exemplum nobis euidens dominus oſtẽdit, dum turbas illas, coram quibus tam glorioſum ſignum ædiderat, quantotius fugit, verius quàm reliquit.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

T*Vnc acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ.*) Quantum ad vim Latini ſermonis, particula illa, ab Hieroſolymis, iungi poteſt indifferenter, vel cum verbo acceſſerunt, vt ſit ſenſus: Scribæ acceſſerunt, ab Hieroſolymis, vel cum nomine, Scribæ, vt ſit ſenſus: Acceſſerunt ad Chriſtum Scribæ ab Hieroſolymis: id eſt, Scribæ Hieroſolymitani: quemadmodum dicimus Chriſtum à Nazareth: id eſt Nazarenum. Huic poſteriori coniunctioni fauet in Græco articulus præmiſſus, hoc modo, οἱ ἀπὸ ἱεροσολύμων γραμματεῖς: hoc eſt, ipſi ab Hieroſolymis Scribæ. In Marco tamen manifeſtè tam Græci quàm Latini codices habent iuxta priorem connexionem: *Venientes ab Hieroſolymis.* Sententia autem in idem penè recidit. ¶ *Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit.*) Oratio iſta defectiua eſt, videtúrque ſubaudiendũ, benefacit, aut parentibus ſatisfacit, vel aliquid huiuſmodi, in hũc ſenſum: Quicũq; dixerit patri vel matri, munus quodcũq; eſt ex me, tibi proderit, & nõ honorificabit,

(re

(re ſcilicet ipſa ſubueniendo)patrē vel matrem benefacit,aut parentibus ſatisfacit,aut Deo rē gratam facit.Quod autem Latinè habemus,*Munus quodcunque eſt ex me,tibi proderit*,id Græcè ſic legitur, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ,ὠφεληθῇς,hoc eſt,donū quodcunq; eſt ex me,in tuam cedet vtilitatē,vel tu eo iuuaberis,vel tibi proderit,tibi vtile erit.Poteſt autem iſtud dupliciter accipi.Primò,iuxta expoſitionē ſuprapoſitā in Elucidatione,vt ſit vox filiorum,qua parentibus ſuam neceſſitatē exponentibus reſpondebant, præſtare vt in templo offerretur Deo,ſicq; melius ipſos iuuādos, q̄ ſi in corporis neceſsitates ipſum expendiſſent:atq; ita benignis verbis docebantur filij parentibus ſatisfacere,re autē nihil præſtare.Poteſt & aliter accipi, vt ſecundum amaritudinē aliquam & increpationem proferatur,in hunc ſenſum: Munus quodcunq; ex me venturum erat ad templum vel Deum,tibi prodeſſe debet.Omnis oblatio quam erā oblaturus Deo, tibi debet impendi. Quaſi dicat filius patri,velut indignando vel triſtando,Pater tam eſt petax,tam me exhauris,vt oblationem Deo in templo nō poſsim facere.Si me contigerit aliquid corraſiſſe vnde putē oblationē facere,mox tu ades indigens,& tibi hoc impendere debeo quod Deo decreuerā.Atque ita amaro iſto reſponſo territabāt filij parentes,ne liberè ſuam exponerent egeſtatem. Vterq; exponēdi modus, in eandem reuertitur ſententiam,Scribas videlicet docere filios, ita prætextu pietatis non ſubuenire parentibus.¶*Et irritum feciſtis mandatum Dei.*)Græcè eſt ἠκυρώσατε ikyroſate,quod ſignificat,infirmare, inualidū reddere,deſtruere,& robore atq; vigore priuare, ſiue eneruare atq; euacuare vel abrogare, quomodo lex dicitur abrogari vel infirmari aut priuari vigore.Illius verbi contrariū eſt κυρόω kyroo, quod ſignificat cōfirmo,approbo,vigorē do,corroboro. Apud Marcum ponitur ſupradicti vocabuli participium ἀκυροῦντες akiruntes, quod illic vertitur,reſcindētes.Dicūtur autem Scribæ hac parua doctrina irritū facere,reſcindere,deſtruere,ſuóq; robore priuare mandatum Dei,quatenus hac ſua doctrina cauſam præſtant hominibus ipſum tranſgrediendi,maiorémque ſuæ adinuentioni authoritatem tribuūt,quàm ipſi diuino mādato. ¶ *Sine cauſa autem colunt me.*)Græcè eſt μάτην matin:id eſt,fruſtra vel inuanum,quod rectè dicitur ſine cauſa,modo ipſa finalis intelligatur vt ſignificetur,ipſos non conſequuturos finē illum quem externo & ſimulato ſuo cultu videbantur quærere,quíque illis exterioribus actibus videbatur debitus. ¶ *Cæci ſunt & duces cæcorum.*) Græcè aliquanto venuſtius dicitur: ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν,hoc eſt,ad verbum reddendo:Duces ſunt cæci cæcorū,quod noſter interpres expreſsius vertit:Cæci ſunt & duces cæcorum

rum. ¶ *Seceſſit in partes Tyri & Sydonis.*) Frequens eſt ſcripturis, dicere in partes, quādo loca ſignificantur vicina. Sic capite ſtatim ſequēti dicitur: *In partes Cæſareæ Philippi*, pro quo Marcus expreſsè ponit, *In vicos vel caſtella Cæſareæ Philippi.* ¶ *Filia mea malè à dæmonio vexatur.*) Græcè totū hoc, à dæmonio vexatur, dicitur vnico verbo δαιμονίζεται dæmonizetæ, acſi dicamus, dæmonizatur, hoc eſt, à dæmonio vexatur, vel affligitur vel agitatur. ¶ *Dimitte illam, quia clamat poſt nos.*) Solet plerunque iſtud ſic accipi & exponi, vt propter moleſtationem poſt tergū clamātis mulieris dixerint Apoſtoli, magis quàm ex miſericordia: quod quidem ſonare videtur prima facie ea quam adiungunt cauſa, dicentes, *quia clamat poſt nos.* Verum nihilominus conuenienter accipi poteſt vt ex compaſsionis affectu prolatū, eſtq; id Apoſtolorum honori congruentius, quod & nos in Elucidatione potiſsimum ſequimur. ¶ *Niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël.*) Genitiuus ille, *domus Iſraël*, regitur à toto illo, *oues quæ perierunt.* In Græco enim eſt per participiū, *ad perditas oues domus Iſraël.* ¶ *Etiam domine.*) Non eſt contradicentis, ſed confirmantis & approbantis Chriſti ſententiam, quaſi dicat: Vtique domine, ſic res habet. Ante verò id quod ſequitur, *Nam & catelli &c.* ſubaudiendum videtur tale aliquid, Non tamen indignū eſt præſtari mihi quod poſtulo, quaſi dicat: Hoc quidem verum eſt quod dicis, non debere ſumi panem filiorum &c. attamen ob hoc non ego repellenda venio, *Nam & catelli &c.* quemadmodum in Elucidatione declaratū eſt prolixius. ¶ *Debiles.*) Quomodo claudi dicūtur, quibus in altero pede defectus eſt debiti vſus, ſic debiles dicuntur, qui altera manu deficiunt ad rectum vſum. Sic enim differūt duæ dictiones Græcè χωλός cholos, & κυλλός kyllos, id eſt, claudus & debilis, vt prius ad pedis, poſterius ad manus defectū pertineat. ¶ *Videntes mutos loquētes, claudos ambulātes.*) Græca exemplaria interiiciunt κυλλοὺς ὑγιεῖς, id eſt, debiles ſanos, ac deinde, claudos ambulātes. ¶ *Vnde nobis in deſerto panes tantos?*) Oratio eſt defectū patiens, ſupplendúmque eſt, comparabimus vel acquiremus vel inuenire poterimus. Panes autē tantos cum dicitur, dictio, tantos, non continuam quantitatem, neq; panum magnitudinem ſignificat, ſed quantitatem diſcretam, panúmq; multitudinem. Vnde clarius dici poteſt: Panes tam multos vel tam panū. ¶ *Et paucos piſciculos.*) Nota duplicem diminutionē, ad gloriam miraculi. Nō piſces dicit ſed piſciculos, eóſq; rurſum non multos, ſed paucos. ¶ *Gratias agens, fregit.*) In Græco eſt participium præteriti temporis, quo Latini carent, eſtq; ſenſus: Poſtquā gratias egiſſet, fregit: vt indicetur fractioni præmitti gratiarū actio, nóſque doceamur, antequam Dei dona contrectemus

mus benedictionem & gratiarum actionem præmittere,ne vel contingamus quod non prius fuerit gratiarum actione ſanctificatum. *Inſines Magedan.*) Græca exemplaria pro Magedan , habent *μαγδαλὰ* Magdala.

ELVCIDATIO CAP. XVI.

TVNC acceſſerunt ad Chriſtum quidam de ſecta Phariſæorum & Sadducæorum qui licet inter ſe diſsiderent opinionibus , in Chriſti tamen perſequutione vno animo conueniebant , ſiue potius vna inuidia & pari malitia conſpirabant atque coniurabant.[b] Qui tentantes petebant à Chriſto , vt ſignum aliquod de cælo ipſis oſtenderet.Hactenus(inquiunt)licet multa ſint per te ædita ſigna,in his inferioribus,dũ cæcos feciſti videntes, mutos loquentes, claudos ambulãtes,dęmoniacos liberaſti,paralyticos curaſti,de paucis panibus multa millia ſatiaſti, aliáq; huiuſmodi,omnia tamẽ quę hactenus vidimus ſigna terrena ſunt & hîc aguntur in infimis , propter quod videri poſsint non efficacia teſtimonia.Petimus igitur,vt ſignum aliquod peculiare de cælo oſtendas,adhoc vt credamus tibi,quomodo olim Moſes de cælo fecit manna deſcendere,& Helias ignem.[c]Sciens autem Chriſtus,quòd non animo proficiendi ſed calumniãdi & tentandi id peterent , non eſt dignatus eorũ vanæ curioſitati præſtare quod petierunt, ſed per increpationem reſpondit,dicens:[d] Cum aduenerit veſpera ex inſpectione diſpoſitionis cæli ſiue aëris,prognoſticamini atq; coniicitis,futuram eſſe ſerenitatẽ: quod ita cõiicitis ex rubedine cæli , quoniãm videlicet tanquam igneum & ad modum ignis rubicũdum apparet cælũ,quod ſolet eſſe futuræ ſerenitatis naturale indicium.[e]Rurſum, mane facto , ex triſti rutilatione cæli prognoſticantes quod futurum eſt,dicitis: Hodie non erit aura ſerena,ſed tẽpeſtas erit,quod ex indicio cognoſcitis diſpoſitionis cæli quoniam videlicet cęlum videtur rutilare ſiue rubere, ſed cũ triſtitia & obſcuritate,vnde colligitur nubes eſſe in aëre aquoſas aut denſas,quæ vbi ſoluentur,tẽpeſtatem facient

ET acceſſerunt ad eũ Phariſæi et Sadducæi,

b tentantes:et rogauerunt eum, vt ſignum de cælo oſtenderet eis.

c At ille reſpõdens,ait illis:

d Facto veſpere,dicitis,ſerenũ erit : rubicundũ eſt enim cælum.

e Et manè, hodie tempeſtas: rutilat enim triſte cælum.

ciēt,pluuiā aut ventos,aut alia huiuſmodi,iuxta temporis conditionem & qualitatem nubium. [a] Ita quidē ex indiciis tenuiſsimis,omnino fallibilibus,ac parum admodum certis poteſtis quod nondum eſt ſed adhuc futurum eſt prænoſcere atq; prædicere,antequam veniat:ita quidē faciem cæli:id eſt, diſpoſitionem aëris,noſtis diiudicare,vt ex ea vel ſerenitatem, vel tempeſtatem prænoſſe atque prædicere valeatis. [b] Vos igitur qui ex tam tenuibus indiciis poteſtis cognoſcere,quid ſit futurum in cælo,quomodo ex tam efficaciſsimis & apertiſsimis ſignorum tātorum quæ hactenus mundo palàm oſtendi argumentis, non valetis colligere,quis ſim ego,aut vnde venerim,& qualis ſit tēpus iſtud nouum & inſolitum,quod tantis fulget miraculis & gaudet beneficiis,tempus vtiq; gratię & viſitationis veſtrę,multum à præteritorum ſæculorum diſtans temporibus? Proculdubio abundè ſufficere poterāt vobis & debuerāt quæ iam vidiſtis ſigna,neq; plura opus eſſet requirere,ſi non vos inuidia & ſuperbia veſtra reddidiſſet excęcatos.Et qui hactenus credere recuſaſtis,ne nūc quidem crederetis, etiamſi de cælo ſignum vobis oſtenderem. [c] Quare generationi iſti malæ & adulterinæ(quæ à parentum ſuorum fidelium Patriarcharum fide & pietate plurimum degenerat)ſignū tale quale poſtulat non dabitur,ad ſatisfaciendum vano ipſorum deſiderio: [d] ſed dabitur illi ſuo tempore ſignum vnum efficaciſsimū & validiſsimū quo penitus conuincentur, & cui cum rationis apparentia prorſus nequibunt contradicere, ſignum videlicet reſurrectionis meæ poſt triduum, quæ mea reſurrectio fuit olim præfigurata in Iona Propheta.Sicut enim hic Ionas in vētre ceti fuit trib⁹ diebus, ac poſtea fuit euomitus, ita & ego in ſepulchro terrę quieſcā tribus diebus,ac deinde de ſepulchro viuus reſurgā:quod ſignū omnibus ſignis efficacius, vobis ſuo tēpore oſtēdetur, & ita manifeſtè exhibebitur,vt non niſi mēdacio vobiſipſis notiſsimo illi poſsitis cōtradicere. Attamen etiam in ipſo manebitis increduli vt ante,ſicut & nūc qualis eſtis permanebitis,etiamſi quantumuis magnum de cælo vobis æderem

a Faciem ergo cæli dijudicare noſtis.

b Signa autem temporum non poteſtis?

c Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei,

d niſi ſignum Ionæ Prophetæ.

ſederem miraculum.[a] Atque ita increpatis & confuſis tẽtatoribus iſtis, tãquam indignos relinquens eos, abſceſsit dominus, vt mare trãſiret. [b] Cum autem diſcipuli pariter cũ eo mare tranſnauigaſſent, & in alteram maris partem perueniſſent, aduerterunt ſe per obliuionẽ non accepiſſe ſecum commeatum panum. Feſtinãtes enim ad iuſsionem domini trãſnauigare, aut alia quauis occaſione obueniente, obliti fuerant, antequã nauem intrarent, ſecum panes accipere, pro neceſsitate loci deſerti, eo quòd in loco ad quẽ perrexerant non facilè panes haberi poſſent. [c] Interim verò Saluator monens diſcipulos ſuos, dicebat: [d] Videte diligẽter, & vigilanter cauete vobis à fermento Phariſæorum & Sadducæorum: attendite vobis, ne de illorũ fermento aliquando guſtetis aut manducetis, ne corrumpatur veſtra ſimplicitas: quoniã modicum fermentum totam maſſam corrumpit. [e] Audientes vero diſcipuli, dominum facere mẽtionem fermenti, nõ ſatis intelligentes quid ſibi vellet per hanc monitionẽ, & quid per iſtud fermentum Phariſæorum intelligeret, cogitabant in ſemetipſis, atque adinuicem conferentes, dicebant: [f] Fortè hoc vult præceptor, quòd panes non accepimus, fortè noſtram obliuionẽ carpit atq; negligentiam, quòd antequam huc veniremus neglexerimus panes nobiſcũ ſumere. Fortaſſè nos vult monere, ne cogamur ob defectũ panũ mendicare panẽ ab inimicis Phariſæis, dum dicit: Cauete à fermento Phariſæorum. [g] Cognoſcens autem dominus, diſcipulos verbum illud ſuum non rectè capere, ipſũmq; quod ſpiritualiter erat accipiendum pro ſua ruditate, & ea in qua tũ temporis adhuc agebant imperfectione, corporaliter intelligere, carnalem & craſſam hãc arguẽs intelligentiã, & ad ſpiritualia eos ſubmouere volẽs, per increpationẽ quãdã illos alloquitur, dicens: [h] Quid in vobis cogitatis, & adinuicem ex cogitationibus veſtris diſceptatis atq; muſsitatis, ꝙ panes nõ habetis, quaſi ego de corporali pane loquar, quaſi pro eius obliuione vos notare velim? Quod vos modicæ fidei, tam craſsè mea verba capitis? quare ſic corporaliter, & non potius ſpiritualiter ea intelligitis

a Et relictis illis abijt.

b Et cum veniſſent diſcipuli eius trãs fretum, obliti ſunt panes accipere.

c Qui dixit eis

d Intuemini & cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorũ.

e At illi cogitabant inter ſe dicentes:

f Quia panes non accepimus.

g Sciens autem Ieſus, dixit:

h Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei, quia panes non habetis.

gitis?quáre eſtis pro panibus ſoliciti,& anxij in vobis de panum defectu, quaſi magnũ mihi ſit,vos abſque magno panũ commeatu paſcere?[a] Nónne quæ paulo antè vidiſtis, ſufficere meritò vobis debuerant ad tollendã huiuſmodi auxiam ſolicitudinem? An non intelligitis vim miraculi illius, vel non recordamini quãdo quinque panes diſtribui in quinq; millia hominũ?quãdo ex quinque panibus & duobus piſcibus ſatiaui quinque millia hominum? neq; recordamini, quot cophinos tuliſtis fragmentorum?[b] Iterum, non recordamini miraculi illius,quando ſeptem panes & paucos piſciculos diſtribui in quatuor millia,& quot fragmentis plenas ſportas tuliſtis? Non vſq; adeò diu iſta peracta ſunt, vt iam potueritis eorum obliuiſci cum ſint adhuc recẽtia, vt meritò anxia ſolicitudine torqueri vltra non debeatis pro panibus cum videritis in defectu panum tam copioſè me ſaturaſſe tam immenſum populum.[c] Quomodo non hoc intelligitis,quòd non de pane corporali dixi vobis: Cauete vobis à fermẽto Phariſæorum & Sadducæorum? Ex illis nanque prius geſtis facilè cognoſcere poteratis, me non tam eſſe anxium pro panibus corporalibus, vt de eis vos admonere aut pro eorum neglectu vos increpare voluerim,ſed magis de illorum praua & corrupta doctrina, vt ab illa vobis caueretis.[d] Tunc increpatione & inſtructione iſta eruditi diſcipuli,intellexerũt domini verbum non eſſe dictum de cauendo fermento panum corporalium, neque de panibus corporeis ſed de doctrina Phariſæorũ & Sadducæorum cauenda:quam dominus ipſe fermentum appellabat,ratione corruptionis, eo quòd ſicut fermẽtum modicum totam maſſam corrumpit & acidam facit, ſic doctrina praua & diuinæ legi non conformis, facilè totum hominem inficit atq; corrumpit,omnémque cordis ſynceritatem tollit, totámque maſſam & corpus humanæ conuerſationis vitiat.[e] Venit autem Ieſus in loca propinqua ciuitati illi quam in honorem Tiberij Cæſaris Philippus frater Herodis Cæſaream appellauerat, quæ poſtmodum Paneas dicta fuit.Interrogauítque in via diſcipulos, dicens: Quæ

a Nondũ intelligitis neque recordamini quinque panum & quinque milliũ hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis?

b neque ſeptem panum & quatuor milliũ hominum, et quot ſportas ſumpſiſtis?

c Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis:Cauete à fermento Phariſæorũ & Sadducæorum?

d Tunc intellexerunt, quia nõ dixerit cauendum à fermento panum,ſed à doctrina Phariſæorum et Sadducæorum.

e Venit autem Ieſus in partes Cæſareæ Philippi,et interrogauit diſcipulos ſuos,dicens:

[a] Quæ eſt inter homines fama,quæ opinio, quod iudicium,quæ æſtimatio de me qui ſecundum carnem & temporalem natiuitatẽ vilis ſum homo, natus de homine,hominis filius:quem aut qualem me eſſe dicunt homines? [b] Illi autem familiariter reſpondentes,dixerunt:Varia eſt in populo de te ſententia. Alij nanq; te ſentiunt ac dicunt eſſe Ioannem Baptiſtam. expergefactum ac reſuſcitatum à mortuis:cuius ſententiæ ipſum quoque Herodem eſſe audiuimus, qui auditis tuis miraculis,dixit:Quem ego decollaui Ioãnem,hic ſurrexit à mortuis,& ideo virtutes operãtur in illo. [c] Alij te aiunt Heliam eſſe cuius ante Meſsiã in Prophetis prædicitur aduentus,non exiſtimantes quidem te Meſsiam poſſe videri,propter humilitatẽ nimiam:Heliam tamen non negantes, propter zelũ prædicationis,& fiduciam reprehendendi quoslibet. [d] Alij te aſſerunt Hieremiam eſſe,reſuſcitatũ à mortuis:ꝙ Scribas & ſacerdotes plurimum reprehẽdas,& multa authoritate doceas in populo:quemadmódum Hieremias fidentiſsimè ſacerdotum & pontificũ arguit vitia. [e] Alij te dicunt eſſe vnum aliquem ex Prophetis cæteris,iſte hunc,alius alium,pro ſuo quiſq; iudicio. [f] His auditis vulgi opinionibus tam variis,tam pugnantibus,voluit dominus ſuorum diſcipulorum audire ſententiam,vt pro confeſsione veritatis acciperẽt pręmium,& in vera ſua aſſertione ipſos ſolidaret. [g] Itaq; eos interrogat,dicens:Vos verò,qui ſemp mecũ eſtis,qbus ſecreta regni cæleſtis patefeci,quos ſupra vulgus cæterũ ſpeciali electione honoraui, & peculiari eruditione inſtruxi,quid de me ſentitis,quẽ me eſſe creditis? [h] Statim omnium nomine,tanquam omnium Apoſtolorum os,Petrus reſpondens,abſque hæſitatione veritatis confeſsionem protulit, dicens: [i] Nos credimus & profitemur, te eſſe nõ Heliam,nõ Ioannem,non Hieremiam, non vnum ex Prophetis antiquis,qui omnes tantum ſerui & puri fuerunt homines,ſed Chriſtum filium Dei viui,verũ Meſsiã in lege atque Prophetis promiſſum, verum hominẽ & Deum,filium conſubſtantialem & coæqualẽ Dei patris,qui eſt verus & viuus Deus. [k] Hanc confeſsionẽ appro-

a Quem dicunt homines eſſe filium hominis?
b At illi dixerunt: Alij Ioãnem Baptiſtã,
c alij autem Heliam,
d alij verò Hieremiam,
e aut vnum ex Prophetis.
f Dicit illis Ieſus:
g Vos autem quem me eſſe dicitis?
h Reſpondẽs Simon Petrus,dixit:
i Tu es Chriſtus filius Dei viui.
k Reſpondens autem Ieſus,dixit ei:

approbare ſimul & remunerare volens dominus, Petro confeſsionem iſtam proferenti intulit, dicens: [a] Verè beatus es tu Simon bar-Iona:id eſt,filius Iohanna ſiue Ioannis,aut filius columbæ,nimirum per ſpiritũ ſanctum regeneratus,ac proinde columbæ filius,propter hanc fidei agnitionem & cõfeſsionẽ es & eris beatus, quandoquidem ad æternã te adducet beatitudinem,vt eum quem modo per ſpeculum in ænigmate credis & confiteris,videas olim facie ad faciem.[b] Nõ enim caro & ſanguis tibi iſtud reuelauit, non te purus homo(qui ex carne & ſanguine cõſtat) edocuit,vt hoc agnoſceres,aut cõfitereris, ſed pater meus cæleſtis,ipſe tibi dedit hanc fidei cognitionem & confeſsionem.Nemo enim filiũ nouit,quis ſit,niſi pater,& cui voluerit pater reuelare.[c] Et quoniam tu mihi dixiſti.Tu es Chriſtus filius Dei viui, ego in approbationem ſimul atq; remuneratione huius cõfeſſionis,viciſsim tibi dico & de te teſtificor,ꝙ tu ſis Petrus:id eſt,firmus & ſolidus,rectam ſcilicet & ſolidã fidei confeſsionem tenens.[d] Et ſuper hanc petram,ſuper hanc fidei veritatem quam es confeſſus,& quam protuliſti,dicens:Tu es Chriſtus filius Dei viui,item & ſuper me petram firmiſsimam,quam in prædicto verbo confeſſus es,ego ædificabo atque ſuperſtruam ædificium Eccleſiæ meæ, quam ædificare volo patri meo.Fundamẽtum enim aliud nemo poteſt ponere, niſi quod ego ponam quod ero ego Chriſtus Ieſus:& veritas ipſa fidei atq; confeſsionis de me,erit fundamentum totius ædificij.[e] Et hanc meam Eccleſiam in tanta fundabo ſtabilitate,in tali ponam ſoliditate,vt nullis oppugnationibus hoſtilibus,quantumuis maximis,poſsit expugnari,ita vt nec portę inferi poſsint pręualere aduerſus eam:id eſt nulla diſcrimina,nulla pericula,nullæ perſequutiones, etiam quæ ad mortem videantur proximæ,& quaſi ad portas mortis atque inferni deducere. Nõ item omnes illi exercitus dæmonum qui infernum inhabitant,etiam ſi ſoluantur vniuerſi,& prorumpant ad ſubuertendam Eccleſiam,ſic aduerſus eam poterunt preualere,vt penitus deficiat.Semper enim vſq; ad conſummationẽ ſæculi ſerua-

a Beatus es Simon bar-Iona,

b quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt.

c Et ego dico tibi, quia tu es Petrus,

d & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam.

e Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

ſeruabuntur electi,& permanebũt fideles in Eccleſia mea,quibus ego adero,& quod in ſoliditate fidei mi hi ſeruabo:quos neq; gladius,neq; fames,neq; mors, neque vita,neq; vlla creatura,poſsit ſeparare à fide & charitate in me. [a] Et tibi Petre polliceor,daturum me poſt reſurrectionem meam,quando ſecũdum cor poralem & viſibilem præſentiam abſceſſurus ero,ple nariam commiſsionem authoritatis meæ: conſtituã te qui hanc veritatis confeſsionem protuliſti,cũ ple-nitudine poteſtatis,meum in terris vicarium,daboq; tibi claues regni cælorum,vt aperire & claudere va-leas,per authoritatem tibi commiſſam,quomodo ex pediens fuerit. [b] Et quodcũque tu ex authoritate ti-bi ſic tradita ligaueris ſuper terram, id ratum habe-bitur in cælis, quemcunque tu rectè & debitè tua fungens authoritate ligãdum duxeris in terris,hunc & Deus ligatum habebit in cælis. [c] Et quodcunque ſolueris ſuper terram, Deus id ratum habebit in cæ-lis: quemcunque tu debitè & rectè tua fungens au-thoritate ſolueris à vinculo quo alligatus fuerat,hũc & Deus ſoluet & ſolutum habebit. Quicquid tu ſe-cundum rectum vſum tuæ poteſtatis operaberis in terris,ego in cælis ſedens ad patris dexteram appro-babo ratumque habebo, vtpote à meo vicario & in perſona mea factum. Tanta erit tua authoritas,& eo rum qui in tuum locum ſucceſſuri ſunt vſque ad con ſummationem ſeculi.Omnino enim ad conſumma-tionem vſq; ſeculi perdurare debet in tuis ſucceſſori bus tradenda tibi poteſtas,quomodo in conſumma-tionem vſque non deficiet Eccleſia.[d] Tunc præcepit Chriſtus ſuis diſcipulis,ne cuiquã id palàm diceret, neque hoc in vulgus efferrent, quòd ipſe eſſet Meſ-ſias ille verus Dei filius:quoniam nondum erat tem-pus quo iſtud hominibus prędicari expediebat.Quia enim indigna adhuc paſſurus erat,& mortem laturus probroſam, expediebat vtique, donec id peractum eſſet,tacere Chriſti diuinitatem,ne ſcandalum in eo paterentur homines,cum eum viderent poſt paſsio-nem in cruce morientem.Ita enim ferè apud vulgus ſolet euenire,cũ de eo homines ſemel cõtigerit ſcan

a Et tibi dabo claues regni cælorum.

b Et quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.

c & quodcunq; ſolueris ſuper terram,erit ſolutũ & in cælis.

d Tunc præcepit diſcipulis ſuis,vt nemini dicerent,quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus.

dalizari qui prius in ſumma ęſtimatiõe fuit habitus, vt difficiliimè ad priſtinam de illo recuperandam opinioné redire poſsint. Atque ita periculum erat rudibus, ſi poſt acceptam diuinitatis Chriſti cognitionem, ipſum nihilominus vidiſſent morte probroſiſsima finiri. Scãdalum enim fuiſſent paſsi, vt poſtmodũ Apoſtolis prædicantibus Chriſti diuinitatem, nõ crederent. Vnde expediebat differri hanc prædicationé, vſque poſt cõſummata omnia humilia, & glorioſam reſurrectionem atque aſcenſionem peractas, quando maiore cũ fructu fieri id poterat.[a] Ex eo autem tempore cœpit Ieſus diſcipulis ſuis quæ de ipſo futura erant, prædicere, quomodo videlicet ex patris voluntate & iuxta Prophetarũ vaticinia ipſum oporteret aſcendere Hieroſolymam deſtinatum ſuæ paſsionis locum, atq; illic multa grauia atque probroſa ferre à ſenioribus populi, & Scribis, ac principibus ſacerdotum.[b] Poſt paſsiones quoq; & illuſiones tandé morte ignominioſa vitam finire:[c] ac nouiſsimè tertia poſt mortem die ex mortuis ad vitam immortalem reſurgere. Sup his voluit dominus pręmonere diſcipulos, vt cum hora veniret, qua implenda hæc erant, ſibi cauerent à ſcandalo. Minus enim mouent quæ cognouimus præmoniti, quàm ea quæ ſubitò eueniunt nihil tale expectantibus. Item vt cognoſcerent diſcipuli, nõ ipſum ex coactione paſsioné & morté ſuſcepturum, ſed libenti animo & voluntariè, ex amore paternæ voluntatis & ſalutis noſtrę: quoniã videlicet illorum omnium præſcius, non fugit, ſed magis acceptauit ea promptiſsimo animo: attamé nõ ſolas prædixit paſsiones, ne infirmi prorſus deiicerentur animo: ſed poſt paſsionis humilitaté ſubſequenter adiunxit reſurrectionis gloriam, ad conſolandos & ſuſtinẽdos ipſorũ animos, vt qui ex prioribus paſsionibus tã dilecti præceptoris & domini non poterant nõ conturbari, ex ſubſequenti gloria viciſsim conſolationé acciperent.[d] At verò Petrus plus cęteris feruẽs & fidẽs, audito verbo domini de paſsionibus & morte, rem indignam iudicans, Dei filium pati & mori, pio quodam affectu & zelo, quamuis non ſecundũ ſcientiam, commo-

a Exinde cœpit Ieſus oſtẽdere diſcipulis ſuis quia oporteret eũ ire Hieroſolymam, & multa pati a ſenioribus & Scribis & principibus ſacerdotum,

b & occidi:

c & tertia die reſurgere.

d Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens:

commotus, accedens præceptorem, cœpit illum fami liariter velut increpare, quomodo ſolent amici ſubin de ſe inuicem reprehẽdere, maximè vbi quis ſibiipſi nimium ſeuera propoſuerit.[a] Ait itaque Petrus, Propitius eſto tibi domine. Nequaquam domine ita fiat, vt tu dicis: Omnino res indigna videtur, te altiſsimũ Dei filium grauia pati, ac mortẽ ſubire probroſam: Tam non conueniens, tam indecens hoc videtur, vt etiam ſi tu ad id, præ nimia humilitate & charitate, promptũ te exhibeas, nos tamẽ minimè deceat ſuſtinere. Nihil enim tibi iſtiuſmodi opus eſt, ad noſtrã ſalutem operandã, qui vt Dei filius, ſolo verbo potes omnia.[b] Ad hanc vocem prolatam nõ ſecundũ Dei vnctionem, vt illa ſuperior erat reſponſio, ſed ex carne & ſanguine: id eſt, humani ingenij vano iudicio, conuerſus Chriſtus ad Petrũ, eumq; vultu ſeuero & toruo intuens, quomodo ſolet præceptor irrationabilia loquentẽ intueri diſcipulũ, magna cum authoritate reſpondit Petro.[c] Quid tu mihi tua ſtulta conſilia diuino decreto niteris præponere? Ceſſa huiuſmodi proloqui vanos ac temerarios ſermones, diuinæ diſpoſitioni deſine aduerſari: ſed mihi potius obediens, meiſq; verbis fidem habẽs, me ſequere: vt permaneas iuxta nomen tuum Simon: id eſt, obediens, non iuxta nomen alienum fias Satanas: id eſt, aduerſarius. Non eſt ſerui antecedere dominũ, ſed domini voluntatem ſequi debet ſeruus. Non debet diſcipuli conſilium ſequi præceptor, ſed poſt præceptoris conſilium abire debet diſcipulus.[d] Hoc enim tuo conſilio ſcandalum es mihi, impedimẽtum mihi præſtare conaris ab impletione paternæ voluntatis & ſalutis humanæ.[e] Idque ob hoc, quoniam in ea parte non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum: non hoc tuum conſilium à patre procedit, ſed à carne & ſanguine, ex humani ingenij iudicio. Propter qđ, licet prius te laudauerim, in eo quod tibi non caro & ſanguis reuelauit, ſed pater cæleſtis, hic tamen non laudo, in eo quod non pater ſed caro & ſanguis reuelauit. Et licet illic Simonẽ Ionæ te appellauerim, hic certè Satanas potius mihi venis appellandus.[f] Tunc Ieſus ad refellendum efficacia

a Abſit à te domine, non erit tibi hoc.

b Qui conuerſus, dixit Petro.

c Vade poſt me, Satana.

d Scandalum es mihi:

e quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.

f Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis,

cacia maiori illă affectus molliciem, à qua Petri prodire videbatur dehortatio, ex occaſione horũ verborum Petri, talem protulit ſermonem, quo prorſus omnem affectus mollicië auferret, & ad viriliter quęuis etiam grauiſsima agenda atque feréda diſcipulos inſtrueret, dicens: [a] Non ego ſolum grauia & crudelia in memetipſo laturus ſum ſupplicia, verumetiam ab omnibus qui poſt me venire velint, & mei diſcipuli fideles cenſeri, hoc exigo, vt ſemetipſos abnegent, vt nõ ſe per affectus molliciem nimium diligant, nõ ſibi inordinatè afficiantur, verũ ſe à ſeipſis quodãmodo alienent, quantum ad corpus attinet, & eius deſideria: ſic videlicet vt non ſeipſos mihi meæque doctrinę prȩponãt, ſed ꝑ meo nomine ac mea doctrina ſint parati etiã ſemetipſos & propriãm vitam perdere: [b] vtq; ſic abnegantes ſemetipſos, crucem ſuam accipiant in humeros: id eſt, animo ſint parato pro me ac mea doctrina etiã mortẽ ꝓbroſiſsimã ſimul & crudeliſsimũ ſupplicium (cuiuſmodi eſt ſupplicium crucis) ſuſcipere & perferre: atque ita me ſequantur, fideliter & perſeueranter in omnibus mihi adhærentes. Qui enim nondum abnegauerunt ſeipſos, vt malint me aut meam doctrinam deſerere, quàm ſuam vitã temporalem, aut quodlibet aliud vita temporali inferius perdere, quique ad crucem & omnia grauia ferẽda non ſunt parati potiuſquam me deſerant, hos ego non cenſeo dignos qui mei dicantur ſectatores & diſcipuli. [c] Qui enim animam ſuam in hoc mundo voluerit ſaluam facere, in futuro perdet eam. Qui vitã ſuam temporalem tanti æſtimat, vt non ſit paratus pro meo amore & propter doctrinam meam tam in ore quàm in vita profitendam, illam expendere atq; poſtponere, & (vt ita dicamus) perdere, hic nimiũ inordinate ſuam animam, quantum ad vitam temporalem, diligendo, cauſa eſt damnationis eius, & ad perditionem æternam adducet illa. [d] Qui autem ſic abnegat ſemetipſum, vt propter me ac meam doctrinã paratus ſit etiã animã ſuam perdere: id eſt, vitam temporalẽ expendere & amittere, & quæcũq; vita tẽporali ſunt inferiora, hic animã ſuã in vitam æterna cuſtodiet:

a Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum,

b & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

c Qui enim voluerit animam ſuam ſaluã facere, perdet eã.

d Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.

ſtodiet: fideli hac adhæſione, qua per charitatẽ mihi adhęſit ſuper omnia, promeretur huiuſmodi perditionẽ effugere, & vitã ſuſcipere ęternã. Sic itaq; oportet eum qui me ſequi & animam ſuam ſaluã facere voluerit, abnegare ſeipſum, vt pro meo amore ſit paratus omnia quantũuis chara, ipſam quoq; temporalem vitã (qua nihil rerũ temporaliũ eſt pretioſius) relinquere & omnia quaſi ſtercora reputare, vt me ſibi lucrifaciat: item & ad perferenda quęlibet, quantũuis terribilia, ipſam etiã mortem temporalem (qua nihil eſt inter temporalia terribilius) eſſe paratũ. [a] Ecquid vtilitatis veræ habere poterit homo, etiamſi vniuerſum mundũ lucretur, ſi non ſolũ animam ſuã ad tempus ſeruet, ſed pariter vniuerſa etiam mundi bona lucretur atq; poſsideat vnus: quid (inquam) veræ vtilitatis atq; profectus hinc poterit habere homo, ſi animã ſuam perdat, eámq; faciat æternæ perditioni obnoxiam, ſi ipſa poſt momẽtaneas vitæ præſentis delicias mox tradenda ſit æternis cruciatibus? [b] Aut quid poterit homo dare in pretium redẽptionis animæ ſuæ, cuius commutatione poſsit ſuam animam, vbi ſemel in perditionem tradita fuerit, à morte redimere? Omnino nihil. [c] Filius enim hominis in nouiſsimo magni iudicij die venturus eſt in magnifica gloria patris ſui, in qua manifeſtè videbitur vt filius patris, poteſtatem habens iudicium facere, vnà cum angelis ſuis miniſtris & exequutoribus futurę reſurrectionis atque iudicij: [d] & tunc reddet vnicuique iuſto iudicio mercedem, ſecundum opera, iis qui bona egerũt vitam æternam, iis qui mala, ignem æternũ. Tunc iudicabitur de ſingulis ſecundum opera ſua, neq; reperiri tum quicquam poterit quo ſperare poſsit homo redimere animam ſuam. Primũ enim, nihil in mundo, imò neq; mundus totus tanti eſt valoris, vt poſsit cum vnius animæ compenſari pretio: propter quod, non poteſt eſſe ſufficiẽs ad redimendũ animam. Neq; item in illa die, quando tradetur in perditionem anima, ſuſcipiet iudex vllam omnino redemptionẽ: quoniam miſerendi tempus amodo nõ erit, ſed hora iuſtitiæ, quando tantũ de operibus agetur quæſtio. In-

a Quid enim prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?

b Aut quã dabit homo commutationẽ pro anima ſua?

c Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſui, cũ angelis ſuis,

d & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius.

ſuper neque iudex ipſe qui glorioſus aduenieт, indigebit aut oblectabitur muneribus. Denique nec iudicandi ſecum illuc allaturi ſunt quicquam eorum quæ in hoc mundo poſsiderunt, ne minimum quidem obulum, quo ſe poſsint redimere: ſed tantum opera eorum ſequentur illos, & ea tantum ſecum ferẽt quæ ſiue bona ſiue mala geſſerunt in corpore, vt omninò nulla ex parte ſperare poſsit homo dare ꝓ anima commutationem, ſi eam ſemel tunc perdiderit: ſed perditam ſemel neceſſe erit imperpetuum permanere perditam, nec recuperandi ſpes vlla vnquam eſſe poterit reliqua. [a] Et ne forte vobis per arrogantiam vanè id dictum videatur, de aduẽtu illo glorioſo filij hominis ad iudiciũ, in veritate dico vobis, quoſdam ex iis qui hîc mecum aſsiſtunt, antequam mortem corporalem videant, guſtent, aut ſentiant, viſuros filium hominis venientem & monſtrantem ſeſe in gloria regni ſui: ante non multos dies videbunt filium hominis in ea gloria & claritate refulgentem, noua corporis huius transfiguratione, in monte ſancto, in quali gloria tum in oculis omnium veniet ad iudicium: in qua quidem transfiguratione, quædam ſimilitudo monſtrabitur, & teſtimonium exhibebitur illius gloriæ in qua poſterius ad iudicium cũ angelis ſuis adueniet. Ex ea nanque gloria in corpore adhuc corruptibili & adhuc paſſuro, ac in terra ſepeliendo, oſtenſa, coniici poterit, in quanta erit gloria ille aduentus poſterior, in corpore poſt reſurrectionẽ iam penitus glorificato, à patris dextera omni gloria pleniſsima deſcendente: & comprobabunt hi quos ad huius viſionis conſpectum dignabor admittere, non vanum eſſe quod de poſterioris aduentus gloria dixi, ex iis quæ iam ante viderint exhibita.

Apoc. 14.

a Amen dico vobis, ſunt quidam de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientẽ in regno ſuo.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

R*Vbicundum eſt enim cælum.* Et paulò pòſt, *Rutilat enim triſte cælũ.*) In Græco vtrobique eſt verbum πυῤῥάζει pyrrhaſi, quod ab igne eſt verbum deſcendens, videtúrq; valere, ad modum ignis rubicũdum eſt vel rutilat, aut ignis ſpeciem præfert. ¶*Generatio mala & adultera.*) Adultera generatio poteſt intelligi dupliciter. Primò quia

gene

generatio recedens à Deo,legitimo marito,quemadmodum in cantico Moſi dicitur:*Haccine reddis domino Deo tuo,popule ſtulte & inſipiens?* Deut.
Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es domini creatòris tui. Quomo- 32.
do enim adultera mulier dicitur, quæ virum legitimũ cui ſemel eſt deſponſata deſerit,ſic generatio iſta rectè dicitur adultera, quæ Deũ maritum legitimum cui adhærere deberet,& cui olim in legis ſuſceptione deſponſata fuit,derelinquit. Altero modo dicitur generatio adultera:id eſt,filij adulterini,filij nothi,paternę probitatis haudquaqua imitatores,& à paternis moribus degeneres. Atq; ita cōparatio debet fieri ad probos patres,nēpe priſcos illos Patriarchas, Abrahā, Iſaac,& Iacob:& q horũ fuêre imitatores: Samuël,Dauid, Ezechias. Eſaias,& horũ plærique conſimiles. Horũ enim cōparatione dicuntur adulterina generatio,& nothi filij, cum reſpectu aliorũ(quorum
ſunt in malitia imitatores)nō adulterini hoc modo dicatur filij.Vn- Matt.
de alibi à Ioanne appellantur viperarũ genimina vel progenies, cō- 3.
paratione videlicet ad ſimiles ipſorũ patres malos, de quibus aiebat Matt.
dominus: *Quem Prophetarum non occiderunt patres veſtri? Et vos implete* 23.
menſuram patrum veſtrorum. ¶ *Niſi ſignum Ionæ Prophetæ*) Miraculum intelligitur reſurrectionis: quod ſignum dicitur Ionæ, quia in Iona abſorpto à ceto,ac pōſt triduum euomito ſaluo,præſignatum. ¶ *At illi cogitabant inter ſeſe dicentes.*) Poteſt intelligi,intra ſeſe,cogitatione voluebant,ita quod apud ſe hoc reputabant in cordibus ſuis.Vel ſic, inter ſe inuicē cogitabant:id eſt,cogitando loquebatur vel diſceptabant adinuicem. In Græco eſt,διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς:id eſt,cogitabāt vel diſceptabant in ſeipſis,vel apud ſeipſos:quod ad vtrũque ſenſum ambiguũ eſt,& vtrũque includit.¶ *Quid cogitatis inter vos modicæ fidei?*) Intelligi debet vocatiuus,homines,vt ſit ſenſus:Vos homines modicæ fidei,quid cogitatis?In Græco autē vnica dictione dicitur ὀλιγόπιστοι oligopiſtoi,quod ſonat,homines parua fide, ſiue parũ credētes aut fidentes. ¶ *Quinque panum & quinque millium hominum.*) Græcè ſic legitur πέντε ἄρτους τῶν πεντακισχιλίων: hoc eſt, quinque panes quinque milliũ,& poſterius:ſeptē panes quatuor milliũ:id eſt,quinque panes quibus quinque millia fuerũt ſatiata,& ſeptē quibus quatuor millia.Satis aptè atq; dilucidè Latinus interpres vertit,*Nondum intelligitis neq; recordamini quinque panum & quinque millium hominũ,neq; ſeptem panum & quatuor millium hominum?* Quidam autē codices per præpoſitionem mediantem ſic habent: *Neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum:neq; ſeptem panum in quatuor millia?* Eſtq; ſenſus dilucidus. ¶ *Tu es Chriſtus filius Dei viui.*) Mira emphaſi iſtud in Gręco profertur eloquio,ſingulis dictionib⁹ ſingulis articulis ad-

ditis,hoc modo σὺ εἶ ὁ χριστός,ὁ ὑιὸς τοῦ θεοῦ, τοῦ ζῶντος, acſi Latinè dicamus,Tu es ille Chriſtus,ille filius Dei, ipſius viuentis. ¶*Beatus es Simon bar-Iona.*)Vel Iona per contractionẽ,vniúſq; ſyllabæ omiſsionẽ, pro Iohanna ſcriptum eſt, quomodo apud Ioannẽ poſt reſurrectionẽ à Chriſto appellatur Simon Iohanna ſiue Iohannis. Vel à propo-
Gal.1. ſito Saluator ad nomen paternum alludere,ſed nihilominus columbam voluit ſignanter hoc in loco indicare,dicẽs, bar-Iona.Nam Iona Hebræis columbã ſignat. Rectè autem colũbæ filiũ hic nominat, vbi ipſum vt à ſpiritu diuino (qui in columba ſignatur) loquentem commẽdare voluit.Vtrunq; paucis indicat Elucidatio. ¶*Caro & ſan-*
Pſal. *guis non reuelauit.*)Per carnẽ & ſanguinem homo intelligitur ex car-
9. ne conſtãs & ſanguine.Sic & Paulus ait: *Continuò non acquieui carni & ſanguini:* id eſt,non acceſsi ad homines,qui ſunt caro & ſanguis,vt ab eis diſcerem veritatem Euangelij. ¶*Portæ inferi non præualebunt.*) Per portas inferi accipere poſſumus illa per quæ ad inferos ſiue ad mortẽ eſt ingreſſus,quæq; ſunt morti proxima, cuiuſmodi ſunt pericula mortis & perſequutiones ac paſsiones,quibus nunquã expugnanda eſt Eccleſia,tãetſi oppugnanda grauiſsimè.Sic in Pſalmo dicitur.*Qui exaltas me de portis mortis:*id eſt,de periculis,paſsionibus,& malis,propter quę videbat morti proximus,& iamiam mortẽ ingreſſurus.Accipere itẽ licebit totam vim dæmonũ qui detinẽtur in inferno,vt ſit ſenſus:Etiamſi dæmones vniuerſi ſoluãtur qui detinẽtur in inferno, ipſiúſq; inferni portæ reſerentur,& prorũpant agminatim per apertas inferni portas ad oppugnandũ Eccleſiam,non tamen ipſa poterit vnquam penitus expugnari.Vtranque ſententiã indicat Elucidatio. ¶*Abſit à te domine.*)Græcè dicitur,ἵλεώς σοι κύριε:quod ad verbum ſonat:Miſericorditer tibi domine:hoc eſt,parce tibi domine, eſto tibi propitius,age tecũ miſericorditer. Quod aptè expreſsit Latinus interpres tali periphraſi:*Abſit à te Domine.*¶*Scandalum es mihi.*)Nõ hic ſcandalum capitur,vt fere ſolet, pro dicto aut facto non bono alteri præbente occaſionem ruinæ,ſed pro impedimento vel obſtaculo ponitur.Eſt enim ſenſus,Impedire me vis & obſtare mihi,ne impleam patris decretum.¶*Abneget ſemetipſum.*)In eo quod maius eſt,proculdubiò includit quod minus:in abnegatione videlicet ſuiipſius,abnegationem omnium cæterorum,vtpote filiorum, amicorũ, parentũ, domus,agri,diuitiarum,honorum,& ſimilium quorumcunq; bonorum temporalium. Sic & in eo quod ſequitur: *Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam*, ſub eo quod maius eſt minus includitur. Multò enim magis qui voluerit inordinato affectu ſua temporalia bona ſalua facere, ea in affectu præponendo Chriſto, perdet

&

& ipſa & animam ſuam. Iſta attentus lector ex Elucidatione facilè percipiet. ¶ *Anima verò ſua detrimentum patiatur.*) Græcè vnico vocabulo dicitur ζημιωθῇ zymiothi, quod ſignificat perdere, damnum accipere, iacturam facere, pati detrimentum. ¶ *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua.*) Græcè eſt τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα, hoc eſt, quid dabit homo commutationem: id eſt, quid habet homo quod dare poſsit pro commutatione animæ ſuæ? quid dabit homo, cuius commutatione poſsit redimere animam ſuam? Illud enim vocatur hic ἀντάλλαγμα antallagma ſiue commutatio, quod datur in locum alterius, vt liberetur alterum. Quemadmodum ſi quis librum meum apud ſe teneat, neque velit dimittere, niſi certam pecuniæ quantitatem illi perſoluero; pecunia illa cum perſoluitur pro libri redemptione, ἀντάλλαγμα antallagma eſt, ſiue commutatio pro libro: quoniam videlicet datur in locum libri, & liber redimitur. Id ferè eſt quod vulgò appellamus ranſoen. Hoc autem modo conſtat nihil dari poſſe antallagma vel commutationem pro anima ſemel perdita. Nam donec in hoc corpore ſumus, habemus quo redimamus animam, nempe pœnitētiam, lachrymas, preces & huiuſmodi. *Donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.*) Venientem in regno ſuo, dictum videtur, pro apparentem in gloria regni ſui. Vnde Lucas ſimpliciter dicit: *Donec videant regnum Dei:* id eſt, gloriam & maieſtatem diuinitatis. Similiter & Marcus ait: *Donec videāt regnum Dei veniens in virtute:* id eſt, gloriam regni ſe monſtrantem ac manifeſtantem in virtute. Poſſet quoq; iſtud intelligi de aſcenſionis gloria quando ſuam gloriam Chriſtus diſcipulis in cælū aſcendens manifeſtauit: quæ quidem glorioſa aſcenſio, forma eſt aduentus poſterioris ad iudicium, ſecundū quod angeli in actis Apoſtolicis, ſpectantibus in cælum dicunt diſcipulis: *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* Potiſsimum tamen de gloria transfigurationis videtur accipiendum.

ELVCIDATIO CAP. XVII.

ET poſt dies ſex aſſumpſit Ieſus Petrū & Iacobum, & Ioannem fratrē eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum:

VT autem verbis ſuis iam de transfigurationis gloria prolatis fidem faceret, & promiſsis præſtaret effectum Chriſtus dominus, poſt dies fere ſex quàm iſta dixiſſet (extra computationem ſeponendo diem quo hæc dixit, & eū in quo transfiguratio facta eſt, dies tantum ſex ſumēdo inter medio) ſecum aſſumpſit quos voluit ſuæ transfigurationis ha-

bere

bere teſtes,præcipuos tres Apoſtolos ſuos,Petrum,Iacobum & Ioannem fratrem Iacobi:cæteriſque in loco vbi erant permanere iuſsis,ipſe cũ illis aſcendit in montem excelſum ſeparatim ab aliis:quoniã nõ coram omnibus volebat hãc monſtrare transfigurationis claritaté,ne humilitatis formam videretur offendere,veluti ſuam quęrens gloriam:ſimul vt ſecretum maneret,quod nõ ante reſurrectionem voluit in vulgus efferri. Tres tamen ſecum accepit teſtes,vt in ore duorum vel trium teſtium ſtaret omne verbum, per quos ad Dei gloriam,res iſta poſt reſurrectionẽ, opportuno tempore,cum authoritate denuntiaretur fidelibus.[a] In monte itaque exiſtens cũ tribus iſtis electis diſcipulis,cum in oratione eſſet,immutari cœpit forma ſiue figura eius, altera apparere cœpit ſpecies vultus eius.[b] Factáq; eſt facies eius fulgidiſsima,ſplendor & claritas inæſtimabilis ab eius vultu procedebãt,velut è ſole procedit ſumma quę eſt in terris claritas:quãquam & hæc inferior eſt comparatio.[c] Neque ſolùm facies,verumetiam veſtiméta ipſa,quibus beatũ illud corpus operiebatur,ex abũdantia transfigurati & clarificati corporis, maxima ſunt claritate perfuſa,ſúntque facta candida & ſplendentia admodum niuis:qua nihil poteſt inueniri ſuper terram albius,cãdidius aut magis ſplendidũ. Proceſsit quippe hæc claritas ex diuinitate in homine Chriſto inhabitãte,atque ex plenitudine animæ glorioſæ in corpus adiunctũ redundante, ipſo ſic volente ad ſuæ diuinitatis gloriam, doctrinæque confirmationem, in tali claritate apparere.[d] Ad hæc ſic trãsfigurato Chriſto aſsiſtere viſa ſunt diſcipulis duo illa pręclara legis columina,Moſes & Helias:quorum alter diuinæ legis fuit lator, alter eiuſdẽ præcipuus zelator. Hi viſi ſunt & ipſi in claritate magna,cũ domino amicè colloquẽtes,ſuper iis quæ ſalutem cõcernebant humani generis, de paſsione videlicet & morte quã in Hieruſalem erat laturus, ac de poſteriori reſurrectionis gloria:ipſum deprecãtes & hortantes, ſecundum patris volũtatem & Prophetarum vaticinia, opus illud arduum & ſummè deſideratum redemptionis huma

a & trãsfiguratus eſt ante eos.

b Et reſplẽduit facies eius ſicut ſol:

c Veſtiméta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.

d Et ecce apparuerunt illis Moſes & Helias, cũ eo loquentes.

næ,

næ, aggredi: pro aduentu in mundum gratias agentes,& pro eo quod adhuc reſtabat deprecantes & exhortantes. Voluit enim Deus pater duos iſtos, alterũ legis primũ datorem, alterum præcipuum eius zelatorem, præ cæteris ſanctis & Prophetis cum ſuo filio apparere atque amicè colloqui, vt ſic oſtenderet, verũ eſſe quod prius ipſe dixerat, nõ ſe veniſſe vt legis aduerſariũ aut deſtructorem, ſed eius potius adimpletorem & conſummatorem: vt horum præſentia indicaretur, hunc eſſe finẽ legis & Prophetarum, in quem tota lex tendat atque Prophetæ. Quomodo enim legiſlator & legis zelator, cũ legis aduerſario & deſtructore amica poſſent miſcere colloquia? [a] Petrus verò viſa tãta gloria, atque ex ea ſummo refectus gaudio, gaudẽs quoq; in ſocietate patrum illorum tam amabili, cupiens ſolidum ſibi & firmum hoc permanere Gaudium, fidẽter dominum alloquitur dicens: [b] Domine, bonũ eſt nos hic eſſe, optimè hìc nobis eſt, vbi tua nobis iucunda ſe monſtrat gloria, vbi tam amœna adeſt tantorum patrum ſocietas. [c] Si ita tibi videtur, ſi tu meam approbas quam propono ſententiam, conſtruamus hìc ad diuturniorem manſionem tria tabernacula, videlicet vnum tibi ac tuis, alterum Moſi, tertium Heliæ. Hæc Petrus ex abũdantia gaudij ſubitò proferebat, delectationẽ illam in qua tum erat tenere cupiẽs, nec attendens plenè quòd diceret, non intelligens Dei conſiliũ, quo nõ tã diſcipulos oblectare, quàm ipſis aliiſque prodeſſe glorificatione iſta voluit. [d] Vix dum vocẽ iſtam Petrus finierat, non reddita ipſi à domino reſponſione, ſubitò nubes lucida apparuit, quæ ipſos circundedit & obumbrauit, [e] ſimulque vox de nube audita eſt, de filio teſtimonium perhibẽs, ac dicens: [f] Hic, cuius hìc gloriam in transfiguratione cernitis, cui aſtant Moſes & Helias, qui vos in mõtem iſtum ſecum adduxit, horum omnium quæ erãt agenda ſpectatores, ipſe eſt filius meus conſubſtãtialis & coæqualis, quem vnicè & ſummè diligo, vt filium meũ vnigenitum, ab æterno in meo ſinu quieſcentẽ, ac de me æternaliter genitum, in quo mihi eſt optimè placitum, qui mihi eſt totus gratus atq; acceptus

a Reſpõdens autem Petrus, dixit ad Ieſum:

b Domine, bonũ eſt nos hic eſſe:

c ſi vis, faciamus hìc tria tabernacula, tibi vnũ, Moſi vnũ, & Heliæ vnũ.

d Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.

e Ecce vox de nube, dicens:

f Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.

acceptus, cuius ego prædicationem omnem & facta omnia confirmo, ac rata habeo, cuius verbum meum verbũ eſt, cuius opus omne meum opus eſt:[a] ac proinde in omnibus ei nõ ſecus ac mihi fidem haberi & obediẽtiam præſtari volo: ipſum ego aſsigno toti orbi doctorẽ & præceptorem, ipſum audite, ipſius doctrinæ auſcultate & credite, ipſius præceptis obedite. Qui enim hũc audit, me audit: & qui hunc audire renuit, me ſpernit. Quod vobis dico, omnibus dico, ipſum audite, huic populi omnes auſcultate præceptori. Ita quidẽ in hac transfiguratione, quemadmodum prius in baptiſmo, denuò tota apparuit trinitas, Pater, in voce deſuper tonãte: filius, in humanitate: ſpiritus ſanctus, qui tunc in colũbæ ſpecie, nunc in nube lucida, quæ trãsfigurationi conueniebat magis quàm columba.[b] Diſcipuli verò, huius vocis terribile tonitruum audiẽtes, paternæ præſentiæ teſtimoniũ: conterriti & expauefacti à tãtæ maieſtatis præſentia, ceciderunt in facies ſuas, & timore magno conturbati ſunt: qui tamen prius in aſpectu claritatis filij transfigurati, non ſolum non fuerunt exterriti, ſed plurima affecti lætitia. Quod ideo factum creditur, vt patris in hac voce iudicaretur præpotens authoritas, & agnoſceretur terrifica maieſtas.[c] Accedens verò ad cõſternatos & proſtratos in terrã ſuos diſcipulos benignus dominus, ipſe patris bene ſibi cogniti voce minimè cõterritus, manu illos tetigit, ſimul & voce alloquutus eſt, dicens:[d] Surgite à terra, & ne timeatis, nihil vobis cõtinget mali, nihil eſt periculi. Propter veſtrã vtilitatem vox iſta terrifica intonuit, non vt mali quicquã patiamini.[e] Ad hunc contactum, ſimul & ad vocem magiſtri, erigẽtes ſeſe à terra diſcipuli, leuauerũt ſurſum oculos, vt quę prius aſpectu delectabilia viderãt, viderent iterum.[f] Verum neminem iam viderũt, niſi Chriſtum ſolũm iuxta ſe ſtantẽ. Iam enim Moſes & Helias diſparauerant, transfigurationis peracto myſterio: vt omnimoda mõſtraretur certitudine, ipſum eſſe Chriſtum & non alium, de quo patris illud accipiẽdum eſſet tam magnificum teſtimonium. Nam ſi permãſiſſent aſtantes Moſes & Helias, forſitan ſuſpicionis

a Ipſum audite.

b Et audientes diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam: & timuerunt valde.

c Et acceſsit Ieſus, & tetigit eos; dixitq; eis:

d Surgite & nolite timere.

e Leuãtes autẽ oculos ſuos,

f Neminem viderunt, niſi ſolũ Ieſum.

cionis nõnihil potuiſſet oriri, num de illorum altero vox illa deberet intelligi.[a]His itaque geſtis,poſt claritatem illam vultus ac veſtiũ finitam,poſt peractam trausfigurationis gloriã,cum iam ad relictos diſcipulos,& expectantẽ turbam redire volens de mõte deſcenderet,præcepit diſcipulis,ne cuiquam indicarent quod viderant,[b]ne transfigurationis iſtius gloriã ad quam videndam ſpeciali priuilegio fuerant admiſsi, prædicarẽt,niſi poſt ipſius reſurrectionem à mortuis: eo quòd nõ expediens fuiſſet,hanc rem ante perlatũ crucis ſupplicitũ diuulgari in populo, ſed maiori fructu poſt glorioſam reſurrectionẽ & aſcenſionem erat prædicanda.[c]Inter deſcẽdendum quoque tres illi diſcipuli,qui gloriã viderant trãsfigurationis, occaſione accepta ex eo quòd Heliã cum domino viderant, quæſtionem mouent de eo quod tum in populo vulgabatur,ex doctrina Scribarum,debere Heliam præuenire Meſsiæ aduentum, dicúntque ei: [d]Quid ſibi vult quod docẽt Scribæ,ex authoritate(vt ipſi dicũt) Malachiæ Prophetæ, quòd Heliã oporteat venire in mũdum,prius quàm adueniat Meſsias? Nos iam tuã gloriam vidimus,te verum Meſsiam credimus adueniſſe,quẽadmodũ & patentiſsimè nobis in hac transfigurationis gloria demõſtraſti.Quòd autem Helias tuũ aduentũ præceſſerit,nondum audiuimus:tametſi nunc illum tecum viderimus colloquentem in monte.An fortè in hac apparitione Heliæ,impletum credere debemus,quod illi de eius aduentu docent? aut quomodo accipiẽdum eſt,quod illi docent de Heliæ aduentu? Huic interrogationi dominus reſpondit, dicens: [e] Verum eſt illud quod de Heliæ aduentu Scribæ docent(eſt enim Prophetæ dictis conſentaneum)& ita quidem futurum eſt, iuxta verbum Malachiæ, vt veniat Helias priuſquam veniat dies domini magnus:& cum venerit, reſtituet omnia: id eſt, plæraque ad rectum ſtatum reducet, conuerſurus(iuxta Prophetam)corda patrum in filios, & paraturus domino plebem perfectam, reliquias Iſraël ante conſummationem ſæculi reducturus ad dominum Deũ patrum ſuorum. Ita quidem Helias Theſbites

a Et deſcendentibus illis de mõte,præcepit illis Ieſus, dicens:

b Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.

c Et interrogauerunt eum diſcipuli dicentes:

d Quid ergo Scribæ dicunt quòd Heliam oporteat primũ venire? At ille reſpõdẽs ait eis:

e Helias quidem venturus eſt,& reſtituet omnia.

bites ſecũdum meum aduentum,qui erit ad iudicandum,præuenturus eſt,& populi ſui reliquias ne condemnentur ſeruaturus: & hac ſanè in parte,rectè illi docét. [a] Veruntamen occultiorem vobis intellectũ Prophetiæ quem illi ignorant,pandens, hoc dico vobis,etiam priorem hũc meum aduentum, quendam præueniſſe Heliã,qui antequam ego mundo manifeſtarer,in ſpiritu præceſsit & virtute Heliȩ, vt populũ ſua prędicatione pararet in aduentũ meũ,qui hoc ipſum egit in priore meo aduẽtu,quod ille alter Helias Theſbites acturus eſt in aduẽtu meo ſecundo:qui ex vno eodémq; officio,vnius quoque nominis meretur appellationem.[b] Et hunc Heliam priorẽ non cognouerunt homines,neque Scribæ,neque populi, neque Herodes,neque cęteri:non cognouerunt ipſum eſſe illum Heliam,primi aduẽtus mei præcurſorem, non cognouerũt etiã de hoc in Propheta prædictum: ſed tantũ de illa Heliæ Theſbytæ perſona intelligebant, glorioſum aduentum præuenturi. [c] Et quia eum vt Heliam nõ cognouerũt,de illo & aduerſus illum egerunt,non vt ipſe dignus erat, non vt Helię nomen & officiũ exigebat,ſed vt ipſis libebat:id eſt, male illũ tractauerũt, tam Scribæ,quàm Herodes.Scribæ quidem,illi contradicendo,& ipſius prædicationem atq; baptiſma ſpernẽdo:Herodes verò,crudeliter eum in carcerem coniiciẽdo, & capite plectendo ſine cauſa, propter iuſtitiam. [d] Et quomodò meum præcurſorẽ nõ cognouerunt,ſed perſequuti ſunt, & malè tractauerunt,ſic & filius hominis in propria veniens à ſuis nõ recipietur neq; agnoſcetur,ſed repelletur & contradictionem patietur,fœdiſsimiſque opprobriis & crudeliſsimis afficietur ſuppliciis,[e] His magiſtri verbis inſtructi diſcipuli,intellexerunt ꝙ de Ioanne cognomẽto Baptiſta,ſermonem faceret,ipſúmque Heliam diceret illũ qui iam veniſſet,& minime agnitus crudeliter fuiſſet tractatus.Non enim de Helia priori Theſbite poterat verbum iſtud intelligi.[f] Cum verò poſt huiuſmodi verba,tandem ad turbam & alios diſcipulos perueniſſet dominus,fuiſſetque à turbis viſus & agnitus,ſtatim acceſsit ad eum homo quidã genua

a Dico autem vobis, quia Helias iam venit.

b & non cognouerunt eum:

c ſed fecerunt in eo quæcunque voluerunt.

d Sic & filius hominis paſſurus eſt ab eis,

e Tunc intellexerunt diſcipuli,quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis,

f Et cum veniſſet ad turbam. acceſſit ad eum homo genibus prouolutus ante eum,dicens:

nua flectens,aut genibus prouolutus ante eũ,ita ſup-
pliciter deprecans pro filij ſui lunatici curatione, ac
dicens: [a] Domine,miſeria filij mei quẽ huc attuli,te
moneat ad miſerendũ præſtandumq́; curationis effe-
ctũ:eſt enim ipſe lunaticus,& grauiter torquetur:cru
deli obſeſſus eſt dęmone,qui ipſum ſecundũ varias lu
næ immutationes miſerè nimium exagitat,& grauiſ-
ſimè diſtorquet,miſerandum ac deplorandũ, in hoc
puero ſæuitiæ ſuæ monſtrans ſpectaculum. [b] Sæpe
enim à dæmonio hoc propulſus in ignem cadit,aut
in aquã,neq; rarò in ſummo vitæ agitur diſcrimine,
quærítq́; illũ,ſi poſsit,dæmon etiã vita priuare, vnde
nobis in tãtæ crudelitatis aſpectu magna eſt miſeria
atque moleſtia. [c] Et attuli illum huc ex auditu tuæ
famæ,vt tibi eum offerrem curandum:cum autem te
inueniſſem abſcentẽ:diſcipulis tuis eum obtuli,quos
audieram & ipſos dæmonia appellendi à te accepiſſe
poteſtatem, ſed non valuerunt oblatum ſibi curare
puerum,ac proinde ad te neceſsitas me compellit cõ
fugere. Nihil enim ſpei eſt vltra reliquum,niſi in te.
[d] Audita hæc querimonia & deprecatione dominus,
cognoſcens impedimentum eſſe ex fidei defectu,par
tim quidem in ipſo patre offerente puerum: partim
verò propter aliquam fidei imperfectionem in diſci
pulis(vel ob abſentiam pręceptoris) & quoniã iam
aliquantũ tempus pertranſiit quod cũ magiſtro agen
tes non experti fuiſſent virtutem prius ſibi cõceſſam,
vel ob ſæuitiam dæmonis ſigna nimis terribilia oſtẽ
dentis in obſeſſo, vnde in aliquam diffidentiam aut
dubitationem poterant incidere,per increpationem
reſpondit, dicens: [e] O mala & incredula genera-
tio,ô gens Iudaica ex ſe ſemper ad malum prona,&
ad fidendum atque credendum ſemper difficilis,quæ
ſemper aliqua ex parte veteris illius ceruicis expri-
mis veſtigium, [f] quandiu apud vos ita incredulos &
fide deficientes permanebo? quandiu tales vos pa-
tiar? quouſque tandem iſta in vobis durabit fidei im-
perfectio? aut quando perfecta erit veſtra fides atque
fiducia? Quare tot hactenus ſignis viſis,non amplius
fide profeciſtis? Defectus nanque ſufficientis fidei in

a Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur.

b Nam ſæpe cadit in ignem & crebro in aquã,

c & obtuli eum diſcipulis tuis, et non potuerunt curare eum.

d Reſpondens Ieſus, dixit:

e O generatio incredula et perverſa.

f quouſque ero vobiſcũ, vſquequo patiar vos?

cauſa eſt, quo minus eiectum iam fuerit dæmonium. [a] Verũtamen quantotius adferte illum ad me, vt oſté dam non ex rei impoſsibilitate, ſed ex veſtra fidei im perfectione, non eſſe ſanatum puerum. [b] Moxq; allato puero, Ieſus increpauit dæmonem illum, & cũ increpatione ac comminatione illi imperauit, vt vetus hoſpitium relinqueret, atq; ab obſeſſo emigraret: ſtatimq; dicto obediens dæmoniũ, exiit ab obſeſſo puero, & in illa hora perfectæ ſanitati puer reſtitutus eſt verbo domini, ita vt impoſterũ nõ vltra a dęmonio il lo vexatus vnqua fuerit. [c] Tũc diſcipuli ſeorſum à tur ba accedétes magiſtrũ, cũ eſſet ſolitarius in domo, interrogabant eũ, quã ob cauſam ipſi dæmonem illum non potuiſſent expellere, cum tamen aliàs poteſtaté ſibi tradidiſſet eiiciendi dæmones, & in prædicando Euangelio pridem ea poteſtate ſæpius vſi fuiſſent. [d] Quibus reſpondit Ieſus, Non ex ipſa rei difficultate aut impoſsibilitate fuit, vt nõ illũ eieceritis, ſed propter veſtrę fidei defectum, & imperfectioné: quoniã tanta non erat in vobis fides, quæ ad talis dæmonis eiectionem ſufficeret. Impediuit enim vos vacillatio aliqua aut diffidentia, quæ obrepſit vobis, alioqui ſi non defectus impediſſet fidei, proculdubio facile illũ eieciſſetis. [e] In veritate enim dico vobis, quod fidem habenti perfectam & integram, ſimilé grano ſinapis (quod licet paruum quantitate, plenum tamen eſt virtute & magnæ arboris de ſe productiuũ) nihil quantumuis humano iudicio magnũ aut arduum, erit impoſsibile, [f] adeo vt etiam ſi monti huic, quantumuis magno & alto dicat: Pręcipio tibi in nomine domini vt locum iſtum, in quo nunc cõſiſtis, derelinquas, atq; ad locum alterum tranſeas, ita ſit futurũ vt ille in per fecta fide iuſſerit, vbi id pro Dei gloria vtile aut neceſſarium fuerit. [g] Et omnino nihil, quãtumlibet humano iudicio aut via naturali videatur difficile, erit vobis in virtute perfectæ fidei impoſsibile, quin id vel ſolo verbo nihil hęſitantes perficere poteritis, vbi ad Dei gloriam ſecundum ſpiritum Dei, id vobis vtile aut neceſſarium iudicabitur, Alioquin enim nõ ex fide vnquam procedit, talium rerum quæ ſupra naturam

a Adferte huc illum ad me.

b Et increpauit illum Ieſus: & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.

c Tunc acceſſerũt diſcipuli ad Ieſum ſecretò, et dixerunt: Quare nos non potuimus eiicere illũ?

d Dicit illis Ieſus: Propter incredulitatem veſtram.

e Amẽ quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis,

f dicetis monti huic, trãſi hinc, & tranſibit.

g Et nihil impoſsibile erit vobis.

ram ſunt tentatio:ſed ex vana curioſitate aut temeraria audacia,procedit illa prǽſumptio,cui non pollicetur cooperari Deus.[a] Denique,hoc dæmoniorum genus,huiuſmodi dæmones,qui ſic forti obſidione ſuos poſsident obſeſſos,& multa in obſeſſos vtuntur poteſtate,cuiuſmodi dæmon in iſto puero erat,non ſimpliciter aliorum more obſeſſo,vtpote in quo dæmon obſidens tam ſingularem exercere ſolitus eſt crudelitatem,& quem à pueritia ſic obſedit,ex cerebri quoque in diſpoſitione magnum habens ad ſuam obſidionem adiumentum:huiuſmodi(inquam)dęmones non ita facile à corporibus pelluntur,vt vulgus ſimpliciter obſidentium dæmonum,[b] ſed oratione & ieiunio opus eſt,vt per ieiunium corpore & anima purificatis,ſpiritus orationi poſsit efficacius intendere atque ita per orationem validam (ad quam diſponit ieiunium)potenter quæat dæmon expelli. Grauiores ſiquidem morbi & peſtes ſingulares, validioribus & peculiaribus curari debent remediis.[c] Cum autem poſt hæc verſarentur præceptor ſimul & diſcipuli in locis Galilææ, rurſum illis ſuæ paſsionis (quam & olim iam prædixerat) voluit refricare memoriam,dixitq; illis:[d] Futurum eſt non poſt multum tempus,vt ego tradar in manus hominum,vt ex patris volũtate ac mea voluntaria permiſsione,ego veniã in poteſtatẽ hoſtibus meis,vt de me, & in me faciant quicquid ipſis collibitum fuerit,& illi poſt multa probra atque ſupplicia tandem morte me crudeliſsima afficient.[e] Veruntamen non in morte permanebo,non me violenta & iniuſta poſsidebit mors, ſed tertia die reſurgam ex mortuis,& rurſum viuus efficiar, non moriturus in æternum.[f] Quibus auditis, vehementer contriſtati fuère diſcipuli, quòd talia tam auditu quoque horrenda,de pręceptore ſibi dilectiſsimo atque ſuauiſsimo audirent.Nihil tamen audent his contra obiicere, quod iam ſemel ſeuera increpatione pro hac re Petro fuiſſet impoſitum ex præceptoris authoritate ſilentium.[g] Accidit quoque cum veniſſent præceptor atque diſcipuli Capharnaũ, tum Galilææ præcipuam ciuitatem, in qua tribu-

a Hoc autem genus non eijcitur.

b niſi per orationem & ieiunium.

c Conuerſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Ieſus:

d Filius hominis tradẽdus eſt in manus hominum,et occident eum,

e & tertia die reſurget.

f Et contriſtati ſunt vehemẽter.

g Et cum veniſſet Capharnaũ, acceſſerunt qui didrachma accipiebant ad Petrum,& dixerunt ei:

tum imperatorium exigebatur à tranſeuntibus vt
accederét ad Petrum ij quorum erát officium tributa
huiuſmodi colligere,eumque interrogarent,dicétes:
a Magiſter veſter non ſoluit didrachma? [a] Soluitne magiſter veſter didrachma? Vult ne ſolue
re,& ſolet ne ſoluere magiſter veſter cenſum impe-
ratorium? Ad dominũ quidé non acceſſerunt,propter
eius reuerentiam,quoniã in ea ciuitate plurimũ con
uerſabatur,& omnibus erat cognitus,ac vulgo in ęſti
matione magna habitus. Ad Petrum verò tanquam
eum qui præcipuus inter cæteros videbatur,& domi
no propinquior,acceſſerunt,& ab illo petierunt,num
b Ait: Etiam, ſoluturus eſſet cenſum dominus,[b] Petrus interrogan-
tibus reſpondit: Vtiq; dominus noſter & ſolet & vult
ſoluere cenſum:ne dubitate,certã accipietis perſolu
tionem:non is eſt ipſe qui velit principibus obſiſtere,
aut cuiquam præbere ſcandalum. Ego illum commo
c Et cum intraſſet in domum, preuenit eum Ieſus,dicens: nefaciam,vbi ſeparatim à turba licebit accedere.[c] Et
cum introiſſet dominus in domum ſeparatus à turba,
Petrum proponentem prædicti negotij cauſa accede
re & alloqui magiſtrũ,ipſe anteuertit atq; pręuenit,
ſciẽs & quid in via actum dictumq; eſſet,& quid iam
in corde Petrus verſaret:& priuſquam Petrus pro ne
gotio proponẽdo os aperuiſſet,prior eũ interrogauit
d Quid tibi videtur Simon? dominus ſuper ea re,dicens:[d] Scio Petre quid habeas
in animo, ſcio quid à te exegerint in via telonarij,
ſcio & quid mihi volueris proponere. Verum vnum
te interrogo,tu ſecundum rationis ſententiã,& æqui
e Reges terræ à quibus accipiũt cenſum, à filijs ſuis,an ab alienis? tatis naturalis dictamen reſponde.[e] Reges ac princi-
pes huius mundi,qui dominantur ſuper terram, ac
proinde tributa accipiunt,vt principes, à quibus illa
accipiunt tributa? An à filiis ſuis atque domeſticis ea
accipiunt, an ab alienis, qui nec filij nec domeſtici
ſunt,ſed ipſorum tantum ſubiecti imperio,vt ſerui &
f Et ille dixit: Ab alienis, ſubditi?[f] Petrus in promptu habens reſponſionem in
quæſtione tam apparenti,reſpondit interroganti do-
mino: Non ſolent principes terreni tributa accipere
niſi ab alienis,ab iis qui non ſunt filij neq; familiares
aut domeſtici. Non enim debent filij theſaurizare pa
rentibus,aut eis tributum pendere,ſed parentes po-
tius filiis dare & theſaurizare debẽt. Ab alienis verò
accipere

accipere debēt terrarum principes & theſaurum colligere, vnde quę ſui ſunt officij perficere valeāt, populum ſcilicet & regnum poteſtatiuè defendere, & iuſtitiam cunctis admiuiſtrare.[a] Intulit ex Petri reſponſo dominus: Si ita res habet, vt certū eſt: ergo filij regū à tributo pendendo ſunt liberi. Ac proinde ſecundū veritatem, ego tributi nō ſum debitor, quod à me exigitur: quoniam quidē filius ſum eius qui eſt rex magnus ſuper omnem terram, cuius eſt terra & plenitudo eius, & vniuerſi qui in ea habitant: vos quoq; eſtis à tributo liberi, qui eſtis domeſtici atq; filij mei, qui ſum princeps regū terræ, & totius terræ ſecundū diuinitatē verus dominus. Itaq; tributi debitores nō ſumus, neq; ego filius altiſsimi patris, neq; vos mei diſcipuli atq; filij.[b] Verum tamen ne propter rem minimam ſimus offendiculo ſimplicibus ac rudibus illis, quibus occultum hoc myſterium nōdum potuit eſſe cognitum, ne illi quęſtuoſo generi hominum demus occaſionem de nobis conquerendi, aut male loquendi vel opinādi.[c] abi cito Petre, & accepto hamo, mitte illum in mare: & eum piſcē qui primus hamo infixus hæſerit, attrahe in terram.[d] Eius ore aperto, inuenies in eo ſtaterem, id eſt, tetradrachmū vnum, duo didrachma valentem: quem ſtaterem ſiue quod tetradrachmum accipiens, abi ad eos qui à te tributū exegerūt, & iuxta promiſſum tuum perſolue illis quod ſibi putant debitum: duo videlicet didrachma, alterū didrachmum pro me tanquā patrefamilias inter vos, alterum pro te ac tuis ſociis, pro toto meo comitatu, cuius te caput conſtitui, ne vel de me poſsint, vel de meo comitatu ſiue familia conqueri. In re enim quæ Deo nō eſt aduerſa, pręſtat quocunq; tandē vti conſilio, quàm infirmis fieri ſcandalo, & iuri potius noſtro cædere, quàm in infirmis ſcandalum gignere.

a Dixit illi Ieſus: Ergò liberi ſunt filij.

Pſal. 25

b Vt autem nō ſcandalizemus eos,

Apoc. 1

c vade ad mare, & mitte hamum, et eum piſcē qui primus aſcenderit tolle,
d & aperto ore eius inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me & te.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

ET *poſt dies ſex*) Lucas dicit: *Factum eſt poſt hæc, dies ferè octo.* In quo prima facie non nihil videtur diſcordiæ, quam tamen facillimè auferret, qui elucidationem diligenter inſpexerit. ¶ *Et transfiguratus eſt ante eos.*) Græcè eſt μετεμορφώθη metemorphoti, quod ſonat,

 tranſ-

transformatus eſt. Quid autem ſit hæc transformatio vel transfiguratio, periphraſi explicat Lucas, dicens: *Et dum oraret, facta eſt ſpecies vultus eius altera.* ¶*Veſtimenta autem eius facta ſunt alba, ſicut nix.*) Græci codices vulgari habent, ſicut lux vel lumen. Magis tamen conuenit nix, ad id quod precedit alba. Non enim apta videtur comparatio, dicendo: Facta ſunt alba ſicut lumen, cum lumen non ſit album. Quum verò dicitur: *Facies eius ſplenduit ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix,* manifeſtum eſt, ſecundum conſuetudinem ſcripturarũ, ad magnitudinem ineffabilis illius ſplẽdoris & claritatis, tales fieri comparationes ad ſolem & niuem, quibus in hoc mũdo nihil poteſt fulgidius albiúsve deſignari. Eſt enim hęc ſcripturarum cõſuetudo, cum quippiã voluerint quod ſupra naturam eſt extollere, vt cũ illo faciant huius rei comparationem, quod ſecundum naturam maxi-
Pſa.118 me tale inuenitur. Sic in Pſalmis: *In via teſtimoniorum tuorũ delectatus*
Pſal.18 *ſum, ſicut in omnibus diuitijs. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Et iterum: *Iudicia domini deſiderabilia ſuper aurum & lapidẽ pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum.* ¶*Reſpondens autem Petrus, dixit.*) Impropriè hic capitur reſpondere. Non enim quaſi interrogatus Petrus reſponſum reddit, ſed reſpondere dicitur quatenus ad id, vel ex eo, vel ſuper eo quod cernebat, verba faciebat: vt ad rem coram ſe exhibitam reſponſio fieri intelligatur, non ad vllum interrogantem, cũ nemo illum interrogauerit. Quemadmodum (exẽpli gratia) ſi quem videam coram me facientem quod rectum non eſt, quod videns dicam illi: Non bonum eſt quod facis: quodammodo reſpondere dicor (licet nihil ab illo interrogatus) quatenus ſuper vel ex eo quod video, loquendi occaſionẽ ſumo. Idipſum & aliàs nõnunquam vſuuenit in ſacris Euangelijs. ¶*Niſi ſolum Ieſum.*) Poteſt, ſolũ, indifferenter accipi, vel aduerbialiter, vel nominaliter, idque tam in Gręco, quàm in Latino: & eſt in vtraque acceptione eadem ſentẽtia. ¶*Quid ergo Scribæ dicunt?*) Videtur, ergo, tantum continuationis eſſe particula, idq; reſpicere vnde huius quæſtionis ſumitur occaſio, quæ erat viſio Helię cum domino in monte. Hinc enim moti ſunt, vt de Helia interrogarent pręceptorem diſcipuli. Primũ autem pro prius ponitur, prius videlicet quàm veniat Meſsias, aut dies domini. ¶*Helias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.*) In elucidatione hanc priorem particulam de Helia Theſbitę expoſuimus, aduentũ Meſsię ſecundum (iuxta ſanctorum patrum traditionem, & ſacrę Apocalypſis reuelationem) pręuenturo, vt ſic à perſona Helię in hoc verbo, trãſitus fiat, ad eum qui Helias eſt tantum officio, nempe Ioannẽ Baptiſtam, cum ſubſequenter dicitur: *Sed dico vobis, quia & Helias iam venit.*

Poſſet

Poſſet tamen totus iſte ſermo accipi de Ioãne Baptiſta, abſque mentione Heliæ Thesbitis, in hunc ſenſum: Ita quidem verum eſt, iuxta ſcripturam Propheticam, debere Meſsiæ aduentũ præuenire Heliã, qui omnia reſtituat: ſcriptura rectè dicit, venturũ eſſe ante diẽ Meſſiæ quendam Heliam, & per illum plæraque reſtituenda. Verum hoc dico vobis, ꝙ Helias iſte qui aduentũ Meſsiæ præuenturus deſcribitur, iam venit, & nõ fuit agnitus. Neq; huic intelligẽtiæ obſtat, quod dicitur per futurum tempus: Helias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Nam tempus illud futurũ ad Prophetiam refertur, vt ſit ſenſus: Ita quidem verè dicit ſcriptura, vẽturum eſſe Heliam, & reſtituturum omnia. Quomodo etiam illa interrogatio diſcipulorum Ioannis: *Tu es qui venturus es*, debet intelligi, eſt enim ſenſus: Túne es ille Meſsias, quem ſcripturæ multò antè prædixerunt venturũ ad populi liberationem? Sed & in Græco, priori loco per præſens tempus fit ſermo. Helias quidẽ venit: id eſt, Heliam oportet venire ſuo tempore, iuxta Prophetæ verbum: & cũ aduenerit, eius erit officiũ reſtituere omnia. Dicitur autẽ Heliã debere omnia reſtituere in ſuo aduentu, ſecundũ communem loquẽdi conſuetudinem, quia eũ qui plæraque innouat, & ad ſtatum meliorẽ reducit, dicitur reſtituere aut corrigere omnia. Quod quidem accipiebat ex verbo Malachiæ dicẽtis: *Vt conuertat corda patris in filios, & parare domino plebem perfectam.* Non autem hoc in loco primum Ioannes Helias nominatur, & omnia reſtiturus prædicitur, verumetiam ab angelo hæc ita prædicta ſunt, antequã ille cõciperetur in vtero matris ſuæ. Sic enim de eo Zachariæ patri dicit angelus: *Spiritusſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael conuertet ad dominum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Heliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare domino plebem perfectam.* Sic & aliàs Saluator coram turbis, dixit: *Si vultis recipere, ipſe eſt Helias qui venturus eſt.* ¶ *Acceßit ad eum homo genibus prouolutus,*) Græce eſt γονυπετῶν gonypeton, quod indifferenter ſonat, genua flectẽs vel genibus prouolutus. ¶ *Miſerere filio meo, quia lunaticus eſt.*) Lunaticos non ſolum naturali morbo laborare, ex hoc loco eſt euidentiſsimum, dæmonio nanque obſeſſum fuiſſe hunc lunaticum & à dæmonio curatum, Euangeliſta commemorat. Lunatici itaque nõ dicuntur, quaſi à ſola luna vexati, ſed quia ſecundum diuerſos lunæ reſpectus, & varias lunæ immutationes, obſeſſos homines torquent obſidentes dæmones: idque vel vt creaturam Dei bonam mali dæmones hoc callido conſilio infament, quæ eſt ſanctorũ pluriũ ſententia, vel ꝙ certis temporibus ex lunæ influentia cerebrum magis eſt diſpo-

Matt. 11.

Malac. 4.

Luc. 1.

ſitum ad ſuſcipiendam influentiam dęmonis,quàm alio ſit tempore, quemadmodum ij quoq; qui naturali tantum infirmitate laborat,ad certas quaſdam lunæ mutationes plus minùsve torqueri ſe ſentiunt, iuxta quod amplius multiplicātur,vel ſurſum trahūtur humores mali,vel iuxta quod cerebrū magis euacuatur, vel alia huiuſmodi cauſa conſimili. ¶*Quouſque ero vobiſcum, vſquequo patiar vos?* Modus eſt obiurgandi,quo nihil niſi diſplicentiam indicat, quam de fidei imperfectione habet,qui ſummè oblectatur perfectione fidei. ¶*Et increpauit illum Ieſus.*) Intelligere oportet,illum dæmonem. Non enim puerum increpabat Chriſtus patientem,ſed dæmonem torquētem. Vnde in Græco eſt genus neutrum ἀυτῷ afto, illud,ſcilicet dæmonium, ¶*Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis.*)Significat fidem perfectam & efficacem,quæ grano comparatur ſinapis: quod (vt in alia parabola dicitur)cum ſit minimum omnium ſeminum, magnam tamē arborem de ſe producit. Sic & fides cum ſit minima,eſt tamen efficaciſsima,ſi perfecta fuerit,ita vt montes transferre poſsit. ¶ *Tranſi hinc.*)
Matt. 24. Grecè eſt,μετάβηθι ἐν τεῦθεν ἐκεῖ,tranſi hinc illuc.Hoc eſt enim quod Paulus vocat mōtes transferre,efficere,vt migrent de loco ſuo ad locum alterum. Quod tamen ſatis intelligitur,cum dicitur: *Tranſi hinc.* Qui enim hunc locū iubetur derelinquere, proculdubiò alium iubetur accipere: quandoquidem extra locum omnem nihil poteſt cōſiſtere. Montis autem translationem in exemplum hic proponit,quaſi id quod hominibus videatur difficillimū. Quid enim impoſsibilius videatur humano iudicio,quàm verbo ſolo mōtem transferre? Hinc & Paulus volens maximum quid ſignificare,dicit:*Si habuero fidem,ita vt montes transferam.* Quidam autem ſpiritualiter montem intelligūt ipſum dæmonem. ¶*Qui didrachma accipiebant.*) Non rectè quidam codices legunt didrachmam ſub genere fœmineo ac numero ſingulari,ſed didrachma, numero plurali ac neutro genere legi debet, id quod ex Græco manifeſtū eſt, vbi cū articulo plurali dicitur, τὰ δίδραχμα ta didrachma. Dicitur autem in ſingulari numero didrachmum,ſicut tridrachmū tetradrachmum. Valet autē didrachmū vnū duas drachmas argenti, ſicut tridrachmū tres, & tetradrachmū quatuor. ¶*Magiſter veſter non ſoluit didrachma?*) Soluit, in præſenti tempore debet accipi: ſic enim in Græco eſt τελεῖ teli. Neque eſt hoc pronuntiandum per expoſtulationem, quaſi teloniarius cum Petro expoſtulet,quòd magiſter non ſoluerit didrachma, ſed per quæſtionem legi debet: Soluit ne magiſter tuus didrachma? id eſt, vult ne magiſter tuus ſoluere? aut,ſolet ne ſoluere? eſt ne ſoluturus? Quemadmodum cum dicimus: Non ſoluis tu vectigalia? no veſceris tu hoc

cibo

cibo? Quod ſimiliter abſque ſigno illo negatiuo dicimus: ſoluis tu vectigalia? Veſceris tu hoc cibo? Vnde cum Petrus dicit: Etiam, nõ vult indicare, magiſtrum ſoluiſſe tributum, ſed tantum de ſolutione exactores certos facit: propter quod & domino voluit in domo ſeorſum exiſtenti rem proponere: quemadmodum & feciſſet, ſi nõ ab eo fuiſſet præuentus. ¶ *Inuenies ſtaterem illum ſumens, da eis pro me & te.*) Stater, idem eſt quod tetradrachmum, valétque duo didrachma. Nõ ergo didrachmum vnicum, ſed duo ſoluit dominus. Vnde per cõiecturam poſſumus elicere, ex inſtitutione Romanorũ, tranſeuntẽ quemlibet per ciuitatem illam Capharnaũ (quæ tũ præcipua videtur fuiſſe in Galilęa) debuiſſe dare didrachmum vnum, etiamſi ſolus tranſiret. Si verò cum ſua familia tranſiret aut comitatu maiori, non quidem pro ſingulis illorum, ſed pro toto ſimul comitatu atque familia debuiſſe perſoluere didrachmum alterum. Atque ob hoc Petro dicebant exactores: *Magiſter veſter non ſoluit didrachma?* ſignanter vtentes plurali numero, quaſi pro ſe ac ſuo comitatu duo didrachma poſtulantes. Nam quod quidam dicunt pro capitibus ſolũ faciendam fuiſſe didrachmi ſolutionem, ac proinde pro Petro, vt pro capite apoſtolorum factam fuiſſe ſolutionem vnius didrachmi, non ita multum habet apparentiæ. Neque enim ſic caput erat Petrus, vt nouam faceret familiam, præter eam quam Chriſtus habebat: neque veriſimile eſt, tali illum ſingularitate coram populo eminuiſſe, præ cæteris apoſtolis, vt propter ipſum homines rudes duo peterent didrachma, ſi alioqui ſuffeciſſet vnum. Vnde videtur probabilius, ꝙ vnum exigebatur didrachmum pro Chriſto, vt paterfamilias, alterum pro Petro ac ſociis, vt familia eius. Nec mouere debet quod ait dominus Petro: *Da illis pro me & te.* Intelligitur enim, pro te ac ſociis tuis. Et videtur illa quidẽ ordinatio omnino rationabilis. Si enim qui ſolus tranſibat, vnius erat didrachmi debitor, quare non illi qui cũ maiori familia tranſibat, vel vnum ſuperadderetur didrachmum? Attamen non pro ſingulis de familia æquum fuiſſet ſingula didrachma exigere, quoniam hoc in nimium cæderet grauamen patrisfamilias, neque æquari debent cum patrefamilias domeſtici eius.

ELVCIDATIO CAP. XVIII.

IN illo tempore, poſtquam in via diſputaſſent diſcipuli, quis eorũ videretur eſſe maior, domũ ingreſsi, acceſſerũt ad præceptorẽ, quæſtionẽ illi proponẽtes atq; dicentes: [b] Quiſnam in regno cæ-

IN illa hora acceſſerũt diſcipuli ad Ieſum dicentes:
b Quiſpuiam ma-

ior eſt in regno cælorum?

lorum erit maior? Quonã modo,quáve ratione vera cõparatur apud Deũ excellẽtia? Quis eſt modus, quo maioris apud Deũ meriti fiat homo atq; in regno cęlorũ excellior?

a Et aduocans Ieſus paruulum ſtatuit eum in medio eorũ: & dixit:

[a] Ad hanc quæſtionem diſſoluendam, quo magis affectui diſcipulorũ imprimeret dominus quæ erat docturus, eo ꝙ ſenſibilia exẽpla in moralibus peculiarẽ quandã vim habent animũ mouendi,& quæ dicũtur imprimendi memoriæ, puerulũ quendã blandè ad ſe aduocauit, eoq; in medio diſcipulorum, vt ab omnibus videretur, conſtituto, reſpõſionẽ propoſitæ quæſtioni adhibuit, dicens:

b Amẽ dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.

[b] In veritate dico vobis,niſi ab omni ſuperbia & ambitione auerſi,toto ſtudio vos huc cõuertatis,vt efficiamini humiles,mites,ſimplices,ac puri à malitia, ꝓ virtutis ſtudiũ,quẽadmodũ paruulus iſte ætatis conditione humilis eſt, ſimplex & immunis adhuc à malitia, nõ intrabitis in regnũ cęlorũ.Ne exiſtimate,per ambitionẽ,cõtentiones & iurgia cõparandã eſſe celſitudinẽ regni cęleſtis, quomodo in regnis terrenis per ambitionẽ, feritatẽ & cõtentiones,prima loca rapi & occupari ſolent:ſed humiles omnino vos fieri oportet, mites, & in malo ſimplices.

c Quicunq; ergo humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte,

[c] Itaq; quiſquis ſeriò & ex animo, nõ fictis tantũ verbis,aut ſimulatis geſtibus, ſe humiliauerit: quẽadmodũ puer iſte humilis eſt in oculis ſuis,minimis cõtentus,magna nõ quęrẽs,neq; ad honores ſublimes aſpirãs,doceri magis,ꝙ̃ docere, & corripi magis, ꝙ̃ corripere paratus,deniq; oĩa humilia magis ꝙ̃ ſublimia ex affectu ſuo deſiderãs & ſectãs,

d hic eſt maior in regno cælorum.

[d] talis videlicet in regno cælorũ erit pręeminẽs,per ſuã humilitatem in regno illo exaltari merebitur: quoniã qui ſe humiliat exaltabitur,eſtq; humilitas ad verã in cælis exaltationẽ via certiſſima,ſine qua ad eam peruenire nemo poterit.

e Et qui ſuſceperit vnũ paruulum talẽ in nomine meo,

[e] Eos verò q ad huius paruuli formã ſe humiliauerint,ego tãti facio & tãto dignor honore,vtſi quis vnũ aliquẽ huiuſmodi in meo nomine , vel propter meũ amorẽ ſuſceperit,vel in hoſpitiũ colligẽdo, vel ad bonũ dirigẽdo ſiue inſtituẽdo,vel aliud quodlibet charitatis & miſericordiæ obſequiũ ei impendendo,

f me ſuſcepit.

[f] id omne mihi factũ reputẽ:ſic gratũ & acceptũ habeo beneficiũ illud,& tali remuneratiõe dignabor

in

in tépore ſuo.acſi mihi eiuſmodi impédiſſet humili-
ta[illegible] obſeq[illegible]ũ. [a] Exaduerſo quoq; grauiſsimũ eſt ma
lũ, vllo nocumento huiuſmodi nocere paruulis. Nã ſi
quis vnũ aliquẽ ex humilibus huiuſmodi in me cre-
dentibus ſcandalizauerit, verbo vel exẽplo minus re-
cto occaſionem illi præbens ruinæ, [b] non pro nihilo
reputari debet, puſillum ita ſcandalizaſſe: ſed tanquam
malum maximum debet æſtimari, ita vt dignus ſit hu
iuſmodi ſcãdalizator puſilli, qui crudeli & infami ſup
plicio tollatur de vita, videlicet vt molari lapide cer-
uici appenſo, ipſe mergatur in profundum pelagi, ſic-
que vitam corporalẽ in vltionẽ finiat præbiti ſcanda-
li. Præſtantius quoq; & magis vtile, magiſque optan-
dum fuerit, ipſi quoq; ſcandalizatori tali, vt publico
& infami malefactorum ſupplicio ſubmerſionis eiuſ
modi, vitam perdat temporalem, quàm per ſuũ ſcan-
dalũ puſilli & humilis fidelis perdat animã in damna
tione æterna. Vitam enim tẽporalem propriam quiſ-
que poſtponere debet ſaluti animæ proximorũ ſuo-
rum: neque cuiquam pretioſius debet eſſe ſuum cor-
pus, quam fratris anima: atq; ob hoc magis eſt homi-
ni expediens, propriam vitam corporalem amittere,
quocunque tandem ſupplicio, quàm fratris animam
ſcandalo perdere. [c] Væ iis qui in mundo degunt pro-
pter ſcãdala, quibus eſt plenus ipſe totus in maligno
poſitus. Merito debẽt exhorreſcere quicũque in mũ-
do viuunt, ac ſibi maximè metuere, ob multitudinem
& magnitudinem ſcandalorum, quæ occurrunt vndi-
que, quibus difficile eſt nõ offendi, quę difficillimum
eſt omnia abſque nocumento & offenſione euadere,
[d] Oportet enim euenire ſcandala, donec mundus iſte
perſtabit. Omnino ita futurum eſt vſque ad conſum-
mationem ſæculi, neque ſpes eſt, vt prius in totum au
ferantur de mũdo ſcandala. Semper enim ſtultorum
erit infinitus numerus, ſemper erunt ad malũ procli-
ues homines, donec hoc perſtabit ſæculũ: neque pro-
inde poterunt ante deficere ſcãdala, quàm veniat con
ſummatio. Neq; tamen id releuat aut excuſat ſcanda
la ponentes, & ſcandalorum authores, quinimo væ il-
lis & cõminatio expectatioque grauiſsimæ vltionis,
per

a Qui autẽ ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt,

b expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

c Væ mũdo, ab ſcandalis.

d Neceſſe eſt enim, vt veniãt ſcãdala. Verun tamen, væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Eccl.1.

per quos iſta veniũt ſcãdala. Nõ enim patietur Deus abire inultos,qui ſuis prauis doctrinis aut exemplis, perdunt proximos:quaſi non illis ſatis ſit ſeipſos perdere,niſi & alios ſecum trahant in exitium. [a] Vt verò ſciatis,quàm ſit horrendum ſcandalum, & quàm fugiendum omnibus ſalutem deſiderãtibus, hoc vobis in ſeueritate denuntio, nihil debere eſſe homini tam charum, tam gratum, tã vtile, tam commodum,tam dulce,tam neceſſariũ, quod nõ debeat à ſe abiicere, ac prorſus abnegare,potius quàm ab eo ſcandalũ pati:omnéſque occaſiones ruinæ ſolicitiſsimè vitari & præſcindi debere, adeo vt ſi manus tua aut pes tuus (quæ duo membra homini maximè ſunt cõmoda ad res peragendas & paranda neceſſaria,præ cæteris) te ſcandalizauerit, tibique occaſionem ruinæ præſtiterit,debeas illa abſcindere,atq; à te abiicere,pro effugiendo ſcandalo & ſaluanda anima. [b] Omnino enim expedit,vnius membri præciſione totũ corpus ſimul & animam à morte æterna ſanare:meliúſque eſt,manu vna aut pede vno truncatum intrare ad vitã,quàm duas manus & pedes duos temporaliter retinentem abire in mortem æternam. [c] Itidem pronuntio & de oculo(quo nihil habet homo charius, vtpote gaudiũ maximum homini adferẽs,& plurima docens) quod ſi tibi occaſionem ruinæ dederit,tibiq; immineat ex eo ſalutis periculum,eruere illum debeas,& lõgè à te proiicere. [d] Melius enim tibi eſt,vt vnum illud membrum tuũ pereat & proiiciatur, quàm vt totum corpus tuum ſimul & anima cõiiciatur in gehennam totius corporis,imo totius hominis ſalus æterna vnius partis eſt ſaluti temporali præponenda. Non quòd per hæc indicare velim(quemadmodum prima facie ſermo ſonare videtur) debere hominẽ mutilare ſeipſum,pedéq; aut manu aut alio quouis mẽbro truncare,cuius nõ ipſe eſt dominus,ſed Deus, & cuius nõ ipſe habet poteſtatem, ſed Deus:ſed quod per membra iſta homini præ omnibus chariſsima & commodiſsima,manum,pedem & oculum,ſignificare velim, nullam rem ita charam nobis eſſe debere,quãtumuis nos cõſoletur,quantumuis nos adiuuet, quantumuis ſit com

a Si autem manus tua, vel pes tuus ſcãdalizat te,abſcinde eũ, & proijce abs te.

b Bonum tibi eſt, ad vitam ingredi debilẽ vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habẽtem mitti in ignem æternũ.

c Et ſi oculus tuus ſcãdalizat te,erue eum, & proiice ab te.

d Bonum tibi eſt, vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentẽ mitti in gehennam ignis.

ſit commoda aut neceſſaria, quam non pro effugiendo ſcandalo propter ſalutẽ animæ debeamus à nobis libenter abiicere, & prorſus abnegare. Melius eſt enim, abſque tali re vel iucundiſsima vel commodiſſima ſalutem obtinere æternam, quàm ei inhærendo ſcandalum pati, ſicque mortem inuenire æternam. Ecce quàm eſt horrendum ſcandalũ, quãta vos oporteat facere pro effugiẽdo ſcandalo, ſi veſtras animas ſaluas cupitis in vitam æternam. [a] Item vos moneo, ne paruipendatis vnũ ex humilibus iſtiuſmodi fidelibus meis, pueri huius ſimilibus, ne ſecundum mundi iudicium pauperes ſpiritu & humiles pro nihilo æſtimetis, eos contemnentes atque ſpernentes. [b] Dico enim vobis, quod angeli eis in cuſtodes deputati, perpetua fruuntur viſione beatifica patris mei cæleſtis. Nequaquã ergo contemnendi ſunt aut paruipendendi, quos tanti æſtimat pater meus, vt ad cuſtodiam illis aſsignare, in miniſterium eorum mittere dignetur ſublimes illas angelicas creaturas: quæ licet in miniſterium mittuntur tanquam adminiſtratorij ſpiritus propter eos qui ex hominibus hæreditatem ſunt accepturi ſalutis, nunquam tamen abſunt à conſpectu vultus patris mei, cuius beatifica viſione ſemper fruuntur, qui nunquam ſic ad miniſterium mittuntur, vt ab interna patris mei viſione recedant. [c] Neque id ſolum, verumetiam alia inſuper ratione longè maiori humiles & fideles meos pater honorauit, pro quorum ſalute operanda, me filium ſuum vnigenitum ad terras demiſit, vt in mũdum veniens factus homo, quæreren quod perierat, genus humanum, quod per peccatum in perditionem venerat, & ſub morte concluſum ſeruabatur, vitæ reſtituerem, populũmq; meum & electos omnes à perditione ad vitam reducerẽ. Quomodo ergo ab hominibus contemnendi erunt humiles & pauperes ſpiritu, electi mei, quos tanti fecit cæleſtis pater, item & patris filius? [d] Volo autem & ſenſibili vobis exemplo oſtendere, quãti ſint apud Deum pretij, electorum ſinguli. Voſipſi ex proponenda vobis parabola ferte iudicium, quod monſtrabit ratio indicate. [e] Si habuerit quiſpiam

a Videte, ne contemnatis vnum ex his puſillis.

b Dico enim vobis quia angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei qui in cælis eſt.

c Venit enim filius hominis ſaluare quod perierat.

d Quid vobis videtur?

e Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nõne relinquit nonagintanouẽ in mõtibus: & vadit quærere eam quæ errauit?

quiſpiam cētum oues,& earum vnam cōtigerit aberrare à grege,hic ſi prudēs eſt,& ſuarum rerum curam gerens,nónne in deſerto aut in mōtibus aut in locis paſcuæ relinquens ſub cuſtodia bona gregem illum totū nonagintanouem ouium,cōuertet ſeſe ad quærendam vnicam illam perditam ouē,vt eam reducat ad gregem quæ errauerat?[a] Quòd ſi contigerit quærentem inuenire eam quæ fuerat perdita, in veritate dico vobis,quod ſingulari quodam gaudio ſuper inuēta illa vnica oue gaudebit,quali non gaudebit ſuper nonaginta nouem ouibus illis quę non aberrauerāt:quemadmodum illi pro oue perdita fuerat triſtitia,quali non afficiebatur pro iis quæ non aberrauerant,ita econtrario poſt ouem illam inuentam,peculiaris quædā de eius inuentione orietur lętitia,cuiuſmodi nō habebitur de illis quæ nunquā fuerant perditę:quomodo & ſuper filio prodigo reuerſo, gaudiū & feſtū ſpeciale pater pius celebrat,quod nō ſuper filio habet ſemper obediēte,qui patri indiuiduus ſemper adhæſit ac miniſtrauit.[b] Hanc parabolā propoſito meo ſermoni applicans, dico quomodo bonus paterfamilias,& paſtor,nec vnam ouiculam perire patitur, ſed errātes ſumma reliquit diligentia, ſic patris quoque mei qui in cælis eſt nō eſſe volūtatem, vt vel vna ex ouiculis iſtis,id eſt, puſillis atq; humilibus electis meis,pereat.Quinimo vſque adeò illi curæ eſt ſalus ouicularū aberrantiū,vt propter totum genus humanū(quaſi ouem vnam ſimul vno die perditā)inueniēdū,filium ad terras demiſerit,qui ouem illam in humeros ſibi adduceret:ſingulos quoq; electorū, ſi quādo aberrare à via recta contigerit, internis vel etiam externis exhortationibus,increpationibus,& quibuſlibet modis opportunis requirit, donec reducat ad paſcua, & ad vitā reſtituat. Et quomodo patris cæleſtis non eſt voluntas,vt quiſquam pereat fidelium, ſic neque vos,quantū in vobis erit,pati debebitis,vt pereat quiſquam fidelium:ſed quinetiam enitendū vobis erit magno ſtudio,vt errantem fratrem reducatis ad viam rectā. [c] Vnde ſi pro humana fragilitate à cōcupiſcētia ſua abſtractus & illectus,aut ignorātia lapſus

a Et ſi contigerit vt inueniat eam, amen dico vobis,quia gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonagintanouem quæ non errauerunt.

b Sic non eſt voluntas ante patrē veſtrum qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis.

c Si autem peccauerit in te frater tuus,

pſus,aut impij dæmonis mundive ſuggeſtionibus ſeductus,fratrum tuorum quiſpiam in te peccauerit:id eſt,tali peccato quo te peculiariter offendit,aut quod in eo tu ſingulariter deprehendis,quo tu illũ lapſum, aut etiã lapſui proximum(de quo idem ferè eſt iudicium)aduertis,noli ouem lapſam in foueã(cuius extrahẽdæ adhuc ſpes relinquitur)pertranſire,noli diſſimulare,quaſi non aduerteris:id quod neque in vaca aut boue,aut quolibet iumento lex Moſaica patitur, quæ docet nõ præteriri debere bouem fratris collapſum in foueã. [a] Sed accinge te ad educendum de fouea,quantum in te fuerit, collapſum fratrem tuum: accede eũ tu qui ſpiritualis es,& inſtrue eum in ſpiritu lenitatis,conſiderans teipſum,ne & tu tenteris:argue eum,ſeparatim nemine audiẽte alio præter eum quẽ arguis,vt verecũdiæ conſulas fratris tui:ne ſi ſtatim corã pluribus peccatum aperias,ille erubeſcat, & indignatione aduerſum te cõmotus,qui ſine neceſſitate famam eius bonam commaculaueris, ex tua illa inordinata increpatione deficiat magis quam proficiat:ſed ecõtrario,ex priuata & manſueta correptione attendens tuam erga ſe charitatẽ,exque ea procedẽtem correptionẽ,manſuetudine deuictus, acquieſcat bene monẽti.Sic enim eſt hominis animus, eius maximè qui nõdũ in profundũ eſt immerſus obſtinati cordis,vt mãſuetudine & charitate magis quàm duritia & ſeueritate proficiat,vtq; eius libẽtiſsimè correptionẽ ſuſcipiat,de quo habet bonam exiſtimationẽ amicitiæ,quam profectò monſtrat, qui ſic priuata correptione leniter fratrem corripit.[b] Et ſi quidẽ ad tuã correptionẽ iſtam priuatã frater reatũ agnoſcat, ad cor redeat,agátq; pœnitentiã,culpã agnoſcens, & emendationẽ proponens,ecce fratrẽ tuũ inueniſti,& lucratus es eũ qui perierat,ouẽ extraxiſti de fouea in quã collapſa fuerat,idque abſque omni etiam famæ & boni nominis detrimẽto,quod ante omnia tentandũ eſt,videlicet prodeſſe multũ,nocere nihil. [c] Quòd ſi non hac via poteris tuum fratrem lucrari, ſi priuatæ monitioni non acquieſcat,non tamẽ ſtatim ceſſandum eſt: ſed ſi cum omnimoda famæ conſeruatione non

a vade, & corripe eum, inter te & ipſum ſolũ.

b Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

c Si autem te non audierit,

a adhibe tecum adhuc vnum vel duos,

nō potes ſolus prodeſſe, [a] tāta deinde quod proximū eſt, aſſume tibi alios duos aut tres ſpirituales homines, quos ad eam rem ſecundum charitatem noueris eſſe magis idoneos, quos exiſtimas zelo Dei feruentes, & in corripiēdo alacres atque efficaces, quos maximè apud illū collapſum putaueris poſſe proficere, & per quos minimè ſperaueris illius bono nomini officere, & expone illis priuatum fratris negotiū, ac deinde cū his & per hos age apud fratrem, vt moueatur ex correptione & exhortatione plurium, qui ſolū te contempſit audire. [b] Hos autem aſſumes tuæ admonitionis quaſi teſtes & adiutores, qui tecū vno ex ore loquātur, qui ſimul arguāt, ſimul moneant, ſimul exhortentur, vt ſic in ore duorum vel trium teſtiū ſit validum & efficax quicquid dixeris. Plus enim fidei, plus efficaciȩ, plus authoritatis eſt in verbo plurium ex ore vno loquētium, quàm in vnius tātum ſermone: neque raro contingit, vt quod vnus quantumlibet amicus non impetrat, plurium authoritas velut extorqueat. Quomodo etiam iumentum in foueam collapſum, quod vnus nō poteſt ſolus educere, aduocatis in auxilium pluribus, vtique educi poterit. [c] Denique, ſi nec iſtos velit audire quos tecū adhibuiſti, ne ſic quidem ceſſare debes: ſed tentanda erunt omnia, omnis erit mouēdus lapis, antequam fratrem in peccato relinquas. Quemadmodū enim cum iumentum collapſum in foueā nec per te ſolū, nec per eos quos aduocaſti ſocios, potueris educere, ad dominum iumenti referendum eſt nuntium, ſi fortè modum ipſe nouerit ſuū pecus eruendi de puteo: ita poſtquam & per te ipſum, & per adhibitos teſtes viros idoneos nihil apud fratrem proficis. [d] ad Eccleſiam deferendum erit negotiū, ad eos penes quos eſt eccleſiaſtica authoritas, ad quos ex officio ſpectat inuigilare ſaluti ſibi commiſſarum ouium, qui cum authoritate poſſint arguere atque corripere, vtpote penes quos poteſtas eſt ligandi atque ſoluendi, ſicque peccantem & in impœnitētia perſiſtentem debita punitione feriendi ad huiuſmodi: erit deferendum negotium, vt vel per ſuperioris poteſtatis authoritatem, vel per metū inferendæ

b vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.

c Quòd ſi nō audierit eos.

d dic Eccleſiæ.

ferendę punitionis reſipiſcat,qui ſemel atque iterum in charitate monitus noluit acquieſcere monẽtibus.

a Si autem Eccleſiam non audierit,

[a] Quòd ſi neq; Eccleſiam audierit,ſi ei penes quẽ eſt Eccleſiaſtica poteſtas,legitimo ſuo prępoſito,ob tem perare recuſauerit,eligẽs permanere in peccato ſuo, tanquam ſanctę obediẽtiæ & Eccleſiaſticę poteſtatis contemptor:[b] de conſortio abſcindatur fideliũ:hunc habeto,donec in eo impœnitentiæ propoſito perſe ueraurit:quaſi nõ fratrem,vtpote gentilẽ,aut homi nem prorſus mundanum, qui dignus non ſit fratris aut Chriſtiani ferre nomen.Hac enim in parte genti lem ſe monſtrat,dum Eccleſiam audire contemnit,& Eccleſiaſticæ poteſtati obtẽperare recuſat. Quare & hunc,poſt omnia tentata,tanquam gentilem ac pror ſus mundanum & non Chriſtianum,diuino relinque iudicio.Qui enim Eccleſiã contemnunt,tanquã qui extra Eccleſiam ſunt,diuino ſunt relinquẽdi iudicio. 1.Co,15

b ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.

Ecce quanta cura vobis agendum eſt qui ſpirituales eſtis,ne,quantum in vobis eſt, vobis videntibus aut ſcientibus quiſquam pereat fratrũ veſtrorũ,quomo do non ab illorũ monitione ſit ceſſandum,vſquedum ſe fratris nomine faciũt indignos.[c] Ne verò pro leui re quis cõtemnat Eccleſiã,aut pro nihilo ducat Eccle ſiaſticam poteſtatẽ,illud dico vobis,tantam eſſe eam. vt quicquid vos apoſtoli mei,cæteriq; vobis ſucceſſu ri Eccleſiarũ presbyteri atq; præpoſiti, ſuper terram hîc alligaueritis,ratũ habeatur in cælis:quemcũq; au thoritate vobis cõmiſſa legitimè vtentes ligandũ iu dicaueritis,Deus id habeat ratum in cælis. Quare nõ eſt parui æſtimandum Eccleſiæ in terris iudicium,cu ius eſt in cælis approbator Deus.[d] Et ne ad iudicium ſolum & deſtructionẽ ſit Eccleſiæ poteſtas,hoc etiam adiicio,quòd quæcũque vos ſuper terram ſolueritis, erunt & in cælis ſoluta:quos legitimè veſtra vtentes poteſtate,dignos cõpertos abſolutione,à peccato & vinculo illo,quo ligati fuerant ſolueritis,hos & Deus ſoluet in cælis:cõfirmabit ipſe & approbabit,ratũq; habebit in cælis,quicquid vos ſecundum debitum ve ſtræ poteſtatis vſum in terris egeritis: vt quomodo peccantẽ & inobedientẽ fratrem potuiſtis ligare atq;

c Amẽ dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram,erũt ligata, & in cælo.

d Et quæcunq; ſolueritis ſuper terram,erunt ſoluta & in cælo.

proiicere,ſic & pœnitentẽ obedire paratum poſsitis recipere in gratiam,vt ſit penes vos poteſtas reſecãdi infecta,rurſumque ſanata adglutinandi. [a] Et ne quis forte paruifaciat ligari ab Eccleſia,atq; à fideliũ numero ſeparari,tanquam ethnicus & publicanus,vt cognoſcat quilibet,quantum perdat commodũ,qui ab Eccleſiæ communione ſua culpa legitimè eiicitur,& à reliquis fidelibus tanquam putridũ membrũ reſcinditur atque diuiditur. Hoc iterum vobis dico,tãtum eſſe commodũ eorum qui in Eccleſiaſtica vnitate permanẽt,vt ſi duo aut tres in oratione vnanimes,in concordia fraterna,in vna fide,vna ſpe,vna charitate,vno deſiderio,abſque diuiſione,tanquam fratres in vnum habitantes,quippiam poſtulauerint à patre meo,non poſsit non exaudiri eorũ oratio. Non enim poteſt nõ exaudiri oratio fidelium,cum ſit in vnitate Eccleſiæ, quin iuxta quod Deus nouit & petẽtibus & Eccleſiæ toti eſſe quàm vtiliſsimum,ita diſponat & faciat omnia. Quemadmodum econtrario,nõ eſt Deo acceptabilis oratio eorum qui in diuiſione ob ſuam impœnitentiam ab Eccleſiaſtica vnitate ſeparati viuunt: ac proinde,quum omne hominis bonum ſpirituale per orationẽ debeat à Deo impetrari,maximũ ſibi haud-dubiè damnũ facit,qui ſe ab Eccleſiaſtica vnitate diuidit: in qua diuiſione ſi permanere eligit,neq; ſtatim ad vnitatem reuerti ſatagit,vbi ſenſerit gladiũ, iuſto Dei iudicio Satanæ traditus,eius laqueis captiuus tenebitur,ad ipſius voluntatem,vt ad grauiora indies mala eũ pertrahat quo voluerit. [b] Dico autẽ eos qui vnanimes orant neceſſariò exaudiri, quoniam vbicũque duo aut tres fideles in meo nomine in pace & cõcordia fuerint congregati, vbi ad gloriam & honorem patris in vnanimitate & bona concordia conuenerint plures fideles, illic ego ſum in eorum medio tanquam adiutor & director eorum, in eo quod ad gloriam mei nominis tractant,vel poſtulant. Vbi autem adſum ego,non potuerunt non omnia proſpere ſuccedere & fœliciter tranſigi. Contra verò,iis qui diuiſi ſunt ab vnitate nominis mei, qui ſeparati ſunt ab illis qui ſunt in vnitate fidei,his ego lõgè abſum: non

a Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis cõſenſerint ſuper terram,de omni re quamcunque petierint,fiet illis,à patre meo qui in cœlis eſt.

b Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

non illorum præſum conciliabulis,ſed præſidet in illorum medio Satanas,cui traditi ſunt:quoniam non de gremio ſunt Eccleſiæ,à cuius ſe diuiſerũt vnitate, ſed de ſynagoga ſunt Satanæ,cui ſe adſcripſerunt, ab Eccleſia mea diuiſi. [a] Hæc autem diſſerente domino, Petrus occaſione eorum quæ ille docuerat,quòd vide licet humiles oporteret eſſe fideles,atq; ad remiſsionem iniuriarum faciles,in morẽ pueri, qui ſtabat in medio,quodq́ue oporteret etiam errãtem proximũ requirere per correptionem, quæſtionem mouet de remiſsione offenſarũ,quibus proximus offendit proximum,dicens:Domine,ad quotam vſq; vicem debet homo proximo ſuo dimittere cõmiſſam in ſe offenſam?Ex tuis verbis ſatis colligimus,debere nos inuicem donare iniurias,quandoquidẽ etiam in nos peccantes iubemur requirere,& ad viam rectam magna ſolicitudine reducere.Sed hoc mihi eſt dubium,num fortè certus ſit terminus in dimiſsione offenſarũ, an certis tantũ aliquot vicibus debeamus dimittere,vt ſi frater nimia malitia numerũ illum tranſeat,nõ vltra cogatur homo dimittere?[b]Sufficiétne dimiſiſſe fratri ſeptem vicibus?Dominus reſpondit: [c] Nõ præſcribo ego certum numerum aut terminum,neq; tantum ſeptem vicibꝰ dico dimitti debere iniuriam proximo: [d] ſed quotieſcunq; te contigerit offendi à tuo proximo,toties oportet te paratum eſſe ad remiſsionem,& ex animo ſemper dimittere, vt vindictã nõ appetas, etiã ſi ſeptuagies ſepties id cõtingat:hoc eſt,quadringentis & nonaginta vicibus,vel ſeptuaginta & ſeptẽ vicibus.[e] Quæ res,vt veſtris cordibus infigatur profundius,parabolam vobis proponam,ex cuius concluſione euidẽtiſsimè diſcetis,quam ſeuerè à vobis hoc exigat Deus,vt offenſas donetis inuicem. [f] Sic ſe habet regnum cælorum, ſic pro eo acquirendo agere oporret, quomodo ſubſequens indicat parabola,de homine rege,qui voluit rationem ponere, computumq́ue ſuſcipere à ſeruis & debitoribus ſuis, atque ab eis ſolutionem expoſcere.[g] Quod cum facere cœpiſſet,oblatus eſt ei vnus ex ſeruis debito magno obſtrictus,nempe decem millium talentorũ.[h] Cũ autẽ

a Tunc accedẽs Petrus ad eũ,dixit: Dñe, quoties peccabit in me frater meus, & dimittã ei? b vſque ſepties? c Dicit illi Ieſus:Non dico tibi,vſque ſepties, d ſed vſque ſeptuagies ſepties. e Ideo, f aßimilatum eſt regnum cælorum homini regi,qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. g Et cum cœpiſſet rationem ponere,oblatus eſt ei vnus,qui debebat ei decem millia talenta. h Cum autem non haberet vnde redderet,iuſſit eum dominus eius venũdari, & vxorẽ eius, & filios,& omnia quæ habebat,& reddi.

hic facultatem non haberet ſoluendi tantũ debitum, dominus(ad incutiendũ illi terrorem,& experimẽtũ ſumendum quid eſſet acturus)ſeuera voce,aduocatis ſeruis aliis,iuſsit hunc venditioni exponi,ſimul & cũ eo vxorem & liberos,& quæcunq; ipſius erant , vt ex eorum venditione ſolutionẽ acciperet debiti,vel in tantillo quantulum ex iis potuiſſet corradi.[a] Exterritus ſeruus voce domini,conſiliũ aliud nõ inueniens, quod vnicum eſt miſerorum refugium,ad orationẽ confugit:procidensq; in genua,coram rege,ſupplici ter deprecatus eſt illum,dilationem poſtulans.[b] Domine(inquit)patienter age mecum,oſtẽde erga me longanimitatem tuam,in differẽdo ſuppliciũ:& ego totis adnitar viribus,vt tibi perſoluam omne debitũ, quãtum in me fuerit.[c] His auditis,ille(vt ſunt reges magnanimi,ſimul & munifici atque liberales,maximè autẽ erga ſupplices pij)non ſolum ſeruum impu nitũ abire permiſit,verum etiam debitum omne ex abundanti munificentia liberaliter dimiſit,quod ille quidem poſtulare nõ auſus fuerat.Ita expectationẽ & poſtulationem ſerui vicit clementia domini.[d]His itaque geſtis,tãta accepta gratia,egreſſus ſeruus ille, obuium habuit quendam de cõſeruis ſuis,qui debito ſibi obſtrictus erat centum denariorum.[e] Quem con ſpiciẽs,nimium cito oblitus factæ ſibi miſericordię, manus in illum iniecit violentas,apprehenſum ſtrin xit gutture,velut iamiã ſumpturus pœnas de eo , niſi debitũ quãtotius perſolueret,dixitq; illi:[f]Ocius perſolue mihi debitum,æs adnumera quo mihi obſtringeris. [g] Ille videns à cõſeruo parari ſibi malum , ad preces confugit,quibus exactor iſte tantam iam inuenerat gratiã.[h] Patientiam(inquiens)oſtende erga me,longanimem te mihi exhibe,differ aliquantulũ: & ego cuncta tibi reddam fideliter. O rem indignã, & auditu horrendam crudelitatem.Hæc illa ipſa vox erat,qua ſeruus iamiam à domino obtinuerat debiti maximi,nempe decẽ millium talentorum plenã remiſsionem :[i] & tamen eadem hac voce à conſeruo prolata,pro debito minimo.(Quid enim ſunt denarij centum,ſi ad decem millia talentorum coferantur?)

adeò

a Procidens autem ſeruus ille, orabat eum,dicens:

b Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

c Miſertus autẽ dominus ſerui illius,dimiſit eũ, & debitum dimiſit ei.

d Egreſſus autẽ ſeruus ille,inuenit vnum de cõſeruis ſuis , qui debebat ei centũ denarios.

e & tenens ſuffocabat eum,dicens:

f Redde quod debes.

g Et procidens conſeruus eius, rogabat eum,dicens:

h Patientiam habe in me , & omnia reddam tibi.

i Ille autem noluit,ſed abijt,et miſit eũ in carcerem,donec redderet debitum.

adeo nō eſt crudelis ille ſeruus ſui conſerui miſertus, vt quantotius illum pro tam minimo debito iuſſerit coniici in vincula,atq; in carcerem detrudi,vt ſic per pœnam & confuſionem publicam extorqueret à con ſeruo exiguū debitum. Ecce quàm eſt crudelis ſeruus erga conſeruū,qui tam expertus eſt liberalem erga ſe dominum. Pro debito modico ſeruus cōſeruum trudit in carcerem:vbi dominus pro debito maximo ſer uitutem tantum fuerat cōminatus:quæ vtique captiuitate eſt tolerabilior,idq; mox poſt tantam erga ſe domini perceptam humanitatem,quod illius crudeli tatem mirū in modum exaggerat, cum doceat natura,tales nos præſtare proximis, quales ipſi libēter experimur alios. Quid feciſſet exactor iſte,ſi in loco fuiſ ſet domini,ſi nullam prior fuiſſet expertus miſericor diam,ſi cōſeruum habuiſſet debitorē decem millium talentorum,poſteaquam nihil niſi conſeruus & prior miſericordiam expertus,pro centum tātum denariis, tantam monſtrauit crudelitatem? [a] Videntes autem conſerui factum huiuſcemodi,non potuit non vehementer illis diſplicere tyrannica illa crudelitas,ab eo quem ſciebant tantam expertum fuiſſe domini clementiam: quandoquidem natura homo crudelitatem & iniuſtitiam execratur, in iis potiſsimum qui priores ipſi experti ſunt miſericordiam:veluti quum ij qui à paupertate ad magna ſunt euecti, vidētur nil miſereri pauperum, ſed eos crudeliter opprimere, [b] Itaque rem iſtam ad dominum ſuum deferunt, & qui cum ſuo debitore conſeruo ille qui remiſsionem acceperat ſeruus egerit, regi cum querimonia, oppreſſori indignantes, oppreſſo condolentes, denuntiant. [c] Qua tam immani crudelitate & execrabili ingratidudine immiſericordiaque audita, dominus ſeruum illum quantotius ad ſe vocari, ſibíque adduci & præſentari iubet: quem adductum, obiurgatione ſtatim acerrima aggreditur, dicens: [d] Serue nequam, peruerſè & crudelis nebulo,quæ eſt hæc quam de te audio inaudita crudelitas? [e] Tu mihi debitor eras decem millium talentorum, & debitum omne tibi liberalier dimiſi,tantum quia rogaſti me, vt pa-

a Videntes autem cōſerui eius quæ fiebant,contriſtati ſunt valde:

b & venerunt, & narrauerunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant.

c Tunc vocauit illum dominus ſuus, & ait illi:

d Serue nequā,

e omne debitū dimiſi tibi,quoniā rogaſti me.

tienter tecum agerem,plus tibi quàm petiſti donari: tu dilationem tantum poſtulaſti,ego perfectam dedi remiſsionem omnium.[a] Talem poſteaquam tu me fuiſti expertus,ſeruus dominum, idque in debito tā grandi,nónne viciſsim decebat,vt tu conſimilem exhiberes miſericordiam conſeruus erga cōſeruum,& in debito longè minori?Quod ſi etiam in totum non tibi viſum fuiſſet debitū dimittere,vt ego tibi dimiſeram,nónne vt minimum dilationem quam ille poſtulabat,in memoriam præſtitæ tibi miſericordiæ,roganti debueras concedere? Tu autem in nullo prorſus miſertus es conſerui tui;oblitus omnis miſericordiæ,quam ipſe iam ſenſeras.Tibi itaque qui noluiſti erga conſeruum facere miſericordiam,iudicium fiet amodo ſine miſericordia.[b] Tūc ſeriò iratus rex(qui ante eum rationem poneret, tantum per comminationem ad terrorem debitoris,iram verbo oſtendebat verius,quàm in corde gerebat)debitum illud omne quod prius dimiſerat humiliter ſupplicanti ſuper crudelem & immiſericordem tyrannum reuocauit: moxque definitiua prolata ſententia,cōſimile aduerſus eum protulit iudiciū ſine miſericordia,quale aduerſus ſuum conſeruum ille exercuerat:ſtatimq; ſine mora in manus tortorum illum tradidit,[c] qui illum in tenebroſa carceris loca concluderent,ac tormētis iugiter grauibus afficerent,donec ad nouiſsimum vſque minutum debitum omne perſolueret:quod quia omnino non potuit,ob debiti magnitudinem in tormentis illis permanere illū neceſſe fuit.Iam videtis, quò hæc tēdat parabola.Videtis,quem habeat exitū.[d] Ita profectò vobiſcum aget pater meus cæleſtis,ſi non dimiſeritis offenſas proximis veſtris ex ſynceris cordibus:ita iudicium ſine miſericordia exercebit in omnes eos,qui noluerint ſuis proximis facere miſericordiā,& commiſſas aduerſum ſe offenſas ex animo dimittere.Non enim dimittet illis pater meus peccata ipſorum,ſicut ipſi proximis commiſſa aduerſum ſe peccata noluerunt dimittere.

a Nónne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?

b Et iratus dominus eius,tradidit eum tortoribus,

c Quoadusque redderet vniuerſum debitum.

d Sic et pater meus cæleſtis faciet vobis,ſi nōn remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

Expli-

Explicatio Parabolæ huius de rege rationem ponente.

REx iſte, pater eſt cæleſtis: ſeruus debitor, quilibet eſt homo peccator, qui peccando fit Deo debitor, quoniã ipſi ſoli homo peccat, & ipſi fit per peccatum ad pœnam obnoxius. Cum debitoribus rationem ponit Deus, quoniam à peccatoribus vult placari, & ſuum honorem cui per peccatũ derogatur vult reſtitui. Decem millia talentorum debet peccator, quoniàm in multis offendimus omnes, & ſepties in die cadimus, propter multitudinẽ & magnitudinem peccatorũ, quibus Deum offendimus. Vehementer enim magnũ eſt debitum quo Deo obligamur, tum propter grauitatẽ, tum propter frequentem iterationem & multitudinẽ peccatorum. Tanto nanq; eſt quod in Deum cõmittitur peccatũ, grauius omni eo quod in hominem committitur, quãto eſt ipſius maieſtas omnibus excelſior, & in immẽſum ſuperat quicquid eſt in hominibus. Tanto obſtrictu debito, iubet dominus vænundari, cum omnibus quæ ipſius ſunt, quando terribilia minatur peccatori, ſi non reconcilietur per pœnitentia, vt cõminationibus huiuſmodi eum auocet, ne vltra adiiciat debita, ne prioribus peccatis plura adiiciat. Debitor cõminatione domini exterritus ad terrã procidẽs, ac dilationẽ petens ſupplicij, peccator eſt, cõminationibus domini exterritus, anteactorũ malorũ agens pœnitentiam, & pœnitendi vitámq; in melius cõmutandi ſpatium poſtulẽs. Rex precibus flexus, poſtulanti dilationẽ dat & remiſsionẽ, quoniã benignus pater cæleſtis, bonitate ſuppliciũ ſemper vota excedẽs, & tẽpus concedit pœnitendi, & præterita omnia peccata dimittit ſerio pœnitenti, omnia eius peccata poſt tergũ ſuum proiiciẽs. Seruus conſeruũ habet debitorẽ, quoniã alter ab altero nõnunquã offenditur: neq; quiſquã eſt qui nõ aliquando à proximo lædatur in aliquo, ſiue in corpore, ſiue in re, ſiue in nomine, ſiue quomodolibet aliter. Debitũ tamen cõſerui exiguũ eſt centum tantũ denariorũ, cum debitũ ſerui erga dominũ abſq; proportionẽ maius fuerit, decẽ videlicet milliũ talentorũ: quoniã infinito & abſq; proportione grauiora ſunt, & (vt ita dicã) pluriora, peccata illa quibus Deũ offendit homo, ſeruus dominũ, quàm ea quibus homo offendit hominẽ, ſeruus cõſeruũ. Contingit enim centũ vicibus offendi Deũ, vbi non ſemel proximus offenditur: cũ econtrario nunquam contingit verè offendi proximum, niſi ſimul & Deus offendatur grauius, cuius eſt præceptũ, diligere, non offendere proximũ. Denique tanto grauior eſt vnaquæque offenſio, qua homo offendit Deum ea qua offendit hominem,

Iacob. 3. Prou. 24.

quãto in infinitum magis diſtat Deus ab homine, quàm ab homine homo. Centũ denariorum debitum ſolui poſtulat ſeruus à conſeruo quando pro offenſa in ſe cõmiſſa expoſcit vindictam. Seruus in conſeruum manus iniicit, & ſtringit apprehenſum gutture, cũ rex nihil tale in ſeruum egiſſet, ſed tantum comminando dixiſſet, vænundari eum &c. quoniam pro leui offenſa ſolẽt ſubinde homines multò grauiores abinuicem vindictas expoſcere, quàm exigat Deus pro peccatis plurimis atq; grauiſsimis: & quoniam ad vindictam ardẽtes ſunt homines erga ſe inuicem, cũ ſit Deus longanimis, diu cõminans antequam feriat, nec tam per ſe vindictam quęrens, quàm per vindictæ comminationẽ territans, vt nõ vltra debita homo accumulet. Seruus rogat conſeruum & ſolutionẽ pollicetur, ſed nihil à conſeruo impetrat, quãdo is qui offenſus fuit, nullis flecti patitur precibus eius qui læſit, quin ius ſuum extremum exigat, & vindictam quam meditatur exerceat, etiamſi pro ſua virili polliceatur is qui offendit damni reparationem aut rationabilem pro offenſæ quãtitate ſatisfactionem. Vbi & hoc notandum, minori humilitate flecti regem dominũ, vbi maiori nõ flectitur homo ſeruus. Minor ſiquidem eſt humilitas, vbi ſeruus procidit ad pedes domini, quàm vbi ſeruus procidit ante pedes cõſerui. Quãto enim perſona cui fit humilitas, æſtimatur vilior, tãto eſt humiliatio illi cui exhibetur glorioſior. Maiorem ſiquidem humilitatẽ monſtrat, qui etiam inferiori ſe ſubiicit, quàm qui tantũ ſuperioribus. Attamen ſupplicatione flectitur Deus à ſeruo, qua renuit flecti ſeruus à cõſeruo. Mittit ſeruus pro centũ denariis conſeruum in carcerem, donec reddat vniuerſum debitũ, quoniam pro leui offenſa plenam exigit homo vindictam, nihil de ſuo volens iure concedere, vbi Deus liberaliter totũ dimittit tam immenſum debitum. Triſtantur conſerui, quoniam non poteſt non vehementer diſplicere ſanctis & angelis iſta crudelitas ſeruorum aduerſus inuicem, qui tam liberalem erga ſe experiuntur dominum. Domino referunt negotium, qnoniam ſancti homines & angeli Dei pro miſeria afflictorum, & eorum qui opprimũtur, quærentiũ & non inuenientium à fratribus ſuis miſericordiam, orãt, & diuinæ iuſtitiæ rectitudinem aduerſum illos pauperum oppreſſores inuocant. Rex audito nuntio, ſeruum vocat & condemnat, quoniam Deus in nouiſsimo die, quando clamorem exaudiet oppreſſorum, & ſanguinem eorum exquiret, ad iudicium euocabit huiuſmodi. Seuera obiurgatione rex ſeruum increpat, quia cõfuſione publica euiuſmodi homines iudex corã aſtãtibus omnibus confundet. Exprobratur tunc ſeruo debitũ dimiſſum cuius alioqui nunquã erat mẽtionem facturus dominus: quoniã pec

cata

cata quę Deus dimiſit homini,ad vltionē reuocat, in eo qui noluerit proximo miſereri. Tunc iratus dicitur qui prius tantū comminabatur,& quodammodo iram ſimulabat:quoniā in die illo implacabilis erit ira Dei, quæ in hoc mundo placari per pœnitentiam potuit. Tunc iratus rex durè loquetur ſeruo crudeli, quoniam tunc loquetur ad eiuſmodi in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Tunc exprobrabitur eis, quòd dominum habentes tam ad miſerendum atque condonandum facilem,ipſi noluerint proximis miſereri. Tortoribus tradentur, quando in ira iudicis proferetur aduerſus ipſos ſententia: *Diſcedite à me maledicti, in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Illic permanebunt,donec reddant vniuerſum debitum,quoniam tormenta perferent in æternum damnati, eo quòd ſecundum condignitatem rigoroſæ diuinæ iuſtitiæ, nunquam erit perfecta ipſorum ſatisfactio:propter quod,æterna patiētur tormenta,& fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula.

Pſal. 2.

Apoc. 14.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

STatuit paruulum in medio eorum.*) In Græco eſt παιδίον pædion, diminutiuum à παῖς pæs, quod ſonat puerum. Vnde paruulus pro puerulo vel puello accipitur. Sic & in ſequentibus,cum dicitur: *Niſi conuerſi fueritis,& efficiamini ſicut paruuli.* Pro puſillis verò habetur μικρὸς micros,quod paruū ſignificat. ¶*Quicunq; ergo humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte.*) Nō eſt intelligendum,qui humiliauerit,ſe ad eum modum quo iſte paruulus ſe humiliat. Nondum enim humiliare ſe nouit paruulus,qui necdum nouit quid ſit humilitas. Sed ita intelligendum eſt:qui ſe humiliauerit ad modū huius paruuli,ad eum modum quo iſte paruulus eſt humilis:hoc eſt,ꝗ ſtudio virtutis talis eſſe curauerit,qualis eſt hic puer cōditione ætatis, vt habes in Elucidatione. ¶*Et qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo.*) Paruulos non ſignat ætate,ſed virtute. Ideo non iſtum dicit paruulū, ſed talem. Tales enim paruuli ſunt, qui illius paruuli humilitatem & ſimplicitatem moribus exprimunt. Iſtud autē ſuſcipere, non tantum ſonat, in hoſpitium ſuſcipere: ſed generalis videtur eſſe vox ad obſequium quodlibet vel corporale vel ſpirituale:vt dicatur ſuſcipere quēpiam qui vlla in re eum adiuuat:quomodo cum apud Paulum dicitur: *Suſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos, in honorem Dei*: eſt ſenſus, Adiuuate vos inuicē,vobis inuicem proficite, vos inuicē euehere ac promouere in bonis laborate. ¶*Expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius.*) Expedit ei, intelligi poteſt impropriè, ad hunc ſenſum: Dignus eſt talis,vt ſuſpendatur &c. Vel ſic: Vtile eſt illi ad expiationem

Rom. 15.

grauiſsimi peccati,per mortis tẽporalis ſupplicium puniri,vt mortẽ euadat æternã quam cõmeruit.Vel ad hũc ſenſum:Melius illi fuiſſet ante ſcãdalũ hoc cõmiſſum,ſupplicio ignominioſo vitã finire,ꝗ̃ huc deueniſſe,vt animã ꝓximi ſcãdalo ſuo perderet.Proculdubio enim, quod per ſe malũ nõ eſt(cuiuſmodi eſt tẽporaliter puniri)præferendũ eſt,& magis optandũ eo quod eſt per ſe malũ, vt eſt ſcandalizare proximũ.Mola autẽ aſinaria,pro lapide molari accipitur, quomodo apud Marcũ in Græco legitur λυθὸς μυλικὸς lythos mylicos:id eſt,lapis molaris.Quare autẽ hoc in loco dicatur mola aſinaria, duplex ratio aſsignari poteſt.Vel enim ab aſino circũagitante lapidem,aſinaria mola dicitur,vt ſignificetur lapidis magnitudo.Vel lapis inferior ille magnus immobilis, cui innititur ſuperior qui agitatur ac terit, mola aſinaria dicitur,ꝙ tanquam aſinus pondus graue ferat,propter quod,etiã aſinus molaris inuenitᷣ appellari,quomodo aſinũ nonnũquã appellamus hominẽ ad ferendũ onera idoneũ. *Neceſſe eſt enim,vt veniant ſcandala.*) Non eſt intelligenda abſoluta neceſsitas, quaſi nõ poſsit efficere Deus,vt nõ ſit vllũ ſcandalũ ante conſummationẽ ſæculi,aut quaſi ſimpliciter nõ poſsint homines cum adiutorio gratiæ Dei(quã nemini conſtat deeſſe) ſibi ſinguli cauere ab omni ſcãdalo, ſi adnitantur pro viribus:ſed ſignificatur, quid certo futurũ ſit,tali loquẽdi modo,ac ſi dicamus: Proculdubiò ita eſt futurũ, ſemper ita ſe res habebit,non eſt quod expectes aliud.Sic enim cũ omnino certiſsimè futurũ aliquid ſignificare volumus,dicere ſolemus: Oportet te hoc agere,neceſſe eſt vt facias.Sic & Apoſtolus ait: Oportet hæreſes eſſe,cum tamẽ ſimpliciter nulla ſit neceſsitas. ¶*Bonũ tibi eſt ad vitã ingredi debilem vel claudũ.*)Quid ſit differentiæ inter debilẽ & claudũ,diximus in annotationibus cap.15. Pro eo autẽ quod nos habemus, cũ vno oculo,vna eſt apud Græcos dictio μονόφθαλμος monophthalmꝰ, quod Latinè dicere poſſumus vnoculũ,vel luſcũ,quomodo apud Marcũ interpres vertit.Luſcus enim eſt,nõ ꝗ diſtortis aſpicit oculis (hic enim ſtrabus dicitur)ſed qui altero caret oculo.¶*Venit enim filius hominis ſaluare.*) Cõiunctio(enim)nõ hanc partem cum proximè præcedẽti connectit,ſed ad idẽ caput refert ad quod præcedens particula iũgitur,vt ſit ratio ſecunda ad idem propoſitũ oſtendendum,id quod in Elucidatione ſatis indicauimus.¶*Gaudet ſuper eam magis, quàm ſuper nonagintanouem quæ non errauerunt.*) Non debet(magis quàm)hoc in loco accipi propriè,vt ſignificetur comparatio duorũ gaudiorum adinuicem,quorũ alterum ſit de oue iam inuẽta, alterum de ouibus nunquã perditis,quorũ illud ſit maius iſto:ſed tantũ ſignificatur,ſpeciali aliquo actuali gaudio affici paſtorem pro inuentione ouis perditæ,

ditæ,eo quòd eã inuenit,cuiuſmodi ſpeciale & actuale gaudiũ non habet de iis quę nõ errauerãt:quomodo de filio prodigo dicere poſſumus,quòd de eo redeũte pater gauiſus fuerit,magis quàm de filio qui nunquã patrem reliquerat,ratione ſpecialis illius gaudij, quo in reditu filij perditi exultauit,quali nunquã de altero gauiſus fuerat, qui nunquam patri abſuerat. ¶ *Si autem peccauerit in te frater tuus.*) Peccat iuxta hoc domini verbum in me,nõ ſolum qui peccatũ tale cõmittit,quo meam perſonã offendit. Quid enim,ſi me vidente proximus Deũ aut alium offendat,& talis ſim ego qui monẽdo poſſim proficere,nunquid non debeo corripere peccantem, eo quòd in me nõ peccauerit? Peccat ergo in me,qui coram me peccat, cuius peccatum mihi eſt cognitũ. Non autem quẽlibet paſſim hoc domini verbũ obligat,ſed eos maximè qui ſpirituales ſunt,& tales qui in admonendo & corripiendo valent proficere proximo. ¶ *Vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.*) Præter expoſitionem in Elucidatione poſitã,poteſt hóc de adhibitione teſtiũ intelligi, reſpectu delationis ſubſequuturæ ad Eccleſiam: videlicet vt ſi ſecunda vice monitus non obtẽperet: corripiens vnà cum teſtibus ad Eccleſiam deferat negotiũ fratris,qui teſtes perhibebunt teſtimonium coram Eccleſia,quod monitionẽ priuatam ádmonitus contempſerit. ¶ *Si duo ex vobis cõſenſerint ſuper terram.*) Græcè eſt συμφωνήσωσιν ſymphoniſoſin,quod verbũ à ſymphonia venit,quod cõſonãtia interpretatur. Vnde ſenſus eſt: Si duo ex vobis cõſonantia habuerint, vel cõſonãtes fuerint. Tracta videtur ſimilitudo ab inſtrumentorũ muſicorũ melodia in qua cũ eſt omnimoda ſymphonia,ſiue conſonantia ſonorũ, neque quicquã eſt diſſonãtiæ,eſt illa melodia gratiſſima hominum auribus. Sic eſt & de oratione, quã multi quaſi vno ore abſq; omni diſſonãtia in vnitate charitatis pro eodem orant negotio. Nõ enim poteſt huiuſmodi oratio Deo nõ eſſe accepta. ¶ *Vſq; ſeptuagies ſepties.*) Variè id accipitur. Vel vt ſignificetur numerus ſeptuagenarius ſepties replicari,ſiue numerus ſeptenarius ſeptuagies replicari,quod in idẽ redit. Septies autẽ ſeptuaginta vel ſeptuagies ſeptẽ,faciunt 490. Vnde ſeptuagies ſepties,valet 490. vicibus. Huic conſonat quod in Græco habetur ἑβδομηκοντάκις ἑπτάκι id eſt,ſeptuagies ſeptem, quod manifeſtè indicat ſeptenarij numeri per ſeptuagenariũ multiplicationẽ. Aliter accipitur ſeptuagies ſepties, vt non indicetur multiplicatio numeri poſterioris per priorẽ,ſed tantũ poſterioris ad priorẽ adiectio,ac ſi diceretur,ſeptuagies & ſepties. Priori modo interpretatur Hieronymus,poſteriori Auguſtinus. Quantum ad ſenſum attinet,perinde eſt quomodo intelligatur locus, cum ſit manifeſtũ,

numerum

numerum talem determinatum pro indeterminato eſſe poſitum, ad indicandum, quotieſcunq; hominem offendi cōtigerit, toties debere offenſam dimittere ei qui offendit, neq; odium vnquam aut vindictæ appetitum retinere in animo. ¶ *Aſsimilatum eſt regnū cælorum homini regi.*) Siue regnum cælorum hîc accipiamus pro gloria beatorum, ſiue pro Eccleſia, vt aliquando ſolet, ſiue pro Euangelio, vt alibi non conuenienter ſecundum vim enuntiationis dictum videtur, regnum cælorum eſſe ſimile homini regi, ſi in modo efferendi vis fiat, Vnde videtur ſecūdum intellectum ſanum accipiendum, ac ſi diceretur: Sic ſe res habet cum regno cælorum, ſicq; agere oportet eos qui in regno Eccleſię cōuerſari, vel ad regnū glorię peruenire deſiderat, quomodo parabola ſubſequens indicat, quæ eſt de homine rege &c. Significatur enim ad conſequutionem regni cæleſtis ita hominem ſe debere gerere, & ita agere, quomodo proponēda de rege parabola indicat. Vnde illud quod dicitur, aſsimilatum eſt, ſecundum mentem Saluatoris videtur ad totam narrationem parabolæ referri: quaſi dicat, regnum cęlorum qualiter acquirendum ſit, vel quid requirat, vel quis ipſum cōſequatur, ſequēti indicatur parabola, quę eſt de homine rege. ¶ *Patientiam habe in me.*) Græcè eſt μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί: id eſt, lōganimiter age, vel longanimis eſto erga me: id eſt, patiēs eſto, vel patiēter age mecum, ſiue (vt habet communis lectio) Patientiam habe in me, aut patientiam oſtende, vel patientia vtere erga me. ¶ *Videntes autem conſerui eius quæ fiebant.*) Cōſerui eius, vel qui fecit oppreſſionē, vel qui paſſus eſt. Nihil enim refert, vtrū dixeris. Si dixerimus, conſerui eius qui fecit oppreſsionē, maior eſt emphaſis, quod à propriis cōſeruis accuſetur oppreſſor immitis. Si dixerimus, cōſerui eius qui oppreſſus eſt, ſignificatur compaſsio erga miſerum. ¶ *Narrauerūt domino ſuo omnia quæ facta fuerant.*) Quum nihil actum ſit quod narraretur, niſi factum vnum improbum ſerui huius nequam, tamē dicit, Narrauerunt omnia quæ facta fuerant, perinde ac ſi multa & mira acta fuiſſent. Hoc autem loquendi modo ſolet rei magnitudo exprimi: aliquādo quidem in malum, aliquando in bonū: quomodo etiam in primum caput annotauimus huius Euāgelij, vbi dicitur: *Hoc autē totum factū eſt, vt adimpleretur quod dictū eſt à domino per Prophetam. &c.* ad ſignificādum videlicet ſacramēti illius quod narrabatur magnitudinem. ¶ *Omne debitum dimiſi tibi.*) In Græco additur pronomen illud, cū magna emphaſi. Omne debitūm illud dimiſi tibi, quaſi dicat: Debitū illud tam magnum decem millium talentorum, dimiſi tibi. ¶ *Quoaduſque redderet vniuerſum debitum.*) In Græco additur αὐτῷ ſibi. Quoaduſque redderet totum vel omne debitum ſibi, nempe do-

mino

mino.Verũ tantumdem in lectione noſtra vulgata continetur,etiãſi non explicetur pronomen illud.Manifeſtũ eſt enim Deum non aliena à nobis exigere debita. ¶ *Si non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.*)Græci adiiciũt ad huius partis finem,peccata eorum: quod tamen ex alio loco hîc videtur adiectum, ex capite videlicet ſexto, vbi dicitur:*Si enim non dimiſeritis hominibus peccata eorum,nec pater meus cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.*

ELVCIDATIO CAP. XIX.

POSTQVAM verò conſummaſſet Ieſus omnes hos ſermones, relicta Galilæa, vbi iſta docuerat, venit in partes Iudææ trans Iordanem. b Súntque eum inſequutæ turbæ multæ, partim ex iis qui prius cum illo fuerant,partim ex iis qui recenter ad ipſum ex locis vicinis vndiquaq;,eius audito aduẽtu,confluebant. Quas turbas,iuxta ſuam conſuetudinem docebat verbum Dei,ac deinde infirmos quos apud ſe habebant, quóſque accipiendæ ſalutis gratia ſecũ attulerant,curabat ab infirmitatibus ſuis. c Hic rurſum adſunt perſequutores Phariſæi,quos malitioſa inuidia nõ permittebat à Chriſto obſeruatione & perſequutione quieſcere:accedũt dominũ turbas docentem atque curantem, non vt boni aliquid vel audiant vel videant, vnde proficiant, ſed vt eum qui aliis prodeſſe cupit, interturbent atque confundant,& proficere cupientium profectum impediant, quæ eſt conſummata iniquitas.Accedunt itaque dominum,vt eum tentent quæſtione captioſa,quam parauerant,dicentes: d Quid tibi videtur?Num liceat homini dimittere vxorem, qualibet ex cauſa, vtpote nõ propter fornicationem ſolam, ſed propter aliam aliquã fœditatem aut diſplicentiam quam in vxore maritus inuenit?Qua quidem quæſtione ita ſtringere putabãt dominum Phariſæi, vt exiſtimarẽt non poſſe eum euadere calumniam, quãcunque partem elegiſſet.Si enim dixiſſet,ita licere,rationi viſus fuiſſet contradicere: quæ ad iniquum iudicat, ſic ex qualibet cauſa vxorem poſſe dimittere pro re futili ac nihili,ad ſolam viri phantaſiam,& graue hinc illi pro-

proueniſſet

ET factum eſt,cum cõſummaſſet Ieſus ſermones iſtos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanẽ: b & ſequutæ ſunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi. c Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentãtes eũ, & dicentes: d Si licet homini dimittere vxorem ſuam, quacunque ex cauſa?

ueniſſet odium à toto mulierculárum ſexu, in quarũ grauamẽ non mediocre illa ceſsiſſet reſponſio, quòd cum ipſæ ius nullum haberent etiam pro graui cauſa virum dimittẽdi, à viris tamen poſſent pro ſola ipſorũ phantaſia, ad leuem quamlibet occaſionem, repudiari. Si verò dixiſſet, id nõ licere, habebant paratam ex Moſe obiectionem, quam & poſtmodum obiecerunt.[a] Dominus autem doloſum ſciens illorum animum, nõ ſtatim tentantibus reſpondit per nudam affirmationẽ aut negationẽ, ſed artificioſè ſuam aptauit reſponſionẽ, dicens:[b] Credo vos in lege peritos illud legiſſe quod in exordio Geneſeos ſcribitur, quẽadmodum Deus qui hominem creauit circa mundi initiũ, ſexto die diſtinctionis rerun, non vnicum tantũ ſexum creauit, ſed geminum, ſexum videlicet maſculinũ & fœmineum, eo quòd non eſſet bonum (ad ſpeciei conſeruationẽ & propagationem hominum) virum eſſe ſolũ abſque ſexu fœmineo, propter quod ſtatim poſt creatum virum, de coſta eius facit ei adiutoriũ ſimile ſibi: id eſt, fœminam eiuſdem cum viro ſpeciei, quę illi potiſsimum ad ſpeciei multiplicationem & generationem filiorum debebat eſſe adiutorio, cum ipſe id ſolus nõ poſſet. In qua creatione dum maſculum & fœminã idẽ Deus creauit, ex quibus deinde omnis humana ſoboles procrearetur, & fœminam creauit ex viri coſta: ſatis indicauit Deus vinculũ arctiſsimum, quo adinuicem vir & vxor copulantur, quódq; quaſi vna caro eſſę debeant & vnum corpus, [c] Dixit quoque Deus per Adam, poſt extaſim raptus in ſpiritu de vxore ſua ita loquentem: *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Propter hóc tam ſingulare vinculum, quod inter virũ & vxorẽ Deus eſſe voluit & ſignauit, in hac formatione mulieris de coſta viri (per quod indicauit vnam carnem eſſe debere virum & mulierẽ) propter hoc (inquã) vinculum tam ſingulare, quali nec patri nec matri homo alligatur, relicto patre & matre adglutinabitur vir vxori ſuæ: [d] & erunt ſimul adglutinati inuicem, tanquam vna caro, nexu inſeparabili, per

a Qui reſpondẽs ait eis:

b Non legiſtis quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos?

c Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori ſuæ:

d & erunt duo in carne vna.

per matrimonij vinculum, adeò vt cenſendi ſint vir & mulier duo in vna carne, vt iam non ſint duo prorſus carne diuiſa, ſed ſint vna caro: quatenus videlicet neque per ſe vir, neque per ſe mulier ſufficit ad ſpeciem propagandam, ſed inuicem ſe adiuuare debent: [a] ſimúlque debet amborum caro tanquam vna caro conuenire, ad peragendum opus illud, cuius gratia geminum ſexum Deus fecit ab initio: id eſt, ad generandum ſibi ſimile, & ad propagandũ ſpeciẽ. Tali autẽ & tã ſpeciali vinculo nõ eſt alligata proles parẽtibus: vt meritò ex diuina inſtitutione, relictis parẽtibus, vir vxori adhęrere debeat. Nam quamuis natura ſpeciali vinculo, & eodem quidẽ admodũ forti, colligauerit prolem parẽtibus, quatenus proles ex paterni ſeminis deciſione, maternique menſtrui vel ſanguinis adminiſtratione eſt genita, propter quod aliquid patris vel matris dicitur: nõ tamen eſt proles genita, caro ex carne, neque os ex oſsibus, quomodo prima vxor os fuit ex oſsibus, & caro de carne primi mariti: propter quòd, non ſolùm aliquid viri vxor dici debet, ſed cum viro vna eadémque caro. Quod autem in primis his coniugibus ſenſibiliter Deus ita oſtẽdit in opere, in typum eſſe voluit & ſignum cuiuslibet coniugij: vt oſtenderet, quantum eſſet inter quoslibet coniuges vnitatis vinculum. Ex his itaque facilè intelligitis aſtuti Phariſæi, quænam mea ſit ad veſtram quæſtionem reſponſio, videlicet quomodo abſurdũ foret carnem vnam temerè diuidere, ſic & illicitum eſſe, cõiuges (qui vna ſunt caro) ab inuicem pro qualibet cauſa diuidi. [b] Quod ergo Deus ita coniũxit, non tẽtet homo ſeparare. Cũ duos quaſi vnum & vnã carnem ita ab initio Deus coniũxerit, non eſt homini licitũ, ſua temeritate cõiuncta hęc quaſi vnũ ab inuicẽ diuidere. Diuinæ nãq; inſtitutioni licitum non eſt cõtrauenire. [c] Hoc audito reſpõſo, illi quã in promptu habebant & pręmeditati fuerant obiectionem fidenter proferunt, quaſi indiſſolubilem. [d] Quid ergo (inquiunt) Moſes legiſlator præcepit in libro Deutero. dare vxori libellum repudij, ſicque eam dimittere? Cuius hæc ſunt verba: *Si acceperit homo vxorẽ,* Deut. 24.

a Itaque, iam non ſunt duo, ſed vna caro.

b Quod ergo Deus cõiunxit, homo non ſeparet.

c Dicunt illi:

d Quid ergo Moſes mandauit dari libellum repudij, et dimittere?

& hab

& habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Nonne tibi in his verbis videtur præceptum dare de dimiſſione & libello repudij, idque ex qualibet leui cauſa, tantum quia non inuenit mulier gratiam ante oculos viri, propter fœditatem quamlibet? Nonne euidẽs eſt, tuam reſponſionem contradicere legi, & eius latori Moſi facere iniuriam? Huic obiectioni cum authoritate reſpondit dominus:[a] Mendoſè vos colligitis, & ſophyſticam ex verbis Moſi texitis ratiocinationem. Non eim Moſes ſimpliciter præcepit dimittere vxorem quacunq; ex cauſa, neq; hoc illius verba indicãt: ſed tantum permiſit vobis vxores veſtras dimittere, tanquã minus malũ propter duritiam cordis veſtri, propter durã veſtram ceruicem & cor rebelle durum atque inobediens, ob quod noluit expreſſam vobis dare prohibitionem de non dimittendis vxoribus: veritus maiora mala, vtpote vxoricidia, & veneficia aliáq; huiuſmodi, ob veſtram prauitatem, ſi vobis prohibuiſſet vxores veſtras dimittere. Vxorũ igitur dimiſsionem ex cauſa leui tantum permiſit Moſes, tanquam minus malum, quomodo parentes filiis petulantibus & diſcolis in minoribus nonnunquã malis cõniuent & conniuendo permittunt, ne ſi illa prohibeant in peiora incidant. Quod autem præcepit Moſes: iſtud eſt, vt cum quis omnino voluerit vxorẽ dimittere, non eam abſque libello dimittat repudij. Hic repudiandi modus à Moſe præceptus eſt, nõ ipſa repudiatio. Propter quod & Moſes vſque ad mentionẽ de libello repudij, abſque præcipiendi vel imperãdi modo loquitur, tantum ſub conditione dicendo: Si quis acceperit vxorẽ, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius. Neque addit ſtatim, repudiet eam, ſed dicit, ſcribet libellum repudij (ſuppoſita videlicet ipſius mala voluntate, quòd eam velit dimittere) atque ita dato libello repudij dimittet. Vos igitur Moſi verba peruertitis, exiſtimantes eum pręcepiſſe repudium, quod tanquam minus malum tantum permittit.[b] Ab initio autem inſtiutionis matrimo

Ait illis: a Quoniã Moſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras.

b Ab initio autem non fuit ſic.

trimonij non ita fuit, diuiſio atque dimiſsio iſta non conſonat primariæ inſtitutioni coniugij, quod inſtituit Deus in Adam & Eua, primis cōiugibus, vbi vir & vxor indicantur vna eſſe caro, ac proinde debere virum adhærere vxori ſuæ, & econtrario: contra quam primariam inſtitutionem faciunt, qui ita pro quauis cauſa dimittendas putant vxores. [a] Amplius autem dico vobis, legis imperfectionē mea authoritate ad perfectum adducens, & quod illa ob cordis veſtri duritiem tacuit apertè pro Euāgelij libertate explicās, quòd quiſquis ſuam vxorem repudiauerit, atque à ſe dimiſerit, ex alia cauſa quàm ob fornicationem (ob quam licitum eſt vxorem à ſe dimittere quique ſua repudiata duxerit alterā in vxorem, hic in adulterij ſtatu ſe cōſtituit, & mœchum ſe facit: & quoties cum iſta poſteriore rem habet, adulteriū & mœchiæ actū exercet. [b] Item & qui dimiſſam illam duxerit in vxorem, in adulterij ſtatu ſe conſtituit, & mœchum ſe facit: & quoties cum illa rem habet, toties adulterium cōmittit. Nihil moror, quid lex permittat. Nolo mihi obiici, ꝙ Moſes repudium permittat, ꝙ etiam permittat eam quæ cum libello repudij dimiſſa eſt duci à viro altero in vxorem. Ego veni legem adimplere, volo iuſtitiam diſcipulorum meorū abundare ſupra iuſtitiam Scribarum atq; Pharisæorū, & tanquam poteſtatem authoritatemq; habens ad conſummandam legem Moſi, quæ illa propter duritiam cordis veſtri tacuit, & nō expreſſè prohibendo quadā neceſsitate, ad vos à maioribus malis cōtinēdos permiſit, ego palàm pronuntiabo, & apertè explicabo iis qui me ſunt audituri amatoribus Euangelij mei: quoniam ad hoc miſſus ſum. [c] Diſcipuli his auditis, quæ tam videbantur ab eo quod imbiberant Scribarum & Phariſæorū dogmate aliena multum quoq; pro viris dura, vtpote libertatē magnam quam eis lex permiſerat ſtringentia atq; tollentia, quaſi admirātes dixerunt præceptori: [d] Si ita ſe res habet inter virum & vxorē vt dicis & ſi tam eſt firmum coniugi vinculū, vt propter nullam fœditatem neq; moroſitatem, neq; quodlibet vitiū, niſi tantum propter fornicationem, liceat viro vxorē

f dimit-

a Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit vxorē ſuam niſi ob fornicationē, & aliam duxerit, mœchatur.

b Et qui dimiſſam duxerit mœchatur.

c Dicunt ei diſcipuli eius:

d Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, nō expedit nubere.

dimittere, profectò graue onus & magni periculi res eſt, vxorẽ ducere aut viro nubere. Cogetur enim qui ſemel infœlicem coniugem ſortitus eſt, in multa moleſtia & afflictione cum illa vitam ducere, poſteàquã non niſi propter fornicationem licebit illam dimittere.[a] Qui reſpondens ait illis: Verbum iſtud de abſtinentia à coniugio, non omnes capiunt. Continentiæ tantæ ab omni re vxoria non omnes ſunt capaces: nõ cuiuſuis eſt hominis prorſus ab vxore & re vxoria cõtinere, tametſi per ſe melius ſit & magis expediẽs, quàm vxorem ducere: ſed illi tantum hoc verbum capiunt, illi continentiam & caſtitatem huiuſmodi amplexantur, quibus à Deo datur continendi donum, quibus hoc à Deo inſpiratur, vt pro amore eius ad liberius diuinæ ſeruituti vacandum, continentiæ propoſitum aſſumãt & prorſus à re vxoria abſtinere decernãt. Atq; idcirco quamuis magis ſit expediens abſtinere q̃ nubere, pauci tamen cotinentiã amplexantur plures ſectantur nuptias, quod paucioribus illud detur ſublimius donum. Non autẽ poteſt homini à natura vel à ſemetipſo prouenire, vt ad illam continẽtiam (quæ donum eſt Dei) perueniat.[b] Sunt enim eunuchi quidã qui eunuchi nati ſunt de matris ſuę vtero, inde trahentes naturalem generandi impotentiã: qui tamen per hoc non capiunt nec aſſequuntur verbum illud continentiæ. His enim quanquam natura negat generandi potentiam, continentiæ tamen donum dare nõ poteſt: quandoquidem poſſunt, qui eiuſmodi ſunt concupiſcentia animi ſeſe cõtaminare, nõ minus quàm ij qui ſunt ad generandum potentes ſe commaculant corpore. Qui enim viderit mulierẽ ad concupiſcendum eam, hic iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Matt. 5 [c] Sunt eunuchi ſecũdi ordinis, qui à natura quidem non ſunt eunuchi, ſed hominũ arte & opera, per mẽbri naturalis exciſionem, eunuchi facti ſunt, & ad generandum impotentes redditi, cuiuſmodi homines in deliciis haberi ſolẽt, & in magno pretio, in aulis principum, ſolentq; cuſtodes aſsignari & ſeruatores puellarum nobilium, & regũ atque reginarũ cubicularij. Quibus licet hominis manus potentiam

a Qui dixit illis: Non omnes capiũt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.

b Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt.

c Et ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus.

abſtulerit generandi,non tamen dare potuit cötinédi virtuté,ſed poſſunt æquè animo cõmaculari vt cæteri,quibus ſunt corpora integra.[a] Sũt verò eunuchi alij,non ſecundum carné, ſed ſecundũ ſpiritum, non apud homines,ſed apud Deũ,qui neq; à natura tales ſunt nati,neq; per arté tales facti:ſed per voluntatem propriã ſemetipſos fecerũt eunuchos,propter regnũ Dei:qui cum à natura poſsint non minus q̃ cęteri hominum generationi intendere,ob amorem tamé perfectionis Euãgelicę & perfectę diuinę ſeruitutis, nõ ex vlla coactione,ſed ex libera voluntate,ſibiipſis abnegando atq; etiã abiurãdo interdicũt eius rei vſum: neq; ſolùm externum actum,verum etiã omnem internum affectũ ſic à ſe ſtudent repellere & elongare, vt imperpetuũ nec videre velint mulieré ad concupiſcendum eam in corde ſuo. Ad hunc autem gradum, neq; natura poteſt adducere,neq; manus hominis:ſed ex dono liberaliſsimi in diſtributione donorum ſuorum domini,ad illum oportet peruenire.[b] Sic autem ſemetipſum eunuchum facere,res grandis eſt atq; difficilis,ac proinde nõ eſt omniũ,ſed qui poteſt capere capiat,probet ſeipſum vnuſquiſq; ac videat,num tanto par ſit negotio:videat ſi tam eſt promptę ardétisq; erga Euangelium voluntatis,vt pro eius amore velit prorſus interdicere ſibi atq; à ſe abnegare & deuouere vſum omnem actus coniugalis.Non enim tam eſt examinãda qualitas corporis aut natiuę cõplexionis, quàm bonę volũtatis ſynceritas,& firmitas erga Deũ bonæ fiduciæ.Ei enim qui bonæ eſt voluntatis,& firmam habet in Deo fiduciã,etiam ſi ſit corpore ad venereé proniſsimo,nihil erit impoſsibile apud Deum, omnia poterit in eo qui ſe confortabit:neq; dubium quin fides illa quę etiam montes transferre potés eſt, poterit item tentationibus omnibus illum ſuperioré reddere:pręcipuè cum ſit fidelis Deus,pro cuius amore ſeipſum eunuchũ facit,qui ipſum nõ patietur tentari ſupra id quod poſsit:ſed cũ tentatione prouentũ faciet,vt ſuſtinere poſsit.[c] Poſt hæc oblati ſunt domino Ieſu paruuli,vt manus ipſis imponeret, & ſup eos oraret,ſicq; eis benediceret:vt ſolet fieri benedictio,

a Et ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerũt propter regnum cælorum.

b Qui poteſt capere, capiat.

c Tunc oblati ſunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret.

per manuum impoſitionem & adiunctam vocis orationem:quod ex parentum fiebat deuotione,reputantium bene fore ſuis filiis,eosq; in bono magis profecturos,ſi tanti viri Deoq; acceptiſsimi Prophetę accepiſſent benedictionem.[a] Diſcipuli autem indignum iudicantes puerulorum benedictione occupari ſuum magiſtrum grauioribus intentum,ſimul quoque metuentes,ne nimium eum fatigarent improbitate & importunitate ſua homines,ſi ita ſuos inciperent ad eum adducere puerulos,increpabant & prohibere nitebantur eos qui offerebant illos.[b] Quod videns dominus, dixit zelantibus pro ſe non rectè diſcipulis.[c] Sinite puerulos illos ad me accedere,& ne impedia tis illorum ad me acceſſum.[d] Plurimum enim in illis oblector,quoniã talium eſt regnum cælorũ:hi mihi foris etiam in corpore imaginem quandam repreſentant internę diſpoſitionis electorum meorum.Tales enim oportet eſſe in ſpiritu,eos qui ſunt accepturi regnum cælorum,humiles videlicet,mites & ſimplices in malo,quas conditiones in puerilis iſtis videmus etiã foris relucentes,ex conditione ætatis.[e] Accedentesq; ad ſe pueros amicè amplexatus eſt,& impoſitis manibus orationẽ fundens(vt mos eſt benedicentiũ) ita benedixit eis,ac benedictos blandè à ſe dimiſit: exẽplum relinquẽs ſpiritualibus hominibus,libẽter benedicere pueris nõdum vllo dolo vitiatis,vaſculis adhuc puris,& nullo peccati fœtore inquinatis,ac proinde ad ſuſcipiẽdum ſacræ benedictionis effectũ multum aptè diſpoſitis.[f] Tranſeunte autẽ per viam domino adoleſcens quidam diues ac probę indolis verbis ipſius cõmotus,quibus de regno cælorũ multa iam antè docuerat,& grauia nõnulla propoſuerat, interrogauit eum,dicens:[g] Magiſter bone,multa te audio docentẽ de regno cælorũ, & ipſius admodum frequenter te audio replicare mentionẽ. Accẽdit me propoſita merces,allicit me oſtentatũ præmiũ,interrogo igitur à te,quod ſit verum ac compendioſum medium,quo ad vitam valeã pertingere. Dic mihi, quid boni debeam facere, vt ad vitam perueniam ſempiternam regni cælorum? Audiens dominus hac in

a Diſcipuli autem increpabãt eos.

b Ieſus verò ait eis.

c Sinite paruulos,& nolite eos prohibere ad me venire.

d Talium eſt enim regnum cælorum.

e Et cum impoſuiſſet eis manus abijt inde.

f Et ecce vnus accedẽs,ait illi,

g Magiſter bone,quid boni faciam,vt habeã vitam æternã?

h Qui dixit ei:

interrogatione ſe honorari, dum & bonus ipſe appellaretur, & de bono interrogaretur per quod ad vitam deberet perueniri, vt nobis humilitatis formā monſtraret, doceretq; nos nō in propria gloria oblectari, ſed in Deum ſemper eam referre, ita reſpondit, quaſi amica quadam obiurgatione:[a] Quid me dicis bonū, & de bono interrogas? Quid me hominē, qui nō niſi homo habeor, appellas bonum? & quid me de bono iuterrogas, quod faciendo vitam æternam acquiras? Hanc gloriam non mihi, vt homo ſum, volo acceptare, ſed in patrem referre.[b] Solus Deus verè, perfectè, & ſecundum eſſentiam ſuam bonus eſt, imò bonitas ipſa: aliorum autē præter eum nihil eſt per ſe & eſſentialiter bonum, ſed tantum participatione bonitatis eius, quatenus videlicet de eius perfecta bonitate cōmunicant quæ ab ipſo creata ſunt. Propter quod, omnis bonitatis gloria ad Deum referri debet, vt à quo procedit & effunditur in cætera. Neque igitur ego ſecundum quod homo (cuiuſmodi habeor inter homines) boni nomen mihi à me arrogo, neque quicquā ſic per ſe bonum poteſt facere homo quo ad vitam perueniat, de quo bono tu me interrogas. Attamen tuæ quæſtionis intentioni reſpondens, indicabo tibi, quibus mediis poſsis ad vitā regni æterni pertingere.[c] Si itaq; vis vitā adipiſci æternā, cuſtodi mandata & præcepta Dei.[d] Ille ignorans ſi fortè ſingularia aliqua præcepta vellet Chriſtus à ſe obſeruari, rurſum interrogat: Quæ iſta ſunt mandata, quæ me vis obſeruare vt vitam ingrediar?[e] Reſpondit dominus, Ea ſunt quæ præcepit in lege Deus, illa quæ nemo non nouit præcepta decalogi, in quibus ſunt:[f] Non facies homicidium. Non committes adulterium. Nō facies furtum. Non dices aduerſus proximum tuum falſum teſtimonium. Honora patrem tuum & matrem,[g] & (in quo cætera omnia includuntur) Diliges proximum tuum ex bono affectu, ſicut teipſum vt nihil illi facias quod non velis tibi fieri: & quicquid tibi velis fieri, id tuo quoque proximo libenter facias. Maximè autem illa præcepta quibus ad Deum ordinatur homo, quæ prima continet tabula, Dominum

a Quid me interrogas de bono?

b vnus eſt bonus Deus.

c Si autem vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.

d Dicit illi: quæ?

e Ieſus autem dixit:

f Non homicidium facies. Nō adulterabis. Nō facies furtum. Non falſum teſtimonium dices. Honora patrem tuum & matrem.

g Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

Deum tuũ adorabis,& illi ſoli ſeruies, &c. de quibus non dubium eſt quin debeant obſeruari, volentibus ad vitam ingredi,poſteaquam illa etiam requiruntur quæ tantum erga proximum rectè diſponunt hominem. [a] Audiens autem adoleſcens, non niſi communia decalogi pręcepta ſibi enarrari à domino,qui expectauerat alia quædam ſingularia mãdata, non exiſtimans perfectionis magiſtrum huiuſmodi fore contentum,quæ erant omnibus obſeruatu neceſſaria, in teſtimonio ſuæ bonæ conſcientiæ fiducialiter reſpõdit domino: [b] Hæc omnia, domine,pro virili,vt potui,obſeruare ſolicitus fui à pueritia mea: ex quo cœpi vti ratione,ad horũ obſeruationem diligenter anniſus ſum,ne quicquam eorũ tranſgrederer. Expectabam alia quædam ſingularia & prædictis maiora atque grauiora te mihi propoſiturũ. [c] Sunt ne alia maiora,quę prædictis ſuperaddita hominẽ reddant Deo magis gratum, & maioris eſſe faciant meriti in vita æterna,de qua interrogabam? Etiamſi maiora & plura mihi iniunxeris, quàm illa ſint cõmunia præcepta decalogi, paratũ me offero animo ad ſuſcipiendũ ea, [d] Audiens hæc dominus, adoleſcentem iſtum vltra cõmunem legem, omibus obſeruatu neceſſaria, plura & maiora requirere,benignè ſuſcipiẽs hoc eius deſiderium, viam perfectionis ei patefecit, dicens: [e] Si non contentus cõmuni ſalutis via ad maiora aſpirãs, perfectionem Euangelicæ vitæ deſideras aſſequi,hoc ſequere conſilium: [f] Vade primum, ac omnia quę in hoc ſæculo habes ſtude diſtrahere, atq; à te alienare, vt nihil in hoc mundo poſsideas temporarium, quod te poſtmodum in Dei ſeruitute poſsit impedire, vel tuum animum poſt ſuſceptam vitam Euãgelicam ſolicitare ad réditum vitæ prioris, aut vt minimum anxium & ſolicitum reddere. [g] Neque verò à te alienabis bona tua externa in vſus vanos & ſuperfluos, ſed vẽdes ea:& pretio accepto, diſtribues illud & erogabis in vſum pauperum atq; egenorum, ſi in tua facultate fuerit bona tua diuẽdere:vt qui poſt hac ex miſericordia & eleemoſynę gratia de mẽſa domini diſponis viuere,futurus pauper Euangelicus,ipſe prior facias

a Dixit illi adoleſcens:

b Omnia hæc cuſtodiui à iuuẽtute mea:

c quid adhuc mihi deeſt?

d Ait illi Ieſus:

e Si vis perfectus eſſe,

f vade,& vende omnia quæ habes,

g & da pauperibus,

cias ex tua facultate miſericordiã & eleemoſynã mũdi pauperib⁹. Nõ mihi ſufficit, vt facultates hac illacque diſpergas, in cognatos, amicos, & notos, non tuis opibus indigentes, a quibus poſtmodum ſperes tibi benefieri: cum tibi re qualibet opus fuerit, ſic tibi loculos reſeruando, & modo quodam ſpiritui ſancto mentiendo (quod ex carnali affectu procedens, diuinæ ſeruitutis nõ eſt ſtabile fundamẽtũ) ſed hoc requiro, vt carnalẽ erga amicos & cognatos amorẽ exuẽs, pro Dei amore & Euãgelicæ perfectionis deſiderio, omnes tuas facultates impẽdas in vſus pauperũ, modo in tua ſint poteſtate: alioqui affectus ſuffecerit. [a] Atq; ita, ex hoc ſtatim Euangelicæ perfectionis aggreſſũ, theſaurũ magnum tibi theſaurizabis in cælo, præmiũ bonũ tibi hac diſtributione cõparabis apud Deũ, pro cuius amore tua omnia impẽdiſti in pauperes: qui cum nõ habent vnde tibi retribuant, ipſe qui ſibi factum putat, quicquid fit in ipſius nomine pauperi, reddet proculdubio tibi in retributione iuſtorum [b] Quibus peractis, ſic expeditus & nudus ab omnibus temporalibus bonis, abiecta omni ſpe huius ſæculi, tanquam nõ imperpetuum vltra ad ipſum rediturus, veni & ſequere me: eſto mihi comes indiuiduus, mea imitare veſtigia, vt ſecundum formam doctrinæ meæ & vitæ, tuam vitam inſtituas exemplar viuendi, rationẽ inſtituas, ex me in omnibus tuæ vitæ formam ſumas, in humilitate, manſuetudine, patientia, charitate, obedientia, labore, vigiliis, orationibus, paupertate, fatigatione, inedia, zelo Dei in docendo, prædicãdo, aliiſq; huiuſmodi quæcunq; in me conſpexeris, in quo potiſsimũ ſita eſt Euãgelica perfectio, ad quam præcedens illa exterior facultatum abdicatio quaſi præparamentũ quoddam eſt & diſpoſitio præuia, ſine qua non commodè poſsit apprehendi atque teneri. [c] Cum verò adoleſcens iſta audiſſet, tam ſecundum hominis iudicium grauia & difficilia, de relinquendis & diſpergendis in pauperes facultatibus, ac pauperis & afflicti Chriſti ſequela, deiectus animo ceſſauit interrogare dominum: & quaſi ad tantũ ferendum onus impar, vel certè imparatus,

a & habebis theſaurum in cælo,

b & veni ſequere me.

c Cum audiſſet autem adoleſcẽs verbum abijt, triſtis.

abiit cum triſtitia, ꝙ ſcilicet tam grauia audiſſet ſibi proponi, quæ nimis durum iudicabat ſuſcipere. [a] Ad quod vehementer adiuuit, diuitiarũ multitudo. Erat enim adoleſcens iſte multum diues: eóque difficilius erat, hóc eius animo perſuadere conſilium, quod perpendebat non poſſe impleri ſine maxima carnalium amicorum atque cognatorum indignatione. Erat itẽ (vt ſolẽt diuites) lautius educatus, & delicatè vixerat in diuitiis: propter quod, arduum ei nimis videbatur, cuncta proiicere ſæculi bona, & pauperi homini ne domũ quidem habenti ſeſe adiungere, ſicq; iuxta humanum iudicium neceſſitatis etiã corporalis periculo ſe exponere. [b] At dominus Ieſus videns iuuenem poſt reſponſionem deſiſtentem, & abſcedentem cum triſtitia, eo ꝙ nõdum poſſet diuitias relinquere, hinc ſumpta commoda occaſione, quantum diuitiæ ſint impedimentum à ſeruitute Dei oſtendit, dicens: [c] In veritate dico vobis, ꝙ diues difficile ingredietur in regnum cælorum: qui affectum & cor ſuum apponit diuitiis, difficultatem magnam & impedimentum ſibi præſtat perueniendi ad vitam æternam. Si enim cor penitus diuitiis quis opponat, ita vt earum amor atq; fiducia præcedat amorem atque fiduciam erga Deum: proculdubio fieri nõ poteſt, vt talis vitam accipiat, niſi fiat alius. Si verò amorem quidem habeat quis diuitiarum ſuarum, verum non tantum quin ſuperet amor & fiducia erga Deum, hic licet ſalutem poſſit aſſequi in eo ſtatu (ob ſupereminentẽ Dei amorem) nihilominus propter affectum diuitiarum, difficultatem patietur, & impedimẽtum à Dei ſeruitute, ac proinde retinaculum illi eſt quoddam, à regno cælorum retrahẽs: idq; magis vel minus, ſecũdum quod affectus ille maior aut minor fuerit. Exemplum iam vidiſtis in hoc adoleſcente, probo alioqui nec omnino mali deſiderij, quomodo diuitiarum affectu à propoſita ſibi via perfectionis ſtatim triſtis abſceſsit, quã forſitan gaudenti fuiſſet amplexatus animo, ſi non ipſum diuitiarum amor ſtrinxiſſet. [d] Et rurſum (inquit) dico vobis, Facilius eſt reſtem nauticam, tã craſſam & groſſam, tranſducere per foramẽ exiguũ acus, per

a Erat enim habens multas poſſeſſiones.

b Ieſus autem dixit diſcipulis ſuis:

c Amẽ dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnũ cælorum.

d Et iterũ dico vobis: Facilius eſt, camelũ per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.

per quod vix tenue filum magno viſus acumine trāſducitur, quàm diuitem in diuitiis cōfidentem, eiſque cor totum ſuper omnia apponentem , introire in regnum cælorū, ſi in eo ſtatu permāſerit, & niſi reſpuerit. Huiuſmodi enim cū Deum non ſuper omnia diligat, ſed creaturam præponat creatori, erga creaturā habēs amorē, & fiduciam amplius quàm erga Deum, non poteſt eſſe regno cælorū dignus, niſi diſcat ſpem illam & affectione prauam deponere, & Deum ſuper omnia diligere. [a] His autem auditis, aduerſum diuitiarū amorem tam acriter prolatis, admirabantur plurimum diſcipuli, nondū perfectè intelligētes cuncta verba Domini, & dicebant vel ad præceptorē vel adinuicem: [b] Ecquis poterit ſaluus fieri? Si tam in auguſto eſt poſita ſalus hominis, ſi tanta requiruntur, tam grauia humano iudicio ad ſalutem conſequendam, cuiuſmodi huic adoleſcēti ſunt propoſita, & ſi ita dānantur diuites, neq; omnino poſsint ſalutem cōſequi: quotus ergo quiſq; poterit adipiſci ſalutem, cū penè omnes ſectentur ex corde diuitias, & paucisſimos ſit inuenire qui ita ſint parati ex animo cūctas ſpernere diuitias, eaſq; diuenditas erogare pauperibus? [c] Ieſus autē huic diſcipulorū admirationi paucis reſpondēs, ait: [d] In humana quidem facultate aut in hominū viribus ſitum non eſt, ſaluari & vitam conſequi, aut illa agere quæ ſunt ad conſequēdam ſalutem neceſſaria. [e] Apud Deum autem, nihil eſt impoſsibile, vel difficile: & quę ex ſemetipſis nō poſſunt homines, ex Dei gratia vtique poſſunt. Vnde licet hominibus ex ſe durum ſit aut impoſsibile ſic omnia ſpernere & me ſequi, iis tamen in quibus fuerit operata gratia Dei, nō erunt hæc neque impoſsibilia neque multum difficilia. Quomodo enim ſine Deo nihil poteſt homo , ita in Deo ſe confortante poteſt omnia. [f] Tunc Petrus arrepta fiducia ex verbis domini, gaudens in teſtimonio bonæ conſcientiæ, ꝙ iam ſaltem cœpiſſet cū ſuis conſodalibus implere illud domini conſilium de relinquendis omnibus & ſequēdo Chriſtum, prædictorū occaſione fiducialiter dixit domino: [g] Ecce domine nos, iuxta conſilium quod ſupra audiuimus te de-

a Auditis autē his, diſcipuli mirabantur valde dicentes:

b Quis ergo poterit ſaluus eſſe?

c Aſpiciens autem Ieſus, dixit illis,

Apud homines hoc impoſsibile eſt,

e apud Deum autem omnia poſsibilia ſunt.

f Tunc reſpondens Petrus, dixit ei:

g Ecce nos reliquimus omnia.

diſſe iuueni,omnia noſtra ad vocem iuſsionis tuæ reliquimus: [a] omnibúſque relictis, nudi & expediti te ſumus hactenus ſequuti, & paſsibus corporis te ſemper comitantes, & vitæ imitatione vel aliqua ex parte,vt potuimus,te præceptorem inſequentes: ſicque quod iuſsiſti(vt arbitror)iam aliqua ſaltem ex parte, fecimus. [b] Quid igitur nobis erit præmij? Num certò expectanda nobis eſt ſalus & vita illa beata,quę expectatur in patria? [c] Reſpondens autem dominus, dixit:In veritate dico vobis,quòd vos diſcipuli atque Apoſtoli mei, qui me ita relictis omnibus ſequuti eſtis, [d] in conſummatione ſæculi, in nouiſsimo die reſurrectionis & regenerationis (quando omnia innouabuntur, & omnes homines ad vitam nouam redeundo,in corporibus reſuſcitatis, reuiuiſcent, velut regenerati ad immortalem vitam,) [e] quando veniet filius hominis ad faciẽdum iudicium,& tanquam iudex reuelabitur,ſedens ſuper ſedem iudicij ſui in gloria patris. [f] Tunc non ſolùm beatam ab eo accipietis retributionem, verumetiam in ſupereminenti dignitate & authoritate ſedebitis ſuper duodecim thronos iudiciarios, tanquam aſſeſſores mei & coniudices,approbatoréſque meæ ſententiæ,iudicaturi duodecim tribus Iſraël,populum vniuerſum Iudaicũ,qui vobis credentibus & prædicantibus noluit in me credere,ac multò magis vniuerſum quoque ex gentibus populum infidelium: eos qui noluerũt veſtræ prædicationi acquieſcere vnà mecum condemnaturi, ob incredulitatẽ ſuam. Quomodo enim nunc ſuper terrã vobis ſum relicturus, quaſi vicariis meis & coadiutoribus prædicandi officium , ſimúlq; claues regni cælorum, ligandi atque ſoluendi omnimodam poteſtatem:ita & in illo die authoritate vos pollere & prę eminere faciã,ac dignitate ſublimi effulgere , vt orbis iudices vnà mecum appareatis:ſicq; omnibus fiat palàm,non inanem fuiſſe veſtram in terris authoritatem,& manifeſtè videant illi quos contempſerant: vt quomodo nunc ſocij eſtis paſsionum & humilitatis meæ participes, ita tunc ſocij inueniamini conſolationum & gloriæ conſortes. [g] Neque verò ſolis vobis

a & ſequuti ſumus te.

b Quid ergo erit nobis?

c Ieſus autẽ dixit illis: Amẽ dico vobis,quòd vos qui ſequuti eſtis me,

d in regeneratione,

e cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ,

f ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſraël.

g Et omnis qui reliquerit domũ vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrẽ aut vxorẽ, aut filios, aut agros propter nomen meum,

vobis aut veſtri etiã ſimilibus, futuris Eccleſiæ præpoſitis, pro meo amore cuncta relinquentibus, bona erit retributio (tametſi vobis ſpecialis quædam dabitur excellẽtia dignitatis) verumetiã quiſquis omnino fuerit, cuiuſcunq; conditionis vel infimæ, qui reliquerit quippiam externũ, illudq; ex affectu ſuo proiecerit, & à ſe abdicauerit, (ne ab eo impedimentum patiatur in obſeruantia mãdatorum meorum, aut ab Euangelicæ vitæ perfectione diſtrahatur) vtpote domum, vel fratres aut ſorores, patrem aut matrem, aut reliquos de cognatione ſua: ſimiliter vel vxorẽ vel filios, qui ſunt alioqui natura coniunctiſsimi: denique agros aut vineas, aut alias huiuſmodi poſſeſsiones, ſiue aliud quidlibet externũ: idque fecerit ob amorem & honorẽ mei nominis, vt externis illis abdicatis liberius mihi ſeruire aut meũ nomen verbo aut exemplo prædicare poſsit, nõ ad vanam oſtentationem aut aliud quidlibet, niſi propter nomẽ meum: [a] talis (inquam) cẽtuplum accipiet etiam in præſenti tempore: nimirum pro temporalibus rebus & caducis, quibus diu gaudere vel frui nõ poſſunt homines bona ſpiritalia ſola verè bona & ſtabilia, quæ cẽtuplo & millecuplo, imò ſine cõparatione, ſunt meliora & præſtantiora quibuſcũque temporalibus: quibus quidem ſpiritalibus bonis etiam in præſenti tẽpore multò melius intus in conſcientia reficitur & conſolabitur, quàm in poſſeſsione cuiuſcunq; rei temporalis. [b] Poſt finitum autem huius vitæ curſum, glorioſam inſuper accipiet, pro ſpretis mũdi diuitiis, vitę & glorię ſempiternæ retributionẽ, vbi bonorũ omnium erit perfecta ſatietas. Tã eſt vtilis negotiatio, propter nomẽ meũ, mundum ac mundi ſubſtantiam omnem relinquere: propter quod, iure nõ debuit iuuenis ille contriſtari, vos quoq; meritò bene ſperare debetis, & de vocatione veſtra gaudere magnificè. [c] Neq; ego hic perſonã reſpicio, neq; genus, neque aliud quicquam cõſidero: ſed quicunq; pro meo nomine huius mundi bona reliquerit, & ex animo mihi adhæſerit, hunc ego iam dicta remuneratione dignabor. Vnde fiet vt multi ex iis qui ſibi vidẽtur primi eſſe in regno cęlorum,

a centuplum accipite,

b & vitã æternam poßidebit.

c Multi autem erunt primi nouißimi,

rum,efficiantur poſtremi:quẽadmodum carnales Iudæi,qui in genere confidunt, atque hinc ſe quaſi primos reputant,quemadmodum & verę ſunt,ſi credere velint:hi tamen propter ſuam infidelitatem,fient nouiſsimi in regno cælorum,id eſt, in ipſum non intrabunt,quoniam ipſo ſe facient indignos. [a] Econtrario verò,ij qui aliquãdo nouiſsimi fuerunt in regno cælorum, id eſt, alieni à teſtamento Dei & promiſſione patrum,nempe gentiles,efficientur apud Deum primi in regno cælorũ.Multi enim veniẽt ab oriente & occidente, & recumbent in regno cælorum, cum Abraham,Iſaac,& Iacob,ſicque efficientur primi qui fuerant nouiſsimi. Filij autem regni eiiciẽtur foras, ſicque nouiſsimi efficientur qui primi fuerant.

a Et nouiſſimi, primi.

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos?) In Græco non legitur hominem, ſed tantum, *quia qui fecit ab initio.* Non incongruè tamen adiectum eſt,ſupplemẽti gratia, quoniam aliquid omnino oportet ſubaudiri.Relatiuum autem eos, nõ debet referre hominem,ſed coniuges,virũ & vxorem, de quibus in propoſita tentatiua quæſtione Phariſæorum fit mẽtio.Illud quoque notandum, quòd in Græco maſculus & fœmina per genus neutrum dicũtur ἄρσεν καὶ θῆλυ arſen & thily, vt ſexus magis indicetur quàm perſonæ,vt ſit ſenſus:Fecit eos in ſexu gemino,maſculino ſcilicet & fœmineo, vt iungerentur inuicem & vna caro fierent. ¶*Et dixit.*) Huius verbi ſuppoſitũ accipiendũ videtur ex præcedenti oratione,Deus qui ab initio creauit hominẽ in ſexu gemino. Si autem quæras quomodo Deus id dixerit,cũ Geneſis ſecundo capite indicetur non eſſe verbũ domini:ſed verbum Adæ, in promptu eſt ſolutio, dixiſſe hoc dominum per Adam. In Prophetico nanque ſpiritu hæc verba Adam protulit,dicens:*Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea:hæc vocabitur virago,*ſiue(vt vicinius Hebręã exprimamus lectionem) vira,*quoniam de viro ſumpta eſt.Propter hoc,&c.* Verba autem iſta Adam protuliſſe in Prophetico ſpiritu, ſatis manifeſtat Paulus Apoſtolus,cũ in epiſtola ad Epheſios,poſt eadẽ adducta,ſubiungit:*Sacramentum magnum eſt hoc. Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Poſſet nihilominus pro ſuppoſito verbi,dixit: Chriſtus accipi, vt ſit quaſi additio alterius dicti ad dictum prius, innuatúrque Chriſtus:citare verba Adæ. ¶*Erunt duo in carne vna.*) Græcè eſt per accuſatiuũ εἰς σάρκα μίαν

Gene. 2.

Ephe. 5.

μίαν is ſacramian,id eſt,in carnem vnam.Verũ accuſatiuus cum huiuſmodi præpoſitione apud Latiuos ſolet nõ rarò per ablatiuum explicari, quomodo ſubinde εἰς τὸ ὄνομα, id eſt, in nomen, ponitur, pro in nomine.¶ *Quod ergo Deus coniunxit.*) Signanter vtitur numero ſingulari,dicens:*Quod Deus coniunxit*,cũ tamen de pluribus ſermo ſiat:quia videlicet de pluribus vt de vno loquitur,de cõiugibus ſcilicet duobus vt de carne vna.Pro verbo autẽ, coniunxit, in Græco eſt verbum συνέζευξεν ſynezeuzen, quod ſonat,coniugauit, vel in vnum iugum coniunxit aut copulauit. ¶ *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem,& aliam duxerit mœchatur.*) Exceptio illa, niſi ob fornicationem,ſic accipi debet,vt ſolùm referatur ad partem præcedentem, vt nihil ſignificetur aliud adiectione talis exceptionis, niſi quòd propter fornicationem ſit licitum vxorem dimittere.Non autem ad totam enuntiationẽ poteſt referri exceptio,quomodo ſecundum proprietatem ſermonis videretur accipienda.Nam ſi ad totum referretur exceptio,indicaretur,eum qui ob fornicationẽ dimiſiſſet vxorẽ,& aliam duxiſſet non mœchari.Cuius cõtrarium indubiè verũ eſt.Nam etiamſi ob fornicationem vxorem tuam dimiſeris, non tamẽ alteram tibi licet ducere vxorem, quandiu prior illa vixerit. Quanquã enim propter vitiatam thori coniugalis fidem,liceat vxorẽ dimittere,vt non cum ea cohabites,neq; cõiugale debitum præſtes,vinculũ nihilominus coniugij permanet firmum & indiſſolubile, niſi per mortem alterius coniugum. ¶ *Non omnes capiunt verbum iſtud.*)Græcè eſt χωρῦσι chorusi, ſimiliter & in eo quod poſt ſequitur: *Qui poteſt capere capiat.* Significat autem capere hìc non propriè intelligere,ſed capacẽ eſſe,atque intra capacitatem comprehẽdere, Eſt ergo ſenſus:Nõ omnes comprehendere poſſunt hoc verbum, vt intra ſe capiãt & amplectantur illud:id eſt,non cuiuſuis eſt,non quilibet ad hoc agrediendum, ad ſtatum tam ſublimem ſuſpiciendum ſufficit. Cum autem dicitur: *Non omnes capiunt verbum iſtud*, pronomen iſtud,demõſtrare videtur id quod dicebant Apoſtoli: *Non expedit nubere:* verbum iſtud ſcilicet, de non ineundo matrimonio,id eſt, conſilium cælibatus quod diſcipuli verbis attigerant. ¶ *Non expedit nubere.*) Latino vſui eſt familiarius,tantum mulieribus hoc verbum tribuere.Nubit enim mulier viro ſicut vir ducit vxorem.Verũ propter inopiã,interpres Latinus & hìc & in pleriſque locis aliis vtitur tanquã vocabulo cõmuni viris & fœminis,vt idem ſit nubere, quod nuptiis copulari,quomodo & ſonat Græcũ verbum γαμίζω gamiſe, quod ſimiliter à nomine γάμος,gamos formatur,ſicut nubere à nuptiis, vel econtrario. Sed & apud vetuſtos authores inuenitur nonnunquam

nunquam nubere vſurpatum vt commune vocabulum: ¶ *Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt.*) Quidam accipiunt iſtud, per defectum membri genitalis à natiuitate deficiētis, quomodo aliquādo naſcitur homo quatuor tantū digitos aut tres in vna habens manu, atque econtrario nonnunquā ſenos in vna manu habens digitos iuxta materiæ abundantiā vel diuiſionem, aut defectum vel conuiſcationē innaturalem. Facilius autem intelligimus, eunuchos naſci, eos qui naſcuntur frigidi & impotentes ad generandū, quam frigiditatē nimiam ex defectu caloris deficientis in generatione contrahunt. ¶ *Sunt eunuchi qui facti ſunt ab hominibus.*) Græcè habetur verbū paſsiuum à nomine Eunuchus ἐυνουχίσθησαν eunuchiſthiſan, ac ſi Latinè effi̇cto vocabulo dicamus, eunuchizati ſunt: hoc eſt, eunuchi facti ſunt. Vnde patet, nomē eunuchi in cōmuni lectione ad verbum, facti ſunt, replicari debere, id quod & ipſa apertè monſtrat ſentētia. Itē & in eo quod ſequitur: *Qui ſeipſos caſtrauerunt*, in Græco eſt verbum actiuum à nomine eunuchus ἐυνούχισαν, eunuchiſan, ac ſi dicamus eunuchiſauerunt, id eſt eunuchos fecerunt, ſiue caſtrauerunt. ¶ *Diſcipuli autem increpabant eos.*) Relatiuum ad ſenſum videtur referre, offerētes, non pueros. Quorſum enim pueros increparent nondū capaces reprehēſionis, neſcientes quid facerēt? Idipſum Marcus apertius indicat, dicens: *Diſcipuli autem comminabantur efferentibus* ¶ *Talium eſt enim regnum cælorum.*) Vigilanter nota, quòd non dicit iſtorum tantum, ſed talium: vt indicet non ætatis ſe requirere imperfectionem, ſed innocētiæ potius & humilitatis imitationem. ¶ *Quid me interrogas de bono?*) Græcè hoc loco legitur: *Quid me dicis bonum?* quomodo Marcus & Lucas habent, ex quibus forſitan mutatio fieri potuit, quēadmodum in aliis plæriſque locis factum conſtat, maximè quòd ſenſus ſit facilior, cum legitur: *Quid me dicis bonum?* Neque verò inter Matthæum ita dicentem: *Quid me interrogas de bono*, & alios duos dicentes: *Quid me dicis bonum*, contrarietas vlla eſt. Fieri enim potuit vt vna quęſtione ſimul vtrunque propoſuerit, dicendo: *Quid me dicis bonum, & de bono interrogas?* quēadmodum adoleſcens bis fecerat in quæſtione mentionem boni, dicens: *Magiſter bonè, quid boni faciam, &c.* ¶ *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire.*) Quidā per camelum animal accipiunt, cui non eſt poſsibile ob ſui magnitudinem acum tranſire. Verum hoc modo comparatio iſta de camelo per acus foramen, nullam habet gratiam, nullam habet apparentiā. Quando enim vllum animal per acum tranſit? Quare melior videtur aliorum ſentētia, qui intelligunt reſtem nauticam (qua ſolet alligari nauis) miræ ſpiſsitudinis. Atque ita maiorem habet gratiam

propoſita

propoſita comparatio, quoniã ſolent fila per acus foramen traducit, neq; obſtaret quicquã huiuſmodi camelo, niſi eſſet ipſius nimia groſſicies, qua impeditur vt omnino impoſsibile ſit ipſam per foramen acus tranſducere. ¶*Vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis.*) Particulam illam, in regeneratione, quidam connectunt cũ præcedentibus, in hũc ſenſum: Vos qui eſtis me ſequuti nũc in regeneratione, in ea quæ per fidẽ eſt regeneratione ſpirituali, qui me ſequentes regenerati eſtis, in fide & adoptione filiorũ Dei, vt credentes in nomine meo facti ſitis filij Dei: vos (inquã) in die iudicij, cum venerit filius hominis, ſedebitis, &c. Alij autẽ iungunt cum ſequentibus, per regenerationem intelligendo tẽpus reſurrectionis & conſummationis ſæculi, quãdo omnia immutabuntur & velut regenerabuntur: quem modum vt magis veriſimilẽ nos in Elucidatione ſequimur, omiſſo altero. Vtraque tamen lectio probatos habet authores. ¶*Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.*) In Elucidatione hanc partẽ ad Iudęos & gẽtes indicauimus referendã, quomodo expreſſe id Lucas nobis aperit, apud quẽ ca. 13. ſui Euãgelij ita legimus peculiariter dictũ Iudæis, *Neſcio vos, vnde ſitis: Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & ſtridor dentiũ, cũ videritis Abrahã, Iſaac & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autẽ expelli foras. Et venient ab Oriente & Occidẽte & Aquilone & Auſtro, & accũbent in regno Dei, Et ecce ſunt nouiſſimi qui erant primi, & ſunt primi qui erant nouiſſimi.* Cõmodè autem Saluator hoc loco iſta addiicere voluit, vt doceret, ſuas promiſsiones iam ante poſitas, generaliter factas eſſe omnibus, quicunq; eius verbis fidem haberent, & pręſtarẽt obedientiam, nulla habita ratione gentis aut carnalis originis. Poſſet nihilominus generalius pars iſta ad omnes accõmodari, vt generaliter loquendo multos dicamus ex iis qui prius videbantur vel ad tempus fuerũt primi, poſtmodum fieri nouiſsimos, & econtrario, propter quorundã peccatorum conuerſionem, & aliorum iuſtorum auerſionem. Verum prior ſententia videtur præferenda, vt magis apta textui, id quod ſubſequens etiam monſtrabit parabola.

ELVCIDATIO CAP. XX.

VT autem vel ad oculum videatis, quomodo erunt nouiſsimi primi & primi nouiſsimi, ecce craſſiam vobis propono parabolam, cuius tãdem applicatio id apertè monſtrabit. Ita eſt de regno cælorũ & in eius datione ſic agitur, quomodo per ſimilitudinem

Simile eſt regnũ cælorũ homini patrifamilias qui exijt primo mane cõducere operarios in vineã ſuam.

litudinem in ſequenti figuratur parabola,de homine patrefamilias,qui pro cultura vineę ſuæ ſolicitus ſummo mane exiit ad cōducendum operarios,quos mitteret in vineam ſuam ad operandum. [a] Inuentiſque operariis pactum fecit cū eis ex denario diurno, inter eū & operarios conuentum eſt de certa mercede denarij,quem pro ſingulorum dierum operis reciperent: atque ita pacto inito & ſtatuta mercede , iuſsit abire eos in vineam ſuam.[b] Quibus emiſsis ad opus nōdum contentus paterfamilias,cupiens amplius coli ſuā vineam,poſt duas horas , (hora videlicet tertia ab ortu ſolis) egreſſus domum ſuam,& ad forum veniens locum vbi ſtare ſolent qui ſuam locare volunt operam,inuenit ibi alios ſtantes, qui nōdum ad opus erant conducti,& abſq; opere ſtabant otioſi.[c] Et hos ille miſit operari in vineā ſuam,dixitq; illis:Iam ſummo mane quoſdā præmiſi operarios in vineā meā,ite etiā & vos laborate in ea:[d] & ego vobis dabo quod iuſtū fuerit.Cum his autē conuentionē nō fecit ex denario diurno,eo ꝙ nō eſſet dies integra , neq; proinde deberi eis videbatur merces laboris integra, ſed fidei ſuæ cōmitti voluit pretiū,dicēs:Quod iuſtū fuerit dabo vobis:quaſi diceret,vos tantū ite operari,cæterū de pretio mihi cōfidite,nō fraudabimini.[e] Et illi non exigentes pactum,benefidentes verbo patrisfamilias,abierunt ad laborem. [f] Nec his contentus paterfamilias ſemper magis ac magis ſuam vineam coli deſiderās, iterū exiit domū circa ſextam & nonam horas ab ortu ſolis , & ſimiliter fecit : veniens ad forum,inuenit ſtantes quoſdam otioſos , eóſque miſit in vineam ſub mercede bonæ fidei.[g] Sed & circa vndecimam horam, quando iam occaſui erat dies proximus,& hora vnica reſtabat lucis,non deſiit pro ſua vinea ille eſſe ſolicitus:egreſſūſque ad forum , inuenit alios ſtantes illic abſque opere,& dixit illis, quaſi per increpationem , quòd tam tarda hora necdum quicquam eſſent operati.[h] Quid(inquit)totum diem hîc ſtatis otioſi , nihil operis honeſti operantes , iam dies ferè pertranſiit, iam eſt ſol occaſui proximus, & vos nihil adhuc operis feciſtis? [i] Illi ſe humili reſpon

a Conuentione autem facta cū operarijs,ex denario diurno miſit eos in vineam ſuam.
b Et egreſſus circa horam tertiam,vidit alios ſtantes in foro otioſos.
c & dixit illis: Ite & vos in vineam meam,
d & quod iuſtum fuerit dabo vobis.
e Illi autē abierunt.
f Iterum autē exijt circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter.
g Circa vndecimam verò exijt & inuenit alios ſtantes, & dicit illis:
h Quid hîc ſtatis tota die otioſi?
i Dicūt ei:*Quia nemo nos conduxit,*

reſponſione excuſant, ac dicunt: Iampridem ad opus eramus parati,ſi quiſpiam nos conduxiſſet.Poſtea autem q̄ nemo noſtram operam conduxit non fuit nobis quod operaremur:atque hæc eſt cauſa noſtri otij. [a] Ille autem excuſatione accepta,dicit:Iam plures ad vineam meam operarios premiſi,ite etiam vos,& nouiſsima ſaltem hac hora in ea laborate, ne totum diē tranſigatis in otio. Atq; his paterfamilias nō dicit cū prioribus, Quod iuſtum fuerit dabo vobis,neq; mercedis vllius meminit,quoniā vix quicquā illis videbatur deberi,qui ſic nouiſsima hora ad opus accederent.[b] Cum autem iam poſt horā vnam veſpera facta eſſet,iuſtus dominus vineæ nolens mercedē operariorum ſuorū apud ſe permanere vſq; mane,dixit procuratori aut diſpenſatori ſuo:[c] Conuoca operarios iſtos omnes,qui in vinea mea hodie operati ſunt,& redde illis deputatam mercedē æqualem omnibus,incipiēdo ab illis qui vltimo loco ad opus venerunt,atq; ita perueniendo vſq; ad eos qui venerūt primi:ita vt ſingulis des iuxta conuentionē cum prioribus factā,neque minus nouiſsimis quàm primis.[d] Euocati igitur illi qui vltimi circa vndecimam venerāt , acceperunt à procuratore ſinguli ſingulos denarios,quantum videlicet iuxta pactum dandum erat primis.[e] Quod videntes illi qui primi venerāt,exiſtimabāt ſe amplius accepturos,(poſteaquam hi qui nouiſsimi venerant, tantundē accepiſſent) quàm ſibi in pacto promiſſum fuerat. [f] Verùm non iuxta illorum exiſtimationem euenit,ſed acceperūt ipſi æquale cū poſtremis pretiū, ſinguli videlicet denarios ſingulos,iuxta initam conuentionem.[g] Quam ob cauſam murmurauerunt aduerſus patremfamilias,tanquam paſsi iniuriam,atq; dixerunt:[h] Hi qui nouiſsimi venerūt circa vndecimā horam,tantum vna hora fecerunt opus:& ecce parem illis nobiſcum tribuis mercedē,qui à mane ad veſperam vſq; operantes tulimus graue pondus, difficilem laborem totius diei,item & æſtus,vnde medio die ferueſcente ſole afflicti & exuſti ſumus,cum interim hi neq; fatigationem laboris neque æſtum ſolis pertulerint? Videtur autem iniquum,vt non plus accipiamus

[a] Dicit illis:Ite & vos in vineā meam.

[b] Cum ſero autem factū eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo.

[c] Voca operarios,& redde illis mercedem,incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.

[d] Cū veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios.

[e] Venientes autem primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi.

[f] Acceperunt autē & ipſi ſingulos denarios.

[g] Et accipientes murmurabant aduerſus patrē familias,dicentes:

[h] Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti,qui portauimus pondus diei & æſtus.

nos qui pondus diei & æſtus tulimus, quàm iſti, qui vnica tantum horula operati, nihil paſsi ſunt difficultatis.[a] Reſpondens autem paterfamilias ad vnum aliquē ex eis, qui præ cæteris murmurabat vehemētius, dixit:[b] Amice, non eſt quod conquераris aut indigneris aduerſum me, quaſi tibi facta ſit iniuria. [c] Nonne cōuentio inter nos facta eſt ex denario diurno: ſuper certo & deputato pretio, quod tibi ego pro opere diei vnius pollicitus ſum perſoluere? Id ego tibi bona fide adnumeraui, nec fefelli in obolo. Quid igitur habes cauſæ aduerſum me murmurandi? Accipe quod tibi fuit debitū, & abi cōtentus abſq; murmure.[e] Cęterū, his nouiſsimis qui vna tātum hora ſunt operati, volo ex mea liberalitate & benignitate dare æqualē mercedem: non quidem vt ex conuentione debitam, ſed propter meam liberalitatem, quoniā ſic mihi eſt placitū. Quòd ſi ita facere mihi placuerit, quis iure me poſsit reprehendere?[f] An nō licet mihi de rebus meis facere ac diſponere vt voluero? Quis mihi prohibeat de propriis bonis liberaliter ei cui voluero ſupra meritū perſoluere?[g] Quòd ſi tibi eſt malus & nequam oculus, certè ego bonus ſum: ſi tu inuidus es, nō ęquis oculis aſpicere valens quod alteri impenditur bonū, certè ego inuidus non ſum, ſed liberalis donator, & libenter beneficus iis qui operantur confidentes in verbo meo.[h] Quomodo autem in hac parabola videtis primos & nouiſsimos æquari mercede, nec in retributione haberi rationem primi aut vltimi, cum æquam omnes portionem acceperint: ſic & in regno cælorū res ſe habet, non erit conſideratio qui primi fuerint operati in vinea domini, qui poſteriores, qui nouiſsimi: non ideo potiores partes habebunt in regno Dei Adam & Noë, Abraham, Moſes, Dauid, quia in prioribus ætatibus miſsi fuerunt operari in vineam Dei: neq; ideo erunt veſtræ partes deteriores, quod nūc in ætate nouiſsima ad opus mitamini: ſed erunt primi tanquam nouiſsimi, & nouiſsimi tanquā primi: quoſcunq; Dei benignitas vocauerit & elegerit, atq; in labore vineæ inuenerit, ſine diſcretione eodē vitæ æternæ præmio remunerabit. Non item erit deterior cōditio

a At ille reſpondens, vni eorum dixit:
b Amice nō facio tibi iniuriā.
c Nónne ex denario conueniſti mecum?
d Tolle quod tuum eſt, & vade.
e Volo autem & huic nouiſsimo dare, ſicut & tibi.
f Aut non licet mihi quod volo facere?
g An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?
h Sic erunt nouiſsimi primi, et primi nouiſsimi.

ditio gentiliũ,qui ad ætatem vſque nouiſsimã otioſi ſtantes tunc demum vocati ſunt, & in vineã miſsi,ꝙ tardiores venerint,modo fideliter ſe in opere patris-familias Dei geſſerint.Neq; erit Iudæorum conditio potior,quòd à principio in vineam domini patres eorum laborauerint,ſed æquale erit omnibus præmiũ regni cælorum,quicunq; meis verbis credẽtes obediẽtiam præſtiterint.[a] Illud enim diligenter notandũ,ꝙ licet multi ſint ad vitam æternã vocati,pauci ſint tamen ad eam electi.Vocati quippe ſunt omnes Iudęi, quibus tam multifariè multiſq; modis olim Deus eſt loquutus in Prophetis,ac nouiſsimè etiã in filio ſuo, Heb.1.
ex quibus tamen admodum pauci ſunt ad vitã electi: ſic & in Eccleſia plęriq; vocantur ad fidem Chriſti & vitam ęternam,qui tamen(quoniam nõ dignè ambulant vocatione ſua)non eliguntur ad vitam ad quam ſunt vocati,ſed reprobati abiiciuntur:propter quod, nemo debet in aliquo ſibi placere, ratione originis aut vocationis ſuæ,ſed per fidẽ & obedientiã verborum meorũ,certam facere vocationẽ ſuã,& curare vt ſit non ſolum vocatus,ſed etiam electus. [b] Et aſcendens Ieſus Hieroſolymam futurũ ſuæ paſsionis locũ, ſecum aſſumpſit ſecretò & ſeparatim à turbis duodecim diſcipulos ſiue Apoſtolos ſuos,quibus datũ erat noſſe ſecretiora myſteria,& ait illis:[c] Ecce nos aſcendimus Hieroſolymam locum deputatum paſsioni & morti meæ,vbi patris permiſsione,& propria voluntate tradar ego in manus & poteſtatẽ hoſtium meorum,principum videlicet Sacerdotum atq; Scribarũ, qui me innocentem per inuidiã ſine cauſa in ſuo conſilio mortis reũ iudicabunt: [d] ac deinde gentili poteſtati tradẽt,vtpote præſidi & miniſtris eius,à quibus ſuæ ſententiæ exequutionẽ impetrare debebunt:gẽtibusque traditus,illuſionibus & opprobriis plurimis afficiar,& flagellis cædar,ac poſt omnia cruci affigar, in ea poſiturus animam,& mortẽ pro generis humani ſalute obiturus.[e] Verũ poſt hanc tranſactam paſſionis humilitatem,quantotius ſubſequetur reſurrectionis gloria.Tertia nanque die victor à mortuis reſurgam,ad vitam glorioſam & immortalẽ. Super his

a Multi enim ſunt vocati,pauci verò electi.

b Et aſcendens Ieſus Hieroſolymam,aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò,& ait illis:

c Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis,& condemnabunt eũ morte:

d & tradent eũ gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum,

e & tertia die reſurget.

præmonitos vos eſſe volui, vt cũ venerit hora & tempus, quando hæc impléda ſunt reminiſcamini iſta ſic vobis prædicta, vt non ſcandalizemini in paſsionibus meis: ſcientes, non ex impotétia, ſed ex propria volũtate iſta me pati, ſimul vt in paſsionibus meis ſpe futuræ & prędictæ vobis reſurrectionis cõſolemini atq; ſuſtentemini, donec promiſſum adimpleam.[a] His auditis de reſurrectionis gloria filij Zebedæi (quorum fuit mater Salome) ſuſpicantes poſt reſurrectionem regnaturũ Chriſtum in gloria, tali forſitan quali eum viderant in monte trãſfiguratũ, tacti ambitione quadam & gloriæ deſiderio, matrem ſubornarunt, quæ pro eis petitionem apud dominum proponeret, pro aſſequenda in regno illo temporali quod ſomniabãt gloriæ præeminentia.[b] Accedẽs itaque illa cum filiis ad dominum, exhibita ei reuerentia adorationis debita, generali petitione rogauit, in re aliqua quã erat poſtulatura exaudiri: quemadmodum particulare aliquid potiſsimum ſi magnum fuerit, poſtulaturi generalem ſolent petitionem præmittere.[c] Non ſtatim autem Chriſtus petitioni aſſenſum dedit, licet multum eſſet ipſa dilecta & fidelis miniſtra quæ proponebat petitionem: ſed ad examẽ voluit petitionẽ deducere, eamq; particularius explicari voluit: vt ſi quidẽ iuſta foret, aſſenſum præberet: ſin minus, eam reprobaret, præſtito eo quod foret vtilius: nos hoc exemplo ſuo inſtruens, non ob affectum aliquem carnalem petitionem minus æquẽ facile acquieſcere, quantumuis ſit propinquus aut charus is qui petitionẽ proponit, ſed prius diligenter eam examinare, honeſta ne ſit & rationabilis, an minus. Stultũ eſt enim, petitioni cõſentire, antequã expoſita fuerit.[d] Interrogata itaq; à domino quid poſtularet mater filiorum illorum, reſpondit: Dic vt duo iſti filij mei tibi iuncti ſanguine & animo (nempe cognati, nepotes, & diſcipuli) primi ſint apud te, & digniora apud te loca obtineant, cum poſt reſurrectionem tuam regnabis ſuper terram in gloria: pollicere nunc illis primatum & loca digniora præ cæteris tuis diſcipulis, quando apparebis in gloria, vt tanquam duo tibi dignitate proximi ſedeant tecum,

a Tunc acceſsit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis,

b adorans, & petens aliquid ab eo.

c Qui dixit ei: Quid vis?

d Ait illi: Dic, vt ſedeãt hi duo filij mei, vnus ad dexterã tuã, & vnus ad ſiniſtram, in regno tuo.

tecum, alter ad dexteram, alter ad ſiniſtram tuam. [a] Quam petitionem ex ambitione quadam atq; etiã ex ignorantia procedentẽ conſiderans dominus irrationabilem & vanam nõ iam matri reſpondit petẽti pro filiis, ſed ad filios (qui matrem ſubornauerant, & velut per matrem loquebantur) increpationem direxit, quã eorũ vanam poſtulationem corrigeret, & mutaret in melius: quomodo ſolent parentes filiis noxia inconſideratè petentibus, nõ poſtulata concedere, ſed ea ſubinde quæ ſunt poſtulatis cõtraria. [b] Vos (inquit) non intelligitis quid petatis, quoniam & per ignorantiam falſo præſuppoſito innitimini, ſomniãtes neſcio quam temporalem in mundo gloriam poſt reſurrectionem meam: & per ambitionem quandam veſtra mouetur affectio, ad petendum huius mundi excellẽtiam, quam non expedit petere. Quoniam autem verè vos diligo, patris & præceptoris affectu veſtrã petitionem corrigẽs, docebo vos, quid magis petere debeatis, & de quo magis expediat cogitare. [c] Interrogo itaq; vos, num calicẽ illum amaræ paſsionis atque mortis poſsitis bibere, quẽ ego ſum biblturus? num voſipſos ſufficientes iudicetis ad paſsionẽ & mortem conſimilem pro meo nomine perferendam, qualem ego ſum pro veſtra ſalute perlaturus? Ad harũ paſsionum humilitatem mallem vos deflectere oculos, quã ad regni terreni (quod vos ſomniatis) gloriam: & hoc potiſsimum volo vt hoc meditemini, quomodo meis paſsionibus conformemini. [d] Illi quanquam nõ plenè omnino caperent, quid ſibi vellet ille calix de quo interrogantur, fidenter nihilominus reſpondẽt: Poſſumus, confidentes videlicet quicquid tam dilectus præceptor prior faceret aut ferret, ſe quoq; pro eius amore & in eius fortitudine poſſe ferre aut facere. [e] Ait illis dominus, Prædixeram ego vobis pauloante priorẽ paſsionem, ac poſteriorem reſurrectionẽ: ſed vos humilitatẽ paſsionis prætereuntes, oculos defixiſtis in gloriam reſurrectionis, atque ob hoc pro loci eminentia ſupplicaſtis. Ego autem verè vos diligens, in poſtulata temporali gloria nequaquam petitioni veſtræ aſſenſum præbeo: ſed in contrarium vertens

a Reſpõdens autem Ieſus, dixit:

b Neſcitis quid petatis.

c Poteſtis bibere calicem, quem ego biblturus ſum?

d Dicunt ei: Poſſumus.

e Ait illis: Calicem quidẽ meũ bibetis:

ſtultam poſtulationem,hoc vobis polliceor,ꝙ in paſſionibus mihi aliqua ex parte cõformes eritis,ac pro meo nomine paſsiones perferetis:tu quidẽ Iacobe, caput tuum ſubditurus gladio:tu verò Ioannes, poſt multas perpeſſas perſequutiones,in dolium mittẽdus feruentis olei,ac deinde in Pathmos inſulam relegãdus exilio.[a] Cæterùm,ad dexteram vel ſiniſtrã meã ſedere,præcellentiam illam apud me in regno meo, non eſt meum,ſecundum quòd homo ſum,vobis dare ratione cognationis,ad eum modum quo vos tanqua cognati id ex parte carnis per ſolicitationẽ matris obtinere arbitrabamini:[b] ſed illi ad hãc dignitatem peruenturi ſunt,illis dabitur à patre meo illa ſupereminentia,quibus ab ipſo hoc paratum eſt,qui ad hoc prædeſtinati & præordinati ſunt, digniq́ue fient per eius gratiam & ſua merita,vt ad eam dignitatem ſubleuentur:cuiuſmodi erunt illi qui pro amore calicem quem ego bibam prior, poſt me ſunt bibituri: quibus ego diſpono,ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnũ,vt edant & bibãt ſuper menſam meã in regno patris mei.[c] Vbi verò audiſſent decem alij diſcipuli, quæ duo filij Zebedæi per matrem poſtulaſſent, & quomodo illis reſpondiſſet dominus,indignati ſunt aduerſum duos illos fratres:& de eorum poſtulatione,quòd ipſi ſe voluerint per ambitionem quandam anteferri cæteris:neque ſatis æquo animo id ferre potuerunt,quod ad hoc tali artificio laboraſſent.[d] Ieſus autem pius præceptor,diſcipulos omnes ad ſe cõuocauit,vt illorum duorum fratrum ambitionem cupiditatemq́ue corrigeret,& cæterorũ aduerſum hos indignantem zelum (qui & ipſe ex aliquo ſuperbiæ faſtu videbatur procedere) cõpeſceret:vt eos ad manſuetudinem,humilitatem,& pacem informaret.[e] Dixitq́ue eis:Manifeſtum eſt vobis omnibus,quemadmodum terreni principes imperantes populis dominium exercent ſuper eos, quorum ſunt principes: & qui in ſecularibus dignitatibus aliis ſunt præpoſiti, poteſtatem exercent ſuper eos qui ſibi ſunt ſubiecti, tanquam dominos ſe gerunt,in exteriori pompa,in miniſteriis & ſtipendiis quę ſuſcipiunt à ſubiectis,& in

Act.12. Apoc.1

a Sedere autem ad dexterã meã & ſiniſtrã,non eſt meum dare vobis,

b Sed quibus paratum eſt à patre meo.

c Et audientes decem,indignati ſunt de duobus fratribus.

Luc. 22

d Ieſus autem vocauit eos ad ſe,& ait:

e Scitis quia principes gẽtiũ dominantur eorum,et qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos.

in poteſtate qua ſuper eos liberè vtuntur, præcipientes illis & ab illis exigentes quicquid penè voluerint. [a] Ne exiſtimate, ad hunc modũ debere rem inter vos geri, vt conemini alter dominari in alterum, neq; ſimilẽ putetis eam præcellentiã quæ erit in vobis diſcipulis meis: ita vt ſi quis ex vobis aliis præficiatur, putet ille ſibi ad eũ modum agendum eſſe erga cæteros, quomodo agũt principes terreni ergá ſuos ſubditos: nequaquã tale exemplũ ego dominus veſter & magiſter vobis oſtendi. [b] Sed quicunq; inter vos voluerit eſſe maior, qui inter vos præcellentiã comparare ſibi voluerit, debet eã per humilitatem cõparare, omniũque ex bono affectu miniſter fieri: [c] & qui primus eſſe voluerit inter vos, fiat ille ſeruus omnium, ſe ex toto corde infra omnes humilians: vt ex vera cordis humilitate & charitate nemini ſe præponat, ſed poſtponat omnibus pro amore Dei quodlibet, quanuis magnum & vile præbere miniſterium. Exemplum enim dedi ego vobis, vt qualem me videritis inter vos dominum & magiſtrum, tales & vos ſitis erga inuicem. Ioã. 13. [d] Ego enim non ad hoc in mundum veni, vt miniſterium ab hominibus ſuſciperem, vt hominum miniſterio ad meam pompam aut magnificentiam vterer, aut ad poteſtatem exercendam in eos: [e] ſed ad hoc veni ex patris obedientia, & ſyncera erga homines charitate, vt tã patri quàm hominibus miniſtrarem, circuiendo, prædicando, in multis laboribus atque moleſtiis miracula faciendo, & alia huiuſmodi (in quibus non aliud quàm miniſtrum me oſtendo) [f] ac poſtremo etiam animam meam darem in redemptionem pro multis: id eſt, propriam vitam temporalem impendere, mortem volũtariè ſubeundo in pretium redemptionis omnium electorum, quorum erit admodum multus numerus: quo miniſterio aliud vilius & conſummatius nullũ exhiberi poſsit: hac in rè exemplum vobis præbens ac docẽs, tanta humilitate præfulgere & charitate flagrare debere illum qui inter fratres maior fuerit, vt paratus ſit etiam propriam vitam ſuam impendere pro ſalute fratrum ſuorũ: qui animus proculdubiò longè abeſt ab illo tyrannico &

a Non ita erit inter vos.

b Sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter,

c & qui voluerit inter vos primuѕ eſſe, erit veſter ſeruus.

d Sicut filius hominis non venit miniſtrari,

e ſed miniſtrare,

f & dare animam ſuam in redemptionem pro multis.

inflato ſpiritu,quo plerunq; principes terrenos ſuper ſibi ſubiectos videmus eleuari. Vos ergo nolite aſsimilari illis.

a Et egredientibus illis ab Hiericho, ſequuta eſt eum turba multa.

[a] Cum autem egrederetur præceptor pariter atq; diſcipuli ab Hiericho, turba plurima illum comitabatur. Et ecce duo cæci iuxta viam per quam tranſiturus erat dominus,reſidebāt, poſtulandæ eleemoſynæ gratia,vt ſolent iuxta vias publicas cōſidere mendici,vbi eſt eorum quæſtus vberior.

b Et ecce duo cæci ſedentes ſecus viam,audierunt quia Ieſus tranſiret:& clamauerūt,dicentes:

[b] Hi vbi ex nimio turbæ tumultu inſolitū aliquid deprehendentes,interrogaſſent de cauſa tanti tumultus,& murmuris ſic agminatim præter morē tranſeuntiū, ac didiciſſent ex tranſeuntium reſponſo,ꝙ Propheta ille nobilis & inſignis doctor Ieſus, nemini iam præ fama virtutū ſuarum incognitus,tranſiturus erat,quaſi tempus opportunum nacti recuperãdi luminis, vocē qua poterant virtute eleuant,clamantes atq; dicētes:

c Domine,miſerere noſtri fili Dauid.

[c] Domine, fili Dauid, Meſsia noſter,ex progenie Dauid, miſerere cæcorum iſtorum.

d Turba autē increpabat eos, vt tacerent.

[d] Hanc vocem cum fortiter & inceſſanter inclamarēt,præ magno conſequēdæ ſanitatis deſiderio, increpati ſunt à turbis tranſeūtibus,ꝙ tam improbè(vt videbatur)vociferarētur: & tacere iuſsi ſunt,ne tanto Prophetæ fieret irreuerentia,ex horū improbis & importunis clamoribus, quibus etiam ipſe potuit impediri per viam docēs, ne audiretur à circundantibus.

e At illi magis clamabant, dicentes:

[e] Illi verò increpati adeò nō tacebant,vt magis etiam vocem exaltarent:timētes,ne fortè per horum prohibentium ſtrepitum nō audirentur a domino, ſicque beneficium perderent quod ſummo affectu poſtulabant.

f Domine, miſerere noſtri fili Dauid.

[f] Orationem itaque ſuā cæci iſti iterum iterúmque ſine ceſſatione replicant,dicētes: Domine Meſsia,fili Dauid, miſerere cæcorum iſtorū,& lucis tuæ impende eis beneficium.

g Et ſtetit Ieſus, & vocauit eos,& ait:

[g] Quorum fide & deuotione,quam tam forti & perſeueranti oratione ſatis teſtabantur, perſpecta, ſtetit dominus,ad ſignificandū, ꝙ precibus illorum cōmotus eſſet,& miſericordiam illis impēdere diſponeret. Et præcepit eos ad ſe vocari.

h Quid vultis vt faciam vobis?

[h] Qui cum acceſsiſſent ad teſtimoniū fidei & deuotionis eorum claritatémquè miraculi,corā omnibus illos interrogauit, dicēs: Oraſtis me,vt veſtri miſererer.Iā volo miſereri.Quid

ergo

ergo eſt quod à me petitis? [a] Illi non egentes delibe- ratione, nihil in rebus omnibus magis deſiderantes, quàm oculorum lumen, ſine mora reſponderũt, dicentes: Domine, petimus donari à te nobis viſum, quo priuati ſumus, ſicq; vt aperiantur ad videndum oculi noſtri. [b] Motus miſericordia pius dominus, quoniã rem non malã poſtulabant, vtpote in rebus humanis maxime neceſſariam, exaudiuit eos, & tetigit eorum oculos beatis manibus, tanquã inſtrumento eis vtens inhabitantis diuinitatis. [c] Et confeſtim ad tam effi- cacem contactum, viſum receperunt, ſuntque aperti oculi antè clauſi vt diſtinctè viderent omnia. [d] Neq; verò ingrati fuerunt illi accepto beneficio, neq; ſta- tim dereliquerunt curatorem ſuum, ſed tanquã cum oculis corporis, ſimul etiam mẽtis oculis illuminati, ſequuti ſunt eum, laudantes & glorificantes Deum pro accepto beneficio.

a Dicunt illi: Domine vt aperiãtur oculi noſtri.

b Miſertus autem eorum Ieſus, tetigit oculos eorum..

c Et confeſtim viderunt,

d & ſequuti ſunt eum.

Parabolæ de laborantibus in vinea latior explanatio.

PAterfamilias eſt Deus, vinea eius eſt populus eius ſiue Eccleſia quæ à primo iuſto ſumpſit initium, perduratura ad conſummationem vſque ſæculi. In hac vinea laborat quiſquis in populo Dei operatur aliquid ad gloriam Dei. Qui modicam habet gratiam, ſi in ſeipſo tantum laborat, à vitiis ſe cuſtodiendo, & diuinam voluntatem adimplendo, in vinea hac vnum palmitem colit. Qui verò abundantiori præditus gratia, nõ ſibi ſolum ſed & aliis in Deo proficit, vel exemplo, vel verbo, vel pariter vtroque, non vnicum ſed plures palmites colit. Vel generaliter in vinea Dei laborant, quicunque operantur opera Dei, & exequũtur quæ Deo ſunt placita. Exiit primo mane Deus conducere operarios in vineam ſuam, quoniam à principio mũdi Patres ad operandum bonum, tam in ſeipſis quàm in aliis, inuitauit præmio propoſito æternæ vitæ, quod erat redditurus ſuo tempore fideliter laborantibus. Idcirco conduxiſſe dicitur operarios in vineam ſuam, & conuentionem feciſſe cum eis, certum aſsignans eis præmium, quo fraudari nõ poſſent: Hora tertia iterum exiit, quoniam ſicut in ætate prima, ſic & in ſecunda (quæ eſt à Noë vſque ad Abraham) ſimiliter homines ad virtutis ſtudium tam in ſe, quàm in aliis inuitauit. Similiter fecit hora ſexta & nona: id eſt, di-

uerſis temporum diſtinctionibus, quarũ prior ab Abraham protenditur vſq; ad Moſem, & poſterior totum tempus legis complectitur vſque ad Chriſti aduentum. Cum ſolis autem primis dicitur conuentionem feciſſe paterfamilias, cum cæteris cõuentionem nouam non fecit: quia ab initio omnibus æqualẽ mercedem dare diſpoſuit, propter quod conuentionem non renouauit. Circa vndecimam horam paterfamilias ſpeciali modo exiit, filius quidẽ de ſinu patris veniens, pater vero filium de ſinu ſuo in mundũ mittens in plenitudine temporis, quando aduenit hora nouiſsima & finis ſæculorum. Inuenit alios qui vſque tunc otioſi ſteterant: id eſt, gentiles qui olim in vitiis conſenuerant, & in idololatria penè ab initio vixerant, nunquam diuinis intenti operibus. Hi à patrefamilias increpantur, quoniã per Chriſti & Apoſtolorum prędicationem redarguti ſunt de infidelitate & ignorantia. Illi ſe à nemine conductos dicunt, quoniam veritatis doctores & Prophetas nõ habuerant, qui eos cultum Dei docuiſſent. Alioqui iam diu ad opus abiiſſent in vineam domini, ſi cõducti fuiſſent. Quòd ſtatim conducti abeunt, ſignat gentes in tẽporis plenitudine in ætate nouiſsima alacriter obediſſe Euangelio. Cæteris omnibus hactenus dictum fuit: *Quod iuſtum fuerit dabo vobis.* His autem de præmio nihil dicitur, vt ſignificetur, gentes non ex vllo debito (eo quòd nullam promiſsionem acceperãt) ſed ex mera gratia miſericordiam conſequutos & hæreditatem vitæ æternæ: cum Iudæis quodammodo ex debito, ratione promiſsionis factæ Patribus, videretur dandum præmium: quemadmodũ pulchrè Apoſtolus ait: *Dico*
Rom. 15. *autem Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circuncisionis* (id eſt populi Iudaici) *propter veritatẽ Dei, ad confirmandas promiſsiones* Patrum: *gentes autem ſuper miſericordia honorare* Deum. Hora duodecima nemo vocatur ad laborem, ſed omnes ad accipiendum laboris ſtipendium conuocantur: quoniam in cõſummatione ſæculi (quæ per horam duodecimam nouiſsimam & veſperam ſignificatur) nemo ad laborem vocabitur, ſed ad remunerationẽ omnes vocabuntur. Non enim erit vltra tempus operandi, ſed fiet tantũ pro operibus prioribus retributio. Omnes ſimul vocantur ad remunerationem, quoniam in vno die omnes accipiemus retributionem ſecundum opera, idque in ſero aut hora duodecima, quæ eſt diei terminus: id eſt, in conſummatione ſæculi.
Ioan. 5. Committit autem paterfamilias negotium retribuendi procuratori
Act. 10 ſuo, quoniam dedit pater filio poteſtatem iudicium facere, iudicem-
Rõ. 13. que conſtituit eum viuorum & mortuorum. Ad hunc procuratorem
2. Cor. 5. ſinguli veniunt, quoniã omnes exhiberi oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; quæ geſsit in corpore. Veniunt vltimi ſimul

cum

cum primis, nec prius accipiũt retributionem primi quàm nouiſsimi,quoniam ſimul omnes ſiſtentur eius tribunali,& ſimul accipient retributionis præmiũ. Denarius ille qui in pacto erat promiſſus primis tantum,qui ſummo mane conducti fuerãt,ſingulis datur,etiam nouiſsimis:quoniã idem præmiũ vitæ æternæ quod primis illis promiſſum fuerat,æquè accipient qui in fine ſæculorum laborauerũt in vinea domini,atque ij qui in mũdi exordio. Nihil enim apud Deum facit prioritas temporis. Quòd à nouiſsimis iubet paterfamilias incipi,non ineptè accipitur ad ſignificandum abundantiam gratiæ, quæ data fuit in plenitudine tẽporis:per quam,ex vltimis illis quidã plus etiam prioribus laborauerunt in vinea domini:propter quod nõ immerito priores. ſunt in retributione : quẽadmodum ſancti Apoſtoli, & plæriq; ſucceſſores eorũ ſimiles. Primi putant plus ſe accepturos, & vbi non amplius accipiunt quàm nouiſsimi murmurare dicũtur, non ad ſignificandũ quòd in die retributionis vlla erit in beatis murmuratio aut diſplicẽtia,quæ mereatur tanquam ex inuidia profecta redargui:ſed hoc tãtum videtur ſimilitudine iſta ſignificari,quòd ſecũdum humanum iudicium videatur iſtis qui ſic in fine temporum primum vocati ſunt non tantum deberi pręmium,quantum illis qui in mundi initio,ac poſtea ſub legis tempore:quoniam ſecundum humanum iudicium videtur ęquum,vt populus Iſraëliticus qui ſemper à progenitoribus Dei cultor fuit,& in vinea ipſius laborauit, ſingulare acciperet præmiũ,præ gentium populo,qui in plenitudine temporis primum in vineam Dei venerunt,filij idololatrarũ, qui in vineã domini non laborauerũt: ac proinde illi primi ius quoddã videntur habere cõquerendi de æqualitate præmij. Dicũt primi ſe põdus diei & æſtus tuliſſe,vel quia primi illi Patres longiſsimam vitã in huius mũdi miſeriis vixerunt,ac deinde per multum tempus in lymbo fuerunt detẽti:vel quia cũ poſteris ſuis ad finem vſque in Dei operibus laborauerunt , cum nouiſsimi tantũ vna hora fecerint:id eſt, nõ à parentibus cultores Dei fuerint,ſed tales primũ facti in plenitudine temporis. Reſponſio domini talẽ increpat cogitationẽ,& nullam oſtendit priores Patres cauſam habere querelę,de eo quod ad eandẽ retributionẽ admittat poſtremos:neq; indignari debere mercedem diſpẽſanti,neq; inuidere æqualem mercedem accipiẽtibus,ſed illius potius liberalitatem collaudare,horũ autem bono cõgaudere : quomodo & faciẽt in retributione Patres illi primi , ſuper nouiſsimorũ ex Dei liberalitate ſaluatione plurima afficiendi cõſolatione, & ſuperabundantẽ eius collaudaturi miſericordiam. Sic fiunt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi:id eſt,in retributione,æquantur qui primi

labora

laborauerunt & qui nouiſsimi:propter quod,neque Iudæi in genere debent confidere,neque gentes propter genus metuere,quamuis in vltima hora conducti fuerint:ſed quiſque viriliter agere debet,vt poſtquam vocatus fuerit,fiat etiam electus.Non enim omnes vocati electi erunt,ſed ex multis vocatis pauci eliguntur,qui ſe poſt vocationem in opere ſtrenuos exhibuerint.

Alia eiuſdem Parabolæ expoſitio.

EXponitur aliter hæc parabola,de diuerſis humanæ vitæ ætatibus.Quoſdam enim homines Deus primo mane conducit in vineá ſuam,quos videlicet in ipſa ſtatim pueritia ad ſeruiendũ ſibi vocat.Alios circa horam tertiam,quos in adoleſcentia.Alios circa horam ſextam,quos circa ætatem mediam,quando ad ſummum roboris proficit homo:quemadmodum ſol hora ſexta in ſummo eſt ardore ſuo. Alios circa horam nonam:id eſt, in ſenectutis initio, quãdo iam incipit vigor corporis diminui:quemadmodum ſolis ardor hora nona imminutus cernitur.Circa vndecimam verò horam (quæ eſt propè finem diei)conducuntur,qui ad ſeruiendum Deo in ætate decrepita, vita fini proxima, vocantur. Hos autem nouiſsimos vocatos contingit interdum primos fieri, ſi tanto diligentius vocati ſe exerceãt in operibus Dei,quãto tardius ſe veniſſe cognouerint:quemadmodum latro in cruce moriens,in extremo penè vitæ articulo vocatus fuit, qui tamen ex primis in retributione fuit. Econtrario quoque primos ſubinde videmus fieri nouiſsimos, dum ij qui in ætate minori Deo ſeruierant,poſtmodum ſeducti ab eo recedunt,& vel concupiſcentiæ carnis,vel auaritiæ,vel ſuperbiæ, Deo relicto,inſeruiunt.Propter quod, non debet quaſi certus confidere qui à pueritia Deo ſeruiuiſſe ſe meminit:quoniam qualis ſit futurus, ignorat: neque deſperare debet qui ætatem priorem otioſè conſumpſit, ſi vel reliquum vitæ ſuæ tempus Dei operibus ſeriò velit impendere,quoniam magnæ affectionis ſtudio poteſt æquari prioribus.

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

EX denario diurno) Græcè eſt ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν ſubaudi κατὰ cata: hoc eſt, ex denario ſecundum diem, vel per diem: quod pulchrè interpres Latinus vertit, *ex denario diurno*. Quemadmodum enim annuam mercedem dicimus, quæ pro opere totius anni perſoluitur,ſic denarius diurnus dicitur,qui pro vnius diei opera ex pacto perſoluitur. ¶ *Vidit alios ſtantes in foro otioſos.*) In foro inueniuntur

niuntur operarij,iuxta conſuetudinē qua in loco publico ſe exhibēt operarij,vt ad labores cōducātur ab indigētibus eorū opera:quomodo ad forū merces aliæ adferūtur,vt qui neceſſe habent ſibi eas cōparent. ¶ *Quia nemo nos conduxit. Dixit illis: Ite & vos in vineam meam.*) Poſt hoc addūt Græci codices vulgati:Et quod iuſtū fuerit, reddam vobis.Verū id veriſimile eſt ex parte mox prçcedēte, vbi cōducebātur illi circa horā tertiā, huc eſſe tranſlatū.Melius eſt nō addi,etiam ratione ſignificationis,vt ex applicatione iā poſita liquet. ¶ *Acceperunt ſingulos denarios.*)Græcè eſt ἀνὰ δηνάριον ana dinarion:id eſt, per denarion:quod Latinè dicitur:Acceperunt ſinguli denariū: vel ſingulos denarios,vel ſinguli ſingulos denarios. ¶ *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt.*) Poſitum eſt,fecerunt,pro laborauerunt,vel operati ſunt,aut in opere fuerūt.Vel poteſt intelligi accuſatiuus,opus.Sic & in Grçco eſt ἐποίησαν epiſan, quod nihil aliud ſonat quam fecerunt. ¶ *Qui portauimus pondus diei & æſtus.*) In Græcis codicibus legitur τὸ βάρος τῆς ἡμέρας,καὶ τὸν καύσωνα,hoc eſt,pondus diei & æſtū. Vnde poteſt æſtus accipi,vt accuſatiuus numeri pluralis.Sententia tamē integra & eadē manet,ſi per genitiuum legamus: pondus æſtus, id eſt, difficultatem æſtus.¶ *An oculus tuus nequam eſt,quia ego bonus ſum?*) Poteſt hoc ita intelligi;An tu propter meā bonitatē moueris erga cooperatores inuidia?Nunquid mea bonitas & liberalitas tibi fieri debet in occaſionē inuidiæ & murmurationis erga proximū tuum? Nos autem in Elucidatione ad hūc modum explanauimus:Si tu maliuolus es & inuidu.,ego certè tui nō ſum ſimilis,ſed bonus ſum,liberalis & beneficus.Per oculum autē malū intelligitur inuidia, quæ nō æquis oculis aſpicere patitur hominē bona proximi:& hunc oculū malum Marcus cap.7.ſui Euāgelij expreſsè cū reliquis malis commemorat, dicens:*Abintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt,adulteria,fornicationes,homicidia,furta,auaritia,nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus,blaſphemia, &c.* ¶ *Multi enim ſunt vocati,pauci verò electi.*) Vocati,& electi,nominaliter accipiēdą ſunt,id quod in Grçco eſt euidēs,vbi ponitur,κλητοὶ & ἐκλεκτοί,quę manifeſtū eſt nomina eſſe,nō participia.¶ *Aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò.*)Secretò, id eſt, ſeparatim vel ſeorſum.Græci autem addunt,in via. ¶ *Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi.*) Ex Marco manifeſtum fit,matrem à filiis fuiſſe ſubornatam,& ſimul cum matre acceſsiſſe filios.Nam ille de filiis tantū loquitur,nec matris meminit.Indicat etiam hoc ipſum quod dominus increpationē dirigit ad filios, non ad matrem, dicens: *Neſcitis quid petatis.* ¶ *Adorans & petens aliquid ab eo.*) Intelligitur generalis petitio præuia,quēadmodū Marcus introducit filios ita dicentes:

Magiſter

Magiſter, volumus, vt quodcunque petierimus facias nobis. Sic autem ſolent poſtulaturi prius generaliter proponere poſtulandi propoſitũ ac deinde id quod poſtulare volũt particulariter exponere. Quẽadmodũ
3.Reg. 2. Betſabeæ legimus apud filiũ Salomonem deprecaturam pro Adonia, in ipſo aggreſſu dixiſſe filio: *Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam.* Reſpondente aũtẽ rege filio. *Pete mater mea, illa intulit. Detur Abiſac Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor.* ¶ *Poteſtis biberr calicem quem ego bibiturus ſum?*) Græci hîc addunt: *Et baptiſmo quo ego baptiZor baptiZari?* Quemadmodũ & in eo quod ſequitur; *Calicem quidem meum bibetis*, adiiciunt: *Et baptiſmo quo ego baptiZor baptiZabimini.* Verum iſta ex Marco huc videntur allata. ¶ *Non eſt meum dare vobis.*) Quidã vim faciunt in illa dictione, vobis: vt ſit ſenſus, Nõ eſt meũ dare vobis qui ambitioſi & elati videmini, aut veſtri ſimilibus: ſed quibus à patre paratum eſt. Verùm quod in Elucidatione diximus, eſt veriſimilius: vt vis fieri intelligatur in pronomine, meũ, ſecundũ intellectũ illic expreſſum. Pro quo etiam facit quod in Græcis exemplaribus, vobis, non legitur, ſed tantum: *Non eſt meum dare.* Atque ita in eo quod ſequitur, *ſed quibus paratum eſt à patre meo:* videtur ſubaudiẽdum orationis complementum, hoc modo: Quibus à patre meo paratũ eſt, illi accipient, vel illis ego dabo. Illis autem à patre quid paratũ dicitur, qui ad hoc à patre prædeſtinati atque præordinati ſunt: quemadmodum alibi dicitur, *Venite benedicti patris mei, poſ-
Matt. 25. ſidete paratum vobis regnum ab origine mundi:* id eſt, ad quod ab æterno prædeſtinati atq; preordinati eſtis. Et apud Prophetam, *Oculus non
Eſaiæ 64. vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Manifeſtum eſt autẽ hoc in loco, ſedere ad dexteram & ſiniſtram, priorũ tantum
2.Cor. 2. locorum occupationem ſignificare. ¶ *Principes gentium dominantur eorum.*) Relatio eſt non ad nomẽ, in quo ab antecedente relatiuũ diſſonat genere: ſed ad rẽ fit relatio, vt ſit ſenſus, eorum populorum vel hominum ſubiectorũ. In Græco autem legitur, κατακυριεύουσιν ἀυτῶν catakyrieſouſin afton: quod ſi plenè exprimatur, ſonat, dominãtur in illos, vel ſuper illos, vel aduerſum illos, tãquam præualentes & poteſtatẽ habẽtes cogẽdi eos ad quod voluerint. Sic & pro eo quod ſequitur, *poteſtatem exercent inter eos*, Græcè habetur κατεξουσιάζουσιν ἀυτῶν, id eſt, poteſtatẽ habent vel exercent in eos, vel ſuper vel aduerſum eos, præualentem videlicet poteſtatem, qua ipſos poſsint ad parendum cogere. ¶ *Filius hominis non venit miniſtrari.*) Id eſt, non ad hoc venit, vt ſibi miniſtraretur, vt miniſterium ſuſciperet, ſed vt miniſtraret nobis. Dicitur autem animam ſuam dediſſe in redemptionem tantum pro multis, non autem pro omnibus, quemadmodum

dum & alibi dicitur, *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis* Matt.
effundetur, in remiſsionem peccatorum: non quia paſsio Chriſti efficax 25.
non fuerit ad ſaluandos omnes, ſed quoniam non omnes erant eius fructū conſequuturi, propria impediente infidelitate atque malitia. Propter hoc tantum dicitur, *pro multis*, electis videlicet, in quibus ipſius paſsio fructum erat acceptura. ¶*Duo cæci ſedentes ſecus viam, audierunt quia Ieſus tranſiret.*) A quibus & quomodo iſtud audierint cæci, de tranſitu Chriſti, Lucas aperit: qui dicit, cæcum audientem turbam præterire, interrogaſſe à prætereuntibus, quidnam hoc eſſet, ac deinde ex reſponſione audiſſe quòd Ieſus Nazarenus tranſiret. ¶*Et confeſtim viderunt.*) Viderunt hic ponitur, pro viſum receperunt, vel videntes facti ſunt: vt non tam videndi actus illis datus ſignificetur quàm videndi potentia. Nam videntem interdum ab actu videndi dicimus, interdum à naturali ad videndum potentia: quomodo etiam dormientem hominem dicimus videntem, id eſt, viſum habentem, ſicque hoc loco, viderunt, accipiendum eſt, cum Græcè ſit ἀνέβλεψαν aneulepſan, quod propriè ſignificat, viſum receperunt, vel videntes facti ſunt. Significat enim verbū iſtud reditum à priuatione in habitum. Dicuntur autem cæcorum oculi eſſe clauſi, etiamſi oculorum opercula aperiantur more videntium, quādo per ipſos nihil poſſunt videre: quemadmodum per clauſam feneſtram nihil videri poteſt. Aperiri verò dicuntur oculi, dum viſus reſtituitur quoniam per eos videri poſſunt quæ foris ſunt, quaſi feneſtris apertis, & lumen iam præbentibus, quæ prius clauſæ nihil præbebant luminis.

ELVCIDATIO CAP. XXI.

CVM autem ab Hiericho iter proſequentes dominus cum diſcipulis & turbis, appropinquare inciperent Hieroſolymis, [b] iamque veniſſent Bethphage, vicum ſitum iuxta montem, ab oliuarum copia appellatum Oliuetum, [c] ſciens dominus in proximo inſtare paſsionis horam antequam implenda erat Prophetia quædam de glorioſo ipſius in Hieruſalem aduentu multò antè prænuntiata, tunc miſit duos ex diſcipulis ſuis, Petrum & Ioannem dicens eis: [d] Ite in vicum aut pagum vicinum, qui è regione ſiue ex oppoſito veſtri ſitus eſt: quo

ET cū appropinquaſſet Hieroſolymis,
b & veniſſent Bethphage ad montē Oliueti.
c Tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis:
d Ite in caſtellum quod

cum

contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, & adducite mihi.

cũ introieritis, inuenietis in ipſa ſtatim publica via aſinam quandam alligatam, & cum aſina ſimul etiam pullum: quæ iumenta cum inueneritis, confidenter in verbo meo ſoluite, & ad me huc adducite. [a] Et ſi quis vobis contradixerit, interrogans quam ob cauſam aſinam alligatam ſoluatis, cuius authoritate id faciatis, aut quò eam velitis abducere, aut huiuſmodi aliquid, vos illis reſpondete: Dominus miſit nos huc, & ita iuſsit, vt ſolueremus ea, iumentum iſtud, ipſúmque cum pullo ſimul ad ſe adduceremus, quoniam ipſe eorum vti vult miniſterio. [b] Statímque hoc audito reſponſo, illi vos abſque contradictione ſinent iumenta abducere, nec vlterior fiet vobis contradictio. [c] Voluit autem Christus dominus, antequã de mũdo tranſiret, hoc vti iumentorum iſtorum miniſterio, quod poſterius plenius explicabitur, vt ſcriptura impleretur Zachariæ Prophetæ, ita in ſpiritu populum Iſraëliticum alloquentis, atq; dicẽtis; [d] Dicite & prædicate filiæ Sion, annunciate populo Iuda, qui habitat in Siõ: Ecce rex Meſsias tuus venit ad te, non in põpa & ornatu quo ſolent illi quorum eſt de hoc mundo regnum aduenire, cum ad ſuſcipiendum regnũ aduenerint: nõ in armorum bellicorum ſtrepitu, & caballorum ſatellitúmque magnifico apparatu: ſed in paupertate & manſuetudine: [e] non ſuper caballum ſplendidum, aut dromedarium aut camelum reſidens, ſed ſuper aſinam & pullum, filium animalis onerarij, & ſub iugo incedere ſoliti: ſuper iumẽta videlicet humilia, atque deſpecta, oneribus magis ferendis, quàm hominum ſeſsioni deputata, manſueta tamen & minimè ferocia. [f] Abeuntes autem diſcipuli qui miſsi fuerãt, verbo præceptoris confidentes, inuenerunt omnia ſicut illis magiſter prædixerat, & quomodo præceperat, ſic fecerunt. Ad locũ deſignatũ venerunt, aſinam alligatam & pullum cũ ea inuenerũt, illámq; ſoluerũt: inquirentibus quid facerẽt iumenta abducentes, reſponderunt: Dominus his opus habet: [g] & abſq; vlteriori contradictione, ea à loco vbi alligata fuerãt obduxerunt, atq; adduxerunt ad dominũ. [h] Vbi autem ad dominum ſunt adducta iumenta, videntes

a Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia dominus his opus habet.

b Et confeſtim dimittet eos.

c Hoc autẽ factum eſt, vt adimpleretur quod dictũ eſt per Prophetam, dicentẽ:

d Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi, manſuetus,

e Sedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis.

f Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus.

g Et adduxerunt aſinam & pullum,

h & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua,

dentes diſcipuli ꝙ eis inſidere vellet atque in eis vehi,ob reuerentiã & deuotionẽ qua erga ipſum afficiebantur,palliis quibus erant circumamicti ſe nudauerunt,iumentíſq; ea impoſuerunt:[a] ac deinde ſuo miniſterio deſuper illum locauerunt,& ſedere fecerũt, prius quidem ſuper vno,deinde ſuper altero.[b] Videntes autem turbæ,ꝙ veſtimẽta ſua impoſuiſſent diſcipuli iumentis ad honorandum dominum,deuotione eorũ prouocati,& exẽplo bono inuitati,eiecerũt etiã plurimi ex eis pallia ſua:& cũ ſuper iumenta ſternẽdi locus nõ eſſet,ſparſerunt ea in via,per quam inſidẽs iumento erat tranſiturus dominus.[c] Alij verò,quibus fortè non erant pallia,aut indumenta talia quæ abſq; nuditate poſſent exuere,arbores cõſcenderũt(vtpote veſtitu grauiore minimè onuſti, ac proinde ad conſcenſum arborum faciliores) & ramos cædentes aut effringentes ab arboribus,eos deiiciebant in viã per quam erat tranſiturus dominus.[d] Cum autem ita in humili magnificentia & magnifica humilitate procederet ad vrbem Hieroſolymitanam rex atq; Meſsias noſter,vt indicaretur,quorſum hanc qualecunq; humilem pompam(quę regium aliquid præ ſe ferebat) aſſumpſiſſet,& quare ita in gloria aduenire vellet ad Hieruſalem,diuina operatione factũ eſt,vt ſimplices illæ turbæ quæ Chriſtũ comitabantur hincinde eum circundantes,quibuſdã præcedentibus,aliis ſubſequẽtibus,ſimul vna voce domino acclamarent,atq; decãtarent illam ſolennem acclamationẽ, quã in Pſalmis venturo Meſsiæ præciniuit Propheta regius, ſpiritu quod futurum erat prę uidens:ſicq́ue Propheticam ex Pſalmo vocem vſurpantes,canebant:[e]Hoſiah-na clamamus & concinimus,filio Dauid. Celebrem illã ac Propheticam acclamationem hoſiah-na,verò debitã Meſsiæ,huic acclamamus filio Dauid,quem cum gloria deducimus verum illum profitentes(tam externo obſequio,quàm vocis teſtimonio)noſtrum regem & Meſsiam, à quo ſalutẽ ſperare,poſtulare & accipere debeamus:in quo,& non in alio,erit nobis ſalus.[f] Benedictus ſit iſte rex noſter, ſit nobis gratus,fœlix,ac fauſtus aduẽtus regis & Meſsię noſtri,q ad nos venit

a & eum deſuper ſedere fecerunt.

b Plurima autem turba ſtrauerũt veſtimenta ſua in via.

c Alij autẽ cædebant ramos de arboribus, et ſternebant in via.

d Turbæ autem quæ præcedebant,et quæ ſequebantur, clamabant, dicentes:

e Hoſiah-na filio Dauid.

f Benedictus qui venit in nomine domini.

in nomine domini, miſſus à Deo patre ad præſtādam veram ſalutem: quem tantopere multis retroactis ſæculis expectauerunt, deſiderauerunt, & prænuntiauerunt patres noſtri: [a] Hoſiah-na, id eſt, ſalua obſecro, in altiſsimis: te rogamus, ô Meſsia noſter, vt ſalutem veram & cæleſtem adferas nobis: quoniam quidem te à patre ad hoc nobis miſſum credimus & profitemur, vt ſalutem non vtiq; temporalem aut terrenā, ſed veram & cæleſtem, præſtes nobis. Hac acclamatione ex Pſalmo deprompta ac Meſsiæ ſpiritu Prophetico aſſcripta, voluit pater, ſpiritu ſancto operāte, clarificare filium per ora ſimplicium: vt euidenter oſtenderet, quorſum tenderet omnis iſta gloria quæ videbatur impendi filio, & inexcuſabiles eſſent contradictores, tam apertis & euidētibus viſis teſtimoniis veritatis. In his autē omnibus, regium honorem etiā exteriori ſigno Chriſtus præ ſe ferebat, ſic tamē vt in omnibus humilitatis & manſuetudinis formā ſeruauerit. Iumēto nanque vehitur, vt ſolent vehi reges: iumentū ſternitur, vt ſolēt ornari regum caballi: etiam via per quā tranſit, ornatur, quod fieri ſolet regibus: plurimo comitatu circundatus venit, quomodo ſolent reges incedere circunſtipati ſatellitibus. Vox illi regia ab omni populo acclamatur, & vox quæ regi cæleſti debebatur, ex præſcripto Prophetico, nēpe hoſiah-na: quod eſt, ſalua obſecro, & ſignanter ſalua in altiſsimis clamāt: vt indicēt nō terrenū eſſe eius regnū, ſed cæleſte à quo nō terrenā ſed ſupernā ſalutē poſtulāt: quo ferè pacto regibus acclamari ſolet à populo, cū introducuntur in regnū: Viuat rex, viuat rex. Sit fœlix ac fauſtum regnū eius, ipſe nos ſaluet ab inimicis noſtris. [b] Quū autē ita dominus in tanta gloria ingrederetur Hieroſolymā, turbis eodem feruore ſuum clamorem proſequentibus, neq; cuiuſcunque timore à ſuæ fidei proteſtatione & acclamatione ceſſantibus vniuerſa ciuitas cōmota eſt, propter rem tam nouā atq; inſolitam: [c] & admirantes qui in ciuitate erant, interrogabant, quiſnam ille eſſet qui cum tanta multitudine & acclamatione populi, ſic ingrederetur ciuitatē. [d] Quibus reſponderūt qui cum Chriſto veniebāt: Hic qui cum

a Oſanna in altiſsimis.

b Et cū intraſſet Hieroſolymam, cōmota eſt vniuerſa ciuitas, dicens:

c Quis eſt hic?

d Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ.

cum gloria ciuitatẽ ingreditur, eſt magnus ille Propheta à Deo nobis miſſus: cui nomen eſt Ieſus Nazarenus: quoniã à Nazareth ciuitate Galilææ proceſsit nobis, vbi & educatus fuit.[a] Vt autem oſtenderet dominus, debere ſe eſſe in iis quæ patris ſunt, & patris gloriam ſuper omnia ſe quærere, proq; ea zelare, ingreſſus eſt in templum Dei:[b] & cum authoritate magna, tanquam dominus templi, poteſtatem habẽs corrigendi & puniendi quæ aduerſus patris gloriã illic fiebant, eiecit omnes quos inuenit in templo emẽtes atq; vendentes, cum iis quæ emebant atq; vendebãt, oues ſcilicet & boues, & alia ad immolãdum idonea, quæ diſpoſitione ſacerdotũ permittebantur vendi in templo, vt nõ eſſet excuſatio hominibus ceſſandi à ſacrificiis, & magis vnicuiq; promptum eſſet oblationem facere.[c] Menſas quoq; nummulariorum & trapezitarum cum terribili poteſtate euertit, eorumq; æs in terram effudit, qui illic à ſacerdotibus quæſtus gratia locati fuerant: vt pro certo lucro pecuniam nõ habentibus mutuarent, ne vllus relinqueretur excuſationis locus iis qui nec animalia ſecũ habebant, quæ offerrent in ſacrificiũ, neq; pecuniam qua ea ſibi compararẽt:[d] ſimiliter & ſedes illas in quibus ſedebãt vendentes in templo columbas euertit. Hæc omnia ipſe ad oſtendendum authoritatem & poteſtatẽ ſuam, tanquam templi dominus exercebat, magna cum ſeueritate, diuino quodã lumine ex eius vultu radiante, quo territi homines illi qui eiiciebãtur è templo, nõ ſunt auſi illi contradicere aut reſiſtere: exẽplum præbẽs ſuis ſucceſſoribus, iis qui in populo Dei præſunt, pro nulla re ęquè zelare atq; pro Dei gloria, neq; vſquã ſęueritatẽ maiorẽ exercere, quàm in eos qui Dei gloriam contaminant, eumque ſuis peruerſis adinuentionibus inhonorant.[e] Cauſam quoque indicans, quur iſta ſic feciſſet, ex Propheta adducit teſtimoniũ, dicens:[f] Scriptum eſt in Eſaia Propheta, loquente per eum domino, Domus mea vocabitur & erit domus orationis, in qua videlicet vacare debẽant homines adorationi, deprecationi, & gratiarũ actioni, non autem mechanicis & lucratiuis negotiis intendere.

a Et intrauit in templũ Dei,

b & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo,

c & menſas nummulariorũ,

d & cathedras vendentium columbas.

e Et dicit eis:

f Scriptum eſt, Domus mea, domus orationis vocabitur.

a Vos autem fe-ciſtis illam ſpeluncam latronum.

b Et acceſſerunt ad eum cæci et claudi in templo, et ſanauit eos.

c Videntes autẽ principes Sacerdotũ & Scribæ mirabilia quæ fecit,

d & pueros clamantes in templo, et dicentes, Oſanna filio David,

e indignati ſunt et dixerunt ei:

f Audis quid iſti dicunt?

g Ieſus autem dicit eis: Vtique.

h Nunquam legiſtis, quia ex ore infantiũ et lactentium perfeciſti laudem?

[a] Vos verò eam quæ deberet eſſe domus orationis, facere nitimini, & (quãtum eſt in vobis) facitis eſſe ſpeluncam latronum, intendentes in ea lucris temporalibus, ac miſcentes omnia tumultibus, cum in ea deberet eſſe tranquillitas, & ſummum ſilentium, orationi neceſſaria: quemadmodũ in ſpeluncis latronũ omnia plena ſunt tumultibus, & lucris intenditur temporalibus, ac diuiſioni prædarum. [b] His verò ita cũ authoritate eiectis, quę in templo Dei forent agẽda re ipſa docere volens, accedentes ad ſe claudos, cæcos, & aliis infirmitatibus detentos, curauit: cæcis reddendo viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, atq; ita in cæteris. Hæc enim charitatis beneficia ſiue miniſteria, ad patris faciebant gloriam, & ea in tẽplo Dei, in domo orationis decens erat fieri, nõ autem illa temporaliũ mercationum quæſtuoſa negotia, auaritiæ magis humanæ quàm diuinæ gloriæ ſeruientia. [c] Videntes autem hæc omnia quę fiebant, tũ à populo, tum à Chriſto, principes Sacerdotum & Scribæ, [d] & peculiariter pueros clamantes atq; dicentes canticum illud, Hoſiah-na filio Dauid, quam glorioſam acclamationẽ à turbis prius decantatam, audiẽtes pueri, diuina inſpiratione ſunt proſequuti vſq; in templũ, [e] indignatione nimia commoti ſunt, tum aduerſus pueros iſta canẽtes, tum aduerſus Chriſtum iſta cani permittentẽ, & dixerunt ei: [f] Audiſne quid pueri iſti canant? Quare pateris tantam tibi laudem ſupra tuũ meritũ decantari, & quare non prohibes turbas atq; pueros iſta canentes? Miramur te, qui ſapiens vis haberi, & humilitatem verbo ſemper commẽdare ſoles, iſtas tam ſuperbas acclamationes æquo ferre animo. [g] Quibus ille reſpondit: audio certè quid iſti dicant. [h] Sed vos nunquam-ne legiſtis ſcripturã illam libri Pſalmorũ, dicentes: Ex ore ſimplicium infantium atque lac ſugentium puerorum, perfectam feciſti atque monſtraſti, ô Deus, laudem tuam, vt deſtruas inimicum & cõtradictorem ſiue perſequutorem tuæ gloriæ? Idcirco pueros & turbas clamantes non prohibeo, quoniam ſcripturam impleri volo, qua ſpiritusſanctus per os Dauid olim prædixit, vos ac veſtri ſimiles veritatis inimi-

inimicos confundendos eſſe ex ore infantium atque lactentium,& Dei laudem ex eorũ ore perficiendam: id quod hodie oculis veſtris apertiſsimè impleri cernitis,vt nullus veſtræ malignæ infidelitati relinquatur excuſationis locus.[a] Et relictis illis in ſua malitia, poſtquã egiſſet & docuiſſet in tẽplo Dei pro ſuo placito,cum iam aduenifſet veſpera,exiit foras extra ciuitatẽ,ad caſtellũ ſiue vicum cui nomẽ Bethania, vbi morabatur Martha cũ Maria ſorore,ibiq; ſuſcipiebatur hoſpitio,ſic videlicet infideles tanquã ſua præſentia indignos relinquẽs,& fideles vt ſua dignos præſentia viſitans:vt nobis oſtendat, quòd infidelitatem atq; inuidiam deteſtetur ac fugiat, eos autẽ in quibus eſt fides,obedientia & charitas requirat,vt apud eos hoſpitetur,& cum eis maneat.[b] Cum autem die ſequẽti ad ciuitatẽ rediret,quaſi immemor heſternæ iniuriæ, ob malorũ contradictionem & ingratitudinem non putans denegandum eſſe doctrinæ pabulum ſimplici & fideli populorũ multitudini,ſingularem quandam in ſe ſenſit eſuriem: vel naturalem omnino,eo quòd pridie eius diei parum admodum cibi ſumpſiſſet, intentus orationi & ieiunio,vel aſſumptam & voluntariam ,ad præbendum occaſionem miraculo & myſterio.[c] Quomodo autem ſolent eſuriẽtes circunſpicere, num vſquam quicquam occurrat quo famem ſedent, atq; vbi viderint ad illud accurrere ſedandæ famis gratia:ſic & dominus eſuriens, ad eundẽ modum ſecũdum externum hominẽ ſe geſsit. Vidẽnſq; ficum quanda iuxta viam per quam trãſibat,acceſsit ad eam tanquam cupiens ex eius fructibus famem ſedare:nõ quidem ꝙ verè id vellet, aut ad eum finem arborem accederet, cũ præſciret nõ habere fructus arborem, quoniam nõ erat tempus fructuũ: ſed vt ſenſibili miraculo in arbore illa fructibus vacua oſtenderet,quid aliquãdo incredulis Iudæis, illorúmq; ſimilibus euenturum erat, & quæ illos manebat ſuo tempore manifeſtanda maledictio.[d] Erat quidem arbor illa ſecundum ſpeciem exteriorẽ ornata pulchris foliis,& à lõgè magnũ aliquid oſtentabat exteriori ſpecie: vbi autem propius ventum eſt,nihil in ea fructuum inuen-

a Et relictis illis, abijt foras extra ciuitatẽ, in Bethaniam: ibique manſit.

b Mane autem reuertens in ciuitatem eſuriit.

c Et videns ficũ arborem vnam ſecus viam, venit ad eam.

d Et nihil inuenit in ea niſi folia.

tum eſt, ſed folia tantum. Quæ quidem arbor, rectè infideles Iudæos figurabat, qui ratione cęremoniarũ, & ſimulatæ hypocriticæque iuſtitię exterius magnã erant præ ſe ferentes ſanctimoniam. Verum vbi propius venerit dominus, qui eſt cordium iudex, fructũ verę pietatis, opera verè bona in eis minimè inueniẽbat. [a] Arbori itaque illi fructibus carenti maledixit Dominus, dicens: Amodo non proferas fructus inæternum, neque ex fructibus tuis quiſquam mãducet, ſed areſcas radicitus & omnis tibi vigor pereat, eo ꝙ fructum non habuiſti in tempore viſitationis tuæ, cũ in te fructum requirerem. Scilicet hãc maledictionẽ ſuper arborem illam protulit dominus: non quidem lignum illud intendẽs, quod neque rationem, neque ſenſum vllum habebat, & in quo culpa nulla erat, maxime cum nõ eſſet tempus fructuum: ſed illos potiſſimũ deſignare volẽs, quorum typus atque figura erat arbor illa ſine fructibus: nimirũ vt indicaret, maledictionẽ hanc ſuper incredulũ Iudæorum genus venturum, ſi in tempore viſitationis ſuæ, domino requirente in eis fructum veræ pietatis per prædicationẽ ſuã, nollent pœnitẽtiam agere, neque fructus dignos pœnitentiæ proferre. [b] Statim autem accepta maledictione iſta, arbor virtutẽ eius in ſe ſentire cœpit, eſtque continuo areſacta, omnem perdens humorẽ atq; virorem, ita vt poſthac ad ferendum fructum prorſus inutile lignum eſſet. Cui areſactæ arbori, aſſimilati ſunt obſtinati in ſua infidelitate Iudæi, poſtquam nolentes agnoſcere tempus viſitationis ſuæ, ſub maledictione poſiti, nullum veræ pietatis fructum proferre videntur. [c] Vbi autem diſcipuli animaduertiſſent, & manifeſto oculorum iudicio deprehendiſſent, arborem illam ſic areſactam ex maledictione domini, admirantes tantam & tam apertam verbi vnius efficaciam in arbore illa, dixerunt ei tanquã gaudentes, & cõgratulantes: [d] Ecce magiſter, quomodo arbor iſta cui maledixiſti, continuò vim ſenſit maledictionis tuæ, quomodo nõ in multum tempus dilatus eſt effectus & exequutio iuſſionis tuæ, ſed continuò ad verbum tuum ipſa areſacta eſt: ſic & adinuicem dicebãt, admi-

a Et ait illi: Nũquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum.

b Et areſacta eſt continuò ficulnea.

c Et videntes diſcipuli, mirati ſunt dicentes:

d Quomodo continuo aruit? Reſpondens autem Ieſus, ait eis,

admirantes ſuper magiſtri potētia & verborum eius efficacia. Ieſus autem reſpondens huic ipſorū admirationi, ait: [a] Eſt quidem iſtud quod cernitis admiratione dignū. Veruntamen quod amplius eſt, in veritate dico vobis, ꝙ etiam vos ſi fidem perfectam & ſufficientem habueritis, abſque hæſitatione, non ſolum tale aliquid facere poteritis in nomine meo, quale ia me vidiſtis facere, ſed alia longè etiā maiora, & quæ humano iudicio æſtimantur difficiliora: [b] ita vt etiā montes ſolo verbo & iuſsione poſsitis de loco ſuo transferre in mare. Adeò nihil eſt tam humano iudicio magnum, difficile, aut impoſsibile, quod non per fidē firmam & perfectā, vbi gloria Dei popoſcerit, & ſpiritus eius ſuggeſſerit, efficere poteritis in virtute fidei atque nominis mei. [c] Et generaliter omnia quæ in oratione petitis, ſi fidenter nihil hæſitantes poſtulaueritis, proculdubiò præſtabūtur vobis: vel ipſa eadē quę poſtulaſtis, ſi ea vobis eſſe ſalutaria nouerit Deus, vel pro his alia quæ Deus vobis magis vtilia eſſe cognouerit. Cum enim pro iis oratis quæ per ſe ſalutaria ſunt, nihil dubium eſt, quin vobis ea pater cæleſtis cōcedat, qui veſtrę ſalutis eſt pluſquam vosipſi amantior. Cū verò pro iis oratis quæ per ſe quidem ſalutaria nō ſunt, ſuadet fides & ſpirituſſanctus, talē poſtulationē diuinæ voluntati ſubmittere, dicendo: Pater, ſi ita vis, ſi ſic eſt voluntas tua, aut huiuſmodi aliquid. Vnde quāuis non ſemper id quod proponitur concedat pater, dū tamen quod ſuæ voluntati placet concedi, proculdubiò quod poſtulaſtis impletur: quoniam ipſius fit volūtas, quam in oratione potiſsimū petiſtis impleri. [d] Cum autem ad templum veniſſet dominus, vt ſicut pridie fecerat, iterū doceret populum, ad èum iam in docendo occupatū, acceſſerunt principes Sacerdotū, iunctis ſibi ſenioribus & gubernatoribus populi, vt eum interturbarent docentem, & authoritatem ei derogarent, dicentes: [e] In qua poteſtate vel authoritate iſta omnia facis, & à quo iſtam habes poteſtatem, facultatem, commiſsionem ſiue authoritatem ſic agendi omnia pro libito, eiiciēdi videlicet de templo, quos illic locaueramus noſtra authoritate,

a Amē dico vobis, ſi habueritis fidē, & non hæſitaueritis, non ſolū de ficulnea facietis,

b ſed & ſi mōti huic dixeritis, tolle & iacta te in mare, fiet.

c Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes: accipietis.

d Et cum veniſſet in templum, acceſſerunt ad eū docentē principes Sacerdotū, & ſeniores populi, dicentes:

e In qua poteſtate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc poteſtatem?

item & prædicandi in templo populis, cũ neq; ſacerdos ſis, neque legisdoctor, neque à nobis vllam commiſsionẽ acceperis? Volumus igitur à te cognoſcere qua authoritate iſta præſumas quæ tibi iure nõ cõpetunt. Nõ tolerandæ enim videtur temeritatis, & præſumptionis non ferendæ, tanta te attentare quæ ad tuum non ſpectant officium, ſi poteſtatem hanc tibi nemo dederit.

a Reſpondens autem Ieſus, dixit eis:

[a] Quanquam autẽ in promptu haberet expreſſam reſponſionẽ dominus, qua reſpondere poterat, ſe à patre Deo authoritatem hanc accepiſſe: quia tamen nõ diſcendi, ſed calumniandi ſtudio quæſtionem ſuam proponebant, & quia aliàs nõ ſemel id indicaſſet, ac palàm teſtatus fuiſſet, ſe à patre miſſum, & quoniam ex ſcripturis id ſatis cognoſcere poterãt, noluit margaritas fruſtra ante porcos ſpargere, ſed prudenti artificio eorum improbitatem maluit cum confuſione retũdere, dicens:

b Interrogabo vos, & ego vnũ ſermonem: quẽ ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicã, in qua poteſtate hæc facio:

[b] Vos me priores interrogatis, in cuius poteſtatẽ ego hæc faciam. Ego verò priuſquam vobis reſpondeã, vnam vobis quęſtionem nõ admodũ difficilem proponam: quã vbi ſolueritis, tũ & ego veſtræ libẽter reſpõdebo.

c Baptiſmus Ioannis vnde erat,

d è cælo, an ex hominibus?

[c] Interrogo itaq; vos, Ioãnes vnde authoritatem habuit & poteſtatem baptizãdi populum baptiſmo pœnitentiæ? [d] ex Deĩ authoritate ſiue cõmiſsione id fecit, an ex authoritate ſibi ab vllo hominũ data? vtpote vel à rege, vel à ſacerdotibus, aut ex propria temeritate baptiſmũ illũ confingens de ſuo capite, nullam de ea re authoritatẽ habens? Reſpõdete mihi, quid ſuper hac re ſentiatis, vt ego vobis reſpondeam poſterior?

e At illi cogitabant inter ſe dicentes:

f Si dixerimus è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis illi.

g Si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam.

[e] Illi autẽ apud ſeſe conſultantes, dixerũt adinuicem: [f] Si dixerimus, ꝙ è cælo fuerit Ioãnis baptiſmus, ꝙ ex diuina authoritate ſibi cælitus data baptizauerit populũ baptiſmo iſto pœnitentiæ, ſtatim nobis obiiciet, quare illi non crediderimus, nóſque vt Deo repugnantes arguet, & coram populo faciet erubeſcere. [g] Si autem alteram partem tẽtantes eligere, dixerimus ꝙ ex hominibus fuerit Ioannis baptiſmus, quòd vllus hominum hanc ei authoritatem contulit, vel quòd ipſe eum ex proprio capite confinxit, vt magnũ aliquid videretur facere, & nouitate admirãdus fieret, ſimplicibus turbis

qui

qui plærunq; noua ſolent amplius mirari: ſi tale quid
dixerimus, grauiter admodum populus id feret: & pe
riculum erit ne contra nos oriatur ſeditio, & ipſi nos
opprimãt lapidibus, cõtradicentes illi ſententiæ quæ
ipſis omnibus eſt perſuaſiſsima, videlicet baptiſmum
Ioannis eſſe à Deo & non ab hominibus. [a] Omnes
enim turbæ hoc ſibi de Ioanne perſuaſum habebant
atque indubitatum, quòd verè Dei Propheta eſſet à
Deo miſſus ad prædicandam pœnitentiã, & baptiſmo
præparandum populum, in aduentum eius quem poſt
ſe venturum prædixerat. Huiuſmodi erat impiorum
ſuper quæſtione propoſita, conſultatio: qua, nõ quid
veritati & ſcripturis magis conſentaneum expende-
bant, ſed quid propriæ æſtimationi & proprio com-
modo minus aduerſum, examinabant: hac in re aper-
tè mõſtrantes, ſe ſuam magis quàm Dei gloriã quæ-
rere, & propriam æſtimationem præferre diuinæ ve-
ritati. [b] Poſt huiuſmodi itaque conſultationem, re-
ſponſionem protulerũt, dicentes: Neſcimus, an à Deo
an ab hominibus Ioãnes poteſtatem iſtam acceperit:
ſic videlicet per mendacium conantes effugere, vbi
nec quod veritatis erat, nec quod ipſi malitia excæca-
ti ſentiebant, vellent proferre, ne ſe cõfunderent, aut
populum offenderent. [c] Reſpondit illis ſimiliter,
abſque alterius partis determinatione, dominus:
[d] Quia vos meæ quæſtioni reſpondere non voluiſtis
aut non valuiſtis, facili alioqui & cui vnus quilibet è
vulgò abſque negotio poſsit ſatisfacere, idcirco ne-
que ego ad interrogationem mihi propoſitam vobis
reſpondebo. Qui enim veritatem interrogati confi-
teri erubeſcitis, veritatem interrogantes audire non
meremini. [e] Volo autem vobis, quales vos ſitis, &
quid de vobis agetur, aptis parabolarum comparatio
nibus oſtẽdere. Veſtrum ipſorum requiro iudicium,
vosipſi ſuper eo quod proponam proferte iudicium.
[f] Homo quidam duos habebat filios, ad quorum prio
rem accedens, dixit illi: Vade fili, & operare hodie in
vinea mea, egredere ad opus quod præcipio tibi.
[g] Ille autem durè & inobedienter reſpondens patri,
dixit: Non vadam ad opus tuum in vineam. [h] Poſt

a *Omnes enim habebant Ioannem, ſicut Prophetam.*

b *Et reſpondentes Ieſu, dixerũt Neſcimus.*

c *Ait illis & ipſe:*

d *Nec ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio.*

e *Quid autem vobis videtur?*

f *Homo quidã habuit duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie operare in vinea mea.*

g *Ille autem reſpondens, ait: Nolo.*

h *Poſtea autem pœnitentia motus, abijt.*

tamen prolatum inobedientiæ verbum, ad cor rediens, & ſeipſum arguens pro culpa in patrem commiſſa, verbum malum facto bono correxit, & qui inobedientem ſermonem patri repugnando malè protulerat, pœnitendo obedientiam præſtat in opere, & inobedientiæ verbum, obedientiæ facto commutat, abitque iuxta patris iuſsionem ad opus præſcriptum. [a] Accedēs quoque pater filium alterum poſteriorem, dixit illi ſimiliter vt priori: Fili, vade ad opus hodie in vineam meam. [b] Ille autem verbis blandis ſpondet obedientiam, dicens: Libenter pater tuis iuſſis parebo. Non exhibet tamen opere quod verbo promittit. [c] Interrogo vos, vter horum verè patris voluntatem atque mandatum impleuerit, an ille prior qui poſt verba inobedientiæ pœnitentiā agens opus præſtitit obedientiæ, an hic poſterior qui verba tantum patri dedit, ſed opus neglexit? [d] Dicunt illi: Nihil dubium, quin prior volūtatem potius impleuit patris ſui, quàm iſte poſterior. [e] Hoc reſponſum retorquens in illos dominus, ait: [g] Amen dico vobis, quia lubricæ meretrices & iniuſti publicani, qui Ioanne prædicante egerunt pœnitentiam, & conuerſi ſunt à peccatis ſuis, præferētur vobis in regno Dei; quoniam illi in regnum Dei ſuſcipientur, tanquam qui voluntatem Dei impleuerint: vos autem foras à regno Dei excludemini, vt qui voluntatem Dei non adimpleſtis. [g] Venit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ, ad hoc à Deo miſſus, vt homines tam verbo quàm exemplo erudiret ad iuſtitiam, prædicans pœnitentiam, & baptiſmo pœnitentiæ baptizans in remiſsionem peccatorū: & noluiſtis eius prædicationi credere, vt ageretis pœnitentiam. [h] Publicani autem & meretrices crediderunt prædicationi eius: & licet antè vixiſſent in peccatis & inobedientia, contra Dei voluntatem, Ioanne tamen prædicante, pœnitentiam egerunt. Hac in parte ſimiles priori filio, qui prius quidem fuerat inobediēs, ſed poſtmodū pœnitentiam agens, ex inobediente factus eſt obediens: propter quod, iuxta veſtram reſponſionem, ſic iſtos habet Deus vt obedientes filios, & eos qui ſuam volun-

a Accedens autem ad alterum dixit ſimiliter.
b At ille reſpōdens, ait: Eo domine. Et non iuit.
c Quis ex duobus fecit voluntatem patris?
d Dicūt ei: Primus.
e Dicit illis Ieſus:
f Amē dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regno Dei.
g Venit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ, & non credidiſtis ei:
h Publicani autem & meretrices crediderunt ei.

volun

voluntatem impleuerint.[a] Vos autem videntes etiam publicanorum & meretricum exempla corā oculis veſtris, vidētes paſſim omnes ad ipſius prædicationē conuerti, ne poſtea quidem tot exemplis viſis pœnitentiā agere voluiſtis, vt crederetis eius prædicationi, & conuerteremini à veſtra inobedientia: ac proinde, ſimiles eſtis poſteriori filio, qui (iuxta veſtram ſententiam) patris non æquè ac prior impleuit voluntatē. Iure igitur publicani & mertrices vos præcedent in regno Dei, queādmodum iure filius ille prior hæreditatis erit paternæ particeps, tanquam obediens filius, vbi poſterior ab hæreditate excludetur, tāquam inobediēs.[b] Rurſum & aliam audite parabolam, qua apertius etiam vos vobis depingam, & quæ propter veſtram hanc duram impœnitentiam euentura ſint vobis, ad veſtram præmonitionem aperiam:[c] Quidā fuit magnæ familiæ pater, qui plātauit vineā eámq; ſepe bona circūdedit aduerſus incurſum beſtiarum, ne depaſceretur ab eis, & ne cōculcaretur à traſeuntibus, ſi per eam non ſepe clauſam iter facerent.[d] Fodit quoque in ea torcular ſiue lacū, in quo vuæ poſtquam maturuiſſent calcarētur, & exprimeretur atque colligeretur vinum ex eis:[e] turrim inſuper ædificans in medio eius, propter manſionem cultorum & cuſtodum vineæ, & colligendos in tuto fructus eius. Sic ſcilicet diligēter iſte paterfamilias de omnibus huic prouidit vineæ, quæ erāt neceſſaria, ſepē circundans, torcular fodiens, turrim ædificans, cauēs ne quantum in ipſo eſſet, quicquam deeſſet huic vineæ, quo minus fructum ex ea acciperet.[f] Hanc autem vineam ſic per omnia probè munitam paterfamilias locauit, nō dedit agricolis quibuſdam, qui eam colerent & cuſtodirēt:[g] & ipſe vineam relinquens in manu & fide agricolarum, abiit in locum ſuum quo voluit, agricolas permittēs agere de vinea pro ſuo libito.[h] Cū autem aduenıſſet tēpus, quo fructum afferre debebat vinea, tempus ſcilicet vindemiæ, miſit dominus aliquot ſeruos ſuos ad agricolas illos, in quorum manus tradiderat vineā ſuam, vt de fructu eius acciperēt iuxta conuentionem initam: quoniam vineam locauerat, non

dederat

a Vos autem videntes, nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, vt crederetis ei.

b Aliā parabolam audite:

c Homo erat paterfamilias, qui plātauit vineā, & ſepem circundedit ei,

d & fodit in ea torcular,

e & ædificauit turrim.

f Et locauit eā agricolis.

g & peregrè profectus eſt.

h Cum autem tempus fructuū appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperēt fructum eius.

dederat,& ipſi eam mercede conduxerant, non dono acceperant.[a] Agricolæ autem iſti plurimum ingrati erga patremfamilias, qui eos magno affecerat honore,ſuam vineam eorum committens fidei, magnum item commodum eis præſtiterat,locata eis vinea ſub honeſta mercede,vnde vitam tranſigerent, nō ſolùm non tranſmiſerunt domino per ſeruos illos de fructu vineæ,verumetiam apprehenſos eos, malè tractauerunt, [b] quoſdam verberibus afficientes, aut flagitiis cædentes, [c] alios interficientes, [d] alios etiam lapidibus ignominioſè obruentes, tanquam maleficos homines.[e]Cuius rei fama ad dominum perlata,non ſtatim impatiētia concitatus eſt,ſed longanimiter egit cū eis,voléuſque illos per benignitatem ad pœnitentiā adducere, iterum miſit ad eos alios ſeruos plures quàm antea miſerat:vt qui pauciores non fuerant reueriti,ſaltem multitudine maiori permouerentur,& cohiberētur à malitia.[f]Verum illi in ſua malitia perſeuerātes,longanimitatem & benignitatem contemnentes domini,ſecundum duritiā & impœnitentiam cordis ſui theſaurizare ſibi pergunt ira eius, vnde ad pœnitentiam adduci & miſericordiam inuenire debuerant:adiiciunt peccatis prioribus poſteriora,nihilo mitius hos tractant poſteriores atque illos priores tractauerāt,vt duplo fiant homicidæ pluſquam antè fuerant.[g]Volens autem lōganimis Dominus omnia tentare,priuſquam peccatores perderet, tandem addidit filiū ſuum quem habebat vnicum, & vnicè dilectum, ad illos mittere, dicens: [h] Tametſi non ſint reueriti ſeruos meos,veriſimile tamen eſt quod reuerebuntur filium meum. Tametſi ſeruos contempſerunt,vt pote vile genus hominum, & de quibus non tāta eſt cura dominis: attamen non videtur rationabile, vt filium ita contemnant & interficiant. Filius enim,quatenus patri proximus eſt & patris hæres, & quaſi pater in eo videtur, maiorē ſolet impetrare reuerētiam à bonis, & timorem incutere malis, quam ſeruus,qui propter conditionis vilitatem, & generis ignobilitatem facilè deſpicitur.Cum etiam dominus filiū mittit,indicium eſt,rem illam pro qua mittitur

a *Et agricolæ apprehenſis ſeruis eius.*

b *alium ceciderunt,*

c *alium occiderunt,*

d *alium verò lapidauerunt.*

e *Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus.*

f *Et fecerunt illis ſimiliter.*

g *Nouiſſime autem miſit ad eos filium ſuum,dicens:*

h *Verebuntur filium meum.*

multũ cordi eſſe patri,& in proximo adfore patrẽ, ſi non audiatur filius: propter quod, meritò debebant agricolæ iſti viſo filio timore corripi : & emolliri ad pœnitentiã,vel ſolo patris metu:ne ſi etiam hũc contemnerent,in proximo ipſe in poteſtate ſua vltor adueniret.[a] Agricolæ verò videntes filium aduenisse patrisfamiliãs, ne ſic quidem moti ſunt ad pœnitẽtiam aut obediẽtiam:ſed fecerunt ei,non aliter quàm ſeruis prioribus.Dixerunt enim intra ſe:[b]Hic eſt hæres patrisfamilias à quo vineã conduximus,filius ſcilicet vnicus eius qui nobis locauit illam. Venite igitur, & occidamus eũ:& hęrede ſublato de medio, nos hęreditatem iſtam nobis vſurpabimus,agemúſq; in ea & de ea quomodocunque voluerimus.[c] Placuit eis impium cõſilium,neque ceſſauerunt donec opere adimplerent illud:apprehendunt miſſum filium, extra vineã eiiciunt,in proteſtationem quòd nõ eum agnoſcant vineæ dominum, ſicque abnegatum crudeliter interficiunt.[d] Audiſtis domini longanimitatem tam magnã,tam diuturnam:audiſtis nefandam & in dies creſcẽtem agricolarum impietatem. Nunc veſtrum interrogo iudicium,ipſi proferte ſententiam.Cũ dominus vineæ,poſt cæſos & occiſos ſeruos, poſt etiam filiũ interfectum crudeliter,ipſe ad vlciſcẽdum conſummatum agricolarũ iſtorũ ſcelus aduenerit, quid faciet illis?Quã exercebit,putatis, in illos vltionem?[e] Illi quod per ſe erat conſequens,reſpõdent,dicentes: Malos iſtos pro ſuis ſceleribus perdet mala morte & crudeli ſupplicio:[f] vineam tamen ſuam non perdet, neque ſuccidet, ſed aliis agricolis melioribus tradet eã,à quibus accipiat opportunis temporibus fructũ eius.[g] Hoc vbi reſpondiſſent, noluit Chriſtus apertè in eos torquere ſenſum parabolæ, occultè tamen ad ipſos dictam eſſe ſignificauit,authoritatem adducens ex Pſalmo,in qua de reprobatione eius fit mentio,dixítq; illis:[h] Nunquam legiſtis id quod in libro Pſalmorũ de mea ſcribitur paſsione,ſub figura reprobati lapidis?Habet autem ſcriptura illa ad hunc modum: [i] Lapis ille quem ædificantes reprobauerunt,poſtmodum factus eſt caput anguli:lapis qui ab ædificãtibus

tanquam

a Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe,

b Hic eſt hæres, venite occidamus eũ, & habebimus hæreditatem eius.

c Et apprehenſum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

d Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

e Aiũt illi: Malos malè perdet, f & vineã ſuã locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis.

g Dicit illis Ieſus:

g Nũquam legiſtis in ſcripturis,

i Lapidem quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?

tanquam ad omnia inutilis antè fuerat reprobatus, hic poſtmodum inuentus eſt præ omnibus maximè cōmodus, deſeruiēs videlicet coniunctioni duorū parietū, ad cōiungendos in angulo duos diuerſos parietes, eóſq; ſic in vnitate cōtinendos, factus ſum angularis lapis, totum ædificium continens.[a] Diuina autem diſpoſitione, non humano conſilio aut caſu aliquo id factū eſt: & eſt omnibus illud conſiderantibus admirandum ſpectaculum. Quæ verba ſi intelligitis, videtis, quàm rectè prædicta in vos competat parabola. Vos nanque illi eſtis agricolæ, cui & ſeruos Prophetas in patribus veſtris occidiſtis, & nouiſsimè me quoque interficietis. Vos iſti eſtis ædificantes, quibus Synagoga commiſſa eſt regi & ędificari. A vobis ego tanquam inutilis & noxius reprobabor, condemnandus morte turpiſsima: ſed pater me faciet in caput anguli, per reſurrectionē me exaltando, & caput conſtituendo ſuper omnem Eccleſiam, vt duos parietes, id eſt, duos populos in vnam coniungam Eccleſiam, & totum ædificium in ſtabilitate & vnitate ſua indiſſolubili contineam.[b] Quoniam ergo ſcriptura atteſtante, vos illi eſtis interfectores agricolæ, cōſequēter quoque (iuxta veſtræ reſponſionis decretum) pœnā vobis denuntio ſubſequuturam, quòd auferetur à vobis regnum Dei, propter veſtram obſtinatam infidelitatē atque malitiam, quam ſicut erga Prophetas ſemper oſtenderunt patres veſtri, ſic vos erga me demōſtraſtis, ac demōſtrabitis, moriemini in peccatis veſtris, & alieni efficiemini à regno Dei, foraſq; excludemini ab eo:[c] & dabitur illud genti quę faciet fructus dignos & decentes ipſum, populo gentiū crediturо dabitur promiſsio & ius regni cæleſtis, poſteaquā voſipſos eo indignos redditis. Venient enim ab oriēte & occidente, ab aquilone & auſtro, qui recumbēt cum Abrahā, Iſaac, & Iacob, in regno cælorum: ſicq; filij & hæredes regni efficientur, qui prius fuerant alieni à teſtamento & promiſsionibus Dei: filij autē regni (qui eſtis vos, ratione electionis paternæ) eiiciētur foras, ſicque à vobis auferetur regnum Dei. A vobis etiā Scribis atque Phariſæis, qui nunc populo Dei

a A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.

b Ideo dico vobis, quia auferre tur à vobis regnum Dei.

c & dabitur genti facienti fructus eius.

lo Dei præſtis, auferetur regimen populi Dei, & conſtituentur pro vobis alij rectores populi Dei, Apoſtoli mei videlicet & eorum ſucceſſores, qui curabunt populos fructificare Deo. [a] Inſuper & hoc ex authoritate Eſaiæ Prophetæ vobis denuntio, quòd omnis qui ſuper lapidem iſtum à vobis reprobandum ceciderit, aut in eum impegerit, lapſus confringetur, fiétque ei ad mortem talis offenſio: [b] ſuper quém verò lapis iſte ſuo pondere ceciderit, prorſus comminuetur, & peribit perditione ſubita ac maniſeſtiſſima. Hoc eſt, quicunque in me ſcandalizatus fuerit, mihi contradicendo & repugnando, mortis ſe reum efficiet: & ſuper quemcunque venerit pondus illud iudicij mei grauiſſimum, perditione ſubita & æterna peribit. Hæc eſt tota illa vltio, quam iuxta Prophetarum teſtimonia congruè ad propoſitam parabolam vobis ſuperuenturam denuntio, niſi egeritis pœnitentiam. [c] His auditis, principes Sacerdotum & Phariſæi facilè intelligebant, ſe in prænarratis parabolis fuiſſe notatos, eo quòd manifeſtè ſatis ad ipſos fuiſſent directæ iſtæ tam graues parabolæ. [d] Quam ob cauſam grauiter indignati, nec quicquam emendati, cupientes vlciſci factam ſibi (vt exiſtimabant) iniuriam, quæſierunt apprehendere eum, & manus in eum mittere: [e] retraxit tamen illos ab implendo tum temporis ſuo deſiderio, non amor veritatis, aut metus Dei, ſed timor populi, quoniam populus omnis magna erga illum afficiebatur reuerentia, tanquam erga Prophetam magnum, quem miſiſſet Deus ſingulari beneficio ad ſalutem populi ſui: propter quod timebant, ne aduerſum ſe oriretur tumultus in populo, ſi tentaſſent illum contingere. [f] Non cedens autem illorum feritati dominus Euangelicæ veritatis & paternæ voluntatis intrepidus annuntiator, prædictis adiecit, & alias eiſdem de rebus earundémque rerum ſignificatiuas parabolas, de malitia ſcilicet Iudæorum, ob quam merentur reprobari à Deo, in locum ſuum ſubſtituendis aliis.

a Et qui cecide rit ſuper lapidẽ iſtum, confringetur:

b ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.

c Et cum audiſſent principes Sacerdotum & Phariſæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipſis diceret.

d Et quærentes eum tenere,

e timuerũt turbas, quoniam ſicut Prophetam eum habebant.

f Et reſpõdens Ieſus, dixit iterum in parabolis eis, dicens:

Expla

Explanatio parabolæ de vinea & malis agricolis.

PAterfamilias eſt Deus, pater vtiq; magnę familiæ cuius eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & qui in eo habitant. Vinea eius, eſt populus eius: ſpecialiter autem domus Iſraël quémadmodum Eſaias ait. *Vinea domini exercituũ, domus Iſraël eſt.* In qua vinea, ſinguli palmites vel germina ſingula, ſunt ſinguli de populo, cultores domini: id quod ſubſequenter indicat Eſaias, dicens: *Et viri Iuda, germen delectabile eius.* Hanc vineam plantauit Deus per ſpecialem electionem Patriarcharum & patrum, à quibus ſynagoga duxit originem Sepem circundedit, torcular fodit, turrim in medio eius ædificauit, quando populum illum mirabilis protectionis & legislationis beneficiis ſic inſtruxit, defendit, cuſtodiuit, ornauit, ſicq; in omnibus ei prouidit, vt ex ipſius parte nihil deeſſet populo illi, quominus fructum bonum faceret: ita vt meritò poſsit cum vinea ſua expoſtulare, ac dicere: *Quid vltra debui facere tibi, ò vinea mea, & nõ feci?* Hãc vineam ſic egregiè paratam, & omnibus neceſſariis inſtructam, locauit agricolis: quia ſynagogam paſcendam & gubernandam tradidit ſacerdotibus atq; ſenioribus, qui poſt Moſem ſuper eius conſederunt cathedram, illique in cathedra fuere ſucceſſores, ac poſtmodum etiam regibus, qui ſic populum in lege Dei verbo & exemplis inſtituerent, vt fructum ferrent Deo. Nõ autem dedit illis Deus vineã, ſed locauit: quoniam præpoſitos populi ſui non vult dominari, ſed operari in eo, ipſe ſibi ſoli reſeruans vineæ dominiũ. Locat tamen agricolis vineã, quia præpoſitis fideliter in populo ſuo laborãtibus, mercedẽ promittit. Peregrè proficiſcitur, tradita agricolis vinea: quoniã Deus quaſi abſentẽ ſe exhibet, relinquẽs præpoſitos agere pro voluntatis ſuæ libero arbitrio. Significatur enim in hac abſentia libertas operariorũ. Donec enim præſens adſtat ſpectator dominus, quaſi coacti laborant operarij: vbi autẽ abſuerit ille, operantur vel otiantur liberius. Appropinquãte tempore fructuum, mittit dominus ſeruos ad accipiendum de fructu vineæ, poſteaquã fructuũ nihil ad ſe videt adferri ab agricolis: quoniã poſt legem datam, quũ meritò iam populus Dei fructũ faceret diuini cultus, nec tamẽ eum pro voto perciperet dominus in populo ſuo, propter negligentiã vel malitiã potiſsimum præpoſitorum populi, miſit ſeruos ſuos Prophetas ſanctos, per quos fructũ requiſiuit, hortantibus illis populum ad cultum Dei, & potiſsimum populi præpoſitos, vt iudices, reges, atq; pontifices, ad quorum nutum obſequebatur populus: ſic per ſeruos ſuos

ſuos requiſiuit fructum de vinea dominus, qui ei vltrò non offereba tur. Serui ab agricolis malè recipiuntur, & tractantur crudeliter: quo niam Prophetarum exhortationibus & increpationibus non ſolum non obedierunt ſynagogæ præpoſiti, verum etiã ignominia aut ver beribus, imò & morte plæroſq; ex eis affecerunt. Mittit alios ſeruos prioribus occiſis: quia in diuerſis mũdi ætatibus & generationibus, ſub diuerſis regibus, & pontificibus, diuerſos Prophetas miſit. Verũ poſteriores non mitius tractantur prioribus, adeò vt ſanguine Prophetarum repleretur Hieruſalem vſque ad os, quemadmodũ de Manaſſe legitur: vt meritò eis exprobraretur à domino: *Quem Prophetarum non occiderunt patres veſtri?* Et iterum, *Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt?* Et quod ſemel miſiſſe ſatis non fuit domino vineæ, ſed crebrius miſit, illud ſignat, quod poſtmodum dominus exprobrauit, dicens: *Quotiens volui congregare filios tuos, quemodo cõgregat gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis?* Quod primis interfectis ſeruis non ſtatim ad vindictam pergit dominus, neque etiam ſecundò miſsis, ſignificat miram Dei longanimitatem & benignitaté, qua (iuxta Apoſtoli verbum) peccatores inuitat ſiue adducit ad pœnitentiam, & multam illam patientiam qua vaſa iræ tolerat apta in interitum, & donec impleantur eorum peccata ſuſtinet patienter, vt poſtmodum in eis notam faciat potentiam iræ ſuę. Poſt miſſos plurimos diuerſis vicibus ſeruos, nouiſsimè filium mittit, quoniam poſtquam multifariè multiſque modis loquutus fuiſſet Deus patribus in Prophetis nouiſsimè omnium loquutus eſt nobis in filio ſuo: & quando venit plenitudo temporis ac fines ſæculorum aduenerant, miſit Deus filium in mundum. Ad vineam autem iſtam & eius agricolas, miſſus eſt filius, quoniam ipſe dixit, *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt, domus Iſraël.* Miſſus eſt fructum vineæ requirere: quoniam ad hoc eum vnxit ſpiritus domini, vt Euangelizaret pauperibus, prædicaret remiſsionem captiuis, viſum daret cæcis, ſurdis auditum, & annum domini prædicare acceptum: & quia in omnibus ſemper gloriam patris & veræ pietatis fructum quærebat. Viderunt agricolæ hæredẽ, & cognouerunt hæredẽ eſſe: nihilominus propter auaritiam, vt ad ipſos deueniret hęreditas, interfecerũt eum: quoniam ex ſcripturis in quibus erãt plurimum verſati Scribę atque Pharifæi, item & ex potentiſsimis ſignis & efficaciſsima doctrina Chriſti, ſi nõ obſtitiſſet inuidia & auaritia, ſufficiẽs illis notitia pręſtabatur de Chriſto, ſi nõ ambitio & auaritia eorũ excęcaſſet oculos, peruertiſſetq; iudiciũ. Videbant ſceptrum de Iuda ablatum, regnante alienigena: Danielis hebdomadas finitas videbant, audie-

X rant

rant Magos ab oriẽte aduenisſe Hieroſolymam de nouo rege nato quem ipſi ſtellæ indicio viderant quærentes Zacharias vaticinatus fuerat, de venturo, poſt Ioannẽ ſaluatore, Idipſum Ioãnes poſtquam adoleuiſſet, magnificè confirmauit. Neque ſilucrant paſtores, quę in huius ortu viderant: neque in angulo geſtum fuit quod egit & dixit Simeon, & cum eo Anna. Quid autem ſibi vult quod dicunt adinuicem? *Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas?* Nũquid illi Chriſto occiſo, dij, aut Dei filij exiſtimabant fieri? Illud videlicet ſignificatur, quod pulchrè in libro Sapientiæ in horum perſona dicitur: *Circunueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ, Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat.* Et poſt pauca. *Gloriatur patrem ſe habere Deum. Videamus ergo, ſi ſermones eius veri ſunt.* Ac deinceps, *Morte turpiſsima condemnemus eum.* Hinc diſce quomodo propter hoc cogitant occidere hæredem, vt ſit eorum hæreditas: quoniam videlicet propter hoc cogitauerunt præpoſiti Synagogæ Chriſtum occidere, quia non dominari illos permittebat in populo, quoniam eorum ambitionem, auaritiam, & cupiditatem redarguebat, & falſas ipſorum doctrinas ambitioſasq́; fictiones traducebat & patefaciebat coram populo: ne ſeduceretur ab eis: & in omnibus erat (vt ipſi dicebant) contrarius operibus ipſorũ: Propter quod, vt eſſet ipſorum hæreditas, vt populum pro ſuo libito tractare poſſent, & pro ſua voluntate ambitioſe in eo dominari, con tradictore ſublato, in Chriſti mortẽ machinati ſunt, ambitione ita ſuadente, cum ſorore auaritia. Apprehenſum hæredẽ eiecerũt agricolę extra vineam & occiderũt: quoniam extra portam paſſus eſt dominus, morte turpiſsima cõdemnatus, & cum iniquis latronibus deputatus, vt eſſet mors eius ignominia ſpectabilior. Poſt filij interfectionem tanquam conſummatis ſceleribus venit ad puniendũ ſceleratos dominus vineę, qui vſque tunc eos ad pœnitentiam expectauerat: quoniam poſt Chriſti paſsionem, impletis peccatis Iudæorũ, ad vltionem Dei iuſtitia venit: primum quidem temporalẽ, in illa miſeranda deſolatione quæ ſub Tito & Veſpaſiano Imperatoribus facta eſt: venturus olim in extremo iudicio longè grauius, per vltionem ignis æterni. Vineam ſuam non diſperdidit, quam ſemel plãtauerat, quoniam non repulit (vt ait Apoſtolus) populum ſuum, ſed aliis agricolis eam locauit, quia ſub Apoſtolis ſanctis conſtituit populũ ſuum atque horum ſucceſſoribus, iuxta illud Pſalmi, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Hi vineam coluerunt, & fructificare fecerunt domino: quoniam ipſis prædicanti-

bus

bus,fructum veræ pietatis atque bonorum operum fecerunt fideles populi.Alio nanque plantante,rigante alio,Deus incrementum dedit,vt fructum ferret vinea.Quam autem hi ſoliciti fuerunt vineam ſuam colere,ad reddēdum fructum domino vineæ,ipſa eorum tum ſcripta,tum facta,teſtantur.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

AD *montem olmeti.*) Videtur poni conſtructio tranſiens,pro non tranſeunte:vt mons oliueti dictum ſit,pro monte qui eſt oliuetum.Græcè enim eſt ὄρος τῶν ἐλαιῶν, hoc eſt,ad montem oliuarum ſiue oliuis conſitum. Oliuetum autem,locus oliuarum dicitur:quēadmodum ſalicetū,locus ſalicum,&. harundinetū locus harundinū. ¶*Ite in caſtellum,quod contra vos eſt.*) Caſtellum hoc loco non arcem ſignificat,ſed vicum vel pagum.Græcè enim eſt nomen κώμη come, quod nō arcem ſignificat,ſed pagum aut vicum.Sic & alibi,quoties dicitur Ieſus in caſtella perambulaſſe,vel in caſtella veniſſe,nō arces ſignificantur,ſed vici aut pagi.Illud quoque quod contra vos eſt,quidam putant ſignificare contrarietatē animi,quomodo à quibuſdam exponitur de Hieruſalem,Chriſto ac diſcipulis contraria.Verius autem ſic exponitur:quod è regione vel ex oppoſito ſitum eſt. Græcè enim eſt εἰς τὴν κώμην τὴν ἀπέναντι ὑμῶν: id eſt,ad vicū è regione veſtri. ¶*Dicite filiæ Sion.*) Hoc teſtimonium iuxta Hebraicam veritatē ita legitur,Zachariæ 9.cap.*Exulta ſatis filia Sion,iubila filia Hieruſalem, Ecce rex tuus veniet tibi,iuſtus:& Saluator,ipſe pauper,& aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ.* Secundum verò 70.ita legimus, *Lætare valde filia Sion,prædicta filia Hieruſalem,Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluans,ipſe manſuetus,aſcendens ſuper ſubiugalem & pullū nouū.* Vnde patet Euangeliſtam nō curioſè ad verbū recitaſſe teſtimoniū Prophetæ,ſed iuxta ſententiam: quemadmodū & aliis plæriſque in locis,tam Euangeliſtæ,quàm Apoſtoli cęteri,atq; adeò Chriſtus dominus,feciſſe leguntur.Illud autem principium, *Dicite filiæ Sion,Ecce rex tuus venit tibi,*videtur ex Eſaiæ 62.capite recitatum:reliquum autem,certum eſt Zachariæ eſſe.Quod autem dicitur, *ſuper pullum filiū ſubiugalis*, ad maiorem humilitatem pertinet:quaſi dicat,filium aſinæ ſub iugo incedere ſolitæ,quomodo de Balaam ait beatus Petrus quod correctionem habuit ſuæ veſaniæ ſubiugalę mutum animal. 2.Pet.2 ¶*Et eum deſuper ſedere fecerunt.*) In vulgatis Græcis legitur καὶ ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν,hoc eſt,Et ſedere fecerunt eum ſuper ea,videlicet aſina.Per quod tamē nō excluditur,quin & ſuper pullum ſederit quod alij Euāgeliſtę Marcus & Lucas teſtantur. Verum,hoc tantum

indicatur,quod etiã ſuper aſinam ſederit,prius forſitan quàm ſuper pullum.Noſtra interpretatio ambíguè habet,per aduerbiũ deſuper eum ſedere fecerunt. ¶*Dicentes; Oſanna filio Dauid.*) Datiuus ille,filio,poteſt accipi vt rectus à participio expreſſo, dicẽtes:Magis tamẽ congruum videtur, ſubaudire verbum aliud vnde regatur,ad hunc ſenſum:Oſanna canimus vel dicimus vel clamamus filio Dauid.Vocem autem Hebraicam oſanna,vulgò non perfectè iuxta Hebraicã ortographiam exprimimus quemadmodum nec Græci,qui ſcribũt ὡς ἀννά hos anna,cum Hebræi ſcribant hoſiah-na.Verbum enim,hoſiah,ſignificat ſalua vel ſaluifica.Na autem,interiectio eſt blandientis,pro qua nos vtimur quæſo vel obſecro,vel(comicè)amâbo.Sumitur autem iſta acclamatio ex Pſalmo 117.Vbi ſic iuxta Hebręum legimus,*Obſecro domine,ſalua obſecro,obſecro domine bene proſperare,benedictus qui venit in nomine domini.*¶*Manè autem reuertens in ciuitatẽ,eſurijt.*) An purè naturalis fuerit eſuries,an aſſumpta,non habemus compertum.Naturalis eſſe potuit,ſi pridie poſt longum ac multum in docẽdo laborem parum cibi ſumpſerat,nocte quoque(vt ſolet)in oratione peruigil remanſerat. Nemo enim ignorat,cœnam ſobriam cum nocturnis deinde ſubſequentibus vigiliis,naturaliter maturã eſuriẽ adducere.Forſitan autẽ aſſumpta fuit voluntariè,quomodo aliquando conturbationem & fremitũ ſpiritus aſſumpſit,& lachrymas.Vtroque modo fieri potuit:ſed vtrum eorum factum ſit incertum eſt. ¶*Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis.*) Participiũ, credentes,in ambiguo poſitum,connecti poteſt vel præcedenti vel ſubſequenti.Prior connexio,hunc ſenſum habet:Quæcunq; credentes petieritis in oratione,accipietis:id eſt,quęcũque ſine hęſitatione & cum bona fide petieritis.Iuxta poſteriorem conſtructionem, hîc habebitur ſenſus.Quęcunque in oratione petieritis,accipietis credẽtes:id eſt,accipietis,ſi modo credatis,vel credendo accipietis quoniã non impetrat oratio,niſi adſit fides,quemadmodũ Iacobus indicat, dicens. *Poſtulat autem in fide,nihil hæſitans. Qui enim hæſitat,ſimilis eſt fluctui maris,qui à vento impellitur.*¶*Fili,vade hodie operare in vineã meam.*) Quidam codices Latini per infinitiuum legunt operari:alij per imperatiuum,operare:quod poſtremum Græcis conſonat,per imperatiuum habentibus, ἐργάζου ergazu. Accuſatiuus autem ille, in vineam meam,ad primum imperatiuum,vade,referri debet:vt ſit ſenſus:Vade in vineam meam,operare ibi.Apud Gręcos tamen, poteſt cum imperatiuo operare,conſtrui:quoniam in datiuo caſu ponitur ἐν τῷ ἀμπελῶνί μου: id eſt in vinea mea. ¶*Eo domine.*) Quidam codices Græci habent,ἐγὼ κύριε,ego domine:alij autẽ ὑπάγω κύριε vado

do domine. ¶*Publicani & meretrices praecedent vos in regno Dei.*) Praecedent, hoc in loco impropriè debet accipi, vt non dicat ordinem ad ſubſequentes. Non enim phariſæi impœnitentes recipiendi erant poſteriores aut poſteriori loco conſtituendi in regno cælorum, quo omnino non erant introituri. Ideo autem dicuntur pręcedere, quoniam illi ad regnũ eligentur his ab eo excluſis, quia videlicet præeligẽtur ad vitam, id eſt, præ eis: ſic videlicet, vt his reprobatis à regno, illi aſſumantur. Qua forma loquendi dicimus, duorũ pro vna aliqua re contendentium alterum prępoſitum eſſe alteri, vel alterum præceſsiſſe, cui eſt res illa conceſſa, pro qua ſimul ambo inſtabant, altero ſpe ſua fruſtrato. Ad hunc modum etiam præferre dupliciter accipitur. Propriè enim hunc illi pręferimus, quãdo huic ordinem priorẽ damus, illi poſteriorem. Impropriè verò, quando huic damus illi negamus. Sicq; præferret vel præponet Deus publicanos & mererrices pœnitẽtes, Phariſæis impœnitentibus. ¶*Nec pœnitentiam habuiſtis, poſtea.*) Illud, poſtea, magnam habet emphaſim, & cauſam Phariſęorũ oſtendit in hoc deteriorem, quod etiam publicanorum & meretricũ præuia exempla cernentes, nihil moti fuerint. ¶*A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*) Iuxta communem intellectum, pronomen, iſtud, ad totum refertur quod præceſsit, ad hunc ſenſum. Quod lapis ille ita prius ab ędificãtibus ſit reprobatus, ac poſtmodũ in caput anguli factus, id factũ eſt à domino. Ex Gręco tamen apparet ſenſus alius accipiendus. Nam apud Gręcos dictio κεφαλὴ caput ſignificans, generis eſt fœminini: ſimiliter & quę angulum ſignificat γωνία gonia: ac deinde cætera omnia eodem genere dicuntur, facta eſt iſta, & eſt mirabilis, &c. Vnde videtur prima facie pronomẽ iſtud referre, caput ad hunc ſenſum: A domino factum eſt caput hoc anguli, & eſt illud caput anguli, mirabile in oculis noſtris, quomodo non aſpernandi quidam interpretantur authores. Et habet id quidem cõmodam ſententiam, in idem recidentem cum ea quam cõmuniter accipimus. Poteſt autem pro communi ſententia dici, genus fœmineum poſitum pro neutro: quemadmodũ aliâs nonnunquam fieri ſolet. Velut Pſal. 26. *Vnam petij à domino*, pro vnum petij, vel vnam rem petij. Sic & in propoſito, A domino res iſta facta eſt, vel iſtud factum eſt, &c. ¶*Ideo dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*) Incertum eſt, an priuatim ad ipſos præpoſitos qui in parabola ſub agricolis deſignati ſunt, iſtud pertineat: an ad populum totũ Iudaicum, quantũ ad permãſuros in incredulitate. Si ita diceretur, Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur aliis agricolis, aliis præpoſitis, ad ipſos Synagogæ primates peculiariter deberet aptari.

Nunc verò,cũ ait,*Et dabitur genti facienti fructus eius*, videtur in priori particula præpoſitos ſimul cum ſibi adhæſuris in malitia notari,tanquam à regno cæleſti excludendos.Vtrunq; ſenſum ſatis indicat Elucidatio.Hoc tantum nota,ꝙ non eodem modo in vtroq; regnum cælorũ accipitur.In vno enim,pro ipſo regno beatitudinis ſupernæ: in altero verò,pro populo Dei in hoc mũdo,ſumitur,Poſſet & pro lege vel verbo Dei accipi,quod ſimiliter à Iudæis ablatum eſt, dum excæcati ſunt,& eius vera intelligentia priuati. Datum autem gentibus, qui prædicationem Euangelicam habent & credũt.Illud etiam genti facienti fructus eius,videlicet regni Dei,variè debet exponi,iuxta variam acceptionem regni Dei. Accipiendo enim regnum Dei pro regno cælorum,fructus facit regni huius,qui opera Dei operatur,vitæ æternæ meritoriá.Si pro populo Dei ſumatur, fructus regni faciunt ipſi præpoſiti, quando populum faciunt ita viuere & fructificare, vt decet populum Dei & ſanctificatum Deo.

ELVCIDATIO CAP. XXII.

SImile factũ eſt regnũ cælorũ homini regi qui fecit nuptias filio ſuo.

SIC Res ſe habet quantũ ad regnũ cælorũ,quomodo in ſequenti indicatur parabola,de homine quodã rege, qui nuptias magnificas apparauit vxorẽ ducturo filio ſuo.[b] Ad quas nuptias cũ multò antè q̃ exhiberẽtur, inuitaſſet plurimos vt regia magnificentia ſimul atque munificentia poſtulabat, adueniẽte iam nuptiarũ tempore, quando exhibendæ & celebrandæ erant, miſit ſeruos ſuos,vt eos qui prius inuitati fuerant, vocarẽt ad iam paratas nuptias quomodo in magnificis cõuiuiis fieri ſolet,vt prius inuitati ante dies aliquot, poſtmodũ in ipſa hora vocentur ad paratum conuiuium. [c] Venientibus autẽ ſeruis,illi qui inuitati fuerant non habẽtes rationem inuitationis prius factæ,venire recuſant ad regias nuptias. [d] Rex multa vſus patiẽtia atque clemẽtia(quæ maximum eſt principis ornamentũ)iterum alios mittit ſeruos ad idem negotium: vt diſcant inuitati, feriò ſe vocari, imò requiri ad nuptias,geminis miſsis nuntiis, & regi vehemẽter eſſe cordi,vt veniãt.Quos ſeruos poſteriores emittẽs,verba poſuit in ore eorũ,qbus vocarẽt inuitatos, dixitq; eis:Sic dicetis inuitatis:[e] Hæc dicit dominus qui miſit

b Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias.

c Et nolebant venire.

d Iterum miſit alios ſeruos, dicens, Dicite inuitatis.

Ecce prandiũ meum paraui:

ſit nos ad vos. Eccè prandium nuptiale paraui pro nuptiis filij mei, quas celebrare volo: prãdiũ illud ac feſtũ nuptiale, ad quod ego iampridẽ vos inuitaui, iam paratum eſt vt exhibeatur vobis, vóſq; guſtetis illud. [a] Boues & oues & cuncta altilia mea quæcunque ad hoc feſtũ alui impinguauíq;, ſiue greſsibilia ſiue volatilia, occiſa ſunt: & cũcta quę ad nuptias regales pertinent iam ſunt parata, ex parte domini noſtri nulla eſt expectatio. [b] Tantũ expectantur cõuiuæ inuitati, vt veniant, ac guſtent præparatũ ſibi prándium, feſtumq; nuptiale celebrẽt. Nolite ergo iam morã facere, quoniã moram non patitur ciborũ præparatiò, ſed quantotius venite ad præparatas vobis nuptias. [c] Nec his quidẽ nuntiis ſecundis ita efficaciter vocantibus acquieuerũt inuitati, ſed in ſuo obfirmati malo propoſito negligũt, renuũt atq; contẽnunt venire, regias paruipẽndunt nuptias, tametſi magnificentiſsimas. [d] Abierunt autẽ ad ſua priuata quiſq; negotia, alius ad villam ſuam, alius ad exercendam negotiationem ſuam, propria cõmoda pręferentes regalibus nuptiis. [e] Quidam verò non ſolum non venerunt vocati, verũ inſuper vocantes ſeruos multa affecerunt iniuria, & poſt multas eis illatas contumelias interfecerunt. [f] Cognoſcẽs autem rex tantam aduerſus ſeruos ſuos exercitatam crudelitatem, & erga ſe nimiam mõſtratam ingratitudinem atque contemptum, nõ vltra ferendam putauit horum malitiam, quam hactenus per longanimitatẽ diſsimulauerat: [g] ſed ita exardeſcens, pro rei indignitate, exercitus militum ſuorũ miſit ad ingratos & homicidas illos, eòſq; omnes iuſsit interfici, & in ſceleris deteſtationem etiam illorum ciuitatem igne ſuccendi. [h] Quibus digna vltione conſumptis, nolens rex munificus pro nihilo paratas eſſe tam celebres nuptias, neq; tam inſtructum conuiuiũ nullis proficere, de aliis cogitare cœpit conuiuis q̃ prius inuitati non fuerant, poſteaquã illi periiſſent qui inuitati nõ venerant. Dixitq; ſeruis ſuis: [i] Nuptias quidem meas ego paraui: & ſicut pollicitus fui, inuitatis prandium nuptiale ego exhibui, ita vt de me non poſſit quiſquam cõqueri, quòd verbis fidem nõ fecerim.

a tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata.

b Venite ad nuptias.

c Illi autem neglexerunt.

d & abierunt, alius in villam ſuã, alius verò ad negotiationem ſuam.

e Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumeliis affectos occiderunt.

f Rex autem cum audiſſet, g iratus eſt, & miſsis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccẽdit.

h Tunc ait ſeruis ſuis,

i Nuptiæ quidẽ paratæ ſunt,

 Verum

[a] Verum iſti qui inuitati fuerant, indignos ſeipſos fecerunt meis nuptiis, dũ vocati venire recuſarent: propter quod, iuſta vltione mea illos perdidi. [b] Vos igitur, ne vacuæ remaneant nuptiæ, ne fruſtra tantus ſit apparatus delitiarum exhibitus, celeres abite ad compita & viarum exitus, ad loca maximè publica & maximè frequẽtia hominibus: & quoſcunq; inueneritis, qualeſcunq; tandem fuerint, pauperes, diuites, cæci, videntes, ſurdi vel audientes, denique cuiuſcũq; conditionis fuerint, vocate ad nuptias. [c] Mox obedientes ſerui, egreſsi ſunt in vias publicas: cõuocauerũtq; & congregauerũt in domum nuptialem domini ſui, quotquot & qualeſcunque inueniebãt, & ſequi vellẽt vocantes, tam bonos, quàm malos, tã pauperes, quàm diuites, tam ſurdos quàm audiẽtes, atque ita in cæteris, nullo habito perſonarum reſpectu, ſed abſque delectu omnes. [d] Sicque factũ eſt, vt plenæ fierent nuptiæ diſcũbentibus, nuptialis domus impleta eſt conuiuis. [e] Congregatis autẽ illis in domum nuptialem introgreſſus eſt rex, vt videret diſcumbẽtes cõuiuas, vt conſideraret quales haberet hoſpites, num honeſti ac læti eſſent, & nuptiis digna eſſent omnia, ne fortè quicquam illic eſſet quod ſuas fœdaret nuptias. [f] Vidit autẽ in numero cæterorum, quendam illic accumbẽtem, qui veſte nuptiali ornatus nõ erat, nuptias regias ſuo plebeio habitu aut pãnis ſordidis plurimum dehoneſtantem. [g] Quem toruo aſpiciens vultu, ita allequutus eſt: Amice, cui ego amicitiam magnã ex mea munificentia monſtraui, qua fronte, qua temeritate ſiue audacia huc es ingreſſus ad meas nuptias, ac cum cæteris vnà cum ad menſam accumbis, veſtem non habẽs nuptialem? Quid tibi ita viſum fuit, meas irridere ac dehoneſtare nuptias? Nõ eſt quod paupertatem aut defectũ cauſeris. Ecce omnes hi pauperes erant & nudi, ex viis & ſepibus huc adducti: ſed ingredientes ad nuptias meas, petierunt & acceperunt nuptiales veſtes, in quibus diſcumbunt, & grati ſunt mihi, eáſque mundas ſeruant, nec priſtinos reſumũt pannos. Ita & tu ſi petiuiſſes, veſtem accepiſſes nuptialem, viles pannos tuos habitu commutaſſem digno meis

a ſed qui inuitati erant non fuerunt digni.

b Ite ergo ad exitus viarum, et quoſcunque inueneritis, vocate ad nuptias.

c Et egreſſi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos,

d & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.

e Intrauit autẽ rex vt videret diſcumbentes,

e & vidit ibi hominem nõ veſtitum veſte nuptiali,

g & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtẽ nuptialem?

meis nuptiis. Nunc verò hîc reſides tanquam vnus conuiuarum, totus deformis & difformis cæteris, de nuptiali veſte nullam curam gerẽs. [a] At ille ſe deprehenſum videns, nec habens quod reſponderet, obmutuit, ſibi malè conſcius & excuſationem non habens. [b] Statimque rex miniſtris ait: Amouete hũc quantotius, & eiicite è nuptiis: ligatiſque pedibus & manibus, ad ſupplicium rapite illum, proiicientes eum in exteriores, palpabiles, ac denſiſsimas inferni tenebras. [c] Illic erit ſine fine fletus & ſtridor dentium: illic tormenta ſentient, tam interna, quàm externa damnati, quorum non erit finis in ſæcula. Facile vos docet parabolæ huius finis, quorſum tendat intentio. [d] Non enim quiſquis ad vitam æternam vocatur, ſtatim ad eam electus eſt aut ad eam pertinget. Plurimi nanq; ad vitam ęternam vocati ſunt, ex quibus plurimis admodum pauci ſunt electi, qui eam ad quam vocati ſunt vitam conſequentur: quemadmodum in prædicta parabola, multi indicantur vocati, homicidæ videlicet illi priores, ex quibus nulli fuerunt electi ad nuptias, quia non fuerunt digni: ac deinde ille etiam qui in nuptiis ſine nuptiali veſte diſcumbebat, & eiectus fuit è nuptiis: ac proinde, ſibi nemo de vocatione tantum blandiatur, ſed per fidem & vitam bonam ſtudeat dignè ambulare vocatione ſua, vt etiam electus fiat. [e] His auditis, Phariſæi non ignorantes ſe notatos iam narratis parabolis, ſubduxerunt ſeſe à Chriſti præſentia, tractaréque pariter & cõſilium capere cœperunt, quomodo illum in ſermone comprehenderent, & callidè illaquearẽt, quomodo videlicet aliquid ex ore eius poſſent callido rapere cõſilio, vnde calumniam in eum deuoluerent. [f] Quoniam autem ſciebant ſe apud illum haberi ſuſpectos, nec facile per ſe id poſſe efficere ſperabant, hoc habuerunt conſilium, vt aliquod ex ſuis diſcipulis ſubornarent atque ſubmitterent, quos putabant illi incognitos, hiſque adiungũt Herodianos, id eſt, aliquot de ſecta eiuſmodi Herodiana, quæ tributum defendebat perſoluendum Romanis, vel miniſtros aliquot aut partem agentes Herodis. Hos ita pariter iunctos, tan-

a At ille obmutuit.

b Tunc dixit rex miniſtris, Ligatis pedibus eius et manibus mittite eũ in tenebras exteriores.

c Ibi erit fletus & ſtridor dentium.

d Multi enim ſunt vocati pauci verò electi.

e Tunc abeuntes Phariſæi & conſilium inierunt vt caperent eum in ſermone.

f Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes:

quam Ieſu incognitos,verbis inſtruũt Phariſæi,quid, quomodo,qualibus verbis proponere debeant. [a] Qui ita ſubornati ſpeciem præ ſe ferẽtes pietatis,ſub ouina pelle lupinum tegentes animum, Chriſtum accedunt,ac dicunt illi:Magiſter nos multa iam experientia certò cognouimus, te veritatis eſſe amatorẽ atq; doctorem,& viam Dei docere nõ ad hominum affectus,non ad quæſtum proprij cõmodi,vt plærique faciunt,ſed iuxta infallibilem veritatis regulam. [b] Neque tibi cura eſt de quoquam, neque quenquam metuis.Non enim perſonarum es acceptor, non reſpicis facies ſiue perſonas hominum,nihil omnino externũ attendis,neque nobilitatem,neque diuitias, neq; poteſtatem,neque munera,neq; aliud quodcunq; externum, vt propter metum vel fauorẽ cuiuſquam aliter doceas quàm habeat veritas,& cõſcientiæ tibi docendum teſtetur,aut eorum quę ſunt veritatis quicquam omittas. [c] Atque hac de cauſa nunc ad te venimus, quæſtionem hactenus inter multos ſeditioſè diſputatam:ſimplici determinatione à te poſtulãtes diſſolui. [d] Eſt autem hæc quæſtio, num populo Iudaico liceat dare tributum aut cenſum Romanorum Imperatori, vt quidam ſentiunt, dicentes iuſtum eſſe, vt tributa ſoluantur iis ſub quorum protectione ſeruamur: [e] an id non liceat, vt ſentiunt alij, arbitrantes, iniquum eſſe, illicitum ac diuino aduerſum honori, populũ quem ſibi Deus elegit in peculium ex omnibus gẽtibus,vlli alij regi aut principi tributum ſoluere,aut quouis modo ſubiectionem profiteri,præter quam ſoli Deo,cuius ſunt peculiaris populus.His verbis tam callidis,arbitrati ſunt Phariſæi Chriſtum cõprehendere.Erat enim ad vtramlibet reſponſionis partẽ parata calumnia. Si enim dixiſſet licere tributum ſolui à populo, grauiter id accipiendum ſciebãt: qui licet tributa tum ſolueret vi & neceſſitate coactus,animo tamẽ libertatem ſperabat, maximè quod recens adhuc eſſet tributi iugum. Vehemẽter autem illud cupiebant Scribæ atque Phariſæi, tale aliquid ex ore Chriſti rapere, vnde apud populum eius poſſet exiſtimatio minui, cuius ſolius timore ab illo cõprehen

a Magiſter,ſcimus quia verax es,et viam Dei in veritate doces,

b & non eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonã hominum.

c Dic ergo nobis,quid tibi videtur?

d Licet cenſum dare Cæſari,

e an non?

prehendendo abſtinebant. Si dixiſſet non licere, aderant Herodiani, qui ad præſidem detuliſſent hanc reſponſionem, & ipſi ſtatim apud præſidem Chriſtum accuſaſſent, tanquam ſeditioſæ doctrinæ & rebellionis contra principes authorem.[a] At verò omnium cognitor Ieſus, ſub dolam illorum fraudem optimè cognoſcens, ita reſponſum cum increpatione temperauit, vt nihil ex eius reſpõſo poſſet rapi in calumniam, quæſtioni tamẽ tacitè ſatisfaceret.[b] Dixit itaque eis, Hypocritæ, qui ſub pelle ouina intrinſecus vulpinũ cælatis animũ, qui pietatem ſimulantes, tanquam doceri cupientes, impietatẽ meditamini, quid me tentatis? quorſum tendit iſta veſtra nequam interrogatio, quam non vt diſcatis proponitis, ſed tantum vt tentetis atque decipiatis? Noui enim ego doloſum animũ veſtrum, vóſque ſcitote & mementote deprehenſos. [c] Ne tamẽ me exiſtimetis diuerticula quærere, reſpõdebo vobis, licet indignis ſuper quæſtione propoſita. Prius tamen oſtendite & exhibete mihi nummiſma cenſus, ſiue nummum tributi, quem videlicet pro tributo perſoluitis.[d] At illi mox ei exhibuerunt denarium, qui erat nummus tributi.[e] Quem videns Ieſus, ait illis: Cuius eſt hæc imago huic inſculpta denario, & cuius eſt inſcriptio quam video in circuitu imaginis? cuius gerit nummus iſte imaginem & inſcriptionem?[f] Dicunt illi, Cæſaris eſt imago, qui nummum cudit, & eiuſdem eſt inſcriptio, teſtãs videlicet ipſum eſſe qui cudit nummum.[g] Ex horum reſponſione volens illos conuincere dominus, ait:[h] Vos fatemini, nummum hũc Cæſaris eſſe pecuniam, & ipſius habere imaginem & inſcriptionẽ: quo dum vtemini, ipſius vos ditioni ſubditos teſtamini, cuius nũmiſmate vtimini, & neceſſaria vobis cõparatis, nec petit ipſe, niſi de ſuo tributum: quare quod ipſi vt principi & ei cui in ſubiectionem vos tradidiſtis (id quod & nummiſmatis eius ſuſceptione & vſu quotidiano teſtamini) debetur, licitum eſt reddere, & reddi debet.[i] Nolo tamẽ ſic vos ſubiectos eſſe homini, & homini quæ ipſi debentur reddere, vt interim Deum obliuiſcamini, qui primas partes habere debet in vobis, & cui ante

a *Cognita autẽ Ieſus nequitia eorum, ait:*
b *Quid me tentatis hypocritæ?*
c *Oſtendite mihi nummiſma cenſus.*
d *At illi obtulerunt ei denariũ.*
e *Et ait illis Ieſus: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio?*
f *Dicunt ei: Cæſaris.*
g *Tunc ait illis:*
h *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari,*
i *& quæ ſunt Dei Deo.*

omnia perſolui debet quicquid ipſi eſt debitũ. Vnicuique itaque quod ſuum eſt reddite, ſic quæ Cæſaris ſunt Cæſari, & quæ Dei ſunt Deo perſoluentes vt nec prætextu Cæſareæ ſubiectionis putetis eximi vos à cultu Dei, nec propter cultum Dei à debito Cęſareo. [a] Audientes verò tam interrogantes iſti, quàm ij qui eos ſubmiſerant Scribæ tam prudens Chriſti reſponſum, tam circunſpectam propoſitæ quęſtionis diſſolutionem, admirati ſunt, quòd illum tam certum (vt ipſi arbitrati fuerāt) laqueum ſibi paratum, potuiſſet deprehendere: magis autem, quòd abſque calumnia potuiſſet effugere. [b] Fruſtrati itaque propoſito, relicto eo, dolentes abſceſſerunt, præter confuſionē nihil reportantes. [c] In illo autem ipſo die, acceſſerunt ad dominum Sadducæi, homines ſectæ contrariæ Phariſæis, aſſerentes nō expectandam eſſe reſurrectionem mortuorum, neque vitam aliam poſt hanc vitam, neque in futuro vlla præmia bonorũ aut malorum operum, nihilo amplius quàm aliorum animalium expectatur reſurrectio, poſteaquā ſemel mortua fuerint. Idque ſuper eo aſtruebant fundamēto, quia ſpiritum non ponebant neque animam ſeparatam à corpore, ſeparatim ac per ſe ſubſiſtentē, ſed animas hominum dicebant interire cum corporibus, eo ipſo quo emigrant è corpore: quemadmodũ de cæteris eſt ſpeciebus animalium: vnde conſequenter eliciebant, nō hominum magis quàm brutorum fore reſurrectionem. [d] Hi pro ſuo errore aſtruendo argumentum vnum habebant ſuo iudicio prævalidum, tale quod etiam Chriſto nō formidarent tanquam inſolubile proponere, eo quòd ipſius doctrinam ſcirent docere ſectæ ſuæ contraria. Proponūt itaque ſuum roboris Achillæi argumentum, dicentes: [e] Moſes in lege ita ſcripſit nobis iubente domino. Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſq; liberis mortuus fuerit, [f] vxor defuncti nō nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemē fratris ſui, & primogenitũ ex ea filiũ appellabit nomine illius, vt nō deleatur nomē ei⁹ ex Iſraël hoc pręſuppoſito certiſsimo ac notiſſimo Moſi præcepto, proſequimur narrationē. [g] Erāt apud

a Et audientes, mirati ſunt:

b & relicto eo, abierunt.

c In illo die, acceſſerunt ad eũ Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem:

d & interrogauerunt eum dicentes:

e Magiſter Moſes dixit: ſi quis mortuus fuerit, nō habēs filiũ,

f vt ducat frater eius vxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.

g Erant autem apud nos ſeptem fratres: primus vxore ducta defunctus eſt,

apud nos ſeptem fratres, quorum prior ducta vxore abſque liberis deceſsit.[a] Quare iuxta legem, abſque ſemine vita defunctus vxorem reliquit fratri ſuo, ad ſuſcitandum ſibi ſemen in Iſraēl: qui & accepit eam, legi obediens,& fratris boni officiū cuſtodiens.[b] Hic rurſum abſq; liberis mortuus eſt, relicta vxore fratri tertio: atque ita vſque ad ſeptimum nouiſsimúmque fratrem vxor peruenit. & ne ipſe quidem ſeptimus libero ex ea ſuſcitauit, ſed mortui ſunt omnes abſque liberis ex muliere iſta ſuſcitatis.[c] Poſt omnes autem viros prius mortuos, tandē etiam mulier ipſa moriēs naturæ debitum ſoluit.[d] His itaque præmiſsis, ſi(vt aſſerunt Phariſæi, atque tua etiam videtur doctrina aſtruere) ponenda eſt mortuorū reſurrectio, interrogamus, quis horum ſeptem fratrum in reſurrectione mulierem illam in vxorem accipiet?[e] Aequalis enim videtur de omnibus eſſe ratio, quoniam eam omnes habuerunt vxorē, neque quiſquam ex ea ſuſcitauit liberos: ne fortè reſpondeatur, eū qui liberos ex illa ſuſcitauit debere eam ſibi vēdicare. Cum igitur æqualis appareat de omnibus ratio, cōſequi videtur expoſitione reſurrectionis, vnam eandémq; fore ſeptem virorū vxorem, quod manifeſtè abſurdum eſt & nulla lege permiſſum, nullique gēti obſeruatum, vtpote naturæ contrarium. Cum igitur poſita reſurrectione mortuorum tam manifeſtum ſequi videatur incōueniens, irrationabilis ſit oportet illa doctrina. Nam ſi rationabilis ac vera eſſet, nihil inconuenientis ex ea poſſet inferri: quandoquidē ex vero nihil ſequitur niſi verum: & ex eo quod rationabiliter aſſeritur, nihil ſequi poteſt irrationabile.[f] Sadducæorum verò iam narratæ obiectioni reſpondens dominus, ait: Argumētatio veſtra omnis ſuper malo fundatur fundamēto, falsóque præſuppoſito innititur: quod vbi deſtructum fuerit, corruet quicquid ſuperſtructum fuerat.[g] Vos enim multum erratis, neque ſcripturas intelligentes, neque virtutem Dei cognoſcentes.[h] In reſurrectione enim, & in vita illa ad quam reſurgent mortui, nō celebrabūt homines nuptias, aut matrimonia contrahent, neque dabuntur ad nuptias, vt fit in hoc

ſæculo

a & non habēs ſemen reliquit vxorem ſuam fratri ſuo.

b Similiter ſecundus & tertius vſq; ad ſeptimum.

c Nouiſſimè autem omnium, & mulier defuncta eſt.

d In reſurrectione ergo cuius erit de ſeptē vxor?

e Omnes enim habuerunt eam.

f Reſpondēs autem Ieſus, ait illis:

g Erratis neſcientes ſcripturas, neq; virtutem Dei.

h In reſurrectione enim, neq; nubent neq; nubentur.

ſæculo. Neque viri vxores ducent, neq; mulieres nubent viris, neq; parentes filios ſuos aut filias tradent nuptui, neque illic vlla omnino erat cõiugia, vbi nulla erit generatio, quæ eſt coniugij fructus:[a] ſed erunt homines in vita illa noua ſimiles angelis Dei in cęlo. vitam ducẽt cæleſtem & immortalem: propter quòd nulla illic erit opus generatione. In pręſenti enim vita, cõiugia celebrãtur, propter generationem: eſtque generatio neceſſaria propter indiuiduorũ corruptionẽ, vt conſeruetur ſpecies, itẽ & propter ſpeciei multiplicationẽ, quam per generationẽ alterius de altero Deus fieri inſtituit in hominibus, ſicut & in cæteris perfectis animalibus. In reſurrectione autem quando iam erit completus electorũ numerus, & quando non vltra erit indiuiduorũ corruptio (eo quòd immortalĩ vita erũt homines præditi) ſuperflua foret, imò irrationabilis generatio, ac proinde nulla erunt coniugia: quẽadmodum inter angelos nulla ſunt coniugia, eo quòd nulla ipſis cõpetat generatio, quoniam ſpeciei multiplicatione non habẽt opus, qui ab initio in tanto ſunt numero ſimul à Deo creati, in quanto eos eſſe voluit, vitámque omnes ab initio habent immortalem. Sic & virtutem Dei nõ intelligitis, dum reſurrectionem tãquam impoſsibile aliquid reputatis, eo quòd vobis ſecundum naturæ virtutem, & ſecundum naturales rationes ratiocinantibus videatur impoſsibilis, quaſi non ſit potẽs operari Deus quæ ſupra naturam ſunt, quaſi nõ ſint omnia apud Deum poſsibilia, quaſi Deo quicquam ſit difficile vel impoſsibile. [b] Cæterum, quod vos de mortuorum reſurrectione ambigitis, ex ſcripturæ teſtimonio id facile mõſtrari poteſt, cũ apud rubum dominus apparens patri veſtro Moſi, dixit: [c] Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Ex quibus verbis colligitur, non penitus mortuos eſſe Patriarchas iſtos, tam ſecũdum corpus, quàm ſecũdum animam, vt propterea non ſit expectãda eorum reſurrectio, ſed magis ſecundum ſpiritum (qui hominis potior pars eſt) eos viuere apud Deum. [d] Si enim non adhuc viuerẽt illorum ſpiritus, non ſe Deus illorum Deum diceret. Deus enim non dicitur

a ſed erũt ſicut angeli Dei in cælo.

b De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt à Deo, *dicente vobis:*

c Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob?

d Non eſt Deus mortuorum. ſed viuentium.

dicitur eorum quæ nihil ſunt,neque in rerum natura ſubſiſtūt,ſed viuētium & ſubſiſtētium:ſicque Patriarcharum Deus dicitur, quatenus ſecundum ſpiritum apud Deum viuunt, quem & ſuo tempore in corpus ſuū redire faciet,vt eorum fiat reſurrectio. [a] Audientes autē turbæ quòd tam prompta & efficaci reſponſione Sadducæorum diſſoluiſſet tentamenta, inſuper & ſcripturę authoritate quam oppugnabant veritatē ex abundanti confirmaſſet, admirati ſunt de Chriſti prudentia & doctrina,qui vnus tot hominibus iiſque magna(vt habebantur)ſcientia præditis, tā nullo negotio potuiſſet ſatisfacere, imò & cum confuſione à ſe tentantes abigere. [b] Phariſæi verò vbi viderunt Sadducæis à Chriſto pulchrè ſatisfactum, eiſque os obſtructum,vt non haberent vltra quod obiicerent reſponſis ab illo,vel reſponderent propoſitis,conuenerūt iterum ipſi in vnum,vt tractarēt pariter quid eſſent acturi. [c] Procedens autem vnus ex eis, dominum adiit,tentatiuam quæſtionē de mandato magno propoſiturus:quę quæſtio perplexa apud Iudæorum ſapiētes fuiſſe videtur,aliis hoc,aliis illud,pro mādato magno aſsignantibus. Accedénſq; Phariſæus iſte dominum,ait: [d] Magiſter,quod eſt mandatum magnum in lege? Cum tot ſint in lege támque varia mandata, quod ex his omnibus cenſeri debet maximum atque præcipuum omnium? [e] Videns dominus,quòd vtilem & ædificationi opportunam quæſtionem Phariſæus ille propoſuiſſet,exactā diſtinctámque reſponſionem adhibuit quęſtioni propoſitæ,dicens: [f] Hoc eſt mandatum maximum & omnium primum, quod ſubſequitur,ſicut per Moſem in Deuteronomio traditur: Audi Iſraël:Dominus Deus veſter Deus vnus eſt. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,& ex tota mēte tua, & tota fortitudine tua: [g] videlicet ex toto affectu voluntatis, [h] ex toto intellectu & cognitione animæ, [i] ex tota mentis intentione,& ex omnibus corporis animæque viribus. [k] Hoc eſt mandatum omnium primum & maximum,quo maius dari nō poteſt:quoniam quidem totum complectitur quod Deo homo debet, & omnem

hominis

a Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius.

b Phariſæi autem audientes quod ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, conuenerunt in vnum,

c Et interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentans eū:

d Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?

e Ait illi Ieſus,

f Diliges dominum Deum tuū,

g ex toto corde tuo,

h Et in tota anima tua,

i Et in tota mente tua.

k Hoc eſt maximum et primum mandatū.

hominis erga Deum diſpoſitionem tradit:neq; aliud mãdatum eſt,cuius obſeruatio æquè hominem Deo gratum facit,aut cui hominem deceat amplius intẽdere. [a] Quod autem ſecundũ locum habet, ſimile eſt priori, quoniã ſimiliter de dilectione loquitur, hiſq; verbis cõtinetur: [b] Diliges proximum tuum ad formam & exẽplum dilectionis qua teipſum diligis, ita vielicet vt omnẽ hominem quatenus Dei imaginem in ſe gerit, in Deo & propter Deũ diligat illíque bonum æternum ad quod creatus eſt ex bono affectu optet: ſimiliter & bonũ virtutis, quo ad illud bonum fœlicitatis æternæ pertingitur, quomodo ſibi vnuſquiſq; bona eiuſmodi cupit maximè. Item ex bona corporis & fortunæ, quomodo & quantum pro animæ ſalute proximo commoda fuerint, ſic illi optet eadẽ: quemadmodum vnuſquiſque ſibi in iis cupit ſalubriter eſſe prouiſum. Denique vt proximo faciat quicquid fieri velit ſibi, & nihil proximo faciat quod ſibi nolit fieri. Poſt primum iam antè narratum præceptũ, nõ eſt aliud iſto maius. Sũmatim enim cõplectitur, quicquid eſt homini, vt rectè erga proximũ ſe gerat neceſſarium. [c] In duobus his mandatis, tota lex pendet, & pendẽt Prophetæ omnes. Quicunq; enim per multa particularia præcepta exhortationẽſque & comminationes lex docet atque Prophetæ, omnia ſummatim in his duobus præceptis cõtinentur, & ex eis dependẽt atq; eliciuntur omnia, tanquam gemino fonte totius æquitatis, & ex eis ſui vigoris robur accipiunt. Omnia nanque quibus erga Deum inſtruuntur homines, ſummatim in priore mandato continentur: quæcunque verò erga proximum inſtituunt, in poſteriore. [d] Cum itaque tot iam interrogationibus & tentationibus Phariſæorum atque Sadducæorum viciſsim ſibi interrogando ſuccedentium infracto animo reſpondiſſet dominus, ad retundendã ſuperborum elationem, & comprimendum faſtum tumidorum cordium, voluit ipſe quoque quæſtionem proponere ſuis tentatoribus, qua illis os obſtrueret, eóſq; mutos redderet, ac à ſe confuſos dimitteret. Et quo maior eſſet illorum cõfuſio, congregatis pariter

quæſtio

a Secundũ autem ſimile eſt huic.

b Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.

c In duobus his mandatis vniuerſa lex pendet & Propheta.

d Congregatis autẽ Phariſæis interrogauit eos Ieſus dicens:

quæſtionem propoſuit, dicens: [a] Quæ eſt veſtra de Meſsia ſententia, de cuius ille naſcetur ſemine, & cu ius erit filius? [b] Illi reſpondēt, De ſemine Dauid prędi cunt ſcripturę illũ naſciturũ, & Dauidis fore filiũ, ſu- per cuius ſedebit ſolium, & cuius inſtaurabit regnũ. [c] Quorum reſponſioni tentando ita obiicit dominus: [d] Si filius Dauid eſt Meſsias quomodo ergo ſpiritu il luſtratus Prophetico Dauid, illum appellat ſuum do- minum? [e] Sic enim in Pſalmo 109. loquentem in ſpiri- tu de Meſsia legimus, Dixit dominus pater domino meo Meſsię filio ſuo, ſede à dextris meis, accipe mecũ æqualitatem gloriæ & poteſtatis, [f] ac in potioribus meis bonis inæternum conquieſce. Futurumque eſt tandē ſuo temporę, vt ſubigam tibi omnes inimicos tuos ſubiectione perfectiſsima atque nouiſsima ſiue humillima, quēadmodũ ſcabellũ ſubiicitur pedibus calcantis illud, qui ipſum valet verſare atque reuerſa re pro libito. [g] Cum ergo Dauid in hoc verbo ſecun- dum ſpiritũ loquens Propheticũ, Meſsiam appellet ſuum dominum, ęquè atq; Deum patrem, eodem ho- noris vocabulo vtrunque indiſtinctè nominans, cum ait: Dixit dominus domino meo, quomodo cum hoc ſimul ſtare poteſt, vt Dauid ſit Meſsiæ pater? Si enim pater eſt Dauid Meſsię, cōſequens videtur, quod Da uid Meſsiam non debet appellare ſuum dominum, ſed magis ė contrario, Meſsias Dauidem debebit no minare patrē & dominum. Sic enim filij regum pa- tres ſuos reuerentię cauſa etiam dominos appellare ſolent, vel ſimpliciter, vel patris addito vocabulo: non ſic autem patres ſuos filios appellant ſuos dominos. Videmini ergo nō plenam dediſſe reſponſionem, cũ interrogati cuius Meſsias ſit filius, dixiſtis, Dauidis: quaſi purus homo ſit Meſsias, & non ſimul etiã Deus ac Dei filius. Hac ſi quidem via, obiectionem iſtã ex Pſalmo excluſiſſetis, ſi reſpondiſſetis, & Dauidis ſecũ- dum humanitatem, & Dei patris ſecundum diuinita tem illum eſſe filium. [h] Nemo autem ex Phariſæis o- mnibus huic obiectioni reſpondere quicquã potuit, quoniam illam Meſsiæ diuinitatem & nobiliorem ex patre generationē ignorabant, & vt purum homi-

a Quid vobis vi detur de Chriſto, cuius filius eſt?

b Dicunt ei, Dauid.

b Ait illis;

d Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominũ, dicens:

e Dixit dominus domino meo ſede à dextris meis.

f Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedũ tuorum.

g Si ergo Dauid vocat eum dominum, quomodo filius eius eſt:

h Et nemo poterat reſpondere ei verbum, neq; auſus fuit quiſquã ex illa die eum amplius interrogare.

nem cum temporali regno aduenturum expectabāt. Et cum iam toties ipſi victi eſſent atque confuſi, tandem præ verecundia ſilere cō pulſi ſunt, non audentes amplius quicquam eum interrogare in illo die, quoniam plus ſatis confuſionis & erubeſcentiæ retluerant. Toties enim repulſi & confuſi, deſperabant poſſe ſe quicquam efficere, & confuſionem maiorem metuebant. Propter quod, ſuadente eadē ſuperbia & inuidia, qua prius dominum aggreſsi fuerant, cauſa minuendi gloriam eius eumque calumniandi ac ſe oſtentandi, nunc tacere & abſcedere malunt: ne Chriſti gloria amplius creſceret, néve ad propriæ confuſionis cumulum adderēt. Viderant enim, ſuum omnem malitioſum conatum in illuſtrationem gloriæ Chriſti & propriam ignominiam cædere.

Parabolæ de nuptijs regijs latior explicatio.

REx eſt Deus pater, filius verbum patris. Huic filio nuptias fecit pater, quando in plenitudine temporis verbum fieri carnē voluit, & cum humana natura diuinam coniungere in vnitatem ſuppoſiti, ſicque humanato & incarnato verbo Eccleſiam ſanctam in ſponſam copulare. Geminæ ſiquidem in vnis videntur nuptiæ. Nam & inter naturas duas Diuinam atque humanam nuptialis quædam coniunctio facta eſt, quando in vnitatem ſuppoſiti conuenerunt, vt eſſet homo Deus, & Deus homo: ac deinde inter Chriſtum Dei filiū vt ſponſum ex parte vna: & Eccleſiam vt ſponſam dilectam ex parte altera: propter quam ſibi deſponſandam fœdereque coniugali copulandam de ſummis cælorum ad hæc noſtra deſcendit infima. Inuitati ad has nuptias populus erant Iudæorum, qui quoniam promiſſionem acceperant de Chriſto in mundum venturo, & ſalute ac bonis omnibus per eum præſtandis, hac ratione ab initio quaſi inuitati habentur ad nuptias. Inuitati autem hi fuerant multo ante quàm exhiberentur nuptiæ, quemadmodum ſolet fieri inuitatio conuiuarum antequam paratum ſit nuptiale prandium, quoniam multo ante Chriſti aduentum in mundum Iudæorum populus promiſsionē de Chriſto & afferendis mundo per eum bonis acceperāt. Miſit rex ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, quoniam per Prophetas ſuos Deus populum Iudaicum (qui olim in Patriarchis repromiſsiones acceperant) non deſiit exhortari ad dignè ſe præparandum in aduentum ſponſi, vt digni eſſent venturis nuptiis, earumque fructum in ſe ſuſcipere. Prophetarum nanque exhortationibus & commina-

tio-

tionibus populus ille in aduentũ parabatur venturi Meſsiæ. Venire nolebant inuitati, quia populus ille ſemper inobediens fuit voci domini, & monitionibus Prophetarum noluit acquieſcere, vt nuptiis ad quas inuitati fuerant digni fierent. Iterum mittit alios ſeruos rex longanimis hisq; verba dicit quę annuntient videlicet iam eſſe paratas nuptias & parata omnia, tantum expectari cõuiuas: quãdo poſt Prophetas priores in plenitudine temporis mittit Apoſtolos, quibus iuſsit prędicare regnum Dei, ſub hac forma: *Impletum eſt tempus, appropinquauit regnum cælorum, pœnitemini & credite Euãgelio.* Priores illi ſerui non iſta annuntiant, quoniam Prophetę non ſic adeſſe regnum cælorum prædicabant, ſed tantum venturum eſſe prænuntiabant. Quod dicit, *prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa ſunt, venite ad nuptias*, tantundem eſt acſi dicat: Iam venit plenitudo temporis, iam exhibui quod multo ante promiſi, iam filius meus nuptias celebrauit, in carnem venit: proponitur vobis apparatum prandiũ, abundantia videlicet bonorum ſpiritualium in tempore gratiæ de plenitudine Chriſti effluentium, & ſatietas perfecta fœlicitatis æternæ, cuius participes eſſe poſſunt quicunque vocantibus ſeruis, id eſt. Apoſtolis, per fidem & obedientiam ad nuptias venire voluerint, *Omnia iam parata ſunt*, non eſt quur moretur quiſquam, nihil niſi expectantur conuiuæ. Olim inuitati cum multis ſuſpiriis expectabant tempus nuptiarum. Nunc paratis nuptiis expectantur conuiuę, quoniam olim patres tantum auditis repromiſsionibus vehemẽti deſiderio ad earũ impletionem anhelabãt. Nunc autẽ vbi impletæ ſunt. faſtidiunt Iudæi. Quid nuntiant ſerui ex ore domini, *nuptiæ paratæ ſunt, & omnia parata*, ipſum eſt quod prædicant Apoſtoli: *Impletum eſt tempus appropinquauit regnum cælorum.* Quod addunt, *venite ad nuptias*, illud eſt: *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio.* Negligunt inuitati & venire recuſant, quoniam Iudæi prædicantibus Apoſtolis noluerunt credere Euangelio, non fuerunt allecti ſpe propoſitæ cæleſtis dulcedinis. Abeunt vnus in villam, alius ad negotiationẽ, quoniam temporalibus & terrenis rebus nimium inhærentes, contempſerunt æterna atq; cęleſtia, oculos habentes defixos in promiſsiones tẽporales, cęleſtia promiſſa nihil fecerunt. Non ſolum autẽ non obedierunt vocantibus ſeruis, ſed in eos etiam inſurgentes iniuriis, cõtumeliis, & morte affecerunt eos: quia Chriſti Apoſtolos ad mortẽ vſq; perſequi nõ deſierũt Iudęi, plures ex eis occidẽtes & interficiẽtes. Rex his auditis, ſeruos miſit ad vltionẽ, quoniam videns Deus obſtinatos Iudæos nolle obedire Euãgelio, inſup & ſeruos ſuos ab illis perſequutionem pati, quomodo & filium occiderant, Romanorum exercitũ,

ad illos interficiẽdos miſit,& eorum ciuitatem incendio perdendã in vltionem ſceleris.Illis digna punitione peremptis,ſerui emittuntur ad nouos quęrendos conuiuas,qui inuitati non fuerant, quoniã Iudæis indignos ſe reddentibus ad obtinendas patrũ promiſsiones per infidelitatẽ & inobedientiam,iuſsit dominus cõuerti diſcipulos ſuos,& tranſire ad populos gentiũ,qui nullam ante promiſsionẽ acceperant de Meſsia vel bonis cæleſtibus,ſicq; inuitati nunquam fuerant.Iſtos verò in illorũ locum ſubſtituit vt promiſsionẽ acciperent factam patribus, eſtque illorum incredulitas facta occaſio cõuerſionis iſtorũ.Ad exitus viarum ire iubentur ſerui qui prius tantũ ad inuitatos ire iuſsi fuerant,quoniã Apoſtoli quibus prius miſsis ad prædicandũ pręcipiebatur non abire in viam gentiũ,neq; in ciuitates introire Samaritanorũ,ſed tantũ ad oues domus Iſraël,iidem poſtea iubentur exire in mundum vniuerſum,& Euangelium pṛdicare omni creaturæ.In exitibus autem viarum inueniuntur vocandi in locum Iudęorũ,quoniam vagabantur gentiles in variis erroribus atq; peccatis vagi & inſtabiles in omnibus viis ſuis à veritate,& à Deo alieni.Exeunt ad iuſsionẽ domini in exitus viarũ ſerui,illicq; vocãt quotquot inueniunt ad nuptias,quando in omnem terram domino mittente exiuit Apoſtolorũ ſonus pṛdicationis,& in fines orbis terræ verba eorũ.Abſq; diſcretione iubet dominus vocari quicunq; inuenti fuerint,& ſic abſq; diſcretione ſerui vocant quoſcunq; inueniunt,quoniam nõ eſt perſonarũ acceptor Deus,ſed in omni gente & populo qui timet Deum,hic acceptus eſt illi,neminẽ reſpuit quãtumuis ex ſe pauperem,quantumuis etiam fuerit malus,omnes pœnitentiam volentes agere,& Euangelio credere obuiis vlnis ęxcipiẽs. Ex his autẽ ita promiſcuè congregatis nuptiæ implete ſunt,domus nuptialis eſt impleta,quoniam Apoſtolica prædicatione intra Eccleſiam congregata eſt ex gentibus turba magna quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gẽtibus,tribubus,linguis & populis,qui omnes intra vnã Eccleſiam(quę eſt nuptialis domus Dei) in vna fide & vna ſpe vocationis congregati & coadunati ſunt. Non obfuit nuptiarũ celebritati,quod illi inuitati venire recuſauerint neq; ob hoc pauciores interfuerũt paratis nuptiis,imò plures illis prioribus poſt illorũ abnegationẽ ſunt ingreſsi ad nuptias:quoniã propter Iudęorũ incredulitatem nõ minus impletæ ſunt promiſsiones Dei,neq; ideo nulli fructũ aduentus Chriſti ſunt conſequuti,quia Iudæi eũ auerſati ſunt,imò paucis Iudæis oblatas Euangelicas promiſsiones repellentibus,ingens gentium numerus factus eſt earũ particeps,eſtq; ex eis impletus electorũ numerus.Hucuſq; parabola ꝓpoſito ſeruit,de

Iudæo-

Iudæorum abiectione & electione gentium. Quod autem adiicitur, demonſtrat non omnes qui intra Eccleſiam vocati ſunt, ad nuptias electos eſſe ad perfruendum nuptialibus deliciis, quoniam diſcernit Deus qui digni ſint ad eas admitti, qui reprobati. Significatur hoc, in eo quod rex deſcribitur ingreſſus ad videndum diſcumbentes, Cõſiderat enim Deus merita eorum qui intra Eccleſiam vocati ſunt, & fideles habentur. Videt num veſtem nuptialem habeant diſcumbẽtes in nuptiis. Expendit num vitam vocatione dignam geramus, nũ dignè ambulemus vocatione qua vocati ſumus. Vita ſiquidẽ Chriſtiano homine digna, qualem exigit Chriſti fides, veſtis nuptialis eſt, de qua Apoſtolus dicit: *Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſic vt in die honeſtè ambulemus.* Et alibi huius veſtimẽti meminit, cum dicit, *Si tamen veſtiti & non nudi inueniamur.* Veſtimẽta enim ſordida & pannos viles, id eſt, opera mala, vult Deus nos abiicere, qui in Eccleſia ſpiritualibus bonis perfrui cupimus, & pro eis nuptialem veſtem, id eſt, vitam & conuerſationẽ bonam aſſumere. Videt dominus in nuptiis ſuis diſcumbẽtem vnũ qui nõ habebat nuptialem veſtem, quoniam non omnes intra Eccleſiam vitam aut conuerſationem habent Chriſtianiſmi profeſſione dignam, ſed multi cũ ore confiteantur ſe noſſe Deũ, factis negant, & cũ dicant ſe Chriſtianos eſſe, tamen Chriſtiani non ſunt, ſed carnales atque mundani, qui veſtimenta illa candida quæ in baptiſmo acceperũt commaculauerunt, ſemel abiurata peccata reſumentes, ſicq; in impœnitentia vitam degẽtes, quorum conuerſatio non in cælis eſt, ſed in carne & mundo. Hi ſanè veſtem nuptiis dignam non habent, quia vitam Chriſtianiſmo quem profitentur dignam non viuunt. Ad menſam tamen nuptialem cum aliis diſcumbunt nuptiali veſte pulchrè ornatis, quoniã iiſdem ſacramentis & externis omnibus bonis quæ in Eccleſia ſunt ex munificẽtia Chriſti vtũtur, & in externis vidẽtur aſsimilari cęteris ſola diſcreti deformitate, & difformitate habitus, id eſt, ſola vita differentes. Quod autem vnum dicit inuentũ eſſe talem, mirũ eſt, cum velit hac parabola concludere dominus paucos eſſe electos ex multis vocatis. Forſitan igitur ob hoc vnũ dixit, vt inſinuetur nobis diligẽs Dei cõſideratio ad vitam & merita fideliũ. Qui enim in tanto numero vnũ videre potuit, cuius aſpectũ ne vnus quidem in tanta turba latere potuit, hunc admodum exactè ſingulos perſpexiſſe neceſſe eſt. Alioqui ſub tantorum ornatu vnius facile potuiſſet cælari deformitas. Cũ ergo dicit vnum eſſe deprehẽſum in tanta turba, indicatur nobis ſecurum debere eſſe neminem, neque cuiquam ſpem eſſe debere in aliorum meritis, aut in eis ſe poſſe effugere iudicium, ſi non profeſsione

ſua vitam dignam ducat. Et notandum quod veſte nuptiali carẽs homo iſte non ingredientem regem præuenit ſupplicando, ſed donec ab eo palàm arguatur, ſilet & diſsimulat. Si enim prior ipſe ſuã agnoſcẽs turpitudinem prçueniſſet in confeſsione regem, petiſſetq; ſup inhonoratione nuptiarum veniam, & nuptialem veſtem ſibi reſtitui petiſſet, inueniſſet vtique gratiam. Nunc autẽ vbi dominũ præſentem videt, neque tamẽ quicquam loquitur aut ſupplicat, merito deprehenſus pœnas luit. Hoc videlicet ſignificatur, qđ peccator ſi prior ipſe dicat iniquitates ſuas iuxta conſiliũ Propheticum, ſi peccatum ſuum agnoſcat & confiteatur priuſquam cum eo dominus cotendat in iudicio, inueniet miſericordiam, quemadmodũ verbum indicat Prophetæ. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiã meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Si verò in præſenti tempore peccator ſileat à confeſsione, in impenitẽtia ſua perdurans, vſq; dum veniat dominus in hora mortis, quando cum eo contendet & expoſtulabit in iudicio, nõ erit tũc veniç locus, nõ erit excuſatio neq; vlla redẽptio. Tunc acriter increpabit dominus eum quẽ ſic deprehenderit, quod nuptias ingreſſus abſque veſte nuptiali deprehenſus fuerit, quoniã hoc peccatori Chriſtiano ad damnationẽ improperabitur, quod in Eccleſia vitã profeſsione Chriſtiana dignam nõ duxerit. Quod autẽ amicũ vocat dominus eum quẽ paulo poſt ſeuera ſententia eiiciet è nuptiis, fidei datur & profeſsioni: vt indicet dominus nõ ex odio ſed ex iuſtitia procedere increpationẽ & condemnationẽ. Obmuteſcit deprehenſus, quoniã non habebunt in die iudicij impij rationabilẽ excuſationem qua ſe valeant defendere. Videbunt enim ſe deprehẽſos iuſto Dei iudicio. Vel increpat dominus eũ quẽ inuenit ſine nuptiali veſte, quoties peccatorẽ vel interna viſitatione interius vel exterius quomodocunq; increpat, vt ad pœnitentiã adducat. Qui ſi obmuteſcat, obſurdeſcatq; ad increpationes Dei, proferetur in ipſum dãnationis ſententia. Manus quoq; & pedes ligãtur ei qui in ſuppliciũ mittitur, vt ſignificetur ꝙ in inferno nulla eſt redẽptio, quodq; inde nõ poterunt inçternũ effugere: quẽadmodũ cum alicui in aqua ſubmergẽdo manus & pedes ligantur, fit hoc ne enatare poſsit, ac mortem euadere. Significatur prçterea, quod in inferno exiſtentes nihil vltra boni operis facere poſsint, quo Deũ ſemel iratũ placare valeant, vt educantur de tenebris, ſed perpetuò illic permanebũt ſub ira eius abſq; ſpe redeũdi in gratiã. Qui enim manus & pedes habet ligatos, nihil poteſt operis vtilis facere. Rectè autẽ illi manus & pedes ne vltra operetur, qui donec tẽpus eſſet, operandi operari renuit. Porrò quod miniſtris rex dicit, *Ligatis manibus & pedibus proiicite eum,*

eum,ſignat angelos vel bonos vel malos diuinę iuſtitiæ fore exequutores. Vnde & alibi dicitur tradẽdus reus exactoribus ſiue tortoribus, & ſeruus ille qui accepta miſericordia à domino, noluit miſereri conſerui,traditus fuiſſe deſcribitur tortoribus quoadusque redderet vniuerſum debitum. Illic tenebræ erunt exteriores, quoniam in inferno tenebræ denſiſsimæ erunt & ſummè afflictiuæ, nec vlla lux eis lucebit in ſolatium. Illic fletus erit & ſtridor dentiũ,id eſt,tormenta inæſtimabilia,quæ indicant fletus & ſtridor dentium, ex dolore nimio procedentes.Magni enim doloris maximè ſpiritualis eſt indicium fletus; & magni cruciatus in corpore eſt indicium ſtridor dentium. Vel fletus ad dolorem pertinet, ſtridor dentium ad indignationem.Nam ſolent vehementer indignantes ſtridere dentibus. Erit autem in damnatis non ſolũ dolor maximus, ſed pariter etiam indignatio & ira maxima aduerſus ſemetipſos potiſsimum, quæ ex eo orietur quod ſe videbunt, ſua propria culpa bona infinita perdidiſſe quæ conſequi potuerant, & ex aduerſo infinita mala inueniſſe, quæ euadere potuerant. Huius itaque exemplo prudẽs quiſque præmonitus non ſatis eſſe ſibi putet quòd fidem habeat ſine operibus, quòd ad vitam vocatus ſit, & vocatus venerit viuens in eccleſia, ſed (iuxta Pauli monita) prouideat vnuſquiſque dignè ambulare vocatione qua illum dignatus eſt dominus, opera tenebrarum abiiciendo & induendo arma lucis,ſatagàtq;(iuxta Petri conſilium)per opera bona certam facere ſuam vocationem.

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

T*Auri mei & altilia mea occiſa ſunt & omnia parata.*) Altilia dicũtur Græcè σιτιςὰ ſitiſta,id eſt,ſaginata. Nam ad ſolennia conuiuia celebranda,ſolent ſaginari ſiue accuratius ali diuerſorum generum animantia, tum greſsibilia, tum volatilia,quod ſit animalium, bene ſaginatorũ caro delicatior. Quidam autẽ per tauros & altilia occiſa ſpiritualiter intelligunt,præmiſſas ante Chriſti Prophetarum mortes. Nos nihil aliud hac loquẽdi forma ſignificari indicauimus, niſi quod ſtatim ſequitur: *Parata ſunt omnia, venite ad nuptias.* Cum enim eò vẽtum fuerit vt ea quæ ad feſtum aliquod ſaginata ſunt interfecta fuerint,iam nõ poteſt differri ſolennitas, neq; niſi expectantur conuiuæ. ¶*Illi autem neglexerunt.*) Negligentia iſta ſignificat incuriam & contemptum,atque ita ſonat vocabulum Græcum ἀμελήσαντες amelifantes:id eſt,non eis curæ fuit,non tanti fecerũt nuptias vt venire vellent. *Alius in villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam.*

In villam,id eſt,in agrũ, quomodo Græcè legitur, *εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν* id eſt,in proprium agrum. Per negotiationem verò intelligitur ipſa occupatio vendendi vel emendi. Vel intelligi poteſt,ipſum quod negotiando ſibi comparauit. Quæ acceptio illi ſetuiet qui voluerit hũc Matthæi locum cum illo concordare, quod eſt Lucæ 14. *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* Eritque hoc pacto ſenſus ad negotiationem videndam: id eſt, ad videndum illud quod negotiando ſibi comparauerat. ¶*Bonos pariter & malos.*) Hoc modo loquendi videtur generaliter ſignificari quęcunque conditionum diſtinctio,id eſt, diuites & pauperes,nobiles & ignobiles,ſanos & infirmos,& qualeſcunque tandem fuerint. ¶*Impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.*) Vſitatius per ablatiuum diceretur: *Impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentibus.* Antique tamen per genitiuum fit eloquutio; quomodo adiectiua plenitudinem ſignificantia regunt indifferenter genitiuum vel ablatiuũ, vt plenus viui aut vino. Sed & apud Vergilium genitiuũ verbo plenitudinem ſignificanti additũ legimus,cum ait: Implentur veteris bacchi: id eſt, vino veteri. ¶*Vt caperent eum in ſermone.*) Capere intelligitur ad modum animalis quod capitur laqueo. Vnde in Græco verbũ eſt à laqueo deſcendens *παγιδεύσωσιν* pagideſſoſin: id eſt, illaquearét vel laqueo caperent. ¶*Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis.* Herodianos vulgò accipiunt & exponunt, Herodis milites, vt milites Herodis intelligantur cõiuncti fuiſſe Phariſæorum diſcipulis. Quorundam tamen ſententia eſt ſatis veriſimilis per Herodianos ſignificari peculiaré quandam ſectam, quæ oppoſita fuerit ſectæ Iudæ Galilæi; cuius capite quinto Apoſtolicorum actuum métionem facit Gamaliel. Hic enim Iudas in diebus deſcriptionis ſiue profeſsionis Iudæorum, quando exiit ædictum à Cæſare, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, & ire præcipiebatur vnuſquiſq; ad ciuitatem ſuam profeſsionis gratia (quéadmodũ Lucas meminit) hæreſim ſuſcitauit ſeditioſam, contendens nequaquam licere Iudæis deſcriptionem eiuſmodi profeſsionémque ſuſcipere, nec alium debere agnoſcere dominũ præter Deum cæli, ac proinde tributũ vel cenſum non licere ipſis ſoluere Cæſari. Huic hæreſi Herodiani videntur fuiſſe contrarij, dicentes omnino iuſtũ eſſe temporalibus dominis ſubiectos permanere, eiſq; tributa pendere, neq; id libertati veræ aduerſari. Nomen autem ſortiti ſunt ab Herode, vel quod ipſius penè tempore orta ſit hæc ſecta, vel quia Herodis partibus fauebat, qui à Romanis conſtitutus fuerat rex alienigena, quemadmodum ei manifeſtè aduerſabatur illa contraria Iudæ Galilęi hæreſis. Simul etiam quia Herodes ſectam iſtam vtpote ſibi fauentem fouebat, vt ſolent principes libenter illas

foue

fouere ſectas qui ſibi fauent & placentia aſſerunt,ſoléntque viciſsim ſectarum authores magnatum fauores exquirere defenſionis gratia, adque eorum captandum fauorem loqui placentia. Dicunt autem iſtos Herodianos ſub Sadducæis contineri in omnibus penè cũ Sadducæis conſentiẽtes,ſed illam de tributi perſolutione ſentẽtiam defendendam ſibi ſuperadiicientes,& alia nõnulla huiuſmodi.Eſſe autem ſentẽtiam iſtam admodum probabilem , vel vnicũ illud probat quod pro illo verbo domini apud Matthæum quo diſcipulos monet, dicens: *Attendite vobis à fermento Phariſæorum & Sadducæorum.* Marcus ponat: *Cauete à fermento Phariſæorum & Herodis:* vbi fermentum Herodis poſitũ videtur,pro fermẽto Herodianorũ , quemadmodum Græca quædam exemplaria expreſſe habere cernimus,ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν ἡρῳδιανῶν,id eſt , à fermẽto Herodianorum. Vnde videtur apud Marcum idem eſſe fermentũ Phariſæorum & Herodianorũ,vel Herodis,quod apud Matthæum fermẽtum Phariſæorum & Sadducæorum,cũ ſit vnũ idẽmq; domini verbũ eodem prolatũ tempore quod ponit vterque.Et vt hoc in loco quem tractamus forſitàn non omninò malè poſsint accipi Herodi miniſtri Herodianorũ nomine , illic tamen non eſt veriſimile mentionem facere velle dominum de fermento militum Herodis. Quæ enim hæc foret cõiunctio miniſtrorum Herodis cũ Phariſæis? Videtur quoque magis intẽtioni Phariſæorum accommodum,vt homines ſectæ alicuius fuerint iſti Herodiani quàm Herodis milites. Quomodo enim nõ ſtatim agnouiſſet dominus parari ſibi malũ, ſi vidiſſet ad ſe veniẽtes regis milites cauſa interrogandi ſolutionẽ ſeditioſæ quæſtionis?Deniq; facile cõcordari poteſt omnis diuerſitas,ſi etiam ipſi Herodis miniſtri dicãtur tales fuiſſe ſectæ quam ponimus.Solent enim illi ſectæ adhærere miniſtri cui ſciunt fauere ſuos dominos. ¶ *Non enim reſpicis perſonam hominum.*) Græca dictio πρόσωπον proſopon ſignificat indifferenter faciem vel perſonam.Vnde verti poteſt, Non reſpicis faciẽ hominum vel perſonam hominum,& eadem vtrobiq; ſentẽtia eſt.Eſt autem in faciem ſiue perſonam reſpicere,cõſiderare externum aliquid, illiuſque reſpectu aliquid agere vel dicere. Quemadmodũ iudex dicitur reſpicere faciem vel perſonam , quando cõſiderat externum aliquid quod cauſæ ſit extraneum,vtpote diuitias,nobilitatem,pulchritudinem,cognationem,munera , vel huiuſmodi quippiam atq; ex illius reſpectu aliter iudicat quàm ſecundum veritatẽ ipſa ex ſe cauſa poſtulat.Sic doctor dicitur faciem ſiue perſonam reſpicere,quãdo propter alicuius rei externæ cõſiderationem omittit dicere quæ veritas & conſcientia dici poſtulant , vel aliter docet quàm illa exigant.

¶*Erant autem apud nos ſeptem fratres.*) Potuit iſtud ſecũdum veritatem apud illos contigiſſe, & tanquã rem ita factam intelligi poſſunt propoſuiſſe. Vel tanquam hypotheſis ſuppoſitióque & caſus poſsibilis ſupponitur, cum nõ dubium ſit tale quid poſſe contingere. Sic enim ſolent diſputantes quæ poſsibiliter euenire poſſunt (quæ vulgò caſus nominãt) tanquam res geſtas ſubinde proponere diſputationis gratia. Poſito nanq; poſsibili (vt eſt dialecticorum maxima) nullum ſequitur inconueniens. ¶ *In reſurrectione ergo cuius erit de ſeptem vxor?*) Hic manifeſtum eſt, argumentari Sadducæos ex falſo præſuppoſito. Interrogantes enim cuius erit vxor, euidenter ſe mõſtrãt præſupponere, q̃ alicuius in reſurrectione eſſet futura vxor, ſicq; in illa reſurrectione eſſe futuras nuptias & coniugia, ad eum modũ quo in vita præſenti, quod vanum falſumque eſſe demonſtrat Saluator: *Erratis* (inquiens) *neſcientes ſcripturas neq; virtutẽ Dei.* ¶ *In reſurrectione enim neque nubent neq; nubentur.*) Cogitur interpres Latinus ſubinde his vocabulis impropriè vti propter defectũ propriorum vocabulorũ. Nubere enim, licet propriè tantũ mulieribus cõueniat reſpectu virorũ, generaliter tamen hîc accipitur, vt & viris & mulieribus cõueniat. Valet enim nubere in propoſito matrimoniũ contrahere, aut nuptui coniungi, quorum vtrunq; viris & mulieribus cõmune eſt. Pro verbo autem nubentur, in Græco eſt ἐκγαμίσονται ecgamiſontæ, quod ſignificat matrimonio iungi, vel elocari nuptum, tradíque nuptiis. Et conuenit liberis reſpectu parentũ. Nubuntur enim à parẽtibus liberi, quando eos nuptũ elocant, aut nuptui tradunt. Atque ita manifeſtum eſt verbum, nubentur, ſecundum ſignificationẽ non eſſe paſſiuum verbi nubent, in ea ſignificatione in qua hîc præmittitur, cum dicitur: *Neque nubent neq; nubentur.* Habet enim hîc neutralem non actiuam ſignificationem. Nam ſecundum actiuam ſignificationem diceremus parentes nubere ſuas proles, id eſt, nuptui tradere. Huius autem verbi paſsiui quo hîc Euangeliſta vtitur, Paulus ponit actiuũ participium cap. 7. prioris Epiſtolæ ad Corinthios cum dicitur, *Igitur qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.* Vbi loco illius, *qui matrimonio iungit*, Græcè legitur participium ἐκγαμίζων ecgamizon, id eſt, nubens actiuè, hoc eſt, matrimonio iungens, &c. Eſt itaque præſentis loci ſenſus: In reſurrectione neque matrimonia contrahent, neque tradentur nuptui. ¶ *Erunt ſicut angeli Dei in cælo.*) Particula, in cælo, iungi poteſt cum angelis, vel cum verbo erunt. Secundum priorem connexionem ſenſus eſt: Erunt ſicut angeli Dei qui in cælo ſunt. Secundum poſteriorem: Erunt in cælo ſicut angeli Dei. ¶ *Non legiſtis quod dictum eſt, à*

Deo

Deo, dicente vobis.) Intelligi debet: Dicente ad Moſem, ac per eum vobis omnibus: quoniam Moſi loquebatur pro omnibus, & hoc Moſi mandauit dominus, vt eadem narratioue cœtui filiorum Iſraël quæ prius ex ore domini audierat. Clarius id ponit Marcus his verbis: *De mortuis autem quod reſurgant non legiſtis in libro Moſi, ſuper rubum quomodo dixerit illi Deus, Ego ſum Deus Abraham, &c.*

ELVCIDATIO CAP. XXIII.

IN illo tempore volens dominus Ieſus Scribarum & Phariſæorũ obſtinatam malitia pro ſuo meritò traducere: (tũ pro ipſorum vtilitate ſpirituali, ſi forte vel acrimonia talis correptionis & publicæ confuſionis quadam ignominia reſipiſcerent, qui oleo ſuauioris inſtructionis & blãdæ exhortationis nolebant emolliri: tum pro vtilitate audientium, vt pręmoniti ſibi cauerẽt diligentius ab illorum malitia, tũ etiam in exemplum prælatis Eccleſiarum, vt diſcant quomodo perſiſtentes in ſua malitia obduratos debeãt coram omnibus arguere, ad aliorum cautelam & præſeruationem, neque cuiuſcunque quantumuis potentes aut honorati vultum reuereri) dixit ad turbas & diſcipulos ſuos: [b] In locum Moſi legislatoris ſucceſſerunt vobis Scribæ atq; Phariſæi, quorum eſt officium, legem per Moſem olim latam populo prælegere, & exponere, atque hoc modo ſedent iam ipſi in cathedra Moſi, quatenus illius ſunt in officio docendi & gubernandi populum ſucceſſores. [c] Propter hoc, nõ prorſus contemnendi ſunt, neque in totum ſpernẽdi, imo quæcunque vos docuerint legi & legis æquitati cõſona, ſtudete obſeruare, ac iuxta doctrinam illam viuere. [d] Cæterum, quod ad eorum vitã, mores & opera attinet, nolite imitari eos: quonia bene docentes, malè viuunt. [e] Non enim reſpõdet vita verbis, cũ aliter ipſi viuant quàm viuendũ doceãt. Ita vos moneo, pretioſum à vili prudenter diſtinguere, & aſſumpto eo quod vtile eſt noxia refutare. [f] Imponunt autem ſimplicibus turbis multa grauia & ſeruatu difficilia legis omnia præcepta rigidiſsimè interpretantes, inſuper & alia multa ex ſeipſis ſuperad

Tunc Ieſus loquutus eſt ad turbas et ad diſcipulos ſuos dicens:

b Super cathedram Moſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.

b Omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite.

d Secũdum opera verò eorum nolite facere.

e Dicunt enim, & non faciunt.

f Alligãt autẽ onera grauia et importabilia, et imponũt in humeros hominũ,

peradiiciẽtes,quæ admodum rigidè à populo obſeruari exigunt:[a] cum ipſi interim ne digitum quidẽ velint huiuſmodi oneribus admouere, id eſt, ne minimam quidẽ diligentiam impendere illis obſeruandis quæ præcipiunt aliis.[b] Quòd ſi quis dixerit, Scribas & Phariſæos videri legis obſeruatores valdè integros ac multa admodũ bona opera facere: vtpote ieiunare, & orare, eleemoſynam facere, aliáque huiuſmodi, ſciendũ eſt, omnia eorũ opera pro nihilo apud Deum computari, eo quòd nõ recta intentione ea faciant, non quærentes in his placere Deo, ſed apud homines glorioſi videri. Nullis autem operibus ſecundũ veritatem lex Dei impletur, talibus quæ non ad Dei gloriam, ſed ad oſtentationem fiunt, ad complacendum hominibus.[c] Quod autem hominum gloriam quærant manifeſtum eſt indicium in philacteriis & fimbriis ipſorum. Nam philacteria ſua, id eſt, cõſeruatoria legis (membranas videlicet, in quibus deſcriptum cõtinebatur magnum legis mandatum) faciunt inſigniter lata & magna, ſupra vulgus hominum:[d] ſimiliter & fimbrias (quas ex præſcripto legis facere ſibi debebant filij Iſraël per quatuor angulos palliorum) inſigniter magnas faciũt plus quàm cæteri hominũ, vt harum rerum externarum ſpeciali oſtẽtatione inſigniter quoq; ſancti videantur hominibus.[e] Amant inſuper & affectant loca digniora, tum in mẽſis, tum in Synagogis cũ magno ambitionis & inanis gloriæ affectu quærunt ſedere in locis dignioribus, in magnificis cœnis & prandiis,[f] item & in Synagogis, vbi à plurimis valent in ſua præeminentia conſpici.[g] Ad idẽ pertinet, quod in locis publicis, & vbi multus eſt hominum cõfluxus (cuiuſmodi eſt maxime forum) amãt ab hominibus ſalutationes accipere cũ reuerẽtia, vt ſolẽt maiores & præcipui ab inferioribus multa veneratione ſalutari,[h] & ab hominibus gaudent vocari magiſtri, titulos ſplẽdidos ſibi gaudent dari ab hominibus. In his atq; aliis huiuſmodi illis mirificè ſibi placent, hæc cum affectu præcipuo requirunt, huc tẽdit omnis eorum exterius ſimulata hypocriſis.[i] Vos verò his in rebus nequaquam illis aſsimulari volo glo

a digito autem ſuo nolunt ea mouere.

b Omnia verò opera ſua faciũt vt videantur ab hominibus.

c Dilatãt enim philacteria ſua,

d & magnificant fimbrias.

e Amãt autẽ primos recubitus in cœnis,

f & primas cathedras in Synagogis,

g & ſalutationes in foro,

h & vocari ab hominibus rabbi.

i Vos autem nolite vocari rabbi.

lo glorioſis & ambitioſis hominibus.Vnde vobis pro hibeo,ne affectetis nominari huiuſmodi ſuperbis atque pōpoſis titulis,vt velitis appellari ab hominibus magiſtri,aut cōſimilibus huiuſmodi honorificis appellationibus oblectemini. [a] Secundum veritatem nāque,vnicus eſt magiſter omnium Deus, à quo originaliter & primario omnis veritas procedit, fitque nota hominibus:ſiue quantum ad ea quæ per lumen naturale diſcit homo, ſiue quantum ad ea de quibus per gratuitam ſpiritus eruditionē inſtruitur.[b]Omnes autē vos adinuicem fratres eſtis,& diſcipuli vnius patris atque præceptoris. Quare non debetis ambitioſa affectioue alter ab altero requirere honorem & gloriā,ſed humiliter in charitate & manſuetudine adinuicem, vt condiſcipulos & fratres decet conuiuere. [c]Similiter neque affectet quiſquam patris vocabulū, vt velit ſuperba appellatione ab aliis pater nuncupari,in hoc vanè & ſuperbè ſibi cōplacendo: neque vos quēquam ea cōſideratione patrem appelletis, in eo ſiſtendo abſque relatione vlteriori in Deum:iuxta eū modū quo huiuſmodi appellationem expoſcunt ſuperbi. [d] Secundum veritatem nanque vnus eſt ſimul quātum ad corpus & anima pater omnium veſtrum, Deus omnipotēs cælos inhabitās,qui vobis omnibus dedit eſſe,viuere,ſentire,& intelligere:qui omnes fecit de nihilo,corpus & animam dedit omnibus, omnes paſcit,omnes ſuſtentat,omnibus benefacit largiter, paternúmque ſuum affectum multipliciter demonſtrat in opere.Qui autem inter homines genitores dicuntur, nihil niſi ſemen adminiſtrant, ſuntque generationis potius miniſtri dicendi,quàm genitorū patres: cū Deus ſolus ſit, qui vitam & omnia influit. Deo ergo aliqua ex parte rapere vult ſuam gloriam, qui patris ſe nomine appellari affectat.[e] Non item affectetis vocari ab hominibus morum inſtructores ſiue moderatores aut gubernatores,quonia ego vnus omnium veſtrum ſum inſtructor, moderator, ductor atque prçceptor,qui & exterius per vitā ſimul & doctrina,& interius per ſpiritus vnctionē, aut qualemcunq; internam admonitionem, vos doceo quæ ſunt ſalutaria

a Vnus eſt enim magiſter veſter.

b Omnes autem vos fratres eſtis,

c Et patrem nolite vocare vobis ſuper terrā.

d Vnus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt.

e Nec vocemini magiſtri: quia magiſter veſter, vnus eſt Chriſtus.

ſalutaria. Neq; eſt quiſquā ſciens gubernare aut inſtituere aliū,niſi id ei à me & patre fuerit præſtitum. Ad hūc modum, volo ego vos diſcipulos ac ſectatores meos ab omni ambitione & ſuperbia longiſsimè abeſſe,neq; vllum vobiſipſis honorem, ob quamcunque vobis datam à Deo præcellētiam,requirere(quo modo Scribæ atque Phariſæi faciunt) ſed omnē gloriam ſemper in Deum regerere: à quo procedunt, ſi quæ videtis in vobis honore digna. [a] Hæc eſt enim ſumma doctrinæ meæ: vt qui inter vos maior ac dignior fuerit,aliiſque præpoſitus,non ex hoc in ſe infletur,ſed tanto magis ſe ſtudeat humiliare infra omnes,ſitque ipſe in affectu cordis ſui, non tanquam dominus & princeps, ſed quaſi ſeruus & miniſter omnium, paratus miniſtrare fratribus ſuis, eo modo quo vtiliſsimè poterit:paratus inquam, etiam vitā & omnia illis miniſtrare,quomodo ego propriā vitam vobis impendam redimēdis.[b] Qui autem contra hāc formā humilitatis ſeipſum exaltauerit,qui de ſeipſo ſentit ſupra q̄ debet,atque hinc magnificari & exaltari quærit ab hominibus, hic à Deo humiliabitur, deprimetur atq; reprobabitur:[c]quēadmodum ecōtrario,omnis qui de ſeipſo humiliter ſentit nec ſibi vanè placet,neq; ſibiipſi gloriam aut honorem poſcit, ſed Deo,verè apud Deum & à Deo exaltabitur:nunc quidē in exaltatione meritorum ſublimium,& ſpiritalium gratiarum,quæ abundè dantur humilibus, ac poſtmodū in fœlicitate perfecta regni cęlorum,quod debetur ex promiſſo humilibus.[d]Vobis autem Scribis atque Phariſæis hhpocritis æternæ maledictionis comminationem ego denuntio,certiſsimò ſuper vos venturam niſi pœnitentiam egeritis, [e] quoniam regni cæleſtis aditum præcluditis hominibus. Et cum ex profeſsione atq; officio debeatis populum vobis commiſſum ad illud aſſequendum inſtituere,non ſolum id non facitis,verumetiam impedimentum illis præſtatis.[f]Nec enim ipſi intratis, nec alios quantum in vobis eſt,intrare permittitis, quādo nō ſolum vos credere nō vultis,vt vitam accipiatis,verumetiā alios ſimplices cupiētes vitā ingredi, & Euāgelio credere pro

a Qui maior eſt veſtrū erit miniſter veſter.

b Qui autem ſe exaltauerit humiliabitur:

c et qui ſe humiliauerit,exaltabitur.

d Væ autem vobis, Scribæ et Phariſæi hypocritæ,

e qui clauditis regnum cælorū ante homines.

f Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.

pro veſtra virili prohibetis,ne credant Euangelio,vitámque acipiant.Item nõ ipſi ſolum malè viuitis, & legem Dei tranſgredimini, ſed aliis etiam authores eſtis tranſgrediẽdi:tum per veſtram prauam doctrinam malè docentes homines quæ non ſunt pietatis: tum per exempla veſtra mala, & cõuerſationem plenã ſcãdalo,quibus ſimplices trahitis in ruinã. [a] Rurſum vobis æternæ maledictionis comminationẽ, niſi reſipiſcatis,denuntio,ô Scribæ atque Phariſæi hypocritæ, [b] qui per auaritiam & cupiditatem domos viduarum comedetis,abſorbentes, inq; veſtrum peculium artificio ſimul & importunitate conuertẽtes, quicquid in domibus viduarũ à morte viri relictum eſt facultatũ:idque facitis fictione ſanctitatis, prætextu ſcilicet lõgarum precum veſtrarum. [c] Quoniam autẽ vos per hypocriſim ſic fingitis orationes longas, & rebus ſacris ad quæſtũ abutimini: idcirco grauius & durius aduerſum vos exercebitur iudiciũ. Eſt enim hypocriſis iſta, res apud Deũ maximè exoſa,atq; deteſtabilis. [d] Væ iterum vobis Scribæ atque Phariſæi, hypocritæ, [e] qui magna diligentia quæritis adducere ad Iudaiſmum homines gẽtiles:& quo videamini erga cultum ac legẽ Dei zeloſi,varia loca terra mariq; perluſtratis,ad faciẽdos ex gentibus proſelytos: [f] ſed cum ad Iudaiſmũ eos adduxeritis, ita eos mala veſtra doctrina & vita mala ſcãdalizatis,vt duplo quàm vos efficiantur gehennæ filij. Non equidem hoc arguo, quòd pro conuertendis ad legem Dei gentibus eſtis ſoliciti:ſed illud damno, quod iam adductos non inſtruitis,tum doctrina recta, tum probis moribus, vt veros decet Iſraëlitas inſtitui,imò econtrario, veſtra impia doctrina,item & prauis exemplis,illos ſcãdalizatis,occaſionémq; præſtatis eis nomẽ Dei blaſphemãdi,ac rurſum ad ſuam gentilitatem relabendi:qua ex re efficiuntur rei damnationis,duplo quàm vos,eo quòd à veritate ſemel agnita redeunt ad idololatriam,ſicut canis qui reuertitur ad vomitum, & ſus lota in luti volutabrum: quibus melius fuiſſet veritatem non agnoſcere, quàm poſt eam agnitam iterũ ad falſitatem deflectere.Propter quod, duplo efficiuntur

a Væ vobis Scribæ et Phariſæi hypocritæ,
b qui comeditis domos viduarum,orationes longas orantes.
c Propter hoc amplius accipietis iudicium.
d Væ vobis Scribæ et Phariſæi hypocritæ,
e qui circuitis mare et aridã, vt faciatis vnũ proſelytum:
f et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.

ciũtur gehennæ filij quàm vos, qui in Iudaiſmo permanetis:& licet variis infecti vitiis, idololatræ tamẽ non eſtis.[a] Væ iterũ vobis Scribæ atque Phariſæi, duces cæci, qui profitemini vos doctores & ductores populi, ſed cæci ductores eſtis:[b] qui ob quæſtum, auaritia excæcati, docetis homines quæ impia ſunt & irrationabilia, dicentes: Si quis iurauerit per tẽplum, nihil eſt: qui ſimpliciter per templum iurauerit, nullius efficaciæ eſt illud iuramentum, non obligat iuramẽtum illud, neque debitor eſt adimplendi iuramenti qui ſic iurauit.[c] Si quis autem per aurum iurat quod eſt in templo, erit hoc iuramentum validum & obligatoriũ, eritq; qui ſic iurauit debitor implendi iuramentũ. Itẽ ſi quis iurauerit vel peierauerit per tẽplũ, non ex hoc pœnã incurret: ſi autẽ iurauerit vel peierauerit per aurũ templi, debitor efficitur, & ad luendam pœnam eſt obligatus. His modis vos, ô cæci duces, docetis homines pluris facere aurum quod offertur in tẽplo, & quo templum ſolum adornatur, quàm ipſummet templum. Id enim manifeſtè prætẽdit hęc doctrina, quæ iuramẽtum per templum facit nullius eſſe ponderis, iuramentũ autem per aurum tẽpli facit æſtimationis eſſe maioris. Proculdubio enim quanto vnumquodque maius eſt per quod iuratur: tanto iuramentum maioris debet eſſe ponderis.[d] Ego autem vos, ô ſtulti & cæci, interrogo, vtrũ ſit maius dignius ſque cenſendum: aurum quod eſt in templo ad ipſius decorem,[e] an ipſum templum ſanctificatũ domino, à quo accipit ſuã ſanctificationẽ aurum quod offertur in eo? Nã abſque controuerſia, id quod ſanctificat maius eſt eo quod ſanctificatur ab ipſo: queadmodũ benedicens maior eſt eo cui benedicit. Non autẽ aurũ templum ſanctificat, ſed econtrario, templum ſanctificat aurum, quod offertur in ipſo: quoniam antequam aurum in templum inferretur, erat templum ſanctum: aurum verò priuſquam inferretur in templum, erat prophanũ: in templum autem illatum, factum eſt ſanctum, & conſecratum Deo, vtpote, quod nõ vltra liceat ad vſus prophanos cõuertere. Manifeſtè igitur falſa eſt & irrationabilis hæc doctrina veſtra,

a Væ vobis duces cæci,

b Qui dicitis: Quicunque iurauerit per templum, nihil eſt.

c Qui autem iurauerit in auro templi, debitor eſt.

d Stulti & cæci, quid enim maius eſt, aurũ, e an templum quod ſanctificat aurum?

ſtra.[a] Doctrinæ autem priori iam damnatę conſimilis eſt etiam iſta,qua docetis,iuramětum factum per altare nullius eſſe ponderis,nec debitorem conſtituere,ſiue ad impletionem ſiue ad pœnam:[b] iuramentum autem factum per donum quod ſuper altare offertur,magni valoris ac ponderis eſſe, ac debitorem conſtituere eum qui iurauit,ſiue ad implendũ quod iurauit,ſiue ad pœnam ferendam pro tali iuramento ſtatutam.[c] O ſtulti & cæci doctores ,quomodo ergo toto cęlo ſic fœdiſsime aberratis?[d] Interrogo vos ego, vtrum maius ſit maioriq; dignum reuerentia, donũ quod in altari offertur deo,[e] an ipſum altare quod ſanctificat donum ſibi ſuperpoſitum? Non enim altare ſanctificat à dono ſibi impoſito,quoniam antequã donũ ſuperponeretur iam ſanctum erat:ſed ecõtrario donum ab altari ſanctificatur. Maius ergo eſt altare, quàm donũ quod in eo offertur:tametſi vos propter auaritiam,contrariam confingitis doctrinam,vt doceatis homines ſumma erga oblationes templi & altaris affici reuerentia,amplius etiam quàm erga templum vel altare,ſicq; veſter quęſtus reddatur vberior, ex frequentatione donariorũ atq; oblationũ populi. [f] Quoniam ergo ſine hæſitatione maius eſt altare ipſum,quàm oblatum in eo donum,ſimiliter templum ipſum maius eſt auro quod in eo eſt:cõſequitur,maius quoq; eſſe iuramětũ & maioris efficaciæ,quod fit per altare,quàm per donum , & quod per templum, quàm per aurum templi.Iuramentũ enim per altare, includit iuramentum per donum altaris,ad eum modum , quo maius & dignius in ſe includit minus dignũ:ita videlicet,vt quiſquis per altare iurauerit , ſimul ex cõſequenti iuret per donũ quod ipſi eſt ſuperpoſitũ.[g] Et ſicut qui iurat in altari,iurat ſimul in dono quod ſuper ipſum eſt impoſitum:ita qui per templũ iurat,non ſolum per ipſum iurat,ſed pariter etiã per Deum qui in templo ſpecialiter inhabitat, quatenus ipſius eſt cultui ſanctificatum, & ſpecialiter dedicatum:propter quod non poteſt parui æſtimari iuramẽtum quo per templum iuratur.[h] Sicut qui iurat per cælum , iurat per ipſum quod eſt thronus ſiue ſe-

a Et quicunque iurauerit in altari,nihil eſt.

b Quicunq; autẽ iurauerit in dono quod eſt ſuper illud,debet.

c Cæci,

d quid enim maius eſt , donum,

e an altare quod ſanctificat donum?

f Qui ergo iurat in altari, iurat in eo,& in omnibus quæ ſuper illud ſunt.

g Et quicunque iurauerit in templo,iurat in illo & in eo qui habitat in ipſo.

h Et qui iurat in cælo,iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum.

des & aula Dei, quoniam cælum Dei ſedes eſt, in quo tanquam in throno gloriæ ſuam oſtendit magnificẽtiam: ac ſimul iurat per ſedentẽ in throno iſto, ſiue habitantẽ in aula iſta. In vtroq; enim horũ eſt ſimilitudo: quoniam Deus, vt cælum, ita & templum inhabitat. Vnde ſicut qui per cælum iurat, ſimul iurat per ſedentẽ in ipſo: ſic qui per templum iurat, iurat etiã per habitantem in eo. Quoniam enim in iuramẽto aduocari debet prima veritas in teſtimoniũ, nõ poteſt per creaturam iuramentum fieri, niſi quatenus ad Deum refertur, vt in creatura per creatorem iuretur. Vnde conſequitur, iurantem per templum & cælum, iurare ſimul & per habitantem atq; ſedentem in eis. [a] Iterũ vobis æternę maledictionis comminationem denuntio, niſi reſipueritis. [b] Propterea, quòd minima exactè, imò ſuperſtitioſè obſeruantes, ea quæ præcipua ſunt, & maximè requirit Deus, negligitis. Decimas enim datis, non ſolum de rebus magni pretij, vtpote tritico, hordeo, & ſimilibus, verũetiam de rebus minimi pretij, vtpote de mẽta, ruta, anetho, cymino, aliiſque huiuſmodi: quod facitis volentes haberi ſanctiores & legis zelatores perfecti, [c] negligentes interim, quę Deus in lege ſua ſuper omnia poſtulat, nẽpe iuſtitiã, miſericordiã, & fidem ſiue fidelitatẽ, & veritatẽ. Aduerſus iuſtitiã enim facitis miſericordiã & fidem, qui nec Deo nec hominibus pręſtatis quod ex officio debetis: qui cũ populo deberetis eſſe magiſtri veritatis & ſalutis doctores, falſitatẽ pro veritate docetis, & à ſalute cõſequenda homines arcetis, ſine miſericordia, & cõtra fidẽ qua vos populi magiſtros & duces profitemini, miſerè ſeducẽtes & perdẽtes animas hominum. [d] Non equidem damno, quòd etiam in minimis ſitis diligentes, ſed iſta grauiora & præcipua oportebat ante omnia obſeruari à vobis, vt quę Deus maximè requirit habetq; acceptiſsima: ac cũ his poterãt (ſicut & debent) etiam illa minus principalia obſeruari. Non parua damno, non reiicio externa illa minima, ſed maxima maximè requiro præ omnibus. [e] O duces cæci, qui hac ſimulata veſtra & ficta religione impletis in vobis vulgatũ illud prouerbium,

a Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ,

b quia decimatis mentam & anethum & cyminum:

c & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium & miſericordiam & fidem.

d Hæc oportuit facere, & illa non omittere,

e Duces cæci, excolãtes culicem, camelum autem glutientes.

ve

vt culicem excoletis,camelũ glutiẽtes,quaſi culicem minimum animalculum non valeatis glutire,ſed excolatis illum magna diligentia,& curatis ne per guttur veſtrũ tranſeat:cũ interim camelum,animal maximæ magnitudinis,ſufficiatis abſq; obſtaculo vorare, ſiue deglutire per guttur:hoc eſt,diligenter & ſuperſtitioſe cauetis,ne in minimis & vix vllius ponderis rebus offendatis, non curantes interim in maximis offendere:quaſi nõ ferat cõſcientia veſtra,in minima regula legẽ trãſgredi,Deumq; offendere,cũ in re maximi momenti,audeat tranſgreſsionem incomparabiliter grauiorẽ. [a] Iterũ vobis æternę maledictionis intimo comminationem,ô Scribę & Phariſæi hypocritæ,[b] quia religione præpoſtera externam munditiem maximè curatis,internam quę apud Deum eſt præcipua,penitus negligentes.Mundatis enim quod extrinſecus apparet in poculo vel paropſide ſiue patina,id eſt,exteriores poculi patinæque partes,quæ videntur corporeis oculis,in his nihil fertis eſſe immũditiæ,quod non ſtatim curioſe emundẽtis.[c] Intus autem in cordibus veſtris pleni eſtis auaritia per quam eſtis parati ad congregandum per fas atq; nefas bona iniuſta,immunditia diuerſorum peccatorum:neque tamẽ huiuſmodi percipitis immũditiã,nec ab ea vos expurgare eſtis ſoliciti,quaſi magis ſit moleſtũ maculam foris videre in patina, quã ferre intus in anima. Non eſt autem rectus hîc ordo,& eſt præpoſtera religio veſtra,ô cæci Phariſæi. [d] Ante omnia nanq; habenda eſt ratio internę munditiæ,ante omnia curandum eſt de animæ emundatione,vt tui calix & patina primum intus mundentur:id eſt,tu prius in anima in teipſo munderis:[e] ac deinde ratio habenda eſt etiã externæ munditiæ, vt quæ in calice & patina foris apparent,mundentur. Non enim externam damno munditiam, nec ſordes laudo: ſed præpoſteram tantum religionem, imò ſuperſtitionem, qua externa tantum(neglectis internis) curantur,redarguo. Ipſa quoque ſola interior munditia, facit omnia foris munda: quoniam mundis ſunt omnia munda & nihil eſt eis immundum:quemadmodum ecõtrario,iis

a Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ,
b quia mundatis quod deforis eſt & calicis & paropſidis,
c intus autem pleni eſtis rapina & immunditia.
d Phariſæe cæce,munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis,
e vt fiat & id quod deforis eſt, mundum.

qui immundam habent animam,nihil eſt mundum: ſed coinquinata ſunt omnia:propter quod emundata anima,conſequitur munditia externa:vt exterius coram Deo nihil iudicetur immundum,etiam ſi ſecundum humanũ oculum quippiam videatur immunditiæ.[a] Iterum vobis æternæ maledictionis intono cõminationem, ô Scribæ & Phariſæi hypocritæ,[b] propterea quòd hypocriſi veſtra ſimiles redditis vos dealbatis ſepulchris:quæ cum foris appareant admodũ ſpecioſa in oculis hominum,intus tamen nihil continent niſi mortuorum oſſa,& omnem ſpurcitiam fœtoris atq; corruptionis ex defoſſo cadauere prodeuntium,quam ferre non poſsint ſenſus hominis.[c] Ad hunc modum & vos exterius quidẽ videmini hominibus ſancti & iuſti, propter opera veſtra externa, quæ fingitis ad inducendũ homines in admirationẽ ac venerationẽ veſtri,ſic per hypocriſim iſtam veſtrã eſtis quaſi dealbati,& pulchrè adornati atq; depicti, vt aliud videamini foris hominibus,quàm intus eſtis in corde. Coram Deo autem apparetis fœdiſsimi & execrabiles,nimirum intus geſtantes animũ hypocriticum,& omni plenũ malitia,vtpote ſuperbia,ambitione,auaritia,ira,inuidia,infidelitate,cęcitate,& huiuſmodi. Et quemadmodum fœtor palàm oſtenditur, & ſpurcitia in ſepulchro latitans,ſi quãdo ipſum aperiri contingat,ſic & veſtra ſpurcitia non ſemper latebit,ſed quando aperientur corda hominum,& manifeſtabuntur occulta cordium in die domini,tunc apparebitis Deo,angelis, & hominibus abominabiles. [d]Iterum vobis,ô Scribæ atque Phariſæi hypocritæ, æternę maledictionis comminationẽ intimo, & niſi reſipueritis,certò venturam denuntio,[e] qui Prophetarum quos occiderunt patres veſtri magnis ſumptibus extruitis & ornatis ſepulchra,[f] ſimiliter & aliorũ qui ſanctitate & iuſtitia inſignes,mortui ſunt in domino,vt ſit mortuorũ veneranda & ſempiterna apud poſteros memoria:[g] idq; facitis in veſtram excuſationem,& patrum accuſationẽ,quaſi vos pœniteat malefactorum iſtorum quæ commiſerunt patres veſtri, in occiſione iuſtorum, & dicitis, Nos ſi fuiſſemus

a Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ,

b quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis,quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oßibus mortuorũ, & omni ſpurcitia.

c Sic & vos à foris quidem paretis hominibus iuſti,intus autẽ pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.

d Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ,

e quia ædificatis ſepulchra Prophetarum,

f & ornatis monumẽta iuſtorũ:

g Et dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorũ,non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum.

mus

mus in diebus patrum noſtrorum, quando prædicabant ſancti iſti Prophetæ, non conſenſiſſemus illis in Prophetarum perſequutione & occiſione, ſed obediētes nos præſtitiſſemus illorū ſermonibus quos loquebantur ex ore domini. Propter quod, in proteſtationē iniuriæ Prophetis illatę, & mortis eorū iniuſtę, nunc erigimus & ornamus eis monumēta. [a] Dum itaq; hęc facitis & dicitis, ipſis teſtimonium perhibetis & cōfitemini, filios vos eſſe illorum qui Prophetas occiderunt. Nam & ob hoc monumenta occiſis extruitis, in recompenſationem qualemcūq; iniuriæ ſanctis Prophetis per iniuſtam mortem à patribus illatę, vt ſolēt innocenter interfectis monumenta erigi, ab iis qui ſunt ex parte homicidæ, ad interfecti memoriā & cōfuſionē homicidæ: & apertè id verbo teſtamini: dum dicitis, Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorū, non fuiſſemus eis conſentientes in Prophetarū ſanguine. [b] Illud autē vobis cum dolore & amaritudine animi prænuntio, tametſi verbis ita videamini à iuſtorum occiſione abhorrere, factis tamen & operibus nō inferiores vos futuros patribus veſtris: quinimò prędeceſſorum omniū malitiā ſuperabitis, & menſura peccatorum paternorum adimplebitis. Illi enim Prophetas occiderūt, vos Prophetarum dominum occidetis: illi ſeruos, vos filiū Dei, idq; morte turpiſsima, & crudeliſsimo ſupplicio, qualiter nullum vnquā Prophetarum tractauerunt patres veſtri: vt veſtræ malitię cōparatione, videri poſsint modica quæ commiſerunt patres veſtri. [c] O ſerpentes & ſerpentum genimina, malorū patrū peſsimi filij, veneni paterni nequaquā expertes ſed hæredes, imo plus patribus malitię veneno pleni, quomodo effugere poteritis imminens ęternæ dānationis iudicium, ſi in hac veſtra perſtiteritis venenata malitia? Quid vobiſipſis inaniter blandimini de ſanctitate & iuſtitia veſtra hypocritica, cum certa vos maneat gehennæ damnatio? [d] Ideo plenius & clarius vobis exprimere volens veſtram malitiā, dico vobis: [e] Eccę ego Dei filius, æterna patris ſapientia, qui ad hoc in mundum veni, vt patris voluntatem doceam & perficiam, miſi ad vos, & mitto, & mittam,

a Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum qui Prophetas occiderunt.

b Et vos implete menſurā patrum veſtrorū.

c Serpentes genimina viperarum: quomodo fugietis à iudicio gehennæ?

d Ideo dico vobis,

e Ecce ego mitto ad vos Prophetas,

Prophetas meo edoctos ſpiritu,& ex ore meo loquentes, [a] homines in quibus eſt ſapientia Dei, [b] & Scribas in legè ac ſcripturis admodum inſtructos,ad erudiendum vos in via veritatis atque iuſtitiæ.Huiuſmodi.& in prioribus temporibus ad vos miſi plurimos, antequam per carnem venirem in mundum: & poſt mortem atq; reſurrectionem meam, mittam ſimiliter alios,nempe Apoſtolos diſcipulóſq; meos,& alios Euangelij mei doctores,qui vobis Euangelium meũ prædicabunt. [c] Et vos quoſdam ex illis occidetis,& crucifigetis:quam malitiam in me primum omnium implebitis: [d] quoſdã ex eis in veſtris Synagogis tanquam malefactores ignominioſe flagellabitis. [e] & multis perſequutionibus de ciuitate vna ad aliam facietis diuagari,nuſquam illis daturi requiẽ,aut habitationẽ permiſſuri quietã. [f] Atque ita fiet, propter hanc ſuperabundantẽ & plenã veſtram malitiam quã ſupra patres veſtros in me ac meos fideles exercebitis,vt nõ vltra differatur ira Dei: quæ ſe cõtinuit vſq; dũ impleretur per vos menſura delictorũ paternorũ, ſed vindicta iam exerceatur in vos ꝓ iniuſta interfectione omniũ, qui ab initio interfecti leguntur, [g] ab Abel qui primus propter iuſtitiã à fratre interfectus fuit in agro, paſtor ouium, [h] vſq; ad Zachariam filium Barachiæ ſiue Ioiadæ ſacerdotis, [i] quem ad imperium Ioas regis patres veſtri occiderunt inter templum & altare: id eſt, pro omnib9 omnino interfectis in innocentia ſua, cuiuſcunque ſtatus vel cõditionis, in quocunque loco, à primo vſque ad nouiſsimum. [k] In veritate dico vobis, & (ne per comminationem tantum loqui me exiſtimetis)iterum vobis dico,omnia iſta ventura ſuper hãc generationem: id eſt, mala omnia quæ patres veſtri cõmiſerunt ſuper vos accumulanda,illáq; omnia in vobis punienda, Tam enim ſeuera,tam manifeſta,tam grauis ſuper vos, qui menſuram patrũ adimplebitis,vltio Dei veniet,vt videantur in memoriam eius redire mala omnia à patribus veſtris in ſæculis prioribus ab origine mundi cõmiſſa,ac pro his omnibus ſimul in vos exercero vindictã grauiſsimam. Tametſi enim nonnunquam etiam in

præ

a & ſapientes,
b & Scribas,
c & ex illis occidetis,& crucifigetis,
d et flagellabitis in Synagogis veſtris,
e et perſequemini de ciuitate in ciuitatem.
f Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram,
g à ſanguine Abel iuſti,
h vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ,
i quem occidiſtis inter templum et altare.
k Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationẽ iſtam.

præteritis temporibus puniuerit Deus parētum peccata, nunquam tamē ſic tota ſe effudit ira Dei, vt nūc effundet ſe ſuper generationem iſtam: quādo crudeliſsimo excidio locum ſuum perdet, & gentem, & diſperget in omnes nationes orbis profugos: neq; hoc ſolum, verūetiam reprobabitur à Deo generatio iſta ſemper rebellis & peruerſa, & eligetur in locum eius generatio alia, nempe populus gentium. [a] Doleo ſuper te ò Hieruſalem, Hieruſalem, ſciens quæ ventura ſunt tibi in tempore ſuo: quoniam & olim occidiſti, & occidere nondum ceſſabis Prophetas, [b] & lapidare cōſueuiſti, ac variis perſequutionibus affligere ad te miſſos pro tua ſalute, vt te à malis auocarent, & in bonis inſtruerēt: ad quæ ſemper rebellem & inobedientem te mōſtraſti, à principio ex quo te elegi, & aſſumpſi in peculium meū. [c] Quoties laboraui ego, vt habitatores tuos à malis ſuis auocarē, atq; ad pœnitentiam adducerē, ſicq; eos ad me congregarē, & ſub protectione ac prouiſione bonitatis meæ colligerem, ad eum modū quo gallina de pullis ſuis magna cura gerēs, voce ſua eos ſub alas ſuas colligit, vt ſub ipſis ſecuri latitent, & certam protectionē accipiant. [d] Verum tu ſemper in tua infidelitate & inobediētia perſeuerans, renuiſti audire inuitantem, vocanti noluiſti auſcultare, monēti noluiſti acquieſcere, veſtri cordis deſideria diuinæ ſemper voluntati præponentes. [e] Quoniam igitur toties vocātem cōtempſiſtis, totque ac tantis meis beneficiis ſemper extitiſtis ingrati, ecce in vltionem peccati, terra habitationis veſtræ à vobis deſeretur, atque ab aliis habitabitur. Eiiciemini de habitationibus veſtris, è terra in quā introduxeram patres veſtros proiiciemini, & diſpergemini in omnes gentes: alienigenæ occupabunt terram habitationis veſtræ, & erit vobis deſerta, habitata aliis. Ipſa quoq; Synagoga, quā hactenus Deus inhabitauit, propter electionem patrū, relinquetur à Deo, & erit deſerta ac deſolata, propter infidelitatē, & noua ex gentibus conſurget Eccleſia. [f] In confirmationem autem horum omnium, ꝙ implenda ſint in tēpore ſuo, illud vobis prædico, quòd ab hoc tempore non me

a Hieruſalem Hieruſalē, quæ occidis Prophetas,
b & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt?
c Quoties volui congregare filios tuos, quēadmodum gallina cōgregat pullos ſuos ſub alas
d & noluiſti?
e Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.
f Dico enim vobis, nō me videbitis amodo.

a donec dicatis: vltra videbitis, [a] donec in magna gloria & comitatu venientem cernatis, & laudis diuinæ voces, & veri Meſsiæ canticum mihi omnis acclamet populus, dicens: [b] Benedictus qui venit in nomine domini: cum iterum rediero Hieroſolymam, omnis mihi populus cum gaudio Meſsiæ voces acclamabit, & reguũ meũ meque à patre miſſum aperta voce & ſigno efficaci confitebitur: vt eo ſigno conſpecto, & viſa tanti miraculi gloria, nulla poſtmodum vobis relinquatur excuſatio veſtrę infidelitatis atque malitiæ. Neq; etiam aliter vos me videbitis, q̃ modò in infirma & mortali natura, niſi quando in aduentu meo ad iudicium videbitis venientem cum gloria, quando velitis nolitis, cogemini fateri me verum & bendictum eſſe Dei filium, vnius cum illo eſſentiæ & gloriæ, quod modò pertinaciſsime credere ac confiteri recuſatis.

b Benedictus qui venit in nomine domini.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

T*Vnc Ieſus loquutus eſt &c.*) An hæc omnia quæ in hoc loco ponuntur, poſt prędedentia conſequenti ordine à Chriſto prolata ſint, ex aliis Euangeliſtis videtur difficultas. Qua de re illi videndi ſunt qui cõſonantiam ſcribũt Euangeliorũ. Tantum impræſentiarũ pro omni effugienda difficultate, aduerbium tunc accipiatur, non vt tempus demõſtret determinatum, quo ſtatim præcedentia dicta aut facta ſunt, ſed tempus indeterminatũ, quomodo nonnunquam Euangeliſta dicit: *In illo tempore:* non demonſtrando aut referendo tempus eorum quæ antecedunt, ſicuti ſuprà annotauimus in caput tertium. ¶ *Super cathedram Moſi ſederunt Scribæ.*) Sederunt, hoc loco peculiarem habet ſignificationem, quomodo etiam Græca dictio ἐκάθισαν ecathiſan, vt ſimul cũ præterito etiam præſens includat. Valet enim ſeſsionem acceperunt, id eſt, iam ſiti ſunt, & ſeſsionẽ acceperũt, iamque reſident ab antiquis diebus. Similem habet ſignificationẽ quod frequens eſt in Euangeliis atq; Paulinis epiſtolis verbũ ἤγγικε, quod ſignificat appropinquauit: id eſt, factum eſt propè, & iam propè eſt. ¶ *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite.*) Græci codices ſic habent, *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſeruare, ſeruate & facite.* ¶ *Alligant enim onera grauia & importabilia.*) Alligant accipe pro ligant, in vnũ ſcilicet faſciculum multa coaceruando & congerẽdo præcepta. Sumpta eſt ſimilitudo à ligantibus manipulos vel ligna

lignorum faſciculos,quos deinde ligatos imponūt humeris aliorum geſtantes,ipſi nihil portantes,aliis tantum imponētes onera. Sic ipſa onera ligari dicuntur ad eum modum quo manipuli ligantur. Atq; ita in Græco ſimplex verbum ponitur δεσμεύουσι deſmeuouſi, id eſt,li gauit. Vnde patet per onera iſta quæ in humeros hominum imponebant Phariſæi,intelligi præceptorum & traditionū cumulos. Importabilia etiam dictum eſt pro difficile portabilia, vt frequenter ſolet accipi. Quid autem ſit nolle digito mouere onus, vel digitum oneri admouere,ex vulgata loquendi cōſuetudine ſatis cognoſcitur. ¶ *Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.*) φυλακτήριον phylacterion Græca vox eſt, deſcendens à verbo φυλάττω phylatto,ſiue phylaſſo,id eſt, ſeruo vel cuſtodio. Latinis valet (vt vno verbo dicamus)conſeruatorium. Erat hoc charta quędam,in qua deſcriptū erat magnum legis mandatum,quod circa frontē geſtabant Iudęi,ad cōmonefactionē diuinæ legis. Horū autem phylacteriorū vſum accipiebāt Iudęi,ex eo quod capite ſexto Deuteronomij poſt expreſſum magnum mendatum,ita ſubiungitur: *Eruntq; verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine & oſtijs domus tuæ.* Propter quæ verba dicunt nonnulli phylacteria geſtare ſolitos Iudæos non ſolum ante oculos circa frontem,verumetiam ſuper brachium,maximè dexterum,vt ſemper obuiam haberent mandatorum Dei memoriam, quotieſcunq; ad opus manū extenderent. De fimbriis autem expreſſum eſt legis conſtitutum libri Numerorum,cap.15.his verbis: *Dixit quoque dominus ad Moſem, Loquere filijs Iſraël, & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hiacynthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum domini, ne ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes, ſed magis memores præceptorum domini faciāt ea, ſintq; ſancti domino Deo ſuo.* Ac rurſum Deuteronomij 22. *Funiculos in fimbrijs facies tibi per quatuor angulos pallij tui quo operiris.* Phylacteriis itaq; & fimbriis Iudæi omnes communiter vtebantur, ſed Phariſæi inſigniter lata phylacteria, & præ cæteris maiores fimbrias geſtabant vt viderētur præ cæteris religioſi. ¶ *Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis.*) Vtrunq; horū & primus accubitus & prima cathedra Græcè ſimplici vocabulo dicitur πρωτοκλισία & πρωτοκαθεδρία, protocliſia & protocathedria, ac ſi Latinè efficto vocabulo dicamus,præaccubitio & pręſeſsio. Non tanter autē primos recubitus cœnis,primas cathedras Synagogis tri

buit. Accumbere nanq; eſt cõuiuantiũ,& cathedra docentiũ. ¶ *Vnus eſt enim magiſter veſter.*) Quomodo ſolus Deus verè dici poſsit,ac debeat magiſter,& doctor hominis, & quomodo non eſt poſsibile, vt quiſquã in altero efficiat vllius rei cognitionẽ,& quę ad hac rẽ pertinent plenè à propoſito tractauimus in libris quos de Cõſideratione rerũ naturalium ædidimus libri vndecim 17.cap. Quod autẽ bis hoc in loco prohibetur ne vocemur magiſtri,eò ꝙ vnus ſit magiſter, vel ob inculcationem factũ accipiatur,vt repetitũ fortius infigeretur diſcipulorũ animis, vel talis ponatur diſtinctio,vt priore loco magiſteriũ ſignet inſtructionem intellectus,poſteriore vitæ,ac morũ inſtitutionem:quam diſtinctionem nos in elucidatione ſatis indicauimus, ¶ *Væ vobis &c.*) Væ,interiectio videtur eſſe cõminantis de malis venturis:quemadmodũ heu eſt interiectio dolentis, & hey indignantis, vah irridentis & ſubſannantis. Licet autẽ interiectione iſta conſuetũ ſit vti etiã in cõminatione malorũ temporalium: Saluator tamẽ noſter qui æterna aſpicit,vix ea niſi in cõminationẽ mali ęterni vtitur: quemadmodũ nunquam beatũ quenquam dicit,niſi pro bono æterno. Sunt enim hæ ferè voces contrarię in vſu ſcripturarũ, vt quomodo ſub nomine beatitudinis exprimitur æternorũ bonorũ promiſſio,ita hac interiectione indicetur ęternorũ malorum cõminatio. Et ſi interiectionẽ velimus interiectioni opponere,euge opponere,poterimus ipſi væ,niſi ꝙ euge præſentis boni indicat gaudiũ, væ futuri tantum mali damnationem. ¶ *Clauditis regnum cælorum ante homines.*) Id eſt,pręcluditis hominibus quod alioqui ipſis ex Dei bonitate apertũ eſt,vt ſi velint, introeãnt. Quaſi enim aperiebat Chriſtus ianuam regni cælorũ,& ipſum proponebat hominibus:quum diceret: *Pœnitentiam agite, et credite Euangelio, appropinquabit enim regnum cælorum.* Ipſi autem ante homines regnum cælorum claudebant, quando populum in ſua conabantur infidelitate retinere. ¶ *Nec introeuntes ſinitis intrare.*) Hoc eſt,eos qui intrare cupiunt, vel qui intraturi erant,aut qui,niſi per vos impedirentur,intrarent. Hos non ſinebant Phariſæi intrare,nõ quod violenter poſſent quenquam à ſalute prohibere,ſed quia per malam doctrinam eos auertebant à fide, & per eam conſequenda ſalute. ¶ *Comeditis domos viduarum.*) Comedere domum,prouerbialiter dicitur,pro comedere quicquid in domo eſt: quemadmodũ patriam deuorare dicimus vulgato ſermone eos, qui nouis adinuentionibus totam populi ſubſtantiam in ſuum ſtudent peculium conuertere. Quod autem ſequitur, *orationes longas orantes,* id Græcè ita dicitur, προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι: quod ad verbum Latinè exprimi non poteſt, ſed periphraſi vertit interpres,

Ora

Orationes longas orantes, pro quo apud Marcum dixit, *Sub obtentu* (id eſt, prætextu) *prolixæ orationis*, cum vtrobique in Græco eodem modo habeatur. ¶ *Facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.*) Græcè eſt διπλώτερον ὑμῶν diploteron hymon, quod ad verbum verti poſſet, dupliciorem vobis, vel duplicius vobis, id eſt, duplo magis quàm vos. Proſelytum autem duplo magis filium fieri gehennæ dicit, propter relapſionem ad priſtinam gentilitatē, ex ſcandalo à Iudæis, ſibi præſtito, quomodo exponit Elucidatio, vel ob hoc quod ſoleant mali diſcipuli præceptores ſuos ſuperare malitia. ¶ *Quicunq; iurauerit per templum, nihil eſt: qui autem iurauerit in auro templi, debitor eſt.*) Quæ hîc dicuntur, nihil eſt, & debitor eſt, ſiue (vt in Græco habetur) debet, intellectum duplicem recipiunt: primo, vt ſignificetur debitum ſiue nō debitum ad præſtandum quod iuratum eſt: ſecūdo, vt ſignificetur debitum vel non debitum ad pœnam pro tali iuramento ſtatutam. Vtrunq; intellectum attingit Elucidatio, & in eundem finem vterq; tendit, ad indicandum videlicet, quomodo iuramentum per aurum templi & donum altaris maioris æſtimari docebant Phariſæi, quàm per templum vel altare, vt ſic perſuaderent populo donorum & auri, quæ in tēplis offeruntur, maiorem eſſe reuerentiam, quàm templi & altaris. ¶ *Qui decimatis mentam, &c.*) Decimare dicitur, & qui decimas dat, & qui decimas accipit, quo poſteriori modo Paulus vocabulo iſto vtitur in epiſtola ad Hebræos, cum Leui dicit per Abraham à Melchiſedech decimatum. Verum præſenti loco magis eſt congrua prior ſignificatio. Dabāt enim ipſi Scribæ decimas etiā de minimis, hic nimium religioſi, cum in præcipuis legis deficerent. ¶ *Excolantes culicem, camelum autem glutiētes.*) Prouerbialis hic ſermo eſt, quo rectè notātur ij qui circa minima multum ſunt ſcrupuloſi, vt dici ſolet, de multo maioribus & enormioribus peccatis parum ſoliciti. Veluti ſi quis in die ieiunij cœnæ tēpore micam panis non aùdeat ſumere, ne violet ieiuniū, audet tamē totas horas in detractione aut malis concupiſcētiis inſumere. Tractus eſt hic ſermo ab eo quod fieri ſolet, cū in poculū quippiam immundi inciderit, vtpote muſca aut culex, aut aranea, aut aliud huiuſmodi, quod per guttur bibētes tranſmittere nolumus. Tūc enim magna diligentia cauemus, ne ſimul id cum potu per guttur tranſeat, ipſúmque vel priuſquam poculum ori admoneamus eiicimus, vel ſi in ore primum percipitur, linguæ àc dentium, obſtaculo impedimus ne tranſeat. Quàm autem foret abſurdū, ſi quis camelum animal maximum poſſet glutire, neque illū excolare curaret, muſcam autē vel culicē non auderet glutire. Sic ſunt illi quibus tā eſt anguſta ſiue ſcrupuloſa (vt dici ſolet) cōſciētia, vt rē

minimam

minimam in qua vel nihil vel parũ admodum mali eſt, nequaquam audeant,cũ ab iis quæ manifeſtè Deo ſunt contraria nõ abhorreant. Notandum tamen,quod veterum quidam,liquantes culicem legũt: vbi vulgata habet lectio, *excolantes culicem.* Poteſtque & hoc in eandẽ reduci ſententiã. Liquare enim dicimus illud quod integrum nõ glutimus,ſed per multũ temporis moram in ore retinemus, vt paulatim liqueſcat,& liquefactũ paulatim ac reſolutũ, ita per guttur trãſeat,velut cum magnam ſaccari duri portionẽ in os ſimul iniicimus, illúdque nõ teramus dentibus, ſed per liquefactionem diſſolui facimus,vt paulatim tranſeat,ita liquare dicemur portionẽ illam ſaccari.Habet itaque liquatio difficultatẽ & moram,deglutitio difficultatem & moram nõ habet. Sic illum liquare culicem & camelũ glutire dicimus,qui parua nõ audet admittere,niſi cum magno conſcientiæ remorſu,maxima abſque vllo penè remorſu audet. Eſt autem in Græco διυλίζοντες dyilizontes,quod ſignificat excolãtes vel deſecantes,quaſi à materia extranea purgantes.¶ *Pleni eſtis rapina & immunditia.*)Græcè ſecundo loco eſt ἀκρασία acraſia, quæ ſignificat intemperantiam. Vnde immunditia pro intemperãtia poteſt accipi,vt notentur non ſolum auaritiæ,ſed pariter etiam guloſitatis & intẽperantiæ. ¶*Munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis.*) Nouè hoc dixit, nõ loquẽs de interiori parte ipſius viſibilis calicis aut paropſidis,ſed de interiori homine, quaſi calicẽ & paropſidem in ſe homo habeat, ſuam mẽtem & animum. Quod autem ſequitur,*Vt fiat & id quod deforis eſt,mundum,* duplicem recipit intellectum. Prior hic eſt, Sit tibi potiſsimum & ante omnia cura mũditiæ interioris, quam ſi habueris, erunt tibi omnia munda, etiam quæ foris ſunt: quoniam (vt ait Apoſtolus)mundis ſunt omnia munda,& immũdum nihil. Secunda hæc eſt:Primam curam habe de mũdanda conſcientia, ac deinde recto ordine ad exteriorem etiam procede munditiam:vt ſignificetur ordo rectus & neceſſarius quo primum & potiſsimum ſpiritus mũditia,ſecundo autem loco etiã externa curetur. Sic enim ſolet nonnunquàm dominus ordinem rectũ docere eos in quibus videbat religionẽ præpoſterã: velut cũ alibi dicit,*Eijce primũ trabem de oculo tuo, & tũc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui.* Et alibi,*Qui ſine peccato eſt veſtrũ, primus in illã lapidẽ mittat:*quaſi dicat,Seipſum quiſq; primũ diiudicet & emẽdet,ac deinde ad emẽdandũ procedat proximũ. ¶*Intus autem pleni eſtis hypocriſi.*)Opera quidem illa per quæ homo hypocritã agit, & ſanctum ſe ſimulat: externa ſunt: ſed illa hypocritam neminẽ faciunt,quũ habeat ſimilia opera etiã verè ſanctus,in quo operibus reſpõdet anim9. Vera enim hypocriſis intus eſt in animo,ex intẽtione ſimulandi

ſimulandi & oſtentandi quam non habes ſanctitatem. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, &c.*) Aduerte pondus huius væ ſiue maledictionis ſeruari vſque ad locum illum: *Et vos implete menſuram patrum veſtrorũ.* Nam quæ antecedũt, maledictionem non merentur. Non enim ideo digni erant maledictione Scribæ, quòd Prophetarũ ædificarent ſepulchra, quũ id ob reuerentiam facerent innocenter occiſorũ. Neque rurſum, quia filij erãt homicidarũ: quoniam filius nõ portabit iniquitatem patris, ſed anima quæ peccauerit, ipſa morietur, Quod etiã dicebant, *Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non fuiſſemus ſocij illorum, &c.* nec hoc per ſe maledictione dignos facit. Hæc ergo omnia præmiſſa ſunt, vſque dũ illud adueniat: *Et vos implete menſuram patrũ veſtrorum*, ibique pondus cadit maledictionis. Propter hoc enim erat illis ventura maledictio, quia malitiam præcedentiũ malorum patrum erant conſummaturi, propter quod ſtatim ſubiungitur: *Serpẽtes, genimina viperarũ, &c.* ¶ *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.*) Non per imperium id pronuntiandũ eſt, ſed cum graui põdere magnæ amaritudinis, vt ſignificetur hac amara pronũtiatione quid Dei permiſsione ſint facturi, non vt eis hoc malũ iubeat aut præcipiat facere. Atque ad hũc modũ etiam in vulgato ſermone loqui ſolemus, vbi cum dolore mali aliquid præſignare volumus nunquam eventurum. Veluti ſi iuuenẽ videamus admodum matura ætate mala tentantem, ita dicimus: Ita puer maturè incipe, ſic patris improbitatem imitare, ſic ad crucẽ aut patibulum feſtina: videlicet hoc modo ſignificare volentes, quid huic puero venturum metuamus aut ſuſpicemur. ¶ *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus.*) Sanguis alicuius dicitur venire ſuper eum, quem vindicta petit pro effuſo tali ſanguine, vt ſanguis Abel ſuper Cain venit, quoniam pro effuſo innoxio ſanguine, diuina illũ ſubſequuta eſt vltio. Sic clamabãt tumultuãtes Iudęi: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Hoc eſt, Si quã tu ô Pilate metuis pro Chriſti cõdemnatione vindictam, nos omnẽ illam in nos ac liberos noſtros ſuſcipimus. Sic ſanguis per contrariũ dicitur amoueri ab aliquo, quãdo efficitur vt ſuper eũ non veniat vltio, quomodo 3. Regum ſecũdo capite, Salomon ait ad Banaiam, iubens ei interficere Ioab: *Interfice* (inquit) *et ſepeli eum, et amouebis ſanguinem innocentem qui effuſus eſt à Ioab, à me, et domo patris mei:* videlicet indicare volens, quod per interfectionem Ioab perficeretur vltio de interfectione duorum innocẽtum Abner & Amaſę, ſicque nullum amodo eſſet periculum, ne quãdo dominus pro horum interfectione ſuper domum Dauid vindi- 2. Re.
ctam induceret: quemadmodum ſuper vniuerſum Iſraël venit vltio 21.
Dei,

Dei,propter ſanguinẽ Gabaonitarum,quos occiderat Saul,donec in vindictã peccati,cruci affigerẽtur à Gabaonitis ſeptẽ filij Saul, quãdo repropitiatus eſt dominus terræ,& amotus eſt ſanguis Gabaonitarum ab Iſraël.Hoc igitur eſt ſanguinem venire, vltionem venire pro effuſo ſanguine,hoc ſanguinẽ requirere, vltionẽ exquirere, vel adducere pro effuſo ſanguine, quomodo apud Lucã dicitur: *Ita dico vobis,requiretur a generatione hac.* ¶ *A ſanguine Abel iuſti,vſq; ad ſanguinẽ Zachariæ filij Barachiæ.*) De hoc Zacharia veriſimilior ſentẽtia eſt, fuiſſe illũ filium Ioiadę pontificis,qui populum à ſeruitute impiiſſimę Athaliæ liberauit,& Ioas regẽ in domo domini educauit, ac deinde in regnũ inſtituit. Hunc Zachariã hiſtoria Paralipomenon tradit iuſſu Ioas regis ingrati à populo lapidibus obrutum in atrio domini,cũ ex ore domini populũ increparet pro idololatria, quod rectè cõſonat ei quod hîc dicit dominus interfectum eũ inter templũ & altare.Cæterũ de nomine patris nulla eſt difficultas, ſi binomius fuiſſe dicatur,vt vnus homo Ioiada & Barachias fuerit nominatus. Cui aſtipulatur quod ait Hieronymus in Euangelio, Nazaræorum loco Barachiæ ſe nomẽ Ioiadæ reperiſſe: erátque hæc nominũ pluralitas apud Iudæos frequentiſſima:quẽadmodum ex Philone manifeſtè cognoſcimus de genealogia Saluatoris.Sed quæſtio ita dicentibus oritur, cur in hoc Zacharia voluerit Chriſtus terminũ ponere, vbi vniuerſitatẽ interfectorum vellet ſignificare,quũ poſt ipſum plurimi alij interfecti fuerint,dicente ſcriptura de Manaſſe, quod impleuerit Hieruſalem innoxio ſanguine vſq; ad os.In Elucidatione indicauimus,ob ſtatuũ,ſiue conditionũ,item & loci diuerſitatẽ duos iſtos fuiſſe expreſſos,vt ſignificetur pro omnibus iuſtis cuiuſcunque conditionis,aut quocunque in loco interfectis, exquirẽda vindicta. Abel enim ſimplex erat ouium paſtor,nec ſacerdos erat,quoniã primogenituræ annexũ erat ſacerdotium;ſub tempore legis naturæ vt ſancti doctores tradunt.Abel autem primogenitus non fuit. Neque itẽ Prophetam eum fuiſſe legimus,ſed hoc tantum quod iuſtus fuerit,& de optimis domino immolauerit.Zacharias autẽ ſacerdotis filius & ſacerdos fuit,inſuper & Propheta.Sic enim liber ait Paralipomenon: *Spiritus domini induit Zachariam,filium Ioiadæ ſacerdotem,et ſtetit in conſpectu populi,et dixit eis: Hæc dicit dominus Deus: Quare tranſgredimini? &c.* Magna itaque inter has cõditiones eſt diuerſitas. Similiter & in interfectionis loco,quoniam in agro ille, hic in templi atrio fuit interfectus. Item & in occiſionis modo, quoniam ille ab vno ſuo fratre, hic à toto popnlo,rege iubente,interemptus fuit. ¶ *Amẽ dico vobis, venient hæc omnia ſuper geenerationem iſtam.*) Iſta repeti-

4. Re. 21

tio

tio ſemel dicti cũ particula ita, vel amen, ſignificat vehementem aſſeuerationẽ, & rem notatu bene dignam, Sic & alibi, poſtquam confeſſus eſſet dominus patri, quod abſcondita à ſapientibus & prudentibus reuelaſſet paruulis: ſtatim ſubiungit, *Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.* Et alibi, poſtquam patrem Deum docuiſſet timendum poteſtatem habentem mittere corpus & animam in gehẽnam, mox ſubiungit: *Ita dico vobis, hunc timete.* Idem in huiuſmodi vſu vult particula, ita, quod amen. Vnde apud Lucam hoc loco dicitur: *Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.* Cæterum huius loci ſententia duplex: aſsignari poteſt, ſecundum quod generationem hanc dupliciter accipimus. Poteſt enim generatio iſta intelligi tota collectio malorum, qui ab initio perſequuti ſunt bonos, quomodo generatio iuſtorum (de qua in Pſalmis dicitur: *Hæc eſt generatio quærentium dominum*) omnes complectitur bonos ab exordio. Sic enim à principio ad finem vſque ſæculi duæ tantum generationes diſtinguuntur ſibi inuicem contrariæ, quarum hæc ſit Dei, illa diaboli. Hanc generationem ſi dicamus intelligi, non erit difficultas magna, quomodo verum ſit à generatione exquirenda eſſe in bonos commiſſa omnia ſcelera. Sed huic videtur non ſatis conſonare quod præcedit, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, vbi particulariter ipſos videtur velle deſignare, quos dixit patrum menſuram impleturos, quóſque ſerpentes appellauit, & viperarum genimina. Nos in Elucidatione generationem iſtam intelligimus, particulariter hanc generationem peſsimam interfectorum Meſsiæ ſui, & ſuper hanc generationem, quomodo omnia prius patrata ſcelera dicantur venire, indicamus. Item & in Commentariis libri Pſalmorum ſuper illo Pſalmi 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu domini, & peccatum matris non deleatur*: & in Annotatione & in Elucidatione indicauimus. Conſimilem enim huic verſui propoſitus locus habet ſententiam. ¶ *Hieruſalem Hieruſalem quæ occidis Prophetas, et lapidas.*) Quamuis per præſens tempus dicatur, occidis, lapidas, non tamen actualis occiſio & lapidatio ſignatur, ſed vetus conſuetudo & antiquæ malitiæ obduratum propoſitum etiamnum perſeuerans indicatur, valétque tantundem ac ſi dicas. Quæ ſoles occidere & lapidare, quæ hactenus occidiſti & lapidaſti plurimos, & antiquum malitiæ huius propoſitum etiamnum obtines. Illud quoque manifeſtum eſt, ſub nomine metropolis ciuitatis totum regni Iſraelitici populum intelligi, atque vniuerſos ſermonem dirigi. ¶ *Dico enim vobis, non me videbitis amodo.*) Duplicem indicat Elucidatio interpretationem: ſed prior de prędicto aduentu domini in Hieruſalem videtur

videtur veriſimilior. Nã id magis verba indicare videtur. Vox enim illa, *Benedictus qui venit in nomine domini*, feſtini gaudij eſt acclamatio. Quomodo ergo in ſecũdo aduẽtu iſti damnandi homicidæ videntes aduenientẽ iudicem, cum gaudio acclamabunt venienti, qui videntes in quẽ pupugerunt (iuxta Apocalypſis verbum) plangent ſe ſuper eum, & timore turbabuntur horribili à pauore imminentis iudicij.

ELVCIDATO CAP. XXIIII.

ET egreſſus Ieſus de tẽplo, ibat,

POSTQVAM in templo docuiſſet dominus per diem, & egiſſet quæ patris erat, iuxta conſuetudinem ad veſperã egreſſus diſcedebat à tẽplo, verſus mõtem Oliuarum. Siquidem diebus erat docens in templo, nocte verò exiens morabatur in monte Oliuarum.

b Et acceſſerũt diſcipuli eius, vt oſtenderent ei ædificationes tẽpli.

[b] Ipſũmque ita à templo exeuntẽ, quidam diſcipulorum familiariter acceſſerunt, commonſtrantes magnificentiam & artificium ſtructuræ atq; ornatus templi, tanquam magnum quoddam & ſingulare ſpectaculum: ad eum ferè modũ quo ſolẽt filij libenter commonſtrare parentibus, ſi quid viderint ſibi nouum aut dignũ ſpectatu.

c Ipſe autem reſpondens, dixit illis: Videtis hæc omnia?

[c] Videns autem Chriſtus diſcipulos ſuos iuxta hominũ æſtimationẽ magnificare ſtructurã illam pretioſam, volénſq; huiuſmodi æſtimationem ab ipſorũ cordibus auellere, dixit eis.

d Amẽ dico vobis, nõ relinquetur hîc lapis ſuper lapidẽ, qui non deſtruatur.

[d] Nunc vos quidem iſta omnia, quaſi magnum quoddam ſpectaculum, multa curioſitate aſpicitis atque miramini. Veruntamẽ illud dico vobis in veritate, vẽturum eſſe tempus, quo iſta omnia ſic deſtruentur atque diſsipabuntur, vt nec lapis ſuper lapidẽ remaneat, vt neq; veſtigia vlla huius tam magnificæ ſtructuræ relinquantur, nec ſaltẽ diruti parietes remaneãt. Sicque cõſideratione finis inſtantis, omnẽ illã gloriam quæ videbatur velut nihili reputandam docuit.

e Sedente autẽ eo ſuper montẽ Oliueti,

[e] Auditis autem verbis illis, admirati ſunt & ſtupefacti diſcipuli, tanquam ſuper re auditu horrenda: veruntamen apud ſe quæſtionẽ continuerunt, donec ad locum ſecretum perueniſſent, vbi eum de hac re plenius interrogarent. Peracto igitur itinere, cum dominus iam reſideret in monte Oliuarum, diſcipuli tanquam opportunitatẽ commodam nacti, ad inter-

rogandum

rogandum de quæſtione quam gerebant in animo, eo quòd cũ ipſo eſſent ſolitarij:ſedebatq; ipſe tanquã paratus ad docẽdnm,item ex oppoſito ſedebat ipſius templi,de quo ſermo habitus erat:[a] his inquam occaſionibus acceſſerunt diſcipuli ita ſeparatim à turba ſedentem præceptorem,& interrogauerunt eum,dicentes:[b] Præceptor,paulo ante cum tibi ſtructuram templi monſtraremus,verbum auditu horribile reſpondiſti nobis,de templi deſtructione.Sed dic nobis,oramus,ſi ita tibi videtur expediens id nos cognoſcere, quo tempore iſta contingent,& quæ erunt ſigna aduentus tui ad iudicium , & conſummationis ſæculi, Diſcipuli nanq; tempora iſta ſimul cõmiſcebant,putantes deſtructionem templi quam prædicebat dominus,non niſi in conſummatione ſeculi & aduẽtu ſuo futuram:atque ob hoc,de tempore deſtructionis templi & conſummationis ſæculi, quaſi de vno tempore interrogabant.[c] Quoniam autem non inutilis erat, neque omnino curioſa diſcipulorum propoſita quæſtio,quæ ſigna interrogabat aduentus & conſummationis ſæculi(quorum notitia,ad præmonitionem fidelium,qui in illa incidẽt tempora,vtilis admodum erat & neceſſaria)benignè dominus reſpondit interrogantibus & prolixa narratione,partim de Hieroſolimitanæ vrbis excidio,partim de temporibus nouiſsimis diſſeruit:ſic vt quaſi permixtim,nũc de vno, nunc de altero,loqueretur:potiſsimum tamẽ,de tempore nouiſsimo,cuius notitia erat magis neceſſaria. [d]Dixit ergo illis dominus:Videant qui in illa incidẽt tempora,ſiue vos illi ſitis futuri,ſiue veſtri poſteri,ne à quoquam ſeducantur.Tempora enim illa nouiſsima de quibus interrogatis,erunt tempora admodum periculoſa,quibus ſibi cautè admodum prouidere debebunt,quicunque in recta fide perſtare voluerint. [e] Circa nanq; tempora illa falſi doctores multi exurgent,ad diſſeminãdos varios errores & hæreſes in populo:ſeſeque oſtentabunt hominibus,tanquã à Deo miſſos,& ex Deo docẽtes:in tãtam quoq; prorupturi audaciam,vt audeãt prędicare populo,& dicere: Ego ſum Chriſtus ſiue meſsias ille promiſſus,me ſequamini,

a acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecretò dicentes:

b Dic nobis,quãdo hæc erunt , & quod ſignũ aduentus tui , & conſummationis ſæculi?

c Reſpondens Ieſus,dixit eis:

d Videte ne quis vos ſeducat,

e Multi enim venient in nomine meo, dicẽtes: Ego ſum Chriſtus.

ni,meam doctrinam tenete,& aliam omnem abiicite. Ad hoc (inquiet) miſſus ſum à Deo,vt iſta & iſta annuntiem hominibus,vt de erroribus multorum ſæculorum illos eruam,& veritatem illis aperiam,quā ignorauerunt patres eorum.[a] Et multi ſeductoribus iſtis aurem accommodantes ſeducentur per eos,atq; à veritate abducentur in errorum deuia. Miſcebūtur quoque tunc omnia tumultibus inſolitis.[b] Audituri nanque eſtis prælia multa in diuerſis regnis & mūdi partibus inſigniter crudelia:[c]item & opiniones ſiue famas aut rumores aliorum adhuc inſtantiū præliorum. Audietis hîc quidem geſta eſſe prælia, illic geri, alibi parari:ſicque erunt omnia tumultibus & terroribus plena.[d] Vos autem his viſis ne conturbemini, ſcientes,ꝙ iſta omnia ſic euenire oporteat ante conſummationem. Omnino enim iſta ſic euenire oportet.[e] Veruntamen non ſtatim aderit conſummatio ſæculi. Nam erunt iſta tantum præludia, & quædam velut præcurrentia indicia venturæ cōſummationis.[f] Conſurgent nanque gentes & regna aduerſus inuicem,& arma mouebunt nouo inſueto modo,vix vſquam locorum pace permanente,& vbique bello aut certè belli fama & apparatu ſæuiente.[g] Erūt quoque ſingulares peſtiletię,& varia morborum genera:quæ tum ipſa nouitate,tum vehementia & efficacia & celeritate nocēdi,tum etiam generalitate,qua ſe longè lateque ſpargent,erunt admodum terribiles.[h] Erunt quoque fames admodum graues,per totum penè orbem,& terræmotus magni per loca diuerſa,ſiue per ſingula penè loca. Quæ omnia ſua ipſa nouitate velut prænuntiabunt,adeſſe in proximo conſummationem ſæculi. Quemadmodum enim ſenibus antequam ad mortem perueniant,multa prius incommoda & inſoliti caſus eueniunt,ex defectu virtutis naturalis ad finem tendentis, quæ ipſis ſunt velut prognoſtica & prænuntia mortis imminentis:ſic & cōſummationē nouiſsimam,mala multa & inſolita pręcedent, poſt paululum venturi finis propinqua indicia.[i] Priores autem illæ miſeriæ præliorum, famis, peſtilentiæ,& terræmotuum comparatione ad ea quę ſubſequētur mali,

a Et multos ſeducent.

b Audituri enim eſtis prælia,

c & opiniones præliorum.

d Videte ne turbemini. oportet enim hæc fieri:

e ſed nondum eſt finis.

f Conſurget enim gens in gentem,& regnum in regnum.

g Et erunt peſtilentiæ,

h & fames,& terræ motus per loca.

i Hæc autem omnia initia ſunt dolorum.

mala,modica videri poſsint,& tantum dolorum atq; miſeriarum principia. Nam erunt hęc generaliter omnium mala. Quæ autem ſequentur,erunt fidelibus peculiaria.[a] Grauiſsima nanque tunc mouebitur contra fideles perſequutio,& tribulationibus multis afficientur à malis,ita vt etiam morte ſint affecturi plurimos.[b] Eritiſq; vos mei diſcipuli & fideles odio habiti ab omnibus gentibus & hominibus incredulis, propter fidem & confeſsionem nominis mei. Erit enim tunc aduerſus nomen meum & fidem meam grauiſsima coniuratio,& perſequutio principum mundi & ſapiētum,adeò vt penè abominationi ſint futuri qui meum nomen confiteri voluerint.[c] Et tūc multi perſequutionis ſæuitia,vel cordis inſtabilitate ſcandalizabuntur ac corruent,attendentes ſpiritibus erroris, & magiſtris mendacij,apoſtatantes à fide:[d] & ſe inuicem tradent homines,accuſabuntque,& deferent ad tribunalia & cōſeſſus iudicum,[e] habebuntque ſe inuicem odio & perſequentur inuicem:non ſolum illi qui à principio infideles fuerant perſequētur fideles, verum etiam qui à fide apoſtatauerint,poſtmodum aduerſum eos ſæuient qui in recta fide voluerint permanere.[f] Et multi falſi doctores ſurgent,non miſsi à Deo,ſed mittentes ſeipſos & exaltantes,per faſtum, ſuperbi cordis ſui,vnde præſument ſe oſtentare tanquam à Deo miſſos ad docendum veritatem:multosque ſua blandiloquentia & erroneis perſuaſionibus à rectitudine,tum vitæ,tum doctrinę ſeu fidei,abducēt in errores & vitia.[g] Et quia erit tunc admodum abundans in terris iniquitas,quoniam ſcandalis plenus erit mundus,multorum charitas refrigeſcet:quorundam quidem penitus refrigeſcet ſiue extinguetur, aliorum verò licet non penitus extinguetur,attamen vacillabit,& obſcurabitur aliquātulum, multumque periclitabitur. Quemadmodum enim frigus abundans calorem extinguit atque expellit,vel certè imminuit,ſic iniquitas (quæ eſt velut quoddam animæ frigus)cum abundauerit & excreuerit,fauorem charitatis (quæ eſt velut ignis & calor quidam) extinguit,facitque refrigeſcere.[h] Verum tamen,qui his omnibus

a Tunc tradent vos in tribulationem,& occident vos

b Et eritis odio omnibus gentibus,propter nomen meum.

c Et tunc ſcandalizabuntur multi,

d & inuicem tradent,

e & odio habebunt inuicem.

f Et multi pſeudo propheta ſurgent,& seducēt multos.

g Et quoniam abundabit iniquitas,refrigeſcet charitas multorum.

h Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit,

omnibus malis nihil obſtantibus in rectitudine vitæ atq; fidei patienter & perſeueranter permanſerit, qui nullis perſequutionibus veritatem vitę atq; doctrinę deſeruerit, hic demum coronabitur, & ſalutem conſequetur ęternã, Quæ quidẽ tam magnifica promiſsio, & tam certa expectatio ampliſsimę mercedis fideliũ, debet animos in bono propoſito & finali perſeuerantia confirmare, vt propter nullam perſequutionem à bene ceptis deſiſtant.[a] Ante verò quàm veniat ſæculi conſummatio, oportebit hoc Euangelium regni cæleſtis prædicari per totum orbẽ, non obſtantibus quibuſcunque perſequutionibus & malis: prædicatio Euangelicæ & Chriſtianæ doctrinę per vniuerſum orbem dilatanda erit,[b] ita quod teſtimonium illi perhibebitur apud omnes populos: & id quidẽ magno cũ fructu electorum, ita vt non ſit gens aut populus, cui non annuntiandum ſit Euangelium ante finem mundi:[c] quod certiſsimum & indubitatũ eſt ſignum conſummationis, quod donec videatur impletum, nõ veniet conſummatio: quo econtrario impleto, tunc erit expectanda conſummatio.[d] Quantum autem ad tempus deſtructionis Hieroſolymitanæ attinet, hoc ſcitote, quòd cum videritis ſtantem in loco ſancto illam abominationem deſolationis quam prædixit futurã Daniel, poſt occiſum Chriſtum ſtatuto tempore, [e] tunc aduertat animum qui legit Prophetiam illã, & intelligat tẽpus eſſe quo impleri debeat. Hoc eſt, cum videritis Romanorũ exercitum locum ſanctum Hieruſalem ad obſidendum & oppugnãdum circundare. Vel cum videritis idolum aut ſtatuam poni in loco ſancto (quemadmodum in eo ad plura tempora ſtetiſſe legitur ſtatua Adriani equeſtris) tũc qui legit intelligat, propè adeſſe tempus.[f] Euenient autẽ tunc Iudæis tãta tamque horribilia mala, vt beatus ſit putandus, qui illa poſsit vel omnibus relictis effugere. Vnde qui in Iudæa ſunt, ſi ſibi velint conſultum, ad montes cõfugere debebunt, vt ibi latitent, à facie malorum quæ ſuperuenient Iudæis.[g] Et qui in tecto in ſupremo domus vel in ſummo ſolario prope tectum fuerint, conſulẽdum illis eſt, ſi vlla via pateat, vt mox viſo

a Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe,

b in teſtimoniũ omnibus gentibus:

c & tũc veniet conſummatio.

d Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto,

e qui legit intelligat.

f Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes:

g & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua.

viſo periculo fugiant,neq; vel domum ſuam ingrediantur ad auferendum aliquid quod ſecum portent ad fugam:ſed abſq; omni mora ſolicitè aufugiant,ne à tantis malis comprehendantur.[a] Item qui in agro fuerit,non erit illi conſultum vt fugam vel tantiſper differat,donec reuerſus domum veſtē ſecum auferat meliorem in qua fugiat.Erit in mora maximum periculū,& tanta erunt illa inſtantia mala,vt præſtet omnia relinquere,quàm ab eis cōprehendi,nihilq; ſit anteferendum fugæ,quę vnicum erit tanta mala effugiendi remedium.[b] Atq; hac ratione,infœlices erunt mulieres imprægnatę & grauidę,atq; illæ etiam quæ pueros lactant,eo quod ad fugam minus erunt paratę & idoneæ.Grauidę nanq; mulieres, onere prolis quā geſtant in vtero impediuntur ab expedito curſu aut celeri fuga.Illæ item quę pueros lactant,naturali cōmiſeratione permotę,non valent ſuos relinquere infantes:quos ſi ſecum fugientes abſtulerint,impediuntur onere & moleſtia illorum,ne expeditè valeant fugere.[c] Eadem item ratione optandum erit Iudęis,vt non tempus iſtud fugæ veniat hyeme vel ſabbato. Vtrunq; enim tempus illud,foret ad fugam admodū incommodum.Hyeme nanq; dies ſunt breuiores,vt longè fugere non permittat lumē citò deficiens:ſunt item frigora & alia incommoda multa in montibus ad quos confugiendum eſſet,minusq; tūc inueniunt fugitiui aut errantes in montibus vnde ſuſtententur, quàm ęſtate.Sabbato verò,ex legis pręſcripto,nō niſi ſabbati iter ſpatium videlicet modicū licet cōficere, quod ad effugiendum nequaquam ſufficeret. Procul nanq; fugiendum foret à tantis malis,quę vniuerſam penè Iudæam complebunt.[d] Erit enim tunc temporis tribulatio tam magna huic populo Iudęorū,qualem anteà nunquam ſunt experti vſque ad tēpus præſens,neq; vnquam experientur maiorem aut ſimilē; donec mundus perſtabit.Neque erūt vllius ponderis mala quæ ante ſenſerunt patres eorum,vel in Aegyptiaca ſeruitute,vel in captiuitate Babylonica,vel in aliis oppreſsionibus,quibus ſubinde nūc ab hoc nūc ab illo fuerūt afflicti,ſi conferantur cum iſtis quę tūc

a Et qui in agro,non reuertatur tollere tunicam ſuam.

b Væ autem prægnātibus & nutrientibus in illis diebus.

c Orate autem vt non fiat fuga veſtra in hyeme vel ſabbato.

d Erit enim tūc tribulatio magna,qualis non fuit ab initio mundi vſq; modo,neque fiet.

ſentient malis. Erit enim ira & vltio Dei cõſummata aduerſus populum iſtum: & poſt omnẽ miſeriã in obſidione perlatam, qui reliqui fuerint, diſpergentur captiui in omnes gentes, & Hieruſalem calcabitur à gẽtibus, donec impleantur ſtatuta tẽpora: quando poſtquam intrauerit plenitudo gentium, etiam Iſraël ſaluus fiet.[a] Et niſi diuina diſpoſitione breuius aſſignaretur illud afflictionis Iudaicæ tempus, quam ipſorũ culpa exigebat, & diuinę iuſtitię ſeueritas videbatur expoſcere, non ſeruarentur aut remanerent ex Iudęis illis vel vllæ reliquię, ſed radicitus deleretur illa praua generatio.[b] Veruntamen propter electos, quos ex populo illo poſtquam plenitudo gentium intrauerit ad ſe conuerti facit vt fiat ex duobus populis vnũ ouile & vnus paſtor, breuiabuntur dies illi afflictionis. Recordabitur dominus pacti ſui quod habuit cum Abraham, Iſaac, & Iacob, nec volet penitus delere ſemen eorum etiam carnale: ſed reliquias ſibi ſeruabit ex eis, quas ad ſe faciet conuerti circa conſummationem ſæculi: Facietq; vt perſequutionis grauitas breuiori durationis mora compenſetur, vt non penitus abſorbeantur aut deficiant fideles de Eccleſia.[c] In nouiſsimis autem illis tẽporibus, de quibus ab initio ſermonem feci, cautiſsimè ſibi proſpicere debebunt qui in ea incident tempora, ne acquieſcant ſpiritibus erroris, neve omni credant ſpiritui, ſed diligenter probare eos debebunt, ſi ex Deo ſint. Hoc autem pro generali & certa regula teneant, vt alium Chriſtum nõ recipiant, præter eum quem iam olim receperunt, neque aliud Euangelium præter id quod iam olim prædicatum eſt, & cui ipſi iam olim crediderunt. Propter quod, ſi fama ſpargatur, quę dicat, aut hîc aut illic apparuiſſe Chriſtum ſiuè Meſsiam à Deo miſſum, qui nouam doctrinam & ſolam verã doceat, quam etiam miraculis magnis confirmet, non debebunt huiuſmodi rumoribus fidem habere fideles: quin potius pro anathemate habere debent omnẽ eum qui aliũ Chriſtum vel aliud Euangelium prædicauerit, etiam ſi angelus videatur de cælo adueniens.[d] Exurgent nanque in illis tẽporibus diuerſi pſeudochriſti & pſeudoprophe-

a Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro.

b Sed propter electos breuiabuntur dies illi.

c Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hîc eſt Chriſtus aut ecce illic, nolite credere.

d Surgẽt enim pſeudochriſti, et pſeudoprophetæ,

prophetæ, qui mentientur ſe eſſe Chriſtos, & à Deo miſſos ad veritatē prædicādam, & omniū ſæculorum errores corrigendos:qui & mihi,& Euāgelio per me prædicato detrahent, mēq; vt pſeudochriſtū & ſeductorem reprobabunt,ſe autem verè à Deo miſſos, & multo ante promiſſos aſſeuerabunt: [a] Deóq; permittente,per dæmonum virtutē tanta ædent ſigna atque prodigia,tam euidentia,támq; efficacia, vt etiam electis Dei ſeducendis atq; in errorem mittēdis ſua euidentia videātur poſſe ſufficere,niſi Dei ſpeciali cuſtodia à lapſu ſeruarentur aliquot electi. [b] Ecce prædixi vobis,& præmonui de iis quę vētura ſunt in illis temporibus,vt præuiſa iacula cum aduenerint,per clipeū prouidentiæ ſic excipiantur,ne noceant,neque dubitationis vulnus cordibus veſtris infigant. [c] Itaq; (vt vel frequenti replicatione rem neceſſariam vobis inculcem)ſi dixerint vobis homines, Ecce illic in deſerto eſt Chriſtus,non moueamini à firmitate veſtræ fidei,neque exeatis ad audiendū illos. [d] Item ſi dixerint,Ecce illic in domo eſt,in conclaui quopiā Chriſtus,æque nolite fidem habere eiuſmodi ſuaſionibus. [e] Cùm enim iterum Chriſtus venturus eſt, non erit opus vt quiſquam vobis eū indicet aduenientē. Tam enim manifeſtus veniet,vt palàm omnibus ſit reuelādus atque ab omnibus videndus. Sicut enim fulgur quando apparet mūdo,ab omnibus manifeſtè cernitur, vtpote ab oriente tranſiens ad occidentem, propter quod non eſt opus vt ab vllo monſtretur aut nūtietur hominibus.Ecce hîc aut ibi eſt fulmen:ſic & filius hominis manifeſtè apparebit omnibus, cum iterum aduenerit,vt videat eum omnis oculus,& neminem latere poſsit. [f] Et quemadmodum aquilæ pertrahuntur odore cadaueris ad locum vbi ipſum iacuerit, ſic me adueniente, ad me congregabuntur omnes electi:ſentientq́ue mox illi virtutem præſentiæ aduentus mei,& rapientur mihi obuiam in aëra, vt ſemper ſint mecum & in me paſcamur atque ſatientur:quemadmodum ad cadauer feſtinant & congregantur aquilæ, vt ex eius carnibus paſcantur. Nihil opus eſt,vt aquilis quiſpiam indicet, Ecce hîc aut illic

a & dabūt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiā electi.

b Ecce prædixi vobis.

c Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt,nolite exire.

d ecce in penetralibus, nolite credere.

Sicut enim fulgur exit ab oriēte,& paret vſque in occidentem:ita erit & aduētus filij hominis.

f Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabūtur & aquilæ.

illic cadauer iacet putridum: ipſo odoré ad ſe allicit aquilas. Sic nullo erit electis meis demoſtratore opus qui dicat, Ecce hîc aut illic eſt Chriſtus, me aduenięte, ſtatim vltrò meam ſentient præſentiam, & ad me congregabuntur per virtutem præſentiæ meæ.[a] Nõ multo autem poſt illorum dierum nouiſsimorum tribulationē, imminente iam in proximo cõſummatione ſæculi & aduentu filij hominis, ſol iſte corporeus perdet lumen ſuum, & conuertetur in tenebras:[b] ſimiliter & luna lumine ſuo priuabitur, ſimúlq; cũ ſole deficiet lumine, ſicut deficit riuulus fonte ſiccato, vnde profluebant aquæ eius.[c] Item & ſtellæ deſinent ſuper terram lumen effundere, ſicque de cælo videbuntur ſubitò decidere & deperire.[d] Virtutes quoque cælorũ commouebuntur: vires ſcilicet naturales & influentiæ quæ corporibus inſunt cęleſtibus, & quibus potenter in hæc agunt inferiora, immutabuntur & deficient ſimul cum ablato lumine. Sic etiam ante conſummationem totius ſæculi, tribulatio maxima orietur vniuerſis fidelibus per totũ orbem, qualis nũquam ante fuit neque pòſt erit: quæ tāta erit tamq; acerba, vt niſi propter electos ſuos illam Deus breuiorem faceret, quam hominũ malitia promerebitur, & quam perſequutorum rabies volet: vix quiſquam relinqueretur fidelium, qui nõ perſequutionis enormitate vel auferretur de via, vel à veritate deficeret. Veruntamen propter electorum ſalutem, faciet Deus cũ tentatione prouentum & pactum vt ſuſtinere valeāt, & inuenire exitum. Ipſi quoq; angelici exercitus (qui cælorum virtutes nominantur) cõmouebuntur & cõturbabuntur ſuper re tam inſolita & die tam noua.[e] Ac tunc apparebit in cælo corā oculis omnium ſignum filij hominis, ſignum crucis in qua filius hominis exaltatus & clarificatus fuit, opus in ea perficiens ad quod à patre miſſus venerat in mundum: quod ſignum tunc apparebit, ad iudicis denuntiationem, ad incredulorum confuſionem, & conſolationem fidelium.[f] Et tunc venientem cernentes iudicem, plangent ex omnibus populis mali & increduli, qui in ipſum credere aut ipſius mandatis obedire contēpſerunt,

a Statim autē poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur.
b & luna non dabit lumē ſuū.
c & ſtellæ cadent de cælo,
d & virtutes cælorum cõmouebuntur.
e Et tunc parebit ſignum filij hominis in cælo:
f & tunc plangent omnes tribus terræ.

runt,& crucem eius effuſumq́; in ea ſanguinem contempſerunt & conculcauerũt,per ſua peccata,de quibus nó egerint pœnitentiam:plangent (inquã) impij iſti,nó aduenientem iudicem neque ſignum eius,ſed ſeipſos plangẽt, propter imminẽs ſibi ex teſtimonio malæ conſcientiæ cõdemnationis iudicium:boni verò forſitan etiam plangent præ gaudio, cum videbũt ſuum dominum olim ſic cõtemptũ & deſpectũ apud homines, cum tanta nunc gloria redeuntem è cælis quemadmodũ gaudere ſolet atq; præ gaudio ſubinde flere amicus,cum poſt lõgam peregrinationem multóſq; labores & pericula, videt incolumen proſperè redeuntem amicũ ſuum. [a] Et videbunt vniuerſi tam boni quàm mali filium hominis venientem in nubibus cæli,tanquã nubibus pro vehiculo & throno inſidentem, vt quomodo in nube aſcendit à terris ad cælum,ita in nube redeat ad iudicium. [b] Veniet autem cum magna virtute & magnifica gloria:angelorum maximo exercitu circúndatus: quemadmodum cum rex ad pugnam contra inimicos ſuos egreditur, multis millibus militum ſtipatus: [c] & in magnifica maieſtate, vtpote in gloria patris ſui: in tanta vtique támq; præcellẽti gloria, vt manifeſtè omnibus patere poſsit,hunc eſſe verum filium Dei, & hũc eum eſſe qui poteſtatem habet à Deo patre iudicandi viuos ac mortuos. [d] Vtetur autem filius hominis,ad declarandum magnificentiam & gloriam poteſtatis ſuæ angelis ꝑ miniſtris ſuis:quos emittet per vniuerſum orbem cum tuba & voce magna, videlicet vt voce validiſsima perſonantes per orbem,inclamẽt vocem illam magnæ virtutis, Surgite mortui, venite ad iudicium: & perficietur horum miniſterio mortuorũ reſurrectio, [e] congregabũtúrq; per eos & deducentur ad dominum in occurſum ipſius omnes electi à ſummo cælorum vertice, vſque ad reſpondentem ex oppoſito extremum & contrarium verticem: ideſt, vbicunque tandem locorum delituerint,ſiue corpora, ſiue animæ, tunc certè rurſum conuenientur,& viui ipſi ac reſuſcitati tam corpore quàm anima procedent illi obuiam, ad congratulandum diu expectato

a Et videbunt filium hominis venientẽ in nubibus cæli,

b cum virtute multa,

c & maieſtate,

d Et mittet angelos ſuos, cum tuba et voce magna,

e & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cælorum vſque ad terminos eorũ.

a Ab arbore autem fici diſcite parabolam. judici.[a] Accipite verò ſimilitudinem ab arbore fici, & ex eius ſimilitudine diſcite argumentari inſtans tẽpus conſummationis ſæculi. [b] Quemadmodũ enim ex certis quibuſdam indiciis quæ videtis in ficu colligitis propè eſſe tempus æſtatis, vtpote cum videritis ramos eius teneriores ſiue molliores fieri, vt ſolẽt arborum rami per tempus hyemis rigore frigoris indurati, aduenięte vere molleſcere vi ſolis appropinquãtis præcepta, vt iam incipiant ex ſe folia producere.

b Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata,

c ſcitis quia propè eſt æſtas.

d Ita & vos cũ videritis hæc omnia, ſcitote qa propè eſt in ianuis.

c Ex his indiciis argumentando colligitis, iam hyemem tranſiiſſe, & vernum tempus aduениſſe, nec longè abeſſe tempus æſtatis. [d] Ad eũdem modum, cum iſta omnia quæ prædixi ſigna aduentus mei euenire videritis, certo argumento colligere poteritis, quòd propinquus ſit aduentus meus, & iudicij atq; cõſummationis ſæculi dies immineat. [e] Dico enim vobis in veritate, quòd nõ deficiet generatio iſta hominũ, antequam omnia impleantur: id eſt, ante conſummationẽ ſæculi oportebit hæc omnia impleri quæ prædixi vobis: & qui ex iſta generatione hominum erũt ſuperſtites in tempore illo, videbunt impleri omnia. Non etiam deficiet generatio fidelium, donec omnia impleantur: quoniam vſque ad conſummationem ſęculi perſtabit Eccleſia. Vnde qui in nouiſsimis tẽporibus ſunt venturi fideles, verè hæc omnia impleri videbunt. [f] Quæ autem ego loquor vobis, infallibilem & indubitatam habent veritatem, eáque non euenire eſt prorſus impoſsibile. Cælum quidem & terra tranſibunt, & immutabuntur ſiue innouabuntur ab eo ſtatu in quo nunc ſunt, ad ſtatum perfectiorem in conſummatione ſæculi deducẽda, poſtquam, ſeruire deſierint homini, cui interim ſeruiunt, ſicque mutabilitati & inſtabilitati ſunt ſubiecta. [g] Verba autem mea certiſsima ſunt, penitus infallibilia & immutabilia, vt aliter quàm prædixi euenire non poſsit, neque quicquam vel minimum eorum non impleri. [h] Sicut autem certiſsimum vobis eſſe debet, venturum aliquando eſſe diem vnum conſummationis ſæculi atque iudicij: ita omnino incognitum eſt hominibus, imò & angelis in cælo, quiſn

e Amẽ dico vobis, quia nõ præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiãt.

f Cælum et terra tranſibunt:

g verba autem mea nõ præteribunt.

h De die autẽ illa et hora nemo ſcit, neque angeli cælorũ,

quiſnam ille dies ſit futurus: nemo hominū in terra, neque etiam angelorum in cælo, diſtinctè cognoſcit diem illum iudicij nouiſsimum. [a] Hoc enim ſecretū ſibi ſeruare vult Deus, & hominibus nequaquam patefacere, quod eis non expediat ipſum cognoſcere. [b] Sic autem erit in aduentu filij hominis, quantum ad malos & abſque timore viuentes homines, quomodo erat in diebus Noë in aduentu diluuij ſuper terram: ſimiliter veniet dies domini & imparatos opprimet homines mundi huius, quomodo diluuiū in diebus Noë ſubitò oppreſsit homines mundi, tale nihil expectantes. [c] Quemadmodum enim in diebus Noë, antequam veniret diluuium, viuebant homines mūdi in ſecuritate magna & voluptate, nihil expectantes mali, ſed omnia agentes vt ſolet inter homines fieri: videlicet epulantes & deliciātes, matrimonia quoque contrahentes, & nuptui dantes, vſque ad diem nouiſsimum quo intrauit Noë in arcam: [d] & non cognouerunt, donec ſubitò adueniens omnes opprimeret & interficeret qui nō erant cum Noë in arca, cui Noë pœnitentiam prædicanti & diluuiū comminanti noluerūt credere, neque voluerūt intelligere, quod ſibi denūtiabatur periculum, ſed permanſerunt in priſtina ſua ſecuritate & voluptatibus: [e] ſic & ante aduentū filij hominis mundani homines prædicantibus pœnitentiam & iudicium propinquum denūtiantibus viris ſanctis nolētes credere, in priſtinis autē ſuis cupiditatibus & impietatibus eligentes permanere, ſubitò opprimentur imparati, & morientur in iniquitatib' ſuis. Dies enim domini ſicut fur in nocte ita veniet, cum non expectabunt homines. [f] Tūc erit videre admirabilē diuiſionem & ſeparationem eorum qui videbantur ſibi proximi & coniunctiſsmi, vel officio, vel negotio, vel etiā alio vinculo. Duorū nanque ſimul in eodem agro laborantium, [g] alter aſſumetur ad gloriam, & tanquam electus rapietur obuiam iudici in aëra, vt lætus occurrat ad gratulatione venienti: [h] alter vero reprobabitur ad damnatione, & tanquam reprobatus relinquetur in terra, vt inde detrahatur accepta ſententia in inferiora tartari.

a nisi ſolus pater.
b Sicut autē in diebus Noë ita erit & aduentus filij hominis.
c Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes, et nuptui tradentes vſque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam,
d & non cognouerunt, donec venit diluuium & tulit omnes:
e ita erit et aduentus filij hominis.
f Tunc duo erūt in agro:
g vnus aſſumetur,
h & vnus relinquetur.

Sic

a Duæ molẽtes in mola, b vna aſſumetur, c & vna relinquetur. d Duo in lecto: e vnus aſſumetur, f & vnus relinquetur. g Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora dominus veſter venturus ſit. h Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtique. i & non fineret perfodi domum ſuam. k Ideo & vos eſtote parati, quia qua neſcitis hora filius hominis venturus eſt. l Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuã, vt det illis cibũ in tempore?

[a] Sic duarum ſimul in vna mola molentium quæ in vna re domeſtica ſimul inuenientur occupatæ, [b] ſubitò altera aſſumetur ad gloriam, [c] altera reprobabitur ad damnationem. [d] Similiter duorum eodem in lecto quieſcentium, vtpote duorum cõiugum vel familiarium, [e] alter ſubitò aſſumetur ad gloriam, [f] alter reprobabitur ad pœnã. Ita quoq; in reliquis, qui libet apud ſeſe æſtimare poteſt admirabilem (etiam inter corpore, officio, negotio vel occupatione coniunctiſsimos) fore diuiſionem: quæ profectò multum homines terrere debent, & ad ſe dignè præparandum in diem illam, adducere. [g] Debet autem vobis, meritò id eſſe occaſio ſemper vigilandi, & cum ſolicitudine obſeruãdi atque expectandi diem illum aduẽtus mei, quòd incerti ſitis, quando dominus veſter ſit vẽturus ad iudiciũ. Quia enim certiſsimi eſtis horam illam ſemel vẽturam, & quando illa ſit ventura omnino vobis eſt incognitum, iccirco ne vnquam inueniamini imparati, ſemper vobis eſt vigilandũ, in fide recta & operibus Deo placitis, quæ per dilectionẽ fides operatur: omnis autem torpor, deſidia, & ſecuritas mala, procul debet à vobis abeſſe. [h] Illud autẽ certiſsimum eſt, ſi quis paterfamilias ſciret horam determinatam qua ad ipſius bona diripiẽda fur eſſet vẽturus, diligentiſsimè illum vigilaturum eſſe & obſeruaturum ſua omnia, vt præcaueret damnum ſibi à propinquo fure imminens, [i] nec fineret domum ſuam à fure perfodi, ad direptionem bonorum ſuorum: & quia tempus determinatum ignorat, iccirco ſemper oportet bonũ patremfamilias eſſe ſolicitum, & ſemper eſſe benè munitum atq; prouiſum, vt non vnquã à fure opprimatur imparatus, poſsitq; mox vbi illum audiat reſiſtere. [k] Sic vnuſquiſque homo prudens, eo quod determinatum tempus nõ nouit aduentus domini, omne tempus debet habere ſuſpectum, & ſemper paratum ſe præſtare. Quàm verò omnibus ſit vigilantia iſta in bono neceſſaria, & quàm damnanda dormitatio in malo, aperta vobis monſtrabo ſimilitudine. [l] Quemadmodum enim ſeruus fidelis quem dominus præfecit famulitio ſiue famulorum collegio

gio

gio,& quaſi rectorem ac præcipuum ſuper eos cõſtituit,vt opportuno tempore curet illis conuenientem ipſorum conditioni cibum adminiſtrare, ſi accepto hoc mandato à domino commiſſum ſibi munus fideliter & vigilanter exequi ſtuduerit,toto conatu & vigilãtia ad hoc intendens,vt domino ſuo fidelis inueniatur,& domini fideliter impleat voluntatem, hic per vigilantiam ſuam & fidelem adminiſtrationem, magnam apud dominum inibit gratiam : [a] & cum aduenerit dominus, & ſuũ ſeruum fidelem comprobauerit, proculdubio mercedem bonam accipiet. [b] Inuentus nanque fidelis in modico, ad altiora ſublimabitur,& conſtituetur à domino ſuper omnia bona ſua,ad ſummum honorem eũ prouehet,qui in minori fidelis comprobatus eſt. [c] Si verò ſeruus,accepta tali à domino poteſtate,& mandato ſuſcepto, ob domini abſentiam, timorem domini poſtponat (eo quòd longè abeſſe exiſtimetur & non breui rediturus) [d] cœperitque non vigilanter neque fideliter adminiſtrare ſibi commiſſum officium, ſed magis ecõtrariò abuti poteſtate ſua, & eam poteſtatem quàm accepit in bonum ſeruorum vertere cœperit in tyrãnidem & in malum cõſeruorum ſuorum,non ſolum nõ dans illis cibum in tempore,verumetiam probra & plagas ſine cauſa inferens: [e] ipſe verò pecuniam domini ſui malê expendat in comeſſationibus & impudicitiis cum ebrioſis & meretricibus,non impunè feret ſeruus eiuſmodi tam infidelẽ adminiſtrationẽ cõmiſsi ſibi muneris:& ſecuritas illa,in qua viuit domini timore poſtpoſito quaſi nunquam vltra ſit rediturus,cedet ei in magnum malum. [f] Veniet enim nõ poſt multum temporis dominus, in die illa qua non expectauerit illum ſeruus, [g] & hora quam ille ignorabit,quando ſcilicet nihil ille ſeruus ſuſpicabitur de aduentu domini : inueniénſque hunc in eo malitiæ ſtatu, imparatum penitus ad reddendam rationem, [h] ſubitò eum condemnabit & diuidet, diſſecabitque eum à familia ſua,tanquam indignum qui cæteris cũ ſeruis adnumeretur,propter infidelitatem ſuam: [i] ponétque portionem eius cum damnandis hypocritis,

quorum

a Beatus ille ſeruus, quem cum venerit dominus eius inuenerit ſic facientem.

b Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

c Si autem dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo: moram facit dominus meus venire,

d & cœperit percutere conſeruos ſuos,

e manducet autem et bibat cũ ebrioſis,

f veniet dominus ſerui illius in die qua non ſperat:

g et hora qua ignorat,

h et diuidet eũ,

i partemq; eius ponet cum hypocritis.

quorũ eſt certa damnatio, in ignem coniicietur æternum, [a] vbi erit fletus & ſtridor gentium, & cruciatus æterni. Iuxta hanc ſimilitudinem quiſquis in commiſſo ſibi munere modo vigilans & fidelis fuerit, huic benè erit in die iudicij, contra verò, malè illi erit, qui infidelis inuentus fuerit.

a Illic erit fletus & ſtridor dentium.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIIII.

ET *egreſſus Ieſus de templo, ibat.*) Videtur hypoſtigma faciendum poſt nomen Ieſus, vt particula, de templo conſtruatur cum verbo, ibat. Id ex Græcò patet manifeſtius, vbi alio ordine ſic dicitur, Egrediens vel egreſſus Ieſus ibat à templo. ¶ *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis non relinquetur &c.*) Poteſt illud, *Videtis hæc omnia*, legi per modum quæſtionis ad excitandum affectum a ıdictis, quo admirabilius videatur quod ſtatim ſubiungitur, *Amen dico vobis non relinquetur lapis &c.* Quaſi dicat: Ex omni hac ſtructura tam ampla, tam artificioſa, & tã magnifica quam vos modo cernitis & admiramini, nihil remanebit integrum, ſed tota diſſipabitur. Secundũ hunc modũ apud Lucam Phariſæo murmuranti ſuper peccatrice lauante pedes ſuos reſpondit dominus: *Vides hanc mulierem? Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos.* quaſi dicat, Hæc mulier quam tu aſpiciens ſpernis & condemnas, talis eſt, vt te amore & beneficio erga me ſuperet. Interdũ iſtud ſine interrogatione dicitur, ſed minori affectu. Velut cum Moſes conterritis propter Aegyptios filiis Iſraël, iuxta mare dicebat, *Aegyptios quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vſq; in ſempiternum*, quod maiori cum affectu ita diceretur: Videtis Aegyptios iſtos? Nec vnũ ex eis vltra videbitis vſque in ſempiternum. Quod tamen dicitur, *Non relinquetur hic*, id eſt, in hoc ædificio lapis ſuper lapidẽ, qui non deſtruatur, accipiendũ eſt ſecundum hyperbolem, vt ſignificetur maxima & extrema deſtructio, nihilque ex eo ædificio relinquendũ. Neque enim veriſimile eſt tã fuiſſe curioſos aut potius otioſos Romanos, vt eis vel vacauerit, vel libuerit ſingulos lapides abinuicẽ auellere, quomodo facere ſolent, qui veterẽ murum deſtruũt, & lapides ſingulos abinuicem magno labore diſſoluant, vt ex iiſdẽ lapidibus murum nouum conſtruant. ¶ *Dic nobis quando hæc erunt: et quod ſignum aduentus tui et conſummationis ſeculi?*) Diſcipuli plures interrogationes vt vnã faciunt, Arbitrabantur enim ipſi non longè abeſſe iudicij diem, & quod dixerat dominus de deſtructione tẽpli, putabant ad tempus conſummationis ſæculi referendum. Dominus autem ſic prudenter reſponſionem

nē ſuam temperat, vt tamen apertè tempora non diſtinguat. Vnde in toto ſermonis proceſſu ſic loquitur, quaſi de vno eodémque tépore loqueretur, cū ſit euidentiſsimum, quædam ad tempus cōſummationis ſæculi, quædam verò ad tēpus Hieroſolymitanæ deſtructionis pertinere. Literam tamen ſectanti videbitur dominus tempus vnum & idem inſinuare quo fient hæc omnia, multoties replicans, tūc, tunc, tunc: ex qua replicatione, quis non putaret vnicum tempus per totū ſermonem ſignari? Apud Lucam tamen diſtinctius aliquāto dicuntur, quæ apud Matthæum magis videntur commixta. ¶ *Multi enim venient in nomine meo.*) In nomine meo venient, id eſt, ſub nomine meo, videlicet nomen meū & officium ac gradū ſibi vſurpantes, & hoc eſſe ſe iactitantes, quod ſum ego. Alias verò accipitur in nomine patris, vt idem ſit, quod miſſus à patre, vt in illa acclamatione Hebræorum, *Benedictus qui venit in nomine domini.* Et apud Ioannē, *Ego veni in nomine patris mei, et non recepiſtis me. Alius veniet in nomine ſuo, et illum recipietis.* Hoc eſt, ego veni miſſus à patre, & alius veniet miſſus à ſeipſo. Rurſum alibi valet ſub nomine alicuius idem quod ſub conſideratione vel ratione alicuius. Vt eum ſupra dicebatur: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, et iuſtum in nomine iuſti*, hoc eſt, quatenus vel quia Propheta vel iuſtus eſt, aut ſub ea conſideratione & ratione. Item qui potum dederit vni ex his in nomine diſcipuli, id eſt, quia diſcipulus meus eſt. ¶ *Prælia et opiniones præliorum.*) Opiniones, id eſt famas vel rumores. Græcè eſt ἀκοὰς akoas, id eſt, auditiones, pro quo clarius dixit interpres opiniones. Ita alibi dicitur de Chriſto, *Abijt opinio eius in totam Syriam*, Græcè idem eſt vocabulum, quemadmodum ſupra ſuo loco indicauimus. Signanter autem dixit prælia & opiniones vel rumores præliorum, quod interdū ipſi rumores præuij non minus imò aliquando plus mundum perturbent & territos reddant homines, quam ipſa tandem cum euenerint prælia. *Cum ergo videritis abominationem deſolationis &c.* Vſque adhunc paſſum nos in Elucidatione omnia expoſuimus de temporibus nouiſsimis inſtante conſummatione ſæculi, eo quòd manifeſtè videantur illuc pertinere penè omnia, & licet plæraque illorum partim etiam impleta ſint ante deſtructionem Hieroſolymitanam, ſi tamen ſimul omnia conferamus, inuenientur ad illud tempus non inconuenienter reduci omnia. Neque enim gentes aduerſus gentes, neque regna aduerſus regna ante deſtructionem Hieroſolymæ multum legimus conſurrexiſſe, neque per varia loca terræmotus, tametſi in Iudæa quædam bella inteſtina præceſſerint, & quædam fames. Neque Euangelium regni prædicatum eſt in toto orbe,

ante

ante conſummationē ſæculi: cū in multis partibus orbis iiſque permagnis non ſit hactenus prædicatū vel auditum Euangelium, Vnde vt concedamus aliqua ex parte iſta præceſsiſſe illam deſtructionem, certè præcipuè videntur referenda ad tempora nouiſsima. Quod tamen modo ſequitur: *Cum ergo videritis &c.* apertè videtur ad miſeriā Iudæorū pertinere. Propter quod, conuenientior eſſet coniunctio. autem, quam ponit Lucas, dicens: *Cum autē videritis ab exercitu circundari Hieruſalem &c.* Quantum verò ad literam, nota diuerſi modis totam hanc orationem poſſe diſtingui. Prior eſt accipiendo particulā illam, *qui legit intelligat*, vt interiectam parentheſim, & iungendo reliqua hoc modo, *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes.* Alter diſtinctionis modus eſt, vt in particula illa, qui legit intelligat, prior compleatur ſententia: in eo autem quod ſequitur: *Tunc qui in Iudæa ſunt*, inchoëtur noua, hoc modo, *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt. &c. tunc qui legit intelligat*, ſupple tunc adeſſe tempus implendæ illius Prophetiæ, & deſolationem inſtare. Ac deinde ſequitur, *Tunc qui in Iudæa ſunt etc.* hanc autem diſtinctionem nos ſequimur in Elucidatione. Eſt enim iis quæ apud Lucam dicuntur magis conſentanea. Sic enim ibi legimus, *Cum autem videritis ab exercitu circundari Hieruſalem, ſcitote quia appropinquabit deſolatio eius. Tunc qui in Iudæa ſunt, &c.* Ob idem quoque Lucæ verbum *abominationem deſolationis*, interpretati ſumus exercitum Romanorum, qui abominandam & horribilem Iudæis deſolationem exercuit in loco ſancto, nihilominus & aliam magis vulgatam expoſitionem de idolo aliquo adiungentes. ¶ *Stellæ cadent de cælo*) Non cadent ſecundum veritatem ipſæ ſtellæ de cælo, ſed tātum ſecundum apparentiam, quatenus ſubitò deficiente lumine, non vltra videbūtur: quemadmodum vulgus hominum deficere & extingui iudicant ſtellam, cum ipſorum ſubtrahitur aſpectui. ¶ *Mittet angelos ſuos cum tuba et voce magna.*) Poteſt coniunctio, &, expoſitiuè accipi, vt per tubam intelligatur ipſa illa vox magnæ virtutis quę angelico fiet miniſterio admodū terribiliter ſonantis tubæ. De hac autem tuba etiam Paulus dicit, *Canet enim tuba, et mortui reſurgent incorrupti.* Et alibi: *Dominus Ieſus in tuba et voce archāgeli deſcendet de cælo.* ¶ *A ſummis cælorum vſq; ad terminos eorum.*) Græcè eſt, à ſummis cęlorum vſque ad ſumma eorum: vel à verticibus cælorum vſque ad vertices eorum, id eſt, ab vno polo vſque ad alterum è regione oppoſitum. Quo modo loquendi hyperbolico ſignificat ab omnibus locis congregandos electos, vbicunque tandem latitent, quoniam quidem

dem nullus eſt locus qui non intra duos hos cælorum terminos con-
tineatur,ſicut rurſum dicens à quatuor ventis totá ſignificat cęli lati
tudinẽ,quę ſecundum quatuor partes Orientem,Occidentem,Meri
diem,& Septentrionem diuiditur,à quibus quatuor venti procedũt
& denominantur.Valet enim hoc à quatuor vẽtis,idem quod à qua-
tuor partibus mundi,ex quibus venti quatuor procedũt & nomẽ ac-
cipiunt,quemadmodum alibi dicit dominus: *Venient ab Oriente & Oc-
cidente & Aquilone & Meridie,& recumbent cum Abraham &c.* ¶*Sci-
tote quia propè eſt in ianuis.*) Prouerbiali ſermone dicitur eſſe in ianuis
quod propinquum eſt vt veniat,eo quòd propè ſit ad ingreſſum qui
aſsiſtit oſtio.In eundẽ ſenſum dicimus pulſare fores quod eſt in pro
ximo & iamiam adueniet. ¶*Et non cognouerunt donec venit diluuium.*)
Non cognouerunt,id eſt,non crediderunt & noluerunt intelligere
vt crederent.Alioqui cognoſcebãt ſimpliciter Noë iuſto multo ante
quàm veniret diluuium prædicante pœnitentiam: quemadmodum
apertè teſtatur Beroſus Chaldæus author fide dignus,inſuper & bea
tus Petrus in priore ſua Epiſtola occultè inſinuat. ¶*Tunc duo erunt in
agro &c.*) Hæc omnia myſticè alij interpretantur,& accommodant
diuerſis ſtatibus & conditionibus hominum,quorum alij laborãt ve
lut foris in agro,alij velut domi in mola,alij velut in lecto quieſcũt.
Nos ſimpliciter iſta dicta expoſuimus,ad indicandam mirabilem &
conſideratione dignißimam ſeparationem:quæ in eo die videbitur.
¶*Super familiam ſuam.*) Græcè eſt ἐπὶ τῆς θεραπείας epi tis therapias,
id eſt,ſuper famulitium.Familia nanq; etiam liberos cõplectitur.Fa
mulitium autem tantum famulos ſiue ſeruos.Idẽ eſt ac ſi diceret ſu-
per conſeruos ſuos. Conſerui nanque eius ſunt famulitium domini
ſui.Illud autem in tempore,valet cum oportunũ fuerit.Vnde ſignan-
ter in Græco dicitur ἐν καιρῷ en kæro,quod ſignificat in opportuno
tempore vel in opportunitate. ¶*Moram facit dominus meus venire.*)
Græcè eſt vnico verbo χρονίζει chroniſi,verbũ à nomine χρόνος chro
nos(quod ſignificat tempus)formatũ,& valet tardare,aut cunctari,
ſiue moram facere.Eſt ergo ſenſus,Tardat redire,vel cunctatur redi
re,vel differt reditum.¶*In die qua non ſperat.*) Sperat pro expectat po
nitur.Græcè enim eſt προσδοκᾷ proſdoka,id eſt,expectat vel præſto
latur. ¶*Et diuidet eum.*) Græcè eſt διχοτομήσει dichotomieſi,id eſt,diſ-
ſecabit,id eſt,ſecãdo diuidet, vel ſeparabit eum, à familia videlicet
ſua illum abiiciendo,& reprobando inæternũ. Non enim accipiẽda
eſt iſta diuiſio vt totius ſerui in duas partes,ſed vt ipſius totius à fami
lia & cõmunione domini ſui,quod indicat ſtatim ſubſequẽs particu
la: Partemque ipſius ponet cum hypocritis. Hypocritarum autẽ me

minit,quod certa ſit illorum damnatio.Vel quia modo quodam ſunt hypocritæ,quicunque prælationis ordinem tenent,ſed commiſſam ſibi curam malè exercent.Ipſi nanque gradu & officio ſe profitētur aliorum paſtores & gubernatores, cum reuera potius ſint aliorum oppreſſores & ſubuerſores.

ELVCIDATIO CAP. XXV.

TVnc ſimile erit regnum cælorum decē virginibus, b quæ accipientes lāpades ſuas exierūt obuiam ſpōſo et ſponſæ. c Quinque autē ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. d ſed quinq; fatuæ acceptis lāpadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum. e Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. f Moram autē faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, g ac dormierunt. h Media autem nocte clamor factus eſt:

IN illo nouiſsimo iudicij die,quantum ad præmium regni cælorum,ita res ſe habebit & ſic aget iudex,quomodo ſub ſequens edocet parabola,quę eſt de decem virginibus:[b] quæ æquè omnes viſæ ſunt ſe parare ad occurrendum ſponſo venturo & copulaturo ſibi ſuam ſponſam in vxorem, atque ad hoc lampades acceperunt, quibus illum cum gloria & honore aduenientem ſuſciperent.[c] Harum autem decem virginum quinq; erant fatuæ, & totidem prudentes.[d] Quinque fatuæ in hoc ſuam ſtultitiam demonſtrarunt,quòd volētes obuiam pergere ſponſo,atq; ad hoc lampades aſſumentes,neglexerunt in vaſculis aptis deferre ſecum oleum,vnde flammam lampadis nutrire poſſent tardante ſponſo:qua in re,ſuam inſipientiam,incogitantiam,improuidentiam,dormitationem,atq; ſtultitiam,patenter inſinuant.[e] Prudentes autem quinque accipiētes ſecum lampades,ſimul etiam in vaſculis commodè ad hoc paratis detulerūt ſecum oleum:vt ſi fortè diuitius tardaret venire ſponſus,lampades ſuas inde nutrire poſſent vſq; ad aduentum eius.[f] Factum eſt autem,ſponſo tardante venire, neque poſt longam expectationem adhuc aduenienter,cœperunt,deficiente ſenſuum vigore & imbecillitate naturæ ſuccumbente:modicè primū dormitare, quemadmodum facere ſolent qui in longum vigilias protrahunt vltra quàm ſenſum vigor ferat,[g] ac deinde vt vigiliarum penitus impatiētes pleno ſomno ſunt obrutæ, vt ſolet à dormitatione modica ad dormitionem perfectiorē & plenum ſomnū perueniri.[h] At verò nocte media,cū illę omnes iam dormirent, & quādo minimè expectabatur ſponſus vēturus,ecce factus eſt rumor & clamor magnus,ab eis qui ſpōſum comi-

comitabuntur, dicens:[a] Ecce ſponſus ille quem expectaſtis iam adeſt: ſurgite à ſomno, & venienti procedite obuiam.[b] Tunc excitatæ ſimul omnes virgines illę ſurrexerunt, & parare cœperunt lampades ſuas, vt dignè ſponſum exciperent. Et quidem prudẽtibus illis quæ ſecum in vaſculis attulerant oleum, non fuit defectus olei, licet iam diu ſponſum fuiſſent præſtolatę, neq; defeciſſet, etiam ſi fuiſſet mora ſponſi prolixior. [c] Fatuæ verò quę ſibi non proſpexerant de oleo, ſubito ſe compererunt non habere oleum. Videlicet tum primum intempeſtiuè & ſerò nimium cœperunt aduertere, quòd antequam ſomno ſe darẽt aut ſponſus adueniret, tempeſtiuè pręuidere debuerãt.[d] Propter quod, ſuam egeſtatem conſiderantes & releuari cupientes, dixerunt ad ſapiẽtes virgines: Date nobis de oleo veſtro, quoniam lampades noſtrę neq; ardere neque lucere valent: ex defectu olei quod nos neglexi- mus deferre nobiſcum.[e] Prudentes verò intempeſtiuam iſtam & nimiũ ſeram petitionem non ſuſcipientes, reſpondent:[f] Oleum quod nobiſcum attulimus aliis communicare nõ poſſumus, ſed nobis ſeruare debemus. Vix ſcimus an nobiſipſis noſtriſq; lampadibus oleum noſtrũ ſufficiet. Noſtra res agitur, nobis noſtra ſunt curæ. Non eſt hic tempus communicandi oleũ, vbi in ipſo puncto ſponſus aduenit.[g] Ex nobis igitur nihil vobis eſſe poteſt ſpei: ſed ite (ſi vobis videtur) ad venditores olei, & ipſe vobis comparate oleũ: alia via ſi fieri poſsit vobis cõſulite, à nobis nihil eſt quod im præſentiarum expectetis vobis poſſe præſtari.[h] Interim verò dum illæ abirent ſibi conſulere, & oleum ad ſponſi aduentum comparare, venit ſponſus:[i] & virgines illæ quæ in manibus tenebant ardentes lampades introierunt cum eo ſimul ad nuptiale conuiuium, vbi & cum eo erant perfruituræ nuptialibus gaudiis:[k] ſponſoque cum ſuis nuptialis conuiuii domum ingreſſo, occluſum eſt & vectibus obfirmatum oſtium, vt nemo extraneus admitteretur: neque quiſquam vltra à foris poſſet in domum illam ingredi, quemadmodum neque egredi cuiquam licebit ingreſſo.[l] Venerunt nihilominus illæ ſtultæ

a Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei,

b Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, et ornauerũt lampades ſuas.

c Fatuæ autem ſapientibus dixerunt:

d Date nobis de oleo veſtro, quia lãpades noſtræ extinguuntur.

e Reſponderunt prudentes, dicentes:

f Ne fortè non ſufficiat nobis, & vobis,

g ite potius ad vendentes, & emite vobis.

h Dum autem irent emere, venit ſponſus:

i & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.

k Et clauſa eſt ianua.

l Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes:

a Domine,domine,aperi nobis.

poſtmodum & petierunt ingreſſum,dicentes: [a] Domine,domine,ſponſe honorande,da nobis ingreſſum ad nuptialia gaudia. Et nos enim egreſſæ fuimus obuiam tibi,& lampades tulimus in occurſum:ſed olei tantùm defectus(quod neglexeramus)nos fecit imparatas in tuo aduentu,vt non ſimul cum aliis intraueri mus.Sufficiat tibi,quòd obuiam proceſsimus,& lampades tulerimus,tametſi nec ardentes nec lucentes:& participes nos facito nuptialis lætitię.Sed heu ſero nimium iſti veniunt clamores non exaudiuntur ſtultæ illæ virgines in eo quod poſtulant.

b Et ille reſpondens,ait,Amē dico vobis, neſcio vos.

[b] Reſpondit nanq; illis ſponſus, Non noui ego dignas meis nuptiis niſi illas quæ ad meum aduentum erant paratæ. Vos quæ huiuſmodi non fuiſtis,dignas nō iudico quas admittam ad gaudia mea. Iā clauſa eſt ianua nulli poſthac patebit ingreſſus.

c Vigilate itaque,

[c] Iuxta huius itaq; parabolæ ſignificationem,vigilandum vobis eſt,& ſemper paratas habere debebitis veſtras lampades cum oleo,nequando imparatis vobis adueniat ſpōſus,& vos à nuptiis illis æternis quæ in cæleſti regno ab omnibus electis qui in aduentu ſponſi digni inueniētur,cum ſempiterna & ineffabili lætitia celebrabūtur,excludamini.

d quia neſcitis diem neque horam.

[d] Merito autem ſemper vigilandum eſt,& ſemper habēdę ſunt paratæ cum oleo lampades,eo quòd determinatum diem aut determinatam horam aduētus iudicis ignoretis:ac proinde omnem horam& omnem diem oportet habere ſuſpectam,atq; ita viuere per momēta ſingula,tanquam iamiam euocādi ſitis ad iudiciū.

e Sicut enim homo peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.

[e] Iterum ſimile erit regnum cælorum homini proficiſcenti peregrè,ita agetur quantum ad retributionē cæleſtem,quomodò ſequens indicat parabola,quę eſt de homine rege aut homine parrefamilias,qui à domo ſua ad tempus aliquantum peregrè abfuturus,de lucro ſolicitus,bona ſua tradidit in manus ſeruorum ſuorum.

f Et vni dedit quinq; talenta,
g alij autē duo,
h alij verò vnū:
i vnicuique ſecundum propriā virtutem:et profectus eſt ſtatim.

[f] Huic dans quinque talenta, [g] illi duo, [h] iſti vnum tantū. [i] alij plus,alij minus,vnicuiq; ſecundum ſuā induſtriam,prout videbat ab vnoquoque ſecundū ſuam induſtriam plus aut minus poſſe fideliter adminiſtrari.Quo facto,ipſe profectus eſt,domum & quæ in domo erant, relinquens in manu & fide illorum.

Ille

[a] Ille ergo qui plus cæteris acceperat, nempe talenta quinque, abſente domino ſtatim cœpit ante oculos habere domini ſui reditum, & ſolicitus eſſe cœpit, quomodo domino redeunti ſe fidelem monſtrare poſſet: abiitque ex hoc animo ille ſeruus, & in accepta domini pecunia cœpit diligenter exercere negotiationem, vt redeunti domino cum lucro depoſitum redderet, [b] ſicque fidelem ſe comprobaret: atque ita negotiando ſua diligentia & induſtria ſuper illa quinq; quæ accepit talenta, lucratus eſt quinq; altera. [c] Item qui duo acceperat talenta, ſimili animo & fide erga dominum negotiatus eſt in eis ſiue per ea: & negotiando ſuperlucratus eſt alia duo, minus videlicet ſuperlucratus, vt minus acceperat. [d] Is verò qui tantũ vnum acceperat talentum, cum omniũ facillimè potuiſſet ſuperlucrari, alterum non fuit tamen ſolicitus vt ſuperlucraretur aliquid, ſed abiit & fodit in terra acceptum talentum, illicque defoſſum abſcondit, nec operatus eſt in eo quod ſibi à domino traditũ fuerat ad hoc vt negotiaretur in eo & lucrum faceret: ſicq; domino ſuo infidelem iſte animũ oſtendit, cuius negotium nõ rectè curauit. [e] Poſt longum autem tempus, peractis iis ad quæ exierat, reuerſus eſt dominus ſeruorum iſtorum: ſtatimq; aduocatis ſeruis, cœpit ab illis rationem exigere cõmiſſæ vnicuiq; pecuniæ, vt videret quid vnuſquiſq; de cõmiſſa ſibi pecunia egiſſet, atq; ex hoc fideles aut infideles ſeruos diſcerneret. [f] Accedens itaq; ad dominum in bonæ conſcientiæ teſtimonio primus ille ſeruus, pro quinq; acceptis talentis, decem obtulit, dicens: [g] Tradideras tu mihi domine abiens quinq; talenta, en decem tibi pro quinq; refero. Super ea nanque quæ à te accepi, quinque alia negotiando lucratus ſum: quæ idcirco tibi offero, ſicut & priora, quoniam tuũ eſſe deputo, quicquid lucratus ſum mea diligentia, & tibi laborem meum omnem debeo. Nihil enim aliud ſum quàm ſeruus inutilis, feci quod facere debui. [h] Lætus dominus pro fidelitate ſerui quam cernebat in allato lucro, diligentiam eius acceptans & fidem commendans, dixit illi: [i] Euge mi bone & fidelis ſerue, nunquam ego

a Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis,
b & lucratus eſt alia quinq;.
c Similiter & qui duo acceperat lucratus eſt alia duo.
d Qui autem vnũ acceperat, abiens fodit in terrã et abſcondit pecuniã domini ſui.
e Poſt multum verò tẽporis venit dominus ſeruorum illorum, et poſuit rationem cum eis.
f Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia qnq; talenta dicens:
g Dñe, quinq; talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucrat' ſum,
h Ait illi dominus eius:
i Euge ſerue bone et fidelis quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſuper multa te conſtituam:

hanc tuam fidelitatẽ quã erga me monſtraſti patiar
irremuneratã. Et quãuis modicum ſit in quo labora-
ſti,& lucrum in ſe ſit exiguũ quod attuliſti,attamẽ in
modico magnam tuã fidem conſiderans (quam ipſo
lucro pluris facio)ad maiora te ſubleuabo, faciamq́;
te excelſum & glorioſum in familia.[a] Intra quanto-
tius ad gaudia mea,quę pręparaui & exhibiturus ſum
omnibus ſeruis meis fidelibus.Sic glorioſam accepit
remunerationem,illa fidelis ſerui ſolicitudo & diligẽ
tia.[b] Venit quoq; alter ille qui in duobus talentis fi-
delem ſe cõprobauerat,lucrumq́; ſuum proferẽs,ait:
[c] Abſcedens tu domine,fidei meæ cómiſeras duo ta-
lenta,præcipiens vt negotiarer in eis. Ecce mandato
tuo ſolicitè obediens,lucratus ſum vltra credita mihi
duo talenta,alia duo:quę tibi vt tua libenter & liberè
profero,gratulans tibi lætum reditum.[d] Acceptat &
huius fidem dominus:& quanquam non tantum ad
ferat pondere,quantum prior ille,gratus tamẽ eſt do
mino pius conatus,quo iuxta creditum ſibi modicũ
fecit diligenter quod potuit.[e] Oſtenſoque illi vt fi-
deli ſeruo,vultu hilari,ait:Euge mihi bone & fidelis
ſerue,quoniam in modico fidelem te comprobaui,ad
maiora te proueham ex mea liberalitate atq; munifi
cẽtia.[f] Ingredere domum gaudij mei,& ſempiternis
mecum fruere gaudiis.[g] Poſtremò acceſsit etiam il-
le piger ſeruus qui negotiatus non fuerat in cõmiſſa
ſibi pecunia,videnſq́; pro lucro & fide in lucro mon-
ſtrata priores collaudatos, iam ſibi malè conſcius ꝙ
non illorũ eſſet inueniẽdus ſimilis,cœpit excuſationẽ
(vt ipſe putabat)ſed verius accuſationẽ proponere,di
cens:[h] Domine,conſideraui & attẽdi ſeueritatem ri-
giditatemq́ue tuam, ꝙ ſis ſeuerus & rigidus exactor
eorum quæ cõmiſiſti ſeruis tuis.[i] ita vt etiã metere
velis vbi nõ ſeminaſti,& colligere tibi,vbi nõ ſparſi-
ſti:hoc eſt,vt etiam ampliora exigas, quàm dederis.
[k] Quam in exigendo rigiditatem atque auſteritatẽ
conſiderans,non auſus ſum ad negotiationem expen
dere, ſicq́ue fortunæ committere pecuniam tuã, ne
fortè ſi periiſſet pecunia, tuam iram incurrerem:
ſed arbitratus ſum mihi hoc ſatis fore,ſi hoc ipſum

ſaltem

a intra in gaudiũ domini tui

b Acceſsit autẽ & qui duo talẽta acceperat, & ait:

c Domine, duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo ſuperlucratus ſum.

d Ait illi dominus eius:

e Euge ſerue bone et fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam:

f intra in gaudiũ domini tui.

g Accedens autem & qui vnũ talentum acceperat, ait:

h Domine, ſcio quia homo durus es,

i metis vbi non ſeminaſti, & congregas vbi non ſparſiſti,

k et timẽs abij, & abſcõdi talẽtum tuum in terra.

ſaltem quod mihi traditum fuerat non amitterem: ſi vel illud tibi poſſem reſtituere ſine omni lucro. Hoc animo abij ego, & fodi pecuniam tuam in terra, cauens diligenter: ne aliquo pacto mihi poſſet auferri, & nunc effoſſam ecce refero tibi. [a] Ecce habes quod tuum eſt, quod tradidiſti mihi. In hoc mihi videor ſatisfeciſſe tuæ voluntati, & fidem monſtraſſe erga te meam, etiamſi nihil lucri attulerim. [b] Ad hæc ſerui pigri excuſatoria verba excandeſcens dominus, iram & vultu & verbo oſtendit, dicens: [c] Serue male & piger, quid tu excuſationem proponis, & iuſtificare te niteris, ac quaſi officio ſatisfeciſſe contendis? Quod tu in excuſationem proponis, ego tibi in accuſationem magis conuerto: & vnde tu te iuſtificare niteris, ego te condemnabo. Ex ore nanq; tuo, & ex verbis tuis, te condemnabo. Ais tu, propter timorem mei, non expendiſſe te, ſed abſque lucro ſeruaſſe pecuniam meam: ad hoc te inductum dicis conſideratione auſteritatis & ſeueritatis, qua ſum in exigendo adeò rigidus, vt cum lucro omnia exigam (iuxta verbum tuum) etiam metens vbi non ſeminaui, & colligens vbi non ſparſi. Hæc verò adeò pro te nihil faciunt, vt etiam plane tibi aduerſentur. [d] Debebat nanque iſta conſideratio ſeueritatis meæ, potius tibi eſſe incitamentum & coactio quædam ad faciendum lucrum ex pecunia mea: magiſque timor meæ ſeueritatis te debuit compellere ad operandum in pecunia, & vel paululum lucrifaciendum per eam, quàm ad ceſſandum inducere: cum ſcires ad hoc tibi datam fuiſſe à me pecuniam, vt me abſente negotiareris, ac fructum faceres. Si enim tam rigidum me exactorem putabas, præſcire vtique debuiſti, quòd mandati mei omiſsionem non inultam ſinerem. [d] Tunc dixit miniſtris aſtantibus, Tollite ab iſto pigro & infideli ſeruo talentum quo malè vſus eſt, & adiicite illi qui decem iam habet talenta, qui in quinque talentis fidelis probatus eſt, cum iſte etiam in vno infidelis fuerit. [f] Ita omni habenti commiſſum aliquid & benè vtenti eo, atque in eo fideliter operanti,

a Ecce habes quod tuum eſt.

b Reſpondens autem dominus eius, dixit ei:

c Serue male et piger, ſciebas quia meto vbi non ſemino, & congrego vbi nõ ſparſi.

d Oportuit ergo te committere pecuniã meã nummularijs, et veniens ego recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura;

e Tollite itaq; ab eo talentum & date ei qui habet decem talenta.

f Omni enim habenti dabitur & abundabit;

amplius dabitur:& diteſcet ipſe,fietq́; abundans. Promeretur enim qui in modico fidelis inuenitur,ad maiora promoueri,& plura accipere. [a] Contra verò,ei qui habens non habet,id eſt, commiſſo ſibi non bene vtitur,auferetur etiam illud quod videtur habere, id eſt, quod habens non habet, & quo non benè vtitur. Non ſolum enim plura accipere nõ meretur, verumetiam acceptis priuari dignus eſt, qui acceptis nõ rectè vtitur. [b] Neque tamen hæc pœna ſufficiens erit ſeruo iſti pigro & inutili, ſed inſuper arripientes illũ vos miniſtri mei, proiicite eũ in exteriores & denſiſſimas tenebras,vbi nulla lucis erit conſolatio. [c] Illic erit fletus ſempiternus & ſtridor dentium,pro ęterno rum amiſsione bonorum & inuentione malorũ,quæ nunquam poterunt euadere. Tale fiet tunc iudicium aduerſum eos,qui modo pigri ac negligẽtes fuerint, in operãdo opera Dei.Quapropter vigilandũ eſt ſemper,& agendũ viriliter atq; fideliter,iuxtà domini voluntatem, iis qui domini gáudia cõſequi & tormenta effugere deſiderant. [d] Parabolis præcedentibus, qui remunerationẽ bonam aut malam ſint accepturi, expoſitũ eſt.Nunc audite formã ipſam iudicij,bonorumq́; à malis diſcretionem mirabilem. In illo itaq; die,cũ venerit ad iudiciũ filius hominis in gloria patris ſui,in qua talem ac tantũ decet refulgere iudicẽ, [e] & cũ eo aduenerint pariter omnes angeli eius(quod quidem erit partim ad magnificẽtiam aduentus iudicis,quemadmodum ſolet princeps nõ prodire in publicum,niſi multitudine militum circũdatus, partim ad obſequium & miniſteriũ ipſius iudicis,eo ꝙ angelico miniſterio perficienda erat mortuorum reſuſcitatio,)tũc iudex ipſe totus decorus & glorioſus ſedebit ſuper ſedem ſuam glorioſam, erit illi clara nubes pro throno in quo reſidebit iudicaturus, & tanquam poteſtatem habens faciẽdi iudicium reuelabitur coràm omnibus. [f] Et cõgregabũtur ante ipſum omnes populi, omnes manifeſtari oportebit atq; exhiberi ante tribunal eius,cuiuſcunq; gẽtis,populi,tribus aut linguæ fuerint,ſine perſonarum diſcretione: ita vt à primo Adam, vſque ad nouiſsimum qui naſcetur in mundo,

a ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo.

b Et inutilem ſeruũ eijcite in tenebras exteriores:

c illic erit fletus & ſtridor dentium:

d Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua,

e & omnes angeli cum eo, tũc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ,

f & congregabuntur ante eũ omnes gentes.

mundo, ne vnus quidem ſit abfuturus illi examini at-
que diſcretioni. [a] Quibus ſic congregatis, iudex ſin-
gulorũ cognoſcens opera & merita, ſua illa qua nihil
non nouit omni ſcientia, abinuicem illos ſeparabit:
[b] bonos locaturus ad dexteram, tanquam ouiculas
ſimplices in bono, manſuetas atque innocentes: [c] ma
los verò ad ſiniſtram tanquam ſordidos & malè olen-
tes hœdos, qui computruerũt & ſordent in iniquita-
tibus ſuis, coràm oculis domini, ad eum modum quo
paſtor ſolet oues ſeparare ab hœdis. Eritq; hoc admi-
rabile in tanta turba & innumerabili hominum mul
titudine, quòd nec in vno iudex errabit, ita vel vnum
hœdum adnumeret ouibus, aut ouem vnam aſſociet
hœdis. [d] Tunc profert rex ille & iudex glorioſus de
throno ſuo amabilẽ ſententiam, pro iuſtis qui à dex-
tris conſiſtent, dicens: [e] Venite & adiungamini mi-
hi, in æternum à me non ſeparandi vos benedicti &
electi patris mei: quos & olim in terris præuenit pa-
ter meus in benedictionibus dulcedinis, & benedixit
in omni benedictione ſpirituali, & nũc benedictione
perfecta vult ſatiare in cælis. [f] Hæreditate nunc
accipite & poſſidete regnum illud ęternum atq; per-
fectum patris mei, vt ſitis hæredes patris & cohęredes
mei, idem mecum & cum patre regnum poſſidentes,
quod vobis paratum eſt ante mundi exordium, ad
quod ab æterno prędeſtinati eſtis, antequam mundus
fieret. Hanc autem tam fœlicem retributionem pro
operibus bonis & Deo placitis, in quibus fideles vos
comprobaſtis dum tempus eſſet operãdi, ſuſcipietis:
[g] quia videlicet propter meum amorem erga proxi-
mos veſtros charitatis opera exhibuiſtis, cum pro ve-
ſtra facultate eſurientes pauiſtis, [h] ſitientes potaſtis,
[i] hoſpites collegiſtis, [k] nudos operuiſtis, [l] infirmos
& incarceratos viſitaſtis, & alia huiuſmodi charitatis
atque miſericordiæ opera ſtudioſè proximis præſti-
tiſtis pro amore mei nominis: quæ omnia ego vt mi-
hi facta reputo, eo quòd in meo nomine & propter
meum amorem proximis veſtris ea impẽderitis. Nõ
quòd de his ſolis operibus externis miſericordię illic
fiet quæſtio, aut pro ſolis eis remuneratio, ſed quia

a Et ſeparabit eos ab inuicem ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis:
b & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis,
c hœdos autem à ſiniſtris.
d Tunc dicet rex his qui à dextris eius erũt
e Venite benedicti patris mei.
f Poſſidete paratum vobis regnum, à conſtitutione mundi.
g Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare:
h ſitiui, & dediſtis mihi bibere,
i hoſpes eram, & collegiſtis me,
k nudus, & operuiſtis me,
l infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, et veniſtis ad me.

generalior & facilior eſt modus ad ſalutē pertingendi per iſta externa miſericordiæ opera, quibus maior pars hominum (quæ ſublimioribus & hierarchicis actibus neſcit intendere) ſeſe occupare debet, & Deū ſibi promereri. Vnuſquiſq; autem iudicabitur ſecundum ea opera , quæ ipſe iuxta datum ſibi talentum tenetur exequi. [a] Tunc admirabuntur præ humilitate iuſti, de tanta Dei dignatione, maxmè quòd ipſe ſibi iſta miſericordiæ opera dicet exhibita, quæ tamen non ipſi videntur ſed proximis exhibita. Ex admiratione itaque tantæ dignationis, dicent iuſti: b Admiramur domine, quomodò dicas te à nobis paſtum, potatum, veſtitum, ſuſceptum hoſpitio, atque viſitatum: cum nos te in eo ſtatu nunquam viderimus, in quo hæc tibi obſequia potuiſſemus impendere? [c] Et reſpondebit illis rex, rationem reddens tantæ remunerationis, ac dicet: Amen dico vobis, quicquid impédiſtis vel exhibuiſtis vni alicui ex humilibus & vilibus iſtiuſmodi diſcipulis vel fidelibus meis, in nomine meo, eo quòd mei fuerint ſerui atque diſcipuli, id omne ego mihi factum reputo: & tali tantóque dignabor præmio, acſi ipſi mihi hæc eadem impendiſſetis. Non quòd in nouiſsimo illo die ſic verè eiuſmodi obiectio proponetur à iuſtis, aut à iudice dabitur reſponſio: ſed vt per iſta indicetur iuſtorum ſimplex humilitas, qua ipſi ſe ex cōdignitate rigoroſa ſuorum operum, non agnoſcent tanto præmio dignos. Nam ſi hanc condignitatem ſpectemus, quid aut quantum eſt, eſurientem pauperem paſcere, aut ſitientem potare, ad quod naturæ inſtinctu inducimur, vt pro hoc tanta accipiamus præmia. Ex altera autem parte, vt per reſpōſionem iudicis oſtendatur ipſius ſumma benignitas, humanitas, atque liberalitas, qua tanti facere dignatur ſeruorum ſuorum opera, & tam glorioſo præmio coronare, cum poſt omnia perfecta dicere eis poſsit, Serui inutiles eſtis, feciſtis quod debuiſtis facere: ipſius quoque dignatiua charitas qua in tanto pretio habet ſeruos ſuos, vt eos quaſi alterum ſe æſtimet, & tanquam ſua membra, vt ſibi factum reputet quicquid ali-

cui

a Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes:

b Domine, quādo te vidimus eſurientē & paſcimus, ſitientem & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hoſpitē & collegimus te, aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmū aut in carcere, & venimus ad te?

c Et reſpondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis mihi feciſtis.

alicui eorum in nomine ipſius impenditur. [a] Quicu-
lis autem ex parte dextera de ſuo pręmio iam certis,
ad hœdos ſiniſtræ, vultu terribili & tremẽdo ſe con-
uertet ille metuendus iudex, & pronuntiabit aduer-
ſum eos terribilem æternæ damnationis ſententiam,
dicens: [b] Eſtote ſeparati à me, & à meo aſpectu, ſocie-
tate, amicitia, ac gaudiis omnibus eſtote alieni, ſub
æterna maledictione mea ac patris mei, ſub ira æter-
na permanſuri. [c] Neque hoc tamen vobis ad pœnam
ſatis erit, bonis æternis priuatos vos eſſe, ſed inſuper
ad ignem ſempiternum & inextinguibilẽ abſcedite,
qui dæmonũ principi & vniuerſis angelis eius depu-
tatus eſt, vt ibi cum illis cruciatus perferatis æternos.
[d] Eſt autem iuſta veſtræ condemnationi ratio, negle-
ctus & cõtemptus præceptorum meorum, quoniam
nõ adimpletis quę pręcepi vobis. Neglexiſtis enim o-
pera dilectionis & miſericordię proximis veſtris pro
loco & tempore impẽdere, nec vel amor meus ad il-
lis pręſtandum quæ poſtulabat eorum neceſsitas vos
induxit, videlicet vt eſurietes paſceretis, potaretis ſi-
tiẽtes, nudos veſtiretis, peregrinos colligeretis, infir-
mos & incarceratos viſitaretis: ſed viſis proximis ve-
ſtris in eiuſmodi miſeriis & indigentiis, clauſiſtis vi-
ſcera veſtra ab eis, & mãdatum meum (quo præcepi
vobis inuicem diligere, & proximos ſicut voſipſos)
eſtis trãſgreſsi. Propter quod, erit iuſta veſtra cõdem-
natio. [e] Quemadmodum autem ſupra dicuntur iuſti
reſpondere iudici ex humilitate, præ admiratione
benignitatis eius, ſic & iſti impij audiẽtes tam ſeue-
ram aduerſum ſe pronuntiari ſententiam, velut con-
quererentur per impatientiam, & quaſi murmurabunt,
dicentes: [f] Domine, quid eſt quod tam ſeuerũ aduer-
ſum nos pronuntias decretum? Nos te nunquam in
eo ſtatu vidimus, in quo vel eſurire vel ſitire potuiſ-
ſes, aut tibi nos in aliquo eorum quæ tu enarraſti po-
tuiſſemus miniſtrare. Quomodo ergo nũc obiicis no
bis, quòd te famelicũ non pauerimus, & alia huiuſmo
di: atq; ex hac criminum obiectione, tam crudele ad-
uerſum nos pronuntias decretum? [g] Et reſpondebit
illis iudex, omnem eorũ querimoniam & murmura-

tionem

a Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt:

b Diſcedite à me maledicti

c in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.

d Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes erã, & nõ collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis me: infirmus & in carcere, et non viſitaſtis me.

e Tunc reſpondebunt ei et ipſi dicentes:

f Domine quãdo te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non miniſtrauimus tibi?

g Tunc reſpondebit illis, dicẽs,

a *Amen dico vobis, quandiu non feciſtis, vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.*

tionem ſuo reſponſo diſſoluens, ac dicet illis. a In veritate dico vobis, quod facere neglexiſtis vni cuilibet ex his humilibus & ſimplicibus, ac viliſsimis ſecundũ ſeculũ diſcipulis aut ſeruis meis, quod ab vno aliquo horum viſcera veſtra clauſeritis, cũ indigentẽ veſtro auxilio conſpiceretis: ſic ego æſtimo, ac ſi à memetipſo clauſiſſetis viſcera, méque ipſum pertranſiſſetis non impenſa miſericordia. Non quòd ad hunc modum locus dabitur condemnatis, poſt ſententiam obiiciendi aduerſus iudicẽ, aut quòd reſpondere dignabitur iudex querimoniis dãnatorum: ſed vt per illorum obiectionem & huius reſponſionem, mõſtretur rationabilem fore cõdemnationem eorũ, nec vllam cauſam iuſtam ipſos damnatos habere conquerendi: & vt Dei iuſtitia commẽdetur, quæ ſic in iuſto iudicio aduerſum illos tale decretum pronuntiat. b Mox autem vbi prolata ſentẽtia fuerit, eo ipſo momento exequutionem accipiet, atque abinuicem admirabili diuiſione ſeparabũtur, impij quidẽ ad ſupplicia nunquam finienda, iuſti vero ad vitam æternam, viſuri Deum facie ad faciem, & in aſpectu vultus Dei ſatiandi imperpetuum. Talis fiet in breui momento tam horribilis diuiſio, inter bonos & malos, inter oues & hœdos qui in hoc mundo adhuc permixti ſunt: eritq; chaos magnum firmatũ inter hos atque illos, vt neque ex tormentis mortis ad gaudia vitæ in æternum quiſquam tranſire valeat, neque viciſsim à gaudiis ad mortis tormenta abiici.

b *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.*

Parabolæ de decem virginibus explanatio.

DECEM illæ virgines, vniuerſitas eſt fideliũ, q ratione fidei & rectitudinis eius virgines merẽtur apellari, cũ infideles quatenus nec in Deũ credũt rectius meretrices vel fornicatrices aut adulteræ mereãtur appellari. Et cõuenit rectè vniuerſitati denarius numerus omnino perfectus, in quo omnes numeri ſimplices cõprehendũtur, qui & aliàs frequẽter vniuerſitatẽ vel perfectionem deſignat, vt in Apocalypſi, *Suſtinebis tribulationem diebus decem*, id eſt, omnibus diebus vſque ad mortẽ, qua etiã ratione decalogo præcepta

pta ſua cōplecti voluit dominus. Harū autē virginū non omnes ſunt prudentes, ſed cū quinque prudentibus ſunt etiam quinque fatuæ: quia in Eccleſia fideles aliqui boni ſunt & ſapientes, aliqui mali & inſipientes. Habent omnes virgines lāpades, ſed in oleo eſt differentia inter ſapiētes & fatuas, quia in Eccleſia omnes fideles ſimiliter fidē habēt quaſi lampadē, quemadmodum & ore confitentur ſe noſſe Deū. Sed in operibus eſt differentia. Quidā enim fidem habēt otioſam, ſine operibus Deo gratis, & hi ſunt inſipiētes, quoniam id quod fides requirit negligunt, & lampadē otioſam tenent. Alij verò fidem habēt per dilectionē operantem opera bona & Deo grata: quemadmodū Apoſtolus ait, fidem per dilectionem operantem eſſe quæ hominē gratum faciat Deo. Hæc opera bona ſic per dilectionem facta, hoc ſunt fidei, quod oleum lampadi. Quemadmodum enim non illuminat domū lampas, niſi oleum in ſe cōtineat, ſic non illuminat domū cordis fides mortua, cui non ſunt adiuncta opera ex dilectione procedētia. Vel aliter, Lampades ſunt ipſa externa opera, quæ fideles in Eccleſia paſsim omnes boni atq; mali cernūtur habere. Nā quod ad externa attinet, pleriq; mali & in nouiſsimo die dānandi videntur ſimiles iuſtis. Oleū verò eſt vel ipſa charitas, vel ea quæ ex charitate procedit recta intentio & directio ad Deum in omnibus externis operibus. Quemadmodum enim oleum infuſum lampadi facit ipſam ardere & lucere, ſic ipſa charitas, & ea quæ à charitate procedit recta intentio & directio ad Deum, externa noſtra oppera reddit lucentia & ardentia, vt ſint grata Deo, facitq; nos in operibus noſtris lucere & ardere, quomodo de Ioanne ait dominus. Hoc oleum habent ſapientes, fatuæ non habent: quoniā inter fideles quidā ſolum externis fidētes operibus, non curant opera ſua ad Deum dirigere, ſicque in tenebris ſemper ambulant defectu olei, quantūuis lampades geſtent in manibus. Alij verò (iuxta Apoſtoli verbū) in fide ſua per dilectionem operantur, & ſiue comedunt, ſiue bibunt, ſiue aliud quid faciunt, omnia in gloriā Dei faciunt, cauentes (iuxta Saluatoris conſiliū) ne iuſtitiam ſuam faciant coràm hominibus, vt videantur ab eis, ſed coràm Deo omnia faciunt qui videt in abſcondito, vt ipſi placeāt & ab eo mercedem accipiant. Omnes verò iſtæ virgines fatuæ æquè atque prudentes ſponſo pergunt obuiam, quoniā fideles omnes & boni & mali dicunt ſe Chriſti aduentū expectare, & ad iudicium (vt aiunt) ſe præparant, & ad cæleſtia gaudia in eius aduentu ſuſcipiendo omnes aſpirāt, ſicut fide ita & ſpe mortua, quæ abſq; debitis ad finē tendit mediis. Hoc oleum ſignanter dicuntur ſapientes in vaſis ſuis accepiſſe ſecū, non tantum in lampadibus, quoniam charitas

ritas atq; ea quę ex ipſa venit directio bona in corde eſt habenda, & à corde debet in externa opera effundi: queādmodū oleū in vaſculo aliquo defertur ne effluat:& ex vaſculo illo effunditur opportuno tēpore in lapidē. Tardat ſpōſus aduenire, quoniam iudicij diem Chriſtus dominus differt, vt impleatur electorum numerus, & longè vltra quàm credebatur longius differtur. Sic enim Apoſtoli atq; ipſe Chriſtus loqui videbatur, tanquā ſi iamiā in proximo inſtitiſſet dies ille iudicij, dicente domino, *Vigilate, quia neſcitis diem neq; horā*: dicente Ioanne, *Filioli iam nouiſſima hora eſt*: dicēte Paulo, *Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt*: & iterum, *Præterit figura huius mundi*: dicente Petro, *Omniū finis appropinquabit*, & alia huiuſmodi: cum tamen ad noſtra vſque tempora ad plurimos annorum centenarios dies ille ſit dilatus, neque adhuc videatur propinqua conſummatio ſæculi. Tardante autē ſic ſponſo, dormitauerunt omnes & dormierunt tā prudentes quàm fatuæ, quia dum differtur dies iudicij, omnes moriūtur tam boni quàm mali, & mortē corporis nemo poteſt euadere, quoniā ſecundum corpus vnus eſt omnium interitus (vt ſapiēs ait) ſicut moritur ſtultus ſic & ſapiens, & eſt vtriuſq; æqua conditio. Dormitatio præcedit dormitionem, quoniam per dormitationem ad dormitionē & ſomnum quietum pertingitur: propter quod, per dormitationē intelligi poteſt defectus ille quo homo ante mortem incipit deficere, atque ad mortē tendere, prius quàm mors adueniat: quemadmodū ſenibus potiſsimum videmus accidere: per dormitionē verò ipſam mortis conſummationē. Media nocte aduenit ſponſus diu expectatus, quia die & hora quā nemo nouit niſi Deus, ſubito veniet ad iudiciū Chriſtus, quando minimè eum præſtolabuntur homines, ſicut fur in nocte ad furandū venit hora qua minimè ſuſpicatur paterfamilias, ita & ipſe ad iudicandum adueniet. *Clamor autem factus eſt, Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei*, atque hic clamor ab iis fiet qui cum ſponſo venient, & ab eo miſsi erunt: quoniam mittet aduenięs filius hominis angelos ſuos cum tuba & voce magna, vt dicant: *Surgite mortui, venite ad iudicium*. Ecce addeſt iudex, ſurgite de puluere mortui, & venite ad iudicium. Tunc ſurgent omnes illæ ſimul virgines, quoniā ęque boni atque mali omnes reſurgent à ſomno mortis corporalis, & viui reſuſcitabuntur in corporibus ſuis. Euigilātes virgines ſtatim lāpades ſuas parare incipient, quoniā ſtatim ad opera ſua in illo die quiſq; conſiderationē vertet, quoniam de operibus tunc ſolū quæſtio fiet. Reddet enim tunc filius hominis (vt ipſe ait) vnicuique ſecundū opera ſua. Et in Apocalypſi dicitur, quod opera eorū ſequentur illos, & quod de ſingulis iudicabitur ſecūdum opera ipſorum

ipſorũ,quomodo etiã Paulus ait,omnes manifeſtãdos ante tribunal Chriſti,vt recipiat vnuſquiſq; quæ geſsit in corpore, ſiue bonũ ſiue malũ.Incipiẽt parare lãpades,nõ quod tunc tẽpus erit faciendi grata Deo opera prius facta,ſed quia cõuertet ſe vnuſquiſq; tũc ad cõſiderandũ cõſcientiã ſuã & opera quæ attulerint ſecũ:vt ſciãt num dignè ſpõſo poſsint occurrere.Statim autẽ dũ incipiunt parare lãpades,aduertũt fatuę virgines ſibi deficere oleũ:quoniã dies illa domini reuelabit omnia,& illuminabũtur abſcõdita tenebrarũ, & manifeſtabũtur cõſilia cordiũ,& tũc clarè videbũt ij qui tantũ in fide otioſa vel in externis tantũ operibus abſq; charitate & recta intẽtione habuerũt fiduciã,quod ad occurſum iudicis illa non ſufficiãt. Agnoſcentes fatuæ ſuã ægeſtatẽ,ad ſapientes recurrent,poſtulantes ſibi cõmunicari oleũ,quia tunc conturbati ſubitò illi qui vanã habuerũt fiduciã, cupiẽt in alienis meritis ſaluari,poſtquã propria vidẽt non ſufficere.Sapiẽtes virgines interim non conturbantur,ſed cũ fiducia præſtolantur aduenientẽ iudicẽ,quia in teſtimonio bonę cõſcientiæ lætabuntur iuſti in operibus quæ ad gloriã Dei fecerunt,ſcientes quod nunc ille adueniat qui ea videt quæ in occulto fecerunt corã eo,quidq; ex authoritate & poteſtate ſibi à patre data,pro illis in occulto factis retribuet in propatulum coram omnibus.Sapiẽtum autem reſponſio ad fatuas,qua negant ſe poſſe communicare ſuum oleum, indicat quòd in illo die nemini prodeſſe poterunt aliena opera vel merita, quoniam iudicabitur de ſingulis ſecundum opera ſua, & recipiet vnuſquiſque prout ipſe geſsit in corpore.Nam licet in hac vita prodeſſe poſsit proximo opus bonum ab altero factũ,vel alterius interceſsio ad conſequendã vel impetrandã per ipſam gratiã Dei, in die tamẽ æquiſsimo,quando vltra tempus merendi non erit, non poteſt ex alio aliquo quicquã meriti vel ſalutis expectari:tantũ ex propriis operibus quæ ſecũ tulit quiſque, vel condemnabitur vel ſaluabitur, Quod etiam dicunt, *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis*, iuſtorũ humilitatẽ inſinuat, qua ipſi vix ſibi putabunt ſufficere ad ſalutẽ ſua merita,rigoroſam condignitatẽ ſpectãdo,nec tanti ea facient,vt pręſumãt ſe etiã alios in ſuis meritis poſſe ſaluare.Quod verò adiiciũt, *Ite potius ad vendentes, & emite vobis*, vel tãquam per ironiam (qua digni ſunt qui ſic in rebus neceſſariis negligẽter egerũt) adiectum accipitur,vel iuxta conſuetudinẽ loquentium inter homines, qui cum poſtulatur aliquid quod non habent, ſic poſtulantes ſolent remittere ad eos qui eiuſmodi habere ſolent: tanquam ſi dicant, Nequaquam in nobis confidite,nihil eſt vobis ſpei à nobis, cæterum num aliunde vobis parare poſsitis quod poſtulatis à nobis vos videritis.

Nobiſcum

Nobiſcum bene agetur,ſi hoc modicum olei quod nobiſcum attulimus nobis ſuffecerit,vt cũ ſponſo ingrediamur.Illis ſine oleo manẽtibus,ſponſus cũ ſapientibus quæ paratas tenebant lampades lucentes,atque ardẽtes,ad domũ nuptialis conuiuij ingreditur,illis neglectis & foris manentibus quæ non habuerunt oleum, quoniam iuſtis ad cæleſtem gloriam cum Chriſto,cui ſeruierunt introëuntibus cũ gaudio, iniuſti foris manebunt, & à regno excludentur cum confuſione & perturbatione maxima. Prudentibus cum ſponſo ingreſſis in nuptialem domum, ianua clauſa fuiſſe deſcribitur, quoniam regni cælorum aditus poſt nouiſsimi diem iudicij, patebit nemini: quando cum patrefamilias erunt omnes pueri eius in cubili, eritque impletus electorum numerus,quæ tamen ianua vſque ad diem illum clauſa non fuit aduentantibus continuo nouis hoſpitibus ſiue conuiuis.ab Oriente,Occidente,Aquilone,& Meridie,qui cum Abraham,Iſaac,& Iacob,cæleſtibus menſis accumberent. Quod nouiſsime prudentibus iam intus lætantibus cum ſponſo, veniunt fatuæ, ſibique aperiri poſtulant, ſed repulſam patientur tanquam ignotæ, dicitur ad ſignificandum fuiſſe irrationabilem & vanam impiorum fiduciam,quomodo vel ex fide otioſa,vel ex operibus tãtum externis ſine charitate, & recta intentione factis ſperauerunt adipiſci gloriam regni cæleſtis. Illa nanque poſtulatio qua dicunt, *Domine domine aperi nobis*, ſignificat vanam talium hominum fiduciam,propter quod dicunt,*Domine domine:* tanquam adhuc ſuam fidem proteſtantes aut externa opera.Verùm illa reſponſio,*Neſcio vos*, indicat eiuſmodi fidem otioſam,aut vacua charitate opera non eſſe grata Deo,neque æternæ vitæ meritoria. Ex quibus concluditur ſemper eſſe vigilandum omnibus ſalutem cupientibus,& ita vigilãdum,quomodo docet parabola,vt nemo ſit de ſalute ſecurus,ſibique putet omnia ſalua,ſi tantum lampadem teneat,nemo fidat otioſæ fidei,quam Iacobus mortuam appellat,nemo item operibus fidat externis,quæ vt hominibus magnum quid eſſe videantur,ſine interiori charitate & recta intentione,& laudẽ aliquam apud homines mereantur,certè apud Deũ nihil ſunt,niſi adſit charitas, & ex ea procedẽs recta intentio.Id quod Paulus apertè teſtatur,dicens:*Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam*, & cætera quæ deinde in charitatis magnificam commendationem annectit.

Parabolæ de ſeruis qui pecuniam acceperunt domini ſui latior explicatio.

Homo

HOmo iſte peregrè proficiſcens, Chriſtus dominus eſt, qui à domo ſua quam ædificauit, & bene inſtituit, abſceſsit tanquam peregrè proficiſcens, quoniam poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis inſtructis, ad cælos aſcendit, atque ad patrem rediit, ſecum ferens humanitatem, in qua cum hominibus conuerſatus fuerat, eo quòd tūc à nobis ſuam corporalem & viſibilem præſentiam ſubduxerit, vſque ad diem reditus ſiue iudicij. Non in totum ille dominus abiit, ſed reuerſurum ſe prædixit, atteſtantibus in ipſius aſcenſione angelis atque dicentibus: *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* Proficiſcens autem vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua: quoniam ſtatim poſt aſcēſionem ſuam miſit diſcipulis ſpiritum ſanctum (iuxta illud Pſalmi, *Aſcendens in altum dedit dona hominibus.*) & per eum multiplicia dona ad vtilitatem & conſummationem Eccleſiæ domus Dei, per quē etiam ad conſummationem vſque ſæculi nunquam definet fidelibus ſua dona largiri. Vni autem dedit quinque talenta, alteri duo, alteri vnum, quoniam aliis quidem maiora dona dantur, aliis minora, aliis plura, aliis pauciora: quemadmodū Apoſtolus ait, *Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij gratia ſanitatum, &c.* Omnia autem hæc operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Hæc autem dona tradit ſeruis ſuis dominus, nō tanquam dominos faciens bonorum iſtorum, vt otientur & glorientur in eis, ſed tanquam diſpenſatores tantum eos conſtituit, vt negotientur in eis, & ſuo domino lucrum adferant: quemadmodū ait Apoſtolus Paulus, *Sic nos exiſtimet homo, quaſi miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum* Dei. Hic iam quæritur, inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur. Et Petrus Apoſtolus, *Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Quæ autem alicui vt diſpenſatori tantum traduntur, non illi dantur, vt ſibi ſeruet, & eis fruatur in otio, ſed vt ea expendat in præſcriptos vſus ad vtilitatē eorum, pro quibus bona illa tradita ſunt ei diſpenſanda. Sic qui in Eccleſia dona quælibet acceperunt: ſciant ſibi non in eis otioſe gloriandum, aut capiendam tantum animi ſui oblectationem, ſed negotiandum eſſe in eis, & fructificandū ad domini lucrum, id eſt, ad Dei gloriam, & proximorum vtilitatem, minimè interim neglecta propriæ animæ ſalute. Quod autem poſt commiſſa ſeruis bona peregrè abſcedere dicitur dominus, ſignificat libertatē in qua nos cōſtituit Deus, vt agere poſsimus vel bene vel male, otiari vel negotiari pro noſtri libertate arbitrij. Sic enim quadiu dominus aſtat ſeruis, velut cogūtur ad opus. Ipſo autē abſcente, liberius agunt, neque probatur ſeruorum erga dominū fides niſi abſcēte

domino. Nam coram aſtante & præſente domino, plerunque etiam pigerrimi ſerui ad ſudores vſque laborãt. Eo verò abſcente, tum demũ cernitur, quales verè ſint in animo. Sic nobis igitur quaſi abeſt dominus, relinquens nobis plenam libertatem operãdi vel ceſſandi vſque ad diem iudicij. Primus quinque talentis acceptis, ſtudioſe lucro intendẽt, fideles diſpenſatores in Eccleſia ſignat, qui agnoſcentes magna ſatis dona ſibi cõmiſſa, ſummo ad hoc conantur ſtudio, vt nõ inuanum ſuam videantur recepiſſe gratiam. Hi quinque talenta ſuperlucrantur, quonia iuxta proportionẽ donorũ ſuorũ ad Dei gloriã & proximorum, ſuamque ſalutem proficiunt ex illis. Seruus qui ex duobus talẽtis duo ſuperlucratur, alios ſignat qui minora dona acceperunt, nihilominus iuxta proportionem ſuarum virium quantũ po teſt, proficit. Seruus tertius talentum domini abſcondens, ſignat eos in Eccleſia, qui donis Dei acceptis otioſe viuunt, neq; ea ſtudẽt vtili ter expendere: idq; ob pigritiam & damnandam ſocordiam, quoniã vident requiem quòd ſit bona (quẽadmodum de Iſachar habet Prophetia Iacob) & in vſu donorum vident ſibi magnum ſuſcipiendum eſſe laborem. Hic ſeruus piger ſuæ pigritiæ prætexit timorem domini, quo ſe dicit retractũ ne operaretur. Ita otioſi in Eccleſia plærunque prætexunt timorem Dei, allegantes periculũ quod eſt in vſu donorum, & quod ij qui publicè aliquo officio occupantur, aut aliorũ ſaluti volunt proficere, facilè in aliquod periculum incidãt: & minora eſſe pericula, iis qui ſibi ſolis viuũt, & qui dulci fruũtur otio. Deus (inquiunt) multum ſeuerus eſt iudex: admodũ difficile eſt, eum qui publicæ vtilitati intendit non offendere, & qui in paucioribus ſe occupat, offendit minus. Melius eſt vt in otio mihi viuam, & ſim ſecurus de mea ſalute, quã ſi multos lucrer, & ipſe fortè pereã. Hi ſerui pigri ſunt, hi dicunt dominũ auſterum eſſe, & hac conſideratione ſe dicunt moueri ad otium. Cuſtodiunt quidem iſti talẽtum, ſed in terra abſcondunt, & lucrum non faciunt, quoniam plærunque huiuſmodi videntur vitam ſatis probam ducere, & quantum ad ſeipſos attinet, abſtinent à communibus hominum cæterorum vitiis. Verùm his rebus Deo nõ ſatisfaciunt, cuius in vanũ acceperunt gratiã, quam illis non pro ſe tantum, ſed & pro aliis contulerat. Poſt multum tẽporis reuertitur dominus, vt rationem exigat, quia in extremo iudicio ad ueniet Chriſtus, vt examinet vniuſcuiuſq; opera, & fidelitatẽ ſingulorum ſeruorum ſuorum. Tunc ſerui vtiles & fideles in bonæ conſcientiæ teſtimonio prodibunt confidenter, procedentque obuiam domino, & lucrum ſuum adferent: non quod ibi ſua iactabunt merita, ſed quia vniuſcuiuſque conſcientia monſtrabit quæ egerit,
quam-

quámve domino fidelis fuerit. Ibi adferent lucra ſua ſerui: quoniam (vt in Apocalypſi dicitur) opera illorum ſequuntur illos. Ibi ſeruis fidelibus fiet bona retributio propter lucra quæ attulerint, non propter bona quæ acceperant, quoniam non ibi quiſquam accipiet præmium ſecundum qnantitatem donorum gratuitorum quæ acceperat, ſed pro bono & fidei vſu & lucro ex eis acquiſito. Et vnicuique illic reddetur, non ſecundum dona ſua, ſed (vt in Euangelio ait dominus) ſecundum opera ſua. Euge, dicet dominus ſeruo vnicuiq; fideli, quoniam eius opera approbabit. Seruum quoque bonum & fidelē agnoſcet, quoniam omnis qui eum confeſſus fuerit coram hominibus, & vſque ad mortē fidelis fuerit, hūc & ipſe confitebitur coram patre & angelis. Vnde & fidelitatem cōmendat atq; remunerat, dicens: *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis.* Fidelitatem autem hanc lucrum allatum probat. Super pauca ait dominus ſeruum fuiſſe fidelem: quia quicquid donorum in hoc mundo accipimus, perexiguum eſt, ſi ad immenſum illum cumulum bonorum cæleſtium cōferetur. Ideo & ſubditur, *Super multa te conſtituam.* Hoc eſt, ſuper omnia mea. Nam minus dicit & maius ſignificat. Super omnia autē ſeruos fideles Chriſtus conſtituet, quando eos (iuxta verbū Apoſtoli) ſuos cohęredes & patris ſui hæredes efficiet, ac (iuxta ſacram Apocalypſim) reges & ſacerdotes, vt regnent ſuper terram viuentium in ſæcula. Atq; hāc eſſe iſtam conſtitutionē ſuper omnia indicat, quod ſtatim ſubditur, *Intra in gaudium domini tui.* Tertius ſeruus ad dominum accedens, excuſationē præmittit, quod eſſe ſolet hominis ſibi malè conſcij: deprehēſi in ſcelere & metuētis pœnā. Sic homines pigri donis Dei abuſi, vel certe non vſi, accuſabuntur teſtimonio ſuę conſcientiæ, quòd non ſatisfecerint voluntati domini. Excuſationem tamen conabūtur proferre, quoniam videbunrur iſti ſerui pigri habere aliquid honeſtæ excuſationis, eo quòd retracti videantur timore diuinę iuſtitię, & cōſideracione ſeueritatis eius. Hoc enim ſibi vult illud, *Domine ſciebam quia homo auſterus es.* Et item illud, *Metis vbi non ſeminaſti, & colligis ea quæ non ſparſiſti.* (Prouerbialis nanq; eſt ſermo ille, quo ſignificatur magna in exigēdo rigiditas) *& timens abij, & abſcondi talentū in terra,* hoc eſt, nō ſum auſus expendere, ne fortè totū perderē, nō ſum auſus collato mihi dono vti, propter pericula qeccatorum quæ in vtendo conſpexi. Addit tamen, *Ecce habes quod tuum eſt,* hoc eſt, ſicut non ſum vſus bene, ita nec male ſum vſus: quanquam non profeci alijs, caui tamen mihi, ne me vitiis communibus inquinarem: ſicq; velut mundū tibi tuum talentum & integro ſine lucro refero. Dominus hunc ſeruum vt pigrum & infidelem increpat, eo quòd lucrum non inuenit.

Quid faceret ergo,ſi etiam ipſum talẽtum cum ebrioſis & adulteris dilapidaſſet,aut in alium quemlibet malum vſum inſumpſiſſet?Diligenter autem notandum,quod ſerui pigri excuſationem , dominus ei vertit in accuſationem & iuſtam condemnationẽ,quum ait; *Sciebas quia ego homo auſterus ſum,&c.*Quoniã videlicet timor Dei quem prętexunt pigri,& conſideratio diuinæ ſeueritatis,debebat illis eſſe potius incitamentum ad ſeduló & ſtudioſè operandum,& fideliter expendẽdum commiſſa dona,quàm ad ceſſandum ab opere.Si enim ita ſeuerum & iuſtum iudicem credimus fore dominum noſtrum, quomodo ſperabimus effugere iudiciũ eius,ſi infideles & inobediẽtes nos inuenerit?Vnde hoc vel maximè omnes debet ad operandũ incitare,quemadmodum Apoſtoli Pauli habemus exemplũ, dicentis; *Væ mihi eſt,ſi non Euangelizauero . Neceſſitas enim mihi incumbit.* Et alibi, *Græcis ac Barbaris , ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Quod vult dominus committi pecuniam ſuam nummulariis,& cum vſura eam accipere,non aliud ſignat niſi quod vult Chriſtus nos nõ inuacuum gratiam ſuam & dona accipere,ſed ad lucrũ ſemper intendere,vt ad Dei gloriam & proximorum vtilitatem quæ accepimus cõuertamus.Tunc enim cum vſura accipiet ipſe commiſſum talẽtum, quando in nouiſsimo die ex donis quæ contulit fidelibus cumulos accipiet meritorum atque bonorum operum.In vltionem iubet dominus auferri talentum à pigro,& dari fideli ſeruo habenti iam decem talenta,ad ſignificandum id quod frequenter contingit etiã in hac vita.Sæpe enim is qui à Deo gratiam accepit quã otioſam ſinit, priuatur ea,& is qui acceptis gratiis benevtitur,augeri ſibi ſua dona meretur.Maioribus enim dignus eſt qui minoribus bene vtitur. In futura quoq; retributione,ex impiorum & pigrorũ condemnatione augebitur gloria ſeruorum fidelium quoniam erit illis hoc ad ſingulare gaudium,quod tanta dignatione ſe viderint perueniſſe ad gloriam æternam:vbi ſuos conſeruos vident æternis deputatos tormentis.Ad concluſionem autem huius tam dignæ notatu parabolæ eſt repetenda ex priori parabola illa finalis exhortatio domini dicentis: *Vigilate itaque,quia neſcitis diem neque horam.* Eſt & illud diligenter audiendum quod ait Paulus Apoſtolus, *Exhortamur vos fratres,ne inuacuum gratiam* Dei *recipiatis.* Et rurſum, *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Et iterũ, *Itaque fratres mei dilecti , ſtabiles eſtote & immobiles , abundantes in opere domini ſemper,ſcientes quia labor veſter non eſt inanis in domino,* cum (vt in alio loco dicit) *mercedem ſit accepturus vnuſquiſque ſecundum proprium laborem.*

ANNO-

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

E*xierunt obuiam ſponſo & ſponſæ.*) Græci codices non habent, & ſponſæ, neque adeò multum videtur ad rem pertinere, neq; etiã ad ſignificationem parabolæ, maximè quòd in ſequentibus nuſquã niſi de ſponſo fiat ſermo. ¶ *Dormitauerunt omnes & dormierunt*) Dormitare licet frequentantiuũ ſit, minus tamẽ eſt quàm dormire. Dormitare enim illum dicimus qui incipit ſomno premi, necdum tamen ſe penitus ſomno vult dare: cui dum frequenter ſomnus ad modicam morulã velut inopinato oculos claudit, quos rurſum ipſe aperit ſomno diſcuſſo, ſic dormitare dicitur. Poſtea verò quã penitus à ſomno deuictus reſoluitur in plenam quietem, iam dormitare deſiit & dormire dicitur. Quod ergo dicitur, *Dormitauerunt, & dormierunt*. iuxta communem conſuetudinem accipitur eorum qui in longũ vigilias protrahunt, antequam ſomno ſe dedant quempiam expectantes, aut ſerium aliquid agentes. Solent nanque hi defectu vigoris oculorum dormitare antequam dormiant. Sub hac diſtinctione etiã in Pſalmo dicitur: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël*: hoc eſt, neque paululum dormiet, neque multum. In Græco autem verba ſunt diuerſa non abinuicem deriuata ἐνύσταξαν καὶ ἐκάθευδον, ¶ *Sicut enim homo peregrè proficiſcens.*) Oratio iſta eſt incompleta, perficienda hoc modo, Simile eſt regnũ cęlorũ ſicut homo peregrè proficiſcens. Vel, Sic ſe habet regnũ cęlorum ſicut homo peregrè proficiſcens, aut alio modo cõſimili. ¶ *Ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.*) Gręci codices ſic habẽt ἴδε ἄλλα πέντε τάλαντα ἐκέρδησα ἐν αὐτοῖς: hoc eſt, Ecce alia quinque lucratus ſum in eis, id eſt, per ea. Idem penè ſibi vult quod habet communis lectio, Alia quinque ſuperlucratus ſum. ¶ *Euge ſerue bone.*) Græcè eſt εὖ εἶ, id eſt, benè, rectè. Eſt applaudentis, approbantis, & collaudãtis, pro quo nos rectè habemus, euge. ¶ *Oportuit ergo committere pecuniam meam nummularijs.*) Gręcè eſt τραπεζίταις trapezitis, id eſt, menſariis, qui quidẽ dicuntur nũmularij. ¶ *Poſsidete paratum vobis regnũ ab origine mundi.*) Gręcè eſt verbũ κληρονομήσατε chronomiſate, id eſt, hęreditate poſsidete, vel in hęreditatẽ accipite, vel vnico verbo, hæreditate. Sic enim in Pſalmis dicitur; *Iuſti autem hæreditabunt terram* Et illud, *ab origine mundi*, iungendum eſt cũ participio, paratũ, ad hunc ſenſum: Poſsidete regnũ vobis paratũ ab origine mundi, ante mundi initiũ, antequã mundus fieret. Minus enim dicit & plus ſignificat. Non enim cœpit parari regnũ æternũ electis, quãdo mundus creabatur, ſed ab æterno regnũ illud electis fuit paratum, ſicut ipſi ab ęterno ad hoc fuerũt prædeſtinati etiã prius quàm

 mundus

mundus fieret. Vnde apud Paulũ dicitur nos Deus elegiſſe ante mundi conſtitutionem. Illa autem rěgni præparatio, non eſt aliud quàm hominum ad illud prædeſtinatio: Vt in verbo illo domini, *Sedere ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meũm dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo.* Et alibi de bonis cęleſtibus dicitur, *Quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Econtrario autem, quando in malam partem fit ſermo, dicitur ignis infernalis paratus eſſe diabolo & miniſtris eius, quatenus ad ignis illius cruciatũs eſt cum ſuis præſcitus.

ELVCIDATIO CAP. XXVI.

ET factum eſt cũ conſummaſſet Ieſus ſermones hos omnes, b dixit diſcipulis ſuis: c Scitis, quia poſt biduum paſcha fiet, d & filius hominis traditur vt crucifigatur. e Tũc cõgregati ſunt principes ſacerdotũ & ſeniores populi, in atriũ principis ſacerdotũ, qui dicebatur Caiphas: f & conſiliũ ſecerũt: vt Ieſum dolo tenerẽt, & occiderent. g Dicebãt autẽ, Nõ in die feſto: ne fortè tumultus fieret in populo.

POSTQVAM tandem ſuæ prædicationis miniſteriũ multo labore ad finem perduxiſſet dominus Ieſus, tot ac tantis ſupernæ doctrinæ documentis mũdo traditis, támque efficacibus diuinæ virtutis miraculis pàlàm exhibitis, quę partim in prę cedentibus ſuo ordine fideliter ſunt deſcripta, partim ſilentio ob multitudinem pertranſita: [b] ſciens iam adeſſe in proximo tẽpus paſsionis ſuę, diſcipulos ſuos chariſsimos volens de vẽturis præmonere, ait illis: Ex ipſo tẽporis decurſu & ſupputatione dierũ facilè cognoſcitis (id quod & vulgò ſciũt homines) adeſſe in proximo, nẽpe pòſt dies duos, feſtũ paſchæ diẽ. [d] Verùm illud inſuper præmoneo (quod ex vobis nõ item potuiſtis cognoſcere) iamiã me eſſe tradẽdũ in man[us] inimicorũ, atq; poſt paſsionẽs crudeles morte crucis ignominioſiſsimã interficiẽdũ. [e] Illo autẽ in tẽpore, ij qui in ſacerdotibus primatũ gerebãt, & qui populo præerant, ad conſulendũ pariter cõuenerunt in atriũ Caiphæ principis ſacerdotũ: [f] & hoc in concilio illo tractauerunt atq; etiam definierũt, vt Ieſum dolo aliquo vel per inſidias comprehenderent, atq; ita morte perderẽt. [g] Veruntamen non illis cõmodũ videbatur in feſto paſchali (quod proximè inſtabat) ſuum illud malignũ perficere conſiliũ, quod ſeditionẽ populi, qui tũ in Hieruſalẽ plurimus ex omni Iudea erat adfuturus, metuerent exoriturã, ſi quid aduerſus Chriſtũ attẽtare voluiſſent. Itaq; illi mortẽ Chriſti ſtatuerũt differẽdã ad opportunitatẽ commodi tẽporis poſt feſta paſchalia. Verũ aliud quiddã ex proditore diſcipulo ſuperae-

peruenienſs, effecit, vt dilationis iſtud mutaretur cõſiliũ. [a] Nam cũ circa id tẽporis in Bethania verſaretur dominus Ieſus, in domo Simonis cognomẽto Leproſi, [b] accidit, vt mulier quædã fide & deuotione erga illũ plena, pixidẽ ex alabaſtrite lapide, magni pretij vnguentũ continentẽ, ad locũ vbi ille recũbebat accedẽs, magno impetu aperiẽs, velut effregerit. [c] ſicq; totũ ipſum vnguentũ ſuper ipſius recũbentis caput effuderit, ita vt per corpus vniuerſum deflueret, & domũ totã odore repleret. [d] Quod factum vidẽtes, quidam ex diſcipulis, pręcipuè Iudas ille futurus poſt paululũ proditor, ægrè id acceperũt, & aduerſus mulierẽ oſtẽtantes irã, dixerũt: [e] Quare ſic mulier iſta malè ſtulta & prodiga rẽ pretioſam dilapidat? [f] Siquidẽ vnguentum hoc quod modo iſta ſine vtilitate effudit, magno pretio vẽdi potuiſſet, quoniã multi erat pretij: atq; ex pretio illo refici potuiſſent multorũ viſcera pauperũ, quod lõgè pręſtantius Deóq; gratius fuiſſet, q̃ ita ſine vllius cõmodo rẽ tanti pretij profundi. [g] Sciens verò dominus Ieſus maligni proditoris animũ, qui huius fuit murmurationis vel vnicus vel præcipuus author, nimirum ꝙ nõ ex miſericordiæ pio affectu pauperũ cauſam ageret, ſed ex auaritiæ praua concupiſcentia ſuũ lucrũ quæreret, ꝓ mulieris deuotæ & pij operis eius excuſatiõe, ſolita pietate reſpõdit: vni potiſsimũ, ſed quaſi pluribus numero plurali loquens, ac dicens: [h] Quare mulieri huic iniuſtè exhibetis negotiũ? Qũare aduerſus illã ſine cauſa, veſtrũ quidã indignãtur & obmurmurant? [i] Nihil enim illa eſt operata mali, vt debeat quaſi ꝓ malo pati calumniã, aut obiurgationẽ accipere: ſed bonũ eſt opus iſtud quod in me eſt operata. Opus enim iſtud ex recta in me fide & deuotione cordis ſyncera peractũ, nihil in ſe deformitatis cõtinens, nõ poteſt mihi non eſſe gratum & acceptum. [k] Nã quod de pauperibus obiectũ eſt, nihil derogat bonitati operis. Pauperum enim ſemper magnam eſt inuenire copiã, quibus quoties & quandocunque volueritis poteritis benefacere. Me verò ſecundum corporalem & viſibilẽ iſtam in mundo præſentiam non ſemper, imò nõ diu pręſentẽ habebitis, neq; obſequia

a Cum autem eſſet Ieſus in Bethania, in domo Simonis Leproſi b acceſsit ad eũ mulier, habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, c & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. d Vidẽtes autẽ diſcipuli indignati ſunt, dicẽtes, e Vt quid perditio hæc? f Potuit enim iſtud venundari multo, & dari pauperibus. g Sciens autem Ieſus, ait illis: h Quid moleſti eſtis huic mulieri? i Opus enim bonum operata eſt in me. k Nam ſemper pauperes habetis vobiſcũ: me autem non ſemper habetis.

eiuſmodi mihi in hoc mundo diu præſtari poterunt. Propter quod nõ eſt arguenda illa tanquam prodiga, ꝙ aliquanto liberalius erga me adhuc præſenté corpore, deuotioné ſuam oſtéderit: nec perditum cenſeri debet, quod mihi pia deuotio ſic liberaliter impendit. [a] Quod enim iſta modo hoc vnguẽtum effudit ſuper caput & corpus meum, [b] id fecit quaſi præueniens & præſignans tempus ſepulturæ meæ. Tuliſſetis vtriq; ſine murmure hoc mulieris opus, ſi mortuo ipſum mihi impendiſſet: quoniam vulgo receptũ eſt, mortuorum corpora vnguentis pretioſis deliniri & cõdiri aromatibus. Exiſtimate, ſi aliter nequit ſedari veſtra indignatio, mulieré iſtam paululum præueniſſe tempus ſepulturæ meæ quod eſt in proximo, & pro ſepulturæ officio exhibitũ illud in me pietatis opus. [c] In veritate autem dico vobis: tantam ex hoc opere quod vos malignè calũniamini, conſequetur apud poſteros laudem mulier iſta, quòd vbicunq; locorum poſt meam mortem & aſcẽſionem in cælos prædicabitur Euãgelium regni in toto orbe, de meis doctrinis & factis, [d] ſimul & hoc opus quod iſta nũc fecit, tanquam peculiare aliquid & bene memorabile, narrabitur in ipſius laudabilem cõmemorationem: quémadmodũ ſolent in poſteris generationibus geſta inſignia, ad laudem & memoriam eorũ qui ea geſſerunt, narrari. [e] Ex hac autem Chriſti reſponſione, & mulieris defenſione, ſtatim traditionis eius proceſsit occaſio. Iudas nanq; dictus Scariotes, à loco aut cognatione Scariot, vnus ex duodecim Apoſtolis (qui prædictæ murmurationis vnicus vel certè præcipuus author extiterat) domini ſui reſponſione, licet modeſta & æquiſsima, nihil placatus, imo exacerbatus magis, ob animi ſui ſuperbiam & cupiditatem, in maliuolẽtia cordis ſui & auerſione quam contra præceptorem cõceperat, ab Apoſtolorum collegio ſe tantiſper ſubtrahens, [f] acceſsit ad principes ſacerdotum quos ſciebat in mortem Chriſti conſpiraſſe, & ad eam ſedulò machinari, cumque eis ſecreto loquutus eſt, dicens: [g] Quid præmij mihi vultis conſtituere, aut quantum perſoluere pretiũ, vt ego vobis illũ dolo tradam, qué ſcio

a Mittẽs enim hac vnguentum hoc in corpus meum
b ad ſepeliendũ me fecit.
c Amen dico vobis, vbicũque prædicatum fuerit hoc Euangeliũ in toto mundo,
d dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.
e Tunc abijt vnus de duodecim qui dicitur Iudas Scariotes,
f ad principes ſacerdotum, & ait illis:
g Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?

ſcio vos toto corde ad mortem requirere? Vos pretiū mihi decernite, & ego modum adinueniam, quo promiſſum adimpleam. [a] Gaudētes plurimum illi homicidæ peruerſi, oblata nimirū vltro occaſione tam cōmoda, ad complendum ſuum deſiderium, ſine mora decernunt carnifici pretium, cōſtituentes ei triginta nūmos argēteos, quos pro ſui magiſtri & domini proditione acciperet. [b] Quod pactum ille accipiens, tā vili contentus pretio, abſceſsit, rediitq; ad pręceptorē & vetus Apoſtolorum collegiū: interim nihilominus modum aſsiduè meditans & opportunitatem quęrēs, ad præſtandū quod pepigerat. Atq; hæc res occaſionem præſtitit Iudæorum principibus mutandi conſilij, quo decreuerāt, ante feſtum nihil de nece Chriſti agere. Nunc verò, quæ ante proditionē & paſsionem proximè ab illo geſta ſunt, proſequatur hiſtoria. [c] Prima itaq; die ex illis ſeptem, in quibus ex legis decreto fermentatū nihil guſtare, ſed azimis & infermētatis tantum panibus veſci debebant Iudæi, quæ erat quinta feria, in qua ad veſperam erat ædendus paſchalis agnus, acceſſerunt ad præceptorē diſcipuli, dicentes: [d] Deſigna nobis, ſi videtur, locum, in quo paſchalem agnum decreueris iuxta ritum legis hodie mādu care, vt quæ ad eam rem ſunt neceſſaria cuncta paremus. [e] Reſpondit autē illis dominus, Introeūntes in ciuitatē ipſam Hieruſalē, indicio hominis baiulantis vas aquæ, inuenietis illū apud quē decreui hodie mānducare paſcha, dominū videlicet domus illius quā ingredietur aquā baiulans. Quem cū inueneritis, ſic illi loquemini: [f] Hæc tibi mandat, & hæc tibi per nos dici iuſsit magiſter noſter Ieſus: [g] Tempus paſsionis meæ & trāſitus mei ex hoc mūdo in proximo eſt, decreui hodie apud te iuxta legis pręſcriptū, paſchalem agnū manducare cū diſcipulis meis, ita tibi volo, antequam hinc abſcedam, vale dicere: demōſtra his meis quos ad te miſi diſcipulis, locum idoneum. [h] Quibus mandatis à pręceptore ſuſceptis, pergunt illi quo miſsi erant, bene confidentes in verbo eius nihil hæſitantes, quin ita eſſent inuenturi vt dixerat: [i] & iuxta illius voluntatem parauerunt quę ad æſum paſchalis

a At illi cōſtituerunt ei triginta argētcos.

b Et exinde quærebat opportunitatem, vt traderet eum.

c Prima autem die azymorū acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes:

d Vbi vis paremus tibi comedere paſcha?

e At Ieſus dixit. Ite in ciuitatem ad quēdam & dicite ei:

f Magiſter dicit:

g Tempus meū propè eſt, apud te facio paſcha cum diſcipulis meis.

h Et fecerunt diſcipuli, ſicut cōſtituit illis Ieſus:

i & parauerūt paſcha.

lis agni erant neceſſaria. [a] Cùm autem iam adueniſſet veſpera, tempúſq; aduenisſet cœnandi, venit Ieſus & diſcubuit cũ duodecim Apoſtolis ſuis, cœnã facturus nouiſsimã. [b] Inter edendum verò, oſtendere volens, ꝙ ipſum nõ lateret mala proditoris machinatio, palàm omnibus dixit: [c] In veritate dico vobis, quod vnus quiſpiam ex vobis qui modo mecũ tam amice (vt videtur) conuiuamini, poſt paululũ me eſt in manus hoſtiũ proditurus. [d] Quo ſtatim verbo, amantiũ cordib⁹ haud dubiè amariſsimo, grauiter admodum cõturbati & vehementer cõtriſtati ſunt diſcipuli: maximè ꝙ ſibi eſſent ſinguli bene conſcij, neq; de quoquam ſuorũ condiſcipulorũ ita male poſſent ſuſpicari, cũ tamen præceptoris planiſsimo verbo nõ poſſent non credere. Singuli itaq; ſibi metuẽtes, ne forte tam horribile malũ ſibi poſſet cõtingere, cœperunt ſigillatim alius poſt aliũ dicere: [e] An fortè ego traditor ille ero, quem modo generali ſermone deſignaſti? Si ego is ſum futurus, profer in palam nomen meũ, vt pudore confuſus deſiſtam, vel etiã confratrũ gladio cõfoſſus occumbã, potius quàm ad tam execrandum ſcelus perueniam. [f] Piiſsimus dominus videns ſingulorum animos plurimum cõturbatos, conſolari illos volens qui erant ſibi bene cõſcij, ſimul & ferire tacitè illum qui machinabatur malum, ita temperauit reſponſionem, vt nõ expreſſo nomine diceret apertè, Iudas eſt qui me tradet: ſatis tamen per circũloquutionem illum ſibi deſignaret, qui meditabatur malum. Dixit proinde ſolicitis diſcipulis: [g] Qui mecum intingit manum in vaſe eſcario, ſiue in catino, ipſe eſt qui me tradet in manus inimicorum meorum. Sufficiat illi qui malum hoc in animo geſtat, quod ſe nouerit deprehẽſum, miniméque latere me ſuum propoſitum. Non enim ideò hæc dico, quaſi de mea paſsione doleam, aut mortem cupiã effugere: ſed vt illi qui malum hoc facturus eſt cõſulam, vt illi mea hac tam leni & modeſta præmonitione occaſionẽ præſtem reſipiſcendi à diaboli laqueo. [h] Et quidem ego filius virginis hominis ſecundũ aſſumptam humanitatem, volũtarie ex affectu cordis ad paſsionẽ procedo, & ad

mor

a Veſpere autẽ facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis.

b Et edentibus illis, dixit:

c Amẽ dico vobis, quia vnus veſtrum me traditurus eſt.

d Et contriſtati valde, cœperunt ſinguli dicere,

e Nunquid ego ſum domine:

f At ipſe reſpõdens, ait,

g Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.

h Filius quidẽ hominis vadit, ſicut ſcriptũ eſt de illo.

mortem paratus ſum, iuxta decretum paternæ volũtatis, & iuxta quod hac de re multo antè prædixerunt ſcripturæ. [a] Veruntamen illi per cuius procurationẽ ego tradar in mortem, nulla ex hoc erit excuſatio ſed æterna ſuper illum veniet maledictio. [b] Optabilius illi foret, nũquam accepiſſe vitam, quàm ad illud deueniſſe malum, & ad maledictionis illius perueniſſe miſeriam: ita vt cũ pro malitiæ ſuæ demerito æternæ damnationis perſentiet maledictionem, ſit optaturus, ſed fruſtra, nunquam ſe eſſe; & vitam accepiſſe, vt miſeriam illam poſſet effugere. [c] Tunc Iudas ille qui eũ erat traditurus, videns ſingulos interrogaſſe præceptorem, ne fortè ſi vnus ipſe ſileret, deprehẽderetur à cæteris tanquam ſibi male cõſcius, inuerecunda audacia & ipſe auſus eſt interrogare, dicẽs: [d] Nunquid ego is ſum magiſter, de quo loqueris? [e] Chriſtus inuerecundam audaciam, vera, ſed modeſta reſponſione confudit, dicens: Tu dixiſti. Non ego te prodo, ſed ipſe te malæ conſcientiæ indicio prodis, quod bene noſti interrogans. [f] Cùm autem iam cœnam illã nouiſsimam præceptor vnà cum diſcipulis celebrarent, poſt eſum paſchalis agni, conſummatis legis myſteriis, [g] volens Chriſtus ante abſceſſum inſtituere verũ legis nouæ ſacramẽtum, cuius ille paſchalis agni eſus tãtum figura & vmbra erat, accepit in manus ſuas illas ſacras & venerabiles panem, qui in menſa conuiuãtibus iacebat appoſitus: quem tenens manibus, primũ benedixit, id eſt, gratias egit patri cęleſti: tũ pro illo quẽ tenebat manibus pane corporali, qui vtiq; donũ erat patris, vt cętera omnia quę ſunt in vſu hominũ: maximè verò pro illa legaliũ cõſummatione, & ſaluberrimi ſacramenti nouæ legis inſtitutione, quã ex patris erat operaturus volũtate. [h] Poſt benedictionẽ autẽ fregit panẽ illum quẽ tenebat, deditq; diſcipulis manducandum, dicens: [i] Accipite de manu mea quod porrigo, & comedite. Hoc eſt corpus meum. Hoc quod porrigo, quod manducandum præbeo, non iam panis eſt ſecũdum ſubſtantiã, quemadmodũ oſtendit externa ſpecies, ſed verũ eſt & viuũ corpus meũ iſtud quod cernitis, quod pro vobis tradetur in mortem.

a Væ autem homini illi per quẽ filius hominis tradetur.

b Bonũ erat ei, ſi natus nõ fuiſſet homo ille.

c Reſpondẽs autem Iudas qui tradidit illum, dixit:

d Nunquid ego ſum Rabbi?

e Ait illi: Tu dixiſti.

f Cœnantibus autem eis,

g accepit Ieſus panem, & benedixit,

h ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait:

i Accipite, et comedite: Hoc eſt corpus meũ.

Non

Nõ vobis cibarium panẽ præbeo, ſed meam carnem, quæ ſub hac panis ſpecie latet occulta. [a] Quo facto, & à diſcipulis ſub panis ſpecie dominico corpore mã ducato, accepit ſimiliter Ieſus poculum, vt panem antè acceperat: actiſque ſimiliter patri gratiis, tradidit ipſum diſcipulis, dicens: [b] Accipite poculum iſtud de manu mea, & ex eo omnes bibite. [c] Quod enim in hoc poculo ineſt, non ſubſtantia vini eſt, tametſi ita ſecũdum ſpeciem ſenſus iudicet, ſed in veritate eſt ſanguis meus, ille in quo nouum teſtamentũ inſtituetur, dedicabitur & confirmabitur: quemadmodum olim teſtamẽtum vetus in ſanguine brutorum animalium in figura fuit dedicatum atque confirmatum: [d] ipſe (inquam) ſanguis ille, qui pro multis, nempe pro electis omnibus & prædeſtinatis, effundetur in remiſsionem peccatorum. Per hũc ſiquidem meũ ſanguinem, electi omnes, & qui ſunt credituri in me, remiſsionẽ conſequentur peccatorum ſuorum: quorum non potuiſſet ſine ſanguine, & meo ſanguine obtineri remiſſio. Hoc autem tam admirabile & ſuauiſsimũ corporis ac ſanguinis mei ſacramẽtum, ego vobis iamiam abſceſſurus inſtituo, & quaſi in memoriale ſempiternum derelinquo. [e] Dico enim vobis, quòd cœna hęc vltima eſt, quam in ſtatu iſto mortalitatis cõmuniter celebrabimus: neque bibam ego poſthac ſecundum conditionem huius ſtatus de generatione iſta vitis, id eſt, vinum tale quale modo vale dicẽtes inuicem bibimus, [f] vſque in tempus illud quo vinum nouum, vinum lõgè aliud, vinum prorſus cæleſte bibam vobiſcum: non in hoc mundo, vt modo terrenum iſtud vinum bibimus, ſed in regno patris mei. Nõ amodo ſimul cœnabimus, vſque dum ſimul iuxta promiſſum meum edamus & bibamus ſuper menſam meam, in regno patris mei: vbi vino illo nouo cæleſtiũ deliciarum inebriabimur, ſicut & pane nouo ſatiabimur in gloria. [g] Peracta autem cœna, & pro gratiarũ actione decãtatis aut recitatis Deo laudibus, deduxit præceptor diſcipulos extra Hieruſalẽ, ad montem oliuarum: in hoc nimirum patenter oſtendens, non ſe paſſionẽ voluiſſe effugere, vel mortem detrectare, quandoquidem

a Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens:

b Bibite ex hoc omnes.

c Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti,

d qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.

e Dico autem vobis, non bibã amodo de hoc genimine vitis,

f vſq; in diem illum, cum illud bibam vobiſcũ nouũ in regno patris mei.

g Et hymno dicto, exierunt in montem oliueti.

doquidem præſcius malæ machinationis Iudæ & Iudęorum,de ciuitate(vbi abſque periculo permanere potuiſſet)vltro egreſſus eſt, ad locum illum , quo ſuũ proditorem ſciebat eſſe venturum. [a] Ne verò ſubitus caſus qui diſcipulis poſt paululũ in magiſtri negatione erat obuẽturus , illorum animos non præmonitos vſq; in deſperationem deiiceret, aut abſorberet immoderata triſtitia,voluit ſuper vẽturo caſu illos præmonere,dicens:[b]Omnes vos mei diſcipuli hac nocte in me patiemini ſcandalum, omnes occaſione mei delinquetis,& corruetis hac nocte,quãdo me derelicto omnes aufugietis.[c]Sic enim de hac re ſcripſit Propheta Zacharias:[d]Percutiam (inquit pater cæleſtis) paſtorẽ,illum quem mihi paſtorem Iſraëli ſinam venire in manus hoſtium:percuſsóq; paſtore, & in manus inimicorũ tradito,diſpergẽtur & fugient, paſtore derelicto,oues eius:id eſt, magiſtro tradito, aufugient diſcipuli.[e]Veruntamen,ne vos nimium cõturbet veſtrum hoc ſcandalum, quod ex infirmitate potius quàm ex malitia vobis accidet, néve in totũ ſpẽ veſtram deiiciat meæ paſsionis narrata miſeria,illud quoq; vobis prædico,quod poſterioris eſt gloriæ, nimirum quòd poſt meam reſurrectionem à mortuis (quæ erit tertia die)rurſum vos ad me cõgregabo, & manifeſtabor vobis, vóſq; cõſolabor. Præcedámque vos in Galilæam,ad eum locum vos conuocabo, vt illic me vobis ſimul cõgregatis,familiariter iterũ manifeſtem.[f] Dum autem iſta ſolicitus de pręmonendis diſcipulis præceptor loqueretur,Petrus Apoſtolorum caput, ſuo more feruens animo ex bone conſcientiæ teſtimonio,& optimi erga præceptorem affectus ardore,ita reſpondit: [g] Quid alij mei condiſcipuli ſint facturi , ſcire non poſſum , tametſi de omnibus bene cõfidam.De me autem hoc auſim pronuntiare, & ex ſyncero cordis affectu ſic ſentio,tantũ eſſe meum erga te amorem,vt impoſsibile mihi videatur in te ſcãdalum pati,téq; derelinquere.Imò & ſi vniuerſi à te abſcederẽt,ego nihilominus firmiſsimo cordis propoſito tibi ſemper decreui adhęrere & inhęrere.Hæc ille diſcipulus,propriæ infirmitatis non bene cõſcius

ex ſer

a Tunc dicit illis Ieſus:

b Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte.

c Scriptum eſt enim:

d Percutiã paſtorẽ, & diſpergentur oues gregis.

e Poſtquam autem reſurrexero, præcedã vos in Galilæam.

f Reſpõdens autem Petrus, ait illi:

g Et ſi omnes ſcãdalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.

ex feruore boni affectus cõfidenter proferebat. [a] Verùm dominus infirmitatem diſcipuli nocẽs, magnificam illam pollicitationem longè abiecit, dicens: [b] In veritate tibi hoc tanquam indubiè euẽturum prædico, quòd in hac ipſa nocte, ante binum galli cantũ, tribus vicibus me ſis abnegaturus. Iterũ Petrus, tametſi de veritate verbi præceptoris nihil dubitaret, tamen ex zelo nimio, quem tum erga pręceptorem gerebat, iudicans non poſſe ſe ab illo ſeparari, iterum cõfidenter reſpondit: [c] Egóne te abnegarem, præceptorem dominũ & patrem tam dilectiſsimum, quẽ ego Dei filium & vitæ verba habentem cognoui & confiteor? In æternũ ego te non abnegabo, etiam ſi mihi tecum eſſent carceres & tormẽta quælibet: denique mors omnium terribilium terribiliſsimum, perferẽda. [d] Atque ad hũc modum poſt Petrum diſcipuli reliqui, fidem præceptori ſpopõderunt: fortiter aſſerentes, nullius rei gratia ſe vnquam tam benignũ dominum abnegaturos, aut vel relicturos. [e] Colloquens verò ita cum diſcipulis dulcis pręceptor, peruenit tandem ad villam quandam trans torrẽtem Cedron, iuxta montem oliuarum, dictam Gethſemani, quod interpretatur, vallis pinguedinum. [f] Vbi hortum quendam ex more ingreſſus, ad orãdum patrem in abſcondito, ſecretum quęrens, dixit diſcipulis octo, vt in anteriori parte loci illius reſiderent atque quieſcerent, interim dum ipſe ad patrẽ in parte vlteriori ſolitarius orationem effunderet. [g] Attamen tres ſibi familiariores diſcipulos ſecũ apſſumpſit, ac ſeparauit à reliquis, nempe Petrũ, Iacobum, & Ioannem: vt qui prius in monte viderãt transfigurationis gloriam, iidem familiarius nunc cernerẽt conturbationis & incipientis paſſionis anguſtiam. [h] Coram his itaque cœpit Ieſus vehementi dolore ac mœſtitudine affici, pauore quoq; & horrore concuti, ſic vt etiam in corpois ſpecie & geſtu manifeſtè ſe proderet afflictio animi. [i] Et vt voce etiã exprimeret certius, quod corporis geſtu indicauerat, verbũ coram illis protulit arctiſsimę expreſſiuum anguſtiæ, dicens: [k] Tanta premitur mœſtitudine cor meum, vt maior vix poſsit æſtimari: ita vt

ſufficiens

a Ait illi Ieſus:

b Amẽ dico tibi, quia in hac nocte, ante quã gallus cantet, ter me negabis.

Ait illi Petrus:

c Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.

d Similiter & omnes diſcipuli dixerunt:

e Tunc venit Ieſus cum illis in villam quæ dicitur Gethſemani,

f & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hîc, donec vadã illuc, & orem.

g Et aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi,

h cœpit contriſtari & mœſtus eſſe.

i Tunc ait illis:

k Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem.

ſufficiẽs videatur animã è corpore eiicere, vitámque finire, niſi me diuinitatis virtus ad perferẽda quæ ſuperſunt paſsionum torméta ſuſtentaret.[a] Vos hîc manete, interim dum ego ad patrem fundam orationẽ: & vnà mecũ vigilate orantes, ne vos imminens tentatio abſorbeat.[b] Quo dicto, ſubduxit ſe aliquantulũ ab illis, quantum ferè iactus eſt lapidis: illicque coram patre ſuo vnico cõſolatore pauperum, effundere volẽs amaritudinẽ animæ ſuæ, poſitis in terram genibus, procidit deinde in faciẽ ſuam: ad proteſtationem infimę humilitatis, qua coram patre ſe humiliabat, & declaratiõẽ extremæ deſolationis qua anxiabatur in animo: ſicq; in terram proſtratus, orabat patrem in abſcondito, dicens:.[c] Pater mí, tantus horror & pauor ex imminente paſsionis amariſsimo calice, me tuum filium, ſecundum infirmã humanitatis, quã tuo iuſſu aſſumpſi naturam, inuaſit, vt ſi fieri poſſet, & ſi alia via tuæ voluntati placuiſſet genus humanũ redimere,[d] cuperem propoſitũ mihi paſsionis tam acerbæ calicem effugere.[e] Veruntamen, licet ſecundum inferiorẽ corporis appetitum id appetat humana infirmitas, ſecundũ rationem tamen & voluntatem per omnia me conformare volo tuæ ſanctiſsimæ voluntati, vt ſecundum rationem non hoc ego fieri optem, quod carnis appetitus inferior omnia corporis incõmoda exhorreſcens concupiſcit, ſed hoc votis omnibus & ardentiſsimo deſiderio cupiã de me fieri, quod tua ſanctiſsima voluntas de me futurum decreuit. [f] Qua oratione finita, exurgens dominus ad inuiſendos diſcipulos venit: partim ad illos admonẽdos, partim ad demonſtrandã eam quam erga ipſos habebat dilectionem & ſolicitudinem, partim ad animi ſui declarandam anguſtiam, vt ſolent homines anxij animo de loco ad locum, maximè ad amicos chariores, obambulare.[g] Veniens itaque ab oratione ad diſcipulos, inuenit eos ſomno depreſſos, propter triſtitiam nimiam, quæ illorum corda ex præceptoris illis tam triſtibus verbis grauauerat.[h] Tũc quaſi occaſionem nactus bonam, arguendi Petrum tarditatis & infidelitatis, qui pauloante prius cæteris & plus cæteris

a Suſtinete hic & vigilate mecum.

b Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens::

c Pater mi, ſi poſsibile eſt,

d tranſeat à me calix iſte.

e Veruntamen nõ ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

f Et venit ad diſcipulos ſuos,

g & inuenit eos dormientes.

h Et dicit Petro,

teris magna iactauerat, amica & verè paterna exprobratione illum agreſſus eſt, dicens: [a] Quid tu mi Petre? ſiccine fidē facis illis tuis promiſsis tam magnificis? Quomodo ad carcerem vſque & mortem iuxta promiſſum me ſequi poteris, qui nec horulam vnam potuiſti mecū vigil perſiſtere? Si in recula tam minima deprehēderis infidelis, quomodo putas in maioribus te fidem ſeruaturū? [b] Diſcite vel hinc mei chariſsimi filioli, diſcite vobis nihil fidere, ſed magis ſolicitè metuere: ac proinde excuſſo ſomno, vigilate in oratione vnà mecū, vt imminens tentatio vos non apprehendat, neq; abſorbeat. [c] Noui equidem animū veſtrum bonum & ſpiritum promptū, paratamq; voluntatē, ad præſtandam dictis fidem, ad agendum & perferendū pro meo amore omnia: ſed attendere debetis, hunc animū eſſe in carne, ad bonum omne tarda & inualida: vtpote quæ ſecundū inhabitantem in ipſa appetitū quam maximè exhorreſcit omnia corporis incommoda, eſtq; reluctans ſemper ſpiritui, & aduerſus eū cōcupiſcens. Quæ ſanè carnis infirmitas meritò vos vobis reddere debet ſuſpectos, & ſalutarem timorem debet incutere, vt tanta iam imminēte tētatione per orationem ad Deum confugiatis, ſine cuius ſpeciali auxilio pugnā tam validam haud dubiè nequibitis ſuperare. [d] Qua exhortatione diſcipulis ita admonitis, rediit iterum dominus ad ſolitudinis & orationis locum: ibique orationem quam prius effuderat corā patre, in eadem animæ amaritudine replicauit, dicens: [e] Mi pater, exhorreſcit quidem carnis infirmitas inſtātis paſsionis ſubire amaritudinē: & ita exhorreſcit, vt modis omnibus illam cupiat effugere. [f] Verūtamen, poſteaquàm ita tu vis poſteaquàm ita decretū eſt apud te, vt ego calicem hūc bibam pro generis humani ſalute: libentiſsimo animo volo illum ſuſcipere, atq; ad fundū vſq; cupidiſsimè exhaurire. [g] Finita oratione, ad diſcipulos vt antè reuerſus, iterum eos reperit dormientes. Erant quippe pluribus rationibus ſomno grauati: tum quòd à cœna veniſſent benè refecti, tum quod noctis tempus aduētaret, tum maximè quòd triſtitia eſſent prægrauati,

a Sic? Non potuiſtis vna hora vigilare mecū?

b Vigilate, & orate, vt nō intretis in tentationem.

c Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

d Iterum ſecundò abijt, & orauit, dicens:

e Pater mi, ſi nō poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum,

f fiat voluntas tua.

g Et venit, & iterum inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati,

uati,quę ſic illorum corda deprimebat,vt nihil ex animo liberet agere,qui torpor ſomni fomitē amplius miniſtrabat.[a] Recedens proinde ab illis dominus Ieſus,exhortationem ſuam priorem vidēs nihil poſuiſſe,iterum ad orationem rediit,eundem proferēs ſermonem,quem bis iam ante protulerat.Quæ quidem orationis ſub eodē tenore replicatio,ex parte altera vehementiam teſtabatur anguſtię,quę pro calicis amotione illū fecit ſecundū partē inferiorem poſtulare:ex oppoſito verò,promptitudinē indicabat perfectæ obedientiæ,ſecuudum quam patris voluntati ſuā pleniſsimè ſubiiciebat voluntatē.[b] Tunc ſurgens ab oratione , iterum ad diſcipulos acceſsit: quos videns ſomno prorſus grauatos compaſsione motus indulſit eis vt aliquantulū requieſcerent,dixitq; eis: Quando quidem fruſtra vos ad vigilādum video commoueri, & à ſomno quaſi violenter deprimi,condeſcendēs veſtrę infirmitati,indulgeo nunc vobis,vt dormiatis requieſcatis paululū,vſq; dum ego vos expergiſcero. [c] Statimq; poſt modicam morulam, hoſtium turmā cernens aduenientem,excitauit illos,dicens , Satis iā dormitū eſt.Ecce iam aduenit, iamq; adeſt hora illa qua ego tradar in manus hominum peccatorum,qua permittentur impij perſequutores mei poteſtatē in me obtinere,vt pro libito in me exerceant omnē ſæuitiam,quam vſq; in tēpus iſtud exercere ſunt patris voluntate prohibiti.[d] Exurgite otius à ſomno,& obuiam pergamus venientibus ad requirendum me hoſtibus,vt manifeſto poſsitis probare indicio,ꝙ vltro ad paſsionem hanc,quam ſum perlaturus,ipſe me obtulerim.[e] Ecce iam adeſt traditor ille quem paulo ante cœnātibus vobis deſignaui verbo & ſigno,iamiam aduenientem illum videbitis,vt proditionis ſuæ impium machinamentum opere compleat.[f] Vixdum finito hoc ſermone,ecce Iudas vnus Apoſtolorum duodecim apparuit,accedēs ad Chriſtū,comitatus magna caterua miniſtrorū,armis diuerſis militaribus inſtructorum,gladiis ſcilicet & haſtis ac fuſtibus:[g] qui adhoc à principibus ſacerdotū,qui in ſpiritualibus prę-erant populo, [h] atque à ſenioribus , qui præerant in

a Et relictis illis,iterum abijt, et orauit tertiò, eundem ſermonem dicens.

b Tūc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite iam et *requieſcite.*

c Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.

d Surgite eamus.

e Ecce appropinquauit qui me tradet.

f Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit,& cū eo turba multa, cum gladijs & fuſtibus,

g miſsi à principibus ſacerdotum,

h & ſenioribus populi.

temporali regimine,miſsi fuerant cum Iuda,vt eo indicante ipſi Ieſum vi armorum obruerent,& comprehenſum adducerent.[a] Traditor autẽ iſte Iudas,priuſquam ad Chriſtum appropinquaſſet,ſignum dederat comitibus,quo ipſis illũ erat proditurus,dicens:[b] Vbi ego acceſſero,diligenter cõſiderate cui ego ſim præbiturus oſculũ.Cui enim me videritis præbere quaſi pacis oſculũ,ipſe erit quẽ quæritis:ipſum apprehendite,ſtatim in illũ manus mittite,& quodlibuerit de illo agite.[c] Ac iuxta pactũ hoc,cùm appropinquaret Ieſu,ſubſequentibus clam miniſtris,Iudas recta & cõfidenter iuxta conſuetudinem accedens, ſalutationẽ pacificam pręceptori obtulit.[d] Aue(inquiens)præceptor bone:ſimulq́ue vt verbum protulit ſalutationis, oſculum quoq; pacis obtulit:hoc pacto fallere putans præceptorem,aut certè condiſcipulos,ne ante tẽpus magiſtri proditor perſentiretur.[e] Sciens verò piiſsimus Ieſus,& optimè exploratũ habẽs impium impij proditoris animum:noluit tamen acri obiurgatione illum palã arguere,aut digna (quod certè potuiſſet) vltione ferire,imò neq; oblatum repulit oſculum:ſed deflexis in eum manſuetiſsimis illis paternæ cõmiſerationis oculis,ſic illi reſpõdit:[f] Amice Iuda,cui nunquam ego niſi magnę amicitiæ atq; etiam peculiaris familiaritatis & honoris ſigna monſtraui, ꝗ prauum nunc aduerſus me geſtas animum?ſiccine amico reddis viſsitudinem?Vbi quæſo hoc apud te commerui, vt oſculi me indicio proderes hoſtibus? Vel nunc ad cor reuertere fili mi Iuda,& quid egeris apud temetipſum conſidera.[g] Statim verò vbi Iudam vidiſſent miniſtri Iudæorum Chriſto præbentem oſculum,memores dati ſigni,magno impetu in eũ irruunt, velut lupi in ouem,velut raptores in prædam:& manus violentas in eum iniecerunt,apprehẽſumq́ue tenuerũt, quaſi ordinaria iudicij authoritate captiuum.[h] Vnus interim ex diſcipulis,Petrus nomine,vt ſemper aliâs, ita etiam hic zelo magno feruens,cùm videret rẽ eò tendere,atq; eò iam perueniſſe,vt manibus in pręceptorem iniectis,captiuum illum conarentur abducere,nõ vltra expectandum putans,ſubitò exemit illũ

quem

a Qui autẽ tradidit eum,dedit illis ſignum,dicens:

b Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.

c Et confeſtim accedens ad Ieſum,dixit:

d Aue Rabbi. Et oſculatus eſt eum.

e Dixitque illi Ieſus:

f Amice, ad quid veniſti?

g Tunc acceſſerunt,& manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum.

h Et ecce vnus ex his qui erant cum Ieſu,extendens manum, exemit gladiũ ſuum:

quem fortè gerebat gladium:[a] viſque magna admini ſtrante etiam vires amore & furore,feriens,ictum duxit in vnum quendam ex miniſtris principis ſacerdotum,qui cęteris liberius audaciusq; in Chriſtū irruerat:ſed declinante in partem dexteram gladio,dexteram tantum auriculam illi amputauit.[b] Quem Petri zelum intemperatum aſpiciens Ieſus dura ſatis obiurgatione eum compeſcuit,dicens:[c] Noli Petre gladio hic agere,ſed gladium exemptum in vaginā potius locum proprium reconde. Non eſt enim hoc Euangelicæ perfectionis dogmati cōſonum,quo docui,nō eſſe reſiſtendū malo,ſed maxillam vnam ferienti,alteram quoq; prompto animo eſſe præbēdam.[d] Omnes qui aliter quam oportet non ex Dei mandato vtūtur gladio,aut aliis eiuſmodi bellicis inſtrumētis,gladio perdentur:ſæpe quidem in pręſenti tempore materiali gladio,ſemper verò in futuro tēpore diuinæ vltionis gladio ſpiritali.[e] Denique,etiam ſi mihi placeret vim vi depellere,an putas mi Petre tua mihi defenſione opus fore?Nihil minus.Haberē nanq; in promptu auxiliū longè validius.Nihil enim mihi opus eſſet,niſi ad patrē meum exclamare pro auxilio:& ille qui me ſemper audit,quantotius mihi demitteret in adiutoriū,quantū vellē angelorum numerū,etiā vſq; ad duodecim legiones & amplius:quorum vnus quilibet vel infimus,totam hanc quam cernitis hoſtium armatorum turbam nullo negotio poſſet conficere, atq; in cineres vſq; redigere.[f] Verùm ſi hoc pacto aduerſum iſtos velim agere,quomodo impleri poterūt ſcripturæ,quæ multo ante hoc prędixerūt ita debere fieri?nimirū vt ego tradar,patiar,ac moriar,pro ſalute mūdi:Nam ita per vim obſiſtēdo hoſtibus,impediretur ſcripturarū adimpletio,quod omnino fieri non debet.[g] Ac deinde conuerſus Ieſus ad turbam illam tumultuantium miniſtrorum,cum multa manſuetudinis modeſtia eis loquutus eſt,dicens:[h] Quid ſibi vult iſte armorum ſtrepitus? Aut quid opus fuit inſtrumentis eiuſmodi bellicis,nempe gladiis & haſtis, quibus ad me tanquam ad latronem,atque maleficū hominem modò exiſtis,ad me comprehendendum?

a & percutiens ſeruum principis ſacerdotum, amputauit auriculam eius.

b Tunc ait illi Ieſus:

c Conuerte gladium in locum ſuum.

d Omnes enim qui acceperint gladium,gladio peribunt.

e An putas, quia nō poſſum rogare patrem meū et exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones angelorum?

f Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri.

g In illa hora dixit Ieſus turbis:

h Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me.

a Quotidie apud vos ſedebam docens in templo, [a]Nihil opus erat hoc tumultu,ac ſtrepitu me extra ciuitatem quęrere,cùm ego per ſingulos penè dies palàm in loco publico, nempe in templo ac ſynagogis docuerim:vbi ſi id vobis veſtriſq; dominis in animo fuit,& ſi iuſtam ad id cauſam habere exiſtimatis,minore vtique moleſtia me potuiſſetis comprehẽdere.

b & non me tenuiſtis. [b]Attamen hactenus nemo veſtrum manus in me conіecit,neq; vel digitum mihi admouit, nocẽdi gratia. Quid igitur nunc,tanto ſtrepitu tantaq; moleſtia extra ciuitatem in ipſa intempeſta nocte me quæritis, ad eum modũ quo ſolet quæri homicida, ſtatim perpetrato facinore,vt comprehendatur antequã poſſit effugere?

c Hoc autẽ totum factum eſt, vt adimplerentur ſcripturæ Prophetarum. [c] Id autẽ omne,nempe quod dominus Ieſus ita cum tumultu & ſtrepitu malorum hominum cõprehenſus eſt ſine cauſa,ꝙ reluctari noluit,neq; obſiſtere comprehenſoribus,ita diuina diſpoſitione fieri debuit,ſicut per Prophetarum ſcripturas multo ante fuerat prædictum.Nempe Eſaias de eo prędixerat,ꝙ tanquam ouis ad occiſionem eſſet ducendus,& non aperiret ad contentionem os ſuum. Hieremias eum agno aſsimilauit,qui portatur ad victimã. Pſalmiſta prędixit circundandũ à vitulis & canibus multis,atq; à tauris obſidendũ.Aliaq; in eandem ſententiã multa,ſancti prædixerunt Prophetę.

d Tunc diſcipuli omnes, relicto eo,fugerunt. [d] Videntes autẽ diſcipuli eo rem proceſsiſſe,vt comprehenſus iam teneretur præceptor,& ab eius ore audientes nõ concedi locum defenſionis,metuentes ſibi,ne & ipſi cũ eo abducerentur captiui,ſi cum eo diutius permanerent,relicto eo præ timore,omnes aufugerũt,qui paulo ante ſigillatim ad carceres & mortem vſq; fidẽ ſpoponderant.

e At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caypham f principem ſacerdotum, vbi Scribæ & ſeniores cõuenerant. [e]Illi verò comprehenſum iam & alligatum Ieſum,magno gaudio & exultatione adduxerunt ad domum Cayphę, [f] qui tum tẽporis,ſummo fungebatur ſacerdotio,apud quem cęteri omnes populi rectores, qui in mortẽ Chriſti vnanimiter cõſpirauerant,Scribæ videlicet & ſeniores,erant cõgregati,expectantes miniſtrorum reditũ,vt ſcirent quid actum eſſet de eo quod agebant negotio.Toti enim in hoc erant,& ſic erant,vt quieſcere non poſſent,niſi exitum prius cognouiſſent negotij:quemadmodum ſolet cõtingere iis,

iſs,quib₉ res quęlibet vehemẽter eſt cordi.[a] Interim verò dum ſic comprehẽſus abducitur pius dominus, fluctuabat apud ſe & vehementer anxiebatur animo Petrus,memor ꝓmiſsi paulo antè præſtiti magiſtro. Propter quod,nõ penitus magiſtrũ deſerere illũ permiſit conſcientia & zelus amoris. Neq; tamẽ propius accedere audebat,propter timorẽ,ne fortè & ipſum ſimiliter comprehenderent.Sic itaque hæſitans intra ſeſe,cogitauit ſaltẽ à longè ſubſequi turbam illã miniſtrorum:atq; ita ad domũ vſq; principis ſacerdotũ dominum captiuum ipſe fugitiuus eſt proſequutus.[b]Quo quũm perueniſſet,ſumpta audacia,& ipſe intro in aulam anteriorem eſt ingreſſus,[c] ibique tanquam ignotus reſidebat in turba miniſtrorũ,vt videret quid de Chriſto eſſet agendum, qualémve illa captiuitas haberet exitũ.[d] Poſtquam verò per miniſtros adductus eſſet in domũ ſummi ſacerdotis Chriſtus dominus,ſtatim congregatum eſt aduerſus eum Iudæorũ concilium,vt de eo perquirerent,& decernerẽt quid foret agẽdum. Et quoniam ſine cauſa legitima indecens fuiſſet morti addicere innocentem,multa ſolicitudine & induſtria ad hoc vtebantur,vt falſum teſtimonium aduerſus eum inuenirent,vt ſic colorem aliquem honeſtũ ſaltem apud homines haberent quo illum poſſent ſine nota morti tradere.Poſtea enim quã irreprehenſibilis Chriſti innocentia locum hoſtibus non cõcedebat verę accuſationis,neceſſariũ illis fuit ad falſitatem recurrere.[e] Verũ neq; hac via ſatis commodum pro ſuo voto potuerunt inuenire teſtimonium,ita vt productis multis falſis teſtibus (quorum alij hoc ſe vidiſſe,alij illud ſe audiſſe teſtabantur) nõ eſſet tamẽ inuentum conueniens neq; ſufficiens illorum teſtimonium.Vel enim quæ dicebãtur criminalia non erant,vt cum honeſtate ex illis morti poſſent quẽquã adiudicare,vel in aſſertorũ probatione teſtes deficiebant,vel prorſus abſurda & nõ veriſimilia proferebãt.Tam enim etiam ab omni ſpecie mala abſtinuerat in omni vita innocens ille agnus Dei,vt nihil apparẽtis aut veriſimilis calumnię aduerſus eũ poſſet inueniri.[f]Poſt multos verò,tandẽ alij duo falſi teſtes pro-

a Petrus autem ſequebatur eum à longè,vſq; in atrium principis ſacerdotum.

b Et ingreſſus intro,ſedebat cũ miniſtris,

c vt videret finem.

d Principes autem ſacerdotũ, & omne concilium quærebãt falſum teſtimonium contra Ieſum,vt eũ morti traderent.

e Et non inuenerunt,cũ multi falſi teſtes acceſſiſſent.

f Nouiſsimè autẽ venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt:

a Hic dixit, Poſſum deſtruere templū Dei, & poſt triduū reædificare illud.

b Et ſurgēs princeps ſacerdotū, ait illi:

c Nihil reſpondes ad ea quæ iſti aduerſum te teſtificātur?

d Ieſus autem tacebat.

e Et princeps ſacerdotum ait illi:

f Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis,ſi tu es Chriſtus filius Dei.

g Dicit illi Ieſus:

proceſſerunt in medium, accuſationemq́ue aduerſu[s] illum proponebant,dicentes:[a] Nos hunc audiuimu[s] dicentem,Poſſum deſtruere hoc templum Dei,& intra triduum reædificare illud. Quod verbum falſi illi teſtes neque ita retulerunt vt dixerat Chriſtus,neq; eo animo & eo intellectu quo dixerat:ſed ad ſenſum alium,immutatis verbis,detorquebāt benè dicta ad calumniam.[b] Cum itaque hoc teſtimonium ſufficiēs non eſſet pro condemnatione Chriſti,vt neque prius adducta fuerant valida,princeps ſacerdotum hoc inuenit conſilium,vt Chriſtum faceret in cōcilio loquētem,de iis potiſsimum rebus in quibus facilius aliquid aduerſus eum ex ipſiuſmet ore rapi poſſet. Propter quod,exurgens in mediū ſummus ſacerdos,quaſi grauiter commotum ſe fingens auditis accuſationibus & teſtimoniis,ad reſponſionem Chriſtum inuitauit,dicens:[c] Audiſti aduerſum te perhibita complura teſtimonia,grauia certè & difficilia. Habéſne qđ ad illa reſpondeas? Si defendere te poſsis,locum damus tibi ad defenſionem:loquere fidēter. Si verò nō habes quod reſpondeas, nos taciturnitatem tuam in iudicio,conſenſum interpretabimur, & ſecundū audita feremus aduerſum te ſentētiam.Huiuſmodi ſermonibus exiſtimabat ille ad verba ſe poſſe compellere Chriſtum,vt aliquid ex ore eius raperent.[d]Verum ipſe doloſum ſciens principis animum,ſciēs quoque reſponſione nihil opus eſſe,quādoquidem ipſimet iudices in cordibus ſuis nihil eorū quæ aduerſus ipſum fuerant prolata ſatis validum exiſtimabant ad condēnationem,iuxta Propheticum teſtimonium ſilebat, nec aperuit coram tondentibus os ſuum.[e] Videns autem princeps ſacerdotum, ꝙ neque hac via potuiſſet ad verba Chriſtum deducere,iterum exurgens cū ira & faſtu, dixit ad eum: [f] Adiuro te & obteſtor per Deum verum & viuum, Deum patrum noſtrorum, Abrahā,Iſaac,& Iacob,vt palàm nobis hic cōfitearis, ſi tu verè ſis Meſsias ille Iudæis promiſſus & expectatus,& vere filius Dei altiſsimi,iuxta quod de te pluri mi ſentiunt,tuis edocti ſermonibus.[g] Hic piiſsimus Ieſus,audita patris mētione quaſi expergefactus pro-

pter

ptēr paterni nominis in quo adiuratus fuerat reuerētiam,ſimul & ob veritatis amorē,ad quā profitendam cū adiuratione ſacroſancti nominis innitabatur intrepidè omnem illis aperuit veritatē,nō omittens in concilio palā eam profiteri,etiamſi optimè præſciret hinc illos occaſionē accepturos ſuæ condemnationis. [a] Adiuratus itaq; ſic reſpōdit ſolita modeſtia:Sicut interrogaſti me,ſic res habet,verū dixiſti,ego ſum Chriſtus filius Dei benedicti. [b] Inſuper & hoc adiicio vobis ad præmonitionē,ꝙ eū qui nunc corā vobis in humilitate aſtat iudicādus,poſterius aliquādo videbitis venientē in gloria illa quā habebit morte deuicta,ſedēs à dextris paternæ maieſtatis:ſicq; in patris ſui gloria videbitis apparentem in nubibus cæli , quādo veniet iudicare viuos & mortuos. [c] Quo verbo in aures omniū publicè prolato,princeps ſacerdotū exiſtimans cauſam abundè ſufficientē ſe extorſiſſe à Chriſto,rupit veſtimēta ſua,quaſi præ dolore & diſplicentia auditæ blaſphemiæ:exclamanſq; voce magna corā omnibus,ait:[d] Blaſphemiā in Deū loquutus eſt improbus iſte,Deo æqualē ſe faciēs,quodq; Dei eſt propriū ſibi attribuēs. [e] Nihil iā opus eſt ad hominis huius condēnationē alieno teſtimonio. [f] Ipſe aduerſum ſe,vobis omnibus qui circunſedetis vt iudices audiētib⁹, apertū protulit teſtimoniū,tam impiā, aduerſus Dei ſummi honorē nō erubeſcēs ꝓferre blaſphemiā: Ferte iudices ſententiā,ex iis quæ ipſi veſtris audiſtis auribus,date iudiciū. [g] Ad cuius propoſitionē circūſedētes omnes illi iudices,à ſenioribus incipiēte impietate,ſigillatim protulere ſentētiā,Chriſtū vt blaſphemū morte plectēdū,iuxta legis decretū, quę blaſphemū iubet de vita tollere.Sic illi iudices impietatis,veritatis cōfeſsionē ęſtimātes blaſphemiā,innocētē Dei filiū morti adiudicāt:vitęq; vena mortis reū ꝓnūtiat filij mortis. [h] Mox cōſilio ſoluto,traditus eſt Chriſtus cuſtodiæ & volūtati miniſtrorū,qui gratificari cupiētes ſuis dominis,quib⁹ eū ſummè nouerāt exoſum,inhumaniter & improbè nimiū tractare eū cœperūt,exſpuētes & execrātes magna irreuerentia in beata faciē ei⁹, in quā deſiderat angeli ꝓſpicere. [i] Pugnis quoq;

a Tu dixiſti.

b Veruntamen dico tibi, amodo videbitis filium hominis ſedentē à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.

c Tūc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens:

d Blaſphemauit.

e Quid adhuc egemus teſtibus?

f Ecce nūc audiſtis blaſphemiā quid vobis videtur?

g At illi reſpōdentes, dixerūt: Reus eſt mortis.

h Tunc expuerunt in faciem eius,

i & colaphis eum cæciderūt.

a Alij autem palmas in faciē eius dederūt, dicentes:

b Prophetiza nobis Chriſte, qs eſt qui te percuſſit?

c Petrus verò ſedebat foris in atrio.

d Et acceſſit ad eū vna ancilla, dicens:

e Et tu cū Ieſu Galilæo eras.

f At ille negauit coram omnibus, dicēs: Neſcio quid dicis.

g Exeūte autē illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi:

h Et hic erat cū Ieſu Nazareno:

i & iterū negauit cū iuramento: quia nō noui hominem.

k Et poſt puſillum, acceſſerunt qui ſtabāt, et dixerunt Petro:

l Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit.

& colaphis eum cædentes, quod hominibus nihili ſolet fieri. [a] Quidam verò improbiores, quaſi puerilem ludum de eo ſibi facientes, velata eius facie, alapas ei impingebāt, ità vt lōgè audiretur ſonitus ictuum: ac poſt ſingulos quoſq; ictus cū illuſione dicebāt: [b] Prophetiza nobis Chriſte, à quo hunc iā ictū ſuſceperis? Prophetā te eſſe iactaſti, & Chriſtū Dei filiū, ac proinde ſcientem occulta omnia. Dic ergo nobis oculis clauſis, quis tibi hāc impegerit alapā? [c] Interim verò dum hæc in Chriſtū ludibria in interioribus domus exercerēt impietatis miniſtri, Petrus in anteriori parte domus in ipſo atrio reſidebat incognitus. [d] Quem tandem videns, & diligenter contēplans vna quædam ex ancillis domus illius, quæ illū fortè pluries cū Chriſto viderat obambulantē, procaci inſultatione coram omnibus eum aggreſſa eſt, dicēs: [e] Tu diſcipulus es huius Ieſu Galilæi, quē principes noſtri vinctū modo adduci iuſſerūt: probè mihi notus es, & frequenter in illius comitatu cōſpectus. [f] Satim Petrus ad ancillæ vnius vocē perterritus, dum mori timuit, vitam negauit, prorſuſq; immemor factus eſt tā ſplendidæ illius pollicitationis ſuæ, aperta voce coram omnibus præceptorem ſuum abnegauit, aſſerens omnino nihil ſe ſcire de homine illo, imò neque quid mulier illa ſibi vellet, ſatis intelligere. [g] Et cū timore iam perturbatus, locū exire vellet, perq; oſtiū egredi inciperet, intuita eſt illum alia ancilla domus illius, dixitq; aſtantibus: [h] Certè hic vnus eſt diſcipulorū huius Ieſu, qui dicitur Nazarenus. [i] Ille gemina accuſatiōe amplius exterritus, ſecūdò negauit dominū: etiam cum iuramēto aſtruens, ſe hominem illū non noſſe, neq; cum eo quicquā vnquam habuiſſe familiaris cōmercij: idque tanta aſtruebat & deierabat cōſtantia, ſiue potius impudētia, vt ab accuſatiōe ſtatim mulier deſiſteret, ſuſpicās ne fortè alius fuiſſet ei ſimilis, quem in Chriſti viderat comitatu. [k] Poſt paululum tamen, vbi attentius illum cōſideraſſent qui vocem puellæ audierant, quaſi certiores interim facti de veritate, cum ſeueritate illum aggrediuntur, dicentes: [l] Profectò tu vnus es diſcipulorum hominis iſtius, id quod vel ex

loquela

loquela idiomatis tui facilè aduertimus.Galilęa ſiquidem loquela loqueris,qua & captiuus hic loquitur,& cæteri eius diſcipuli loqui ſolent, quorum præcipui noſcuntur eſſe Galilæi. [a] Tūc videns maius ſibi iam immınere periculū, poſtquàm etiam à miniſtris cœpiſſet agnoſci: vt opinionem iſtam de illorum cordibus eiiceret,cœpit mentiri impudentiſsimè, & abſq; omni pudore non ſolùm inuerecundè abnegare, verumetiā cū anathematizatione,execratione, atq; maledictione ſuiipſius impiè peierare, ꝙ nihil vnquā cum Chriſto habuiſſet familiaris cōmercij.Sic continuò in peius proficiens infidelis diſcipulus, primum quidem tātum abnegauit magiſtrum,deinde abiurauit & peierauit,poſtremò execrationē quoq; & deteſtationem periurio ſuperaddidit. [b] Qua negatione trina completa,ſtatim Petrus gallum aduertit canentem. [c] Mòxq; verbi dominici recordatus eſt, quo ſibi magna iactanti prędixerat fore, [d] vt eadem nocte antequàm gallus bis caneret,ſiue antequàm gallū canentem attenderet,ter ipſum eſſet negaturus.Iam illum rei exitus docuit,veracem fuiſſe magiſtrū,ſe verò vaniſsimum eſſe diſcipulum, & omnia ſimul promiſſa cum ipſo itidem vana fuiſſe. [e] Statimq; à domino miſericorditer reſpectus & attactus interius,grauiſsimum amaræ compunctionis & pœnitentiæ ſenſit in corde dolorem: egreſſusque foras extra atrium principis ſacerdotum, locum quærens ſolitudinis ad deflendum peccatum ſuum, tanto cordis anxiebatur dolore, vt erūpentibus ex oculis lachrymis fleret amariſsimè,ſciēs hanc vnicam eſſe pœnitentiæ viam,qua cum magiſtro poſſet redire in gratiam:ſolum hoc eſſe lachrymarum lauachrum, in quo peccati ſui fœditatem abluere poſſet, atque abſtergere.

a Tunc cœpit deteſtari & iurare, quia non nouiſſet hominem.

b Et continuò gallus cantauit.

c Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quo dixerat illi:

d Priuſquam gallus cantet, ter me negabis,

e Et egreſſus foras fleuit amarè.

ELVCIDATIO CAP. XXVII.

POSTQVAM verò noctem in Chriſti illuſione & afflictione duxiſſent inſomnem miniſtri impietatis, mane facto,ſtatim vt illuxiſſet dies, conuenerunt vniuerſi principes ſacerdotum & ſenio

MAne autē facto, conſilium inierūt omnes principes ſacerdotū & ſeniores populi aduerſus Ieſum,

a vt eum morti traderent.
b Et vinctũ adduxerũt eũ, & tradiderũt Pontio Pilato præſidi
c Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet,
d pœnitẽtia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens:
e Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.
f At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.
g Et proiectis argenteis in templo, receſsit:
h & abiens, laqueo ſe ſuſpẽdit.
i Principes autem ſacerdotum acceptis argenteis, dixerunt:
k Non licet eos mittere in corbonam,

ſeniores, qui conſcij erant conſpirationis & coniurationis in mortem Chriſti, ad cõſulendum in commune aduerſus eum: [a] videlicet quomodo morti eum traderent, & qua morte eum perderent, & quid pro accuſatione præcipua corã præſide proferrent. [b] Soluto conſilio, vinctum eum à domo Cayphæ adduxerunt ad Pilatũ præſidem, vt tanquam mortis reum ac publica conſilij ſentẽtia damnatum, ipſe authoritate imperiali puniret. Prius verò quàm in ordinẽ paſsionis Chriſti ſermo longius decurrat, breuiter dicendũ, quẽ finem ſortita ſit execranda Iudæ proditio. [c] Iudas itaq; poſtquàm innocentẽ, ſibiq; ſemper beneficẽtiſsimum dominum triginta argẽteis, pretio admodũ vili, vendidiſſet Iudæis, facinore peracto ad ſe rediẽs, ſuiq; peccati enormitatẽ paſsionibus iam ex parte ſedatis cõſiderans, videns q iam damnatus eſſet dominus ſuus, ſeq; initiũ & originẽ fuiſſe huius cõdemnationis, [d] dolens de patrato ſcelere, retulit triginta argenteos, pretium negotiationis ſuæ, illis à quibus acceperat, nempe principibus ſacerdotum & ſenioribus populi, dixitq;, eis: [e] Grauiſsimè ego me peccaſſe confiteor, in eo quod hominem innocentem, & de nullo malè meritum ad mortem tradiderim ſine cauſa, eiuſquè damnationi occaſionem dederim: ita videlicet verbo vno, & præceptoris innocentiam, & ſuam impietatem agnoſcens. [f] Cui reſponderunt Iudæorum principes: Quid tu egeris, noſtra nihil refert: bene tu an male egeris, ipſe videris. Nos quid egerimus ſcimus, neque mali vllius ſumus nobis conſcij: [g] Iudas autem ſuam illam pœnitentiam & querimoniam videns nihil poſſe proficere, eoſque obduratos cernens, & prorſus definitos in mortem Chriſti, & ſceleris enormitate miſer ille in deſperationem corruit: proiectiſque cum indignatione magna argenteis in templo (eo quod nollet mori poſſeſſor iniqui pretij) abiit, [h] & laqueo ſibi extorſit animam: quod in magiſtro infœliciter cœperat latrocinium, infœlicius complens in ſemetipſo. [i] Principes autem ſacerdotum, accepta pecunia illa, dixerunt adinuicem: [k] Non licet vltra pecuniam

iſtam

iſtam mittere in arcam ſanctam, vbi dona ſeruantur quæ voluntariè Deo & templo offeruntur: [a] quoniam pretium eſt ſanguinis, quoniam numerata eſt proditori pro traditione hominis ad mortem: vnde quodam modo prophanata atque polluta videtur, vt iam non videatur dignum mittere eam in ſacram arcam aut gazophylatium ſanctum. [b] Conſulẽtes ergo pariter, hoc decreuerunt, vt ex argento illo emerent agrum quendam figuli (ſic dictum, vel à domino antiquo, vel à conditione luti quod ex agro illo fodiebatur) ad eum vſum, vt in illo ſepelirentur peregrini, ſepulturæ proprium locum non habentes. [c] Propter quod, ab eo tempore ager ille appellatus eſt voce Syriaca, Acheldemach, quod interpretatur, ager ſanguinis, qui videlicet ex ſanguinis pretio fuit cõparatus: [d] quam appellationẽ, vſq; ad tempus iſtud deſcriptionis Euãgelij huius, locus ille obtinuit. [e] Sicq; adimpletum eſt, quod multo ante prædictum fuerat per Prophetam, ita dicentem: [f] Et acceperũt primates Iudæorum triginta argẽteos, [g] pretiũ illius quod pro Chriſto appretiato & æſtimato perſolutum fuerat: [h] quem ipſi pretio æſtimatum, emerunt à filiis Iſraël (id eſt à Iuda proditore, vno ex gente Iſraëlitica) & expenderũt illos in emptionem agri figuli, [i] iuxta quod mihi Prophetæ dominus reuelauit. His obiter ita de proditoris obitu interiectis, paſsionem ſaluatoris nũc pleno curſu proſequatur oratio. [k] Ieſus itaque per principes ſacerdotum, coram Pilato præſide vinctus, tanquam mortis reus ſiſtitur, vt per eius authoritatem lata in Iudæorum concilio aduerſus eum mortis ſentẽtia in executionem producatur. [l] Nolens autem Pilatus ante auditum reum, & cognitam cauſam proferre ſententiam, Chriſtum interrogat, dicens: [m] Túne rex es Iudæorũ, vt iſti tui accuſatores iactaſ ſe te clamitant? [n] Cui pius Ieſus cum multa modeſtia ita reſpondit: Tu dixiſti regem me eſſe Iudæorum: ſic res habet vt propoſuiſti interrogans, verè rex Iudæorum ſum ego. Ita quidem iudici amore iuſtitię & cauſa noſcendæ veritatis interroganti reſpondit: [o] Accuſatoribus autem ſuis principibus ſacerdotum atq; ſenioribus

a quia pretium ſanguinis eſt.

b Conſilio autẽ inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum:

c propter hoc vocatus eſt ager ille acheldemach, hoc eſt, ager ſanguinis,

d vſq; in hodiernum diem.

e Tunc adimpletum eſt &c.

f Et acceperũt triginta argenteos,

g pretium appretiati:

h quem appretiauerunt à filijs Iſraël & dederunt eos in agrum figuli,

i ſicut conſtituit mihi dominus.

k Ieſus autem ſtetit ante præſidem:

l & interrogauit eum præſes, dicens:

m Tu es rex Iudæorum?

n Dicit illi Ieſus: Tu dicis.

o Et cum accu-

ſaretur à principibus ſacerdotũ & ſenioribus, nihil reſpondit. a Tunc dicit illi Pilatus: b Non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia?

nioribus populi ſine ratione & probatione multa aduerſum ſe inclamātibus, non eſt dignatus reſpōdere, eo quòd friuola eſſent, aut manifeſta habentia falſitatem, nullàque ſufficienti probatione firmata, propter quod reſponſione digna non erant.[a] Qua de re admirans Pilatus, vt ad verba illũ perduceret, cauſa noſcēdæ veritatis, ſic illũ alloquutus eſt, dicens: [b] Audíſne quàm multa iſti accuſatores tui aduerſum te proponant? Vides, in quàm multis & quàm acriter te accuſent, quámque in te vno ore omnes iſti inclamēt valdè. Quid igitur taces? Quare nō teipſum aduerſus illorum accuſationes defendis?[c] Sed dominus Ieſus ſciēs nihil opus eſſe reſponſione ad eiuſmodi friuola & vana, quæ neque iudicis animum quicquam mouebāt, eo quòd rationem & probationem dictis aduertebat abeſſe, ſoliſq; clamoribus illos omnia agere, nō reſpondit præſidi, donec ita interrogaret, ne verbulum quidem: propterea quòd nō ſerio tunc loqueretur Pilatus, quaſi reſpōſionem verè exiſtimans neceſſariam, ſed ſimulatè tātum, videlicet magnificare ſe ſimulãs accuſationes actorum, vt rerum vel terrore ad verba induceret.[d] Ex qua Chriſti tam conſtanti & nihilominus placida taciturnitate, in magnam admirationem ductus eſt prēſes. Poſt multa autem verba vltro citróque habita, inter præſidem quærentem abſoluere eum, quem innocētem & ex inuidia traditũ aduertebat, & ex aduerſo accuſatores, qui improbis clamoribus non ceſſabant ad mortem eum depoſcere, tādem conſiliũ incidit animo Pilati, quomodo illum poſſet de manibus accuſatorum eruere.[e] Siquidem cōſuetudo Iudæis erat, vt in ſolennitate paſchali per annos ſingulos prēſes vnum aliquem ex vinctis qui mortem erant commeriti, dimitteret liberum, ad ipſorum poſtulationem, quemcunque ſcilicet ipſi poſtulaſſent: quod in memoria illis permittebatur diuini beneficij, quo in nocte illa paſchę in Aegypto, percuſsis Aegyptiis ipſi euaſerūt ſalui, déque captiuitate ferrea in libertatem tum fuerunt educti.[f] Erat autē tunc tēporis vinctus quidā malitia inſignis, & præ improbitate ſua bonis omnibus exoſus, cui nomen erat

c Et non reſpondit ei ad vllum verbum,

d ita vt miraretur præſes vehementer.

e Per diem autem ſolennē conſueuerat præſes populo dimittere vnũ vinctũ, quem voluiſſēt.

f Habebat autem tunc vinctum inſignem qui dicebatur Barrabas.

erat Barrabas. Hũc cogitauit Pilatus cũ Chriſto conferre, & ex duobus his alterum proponere eligendũ: ſperans quod Ieſum, aduerſus quẽ nihil morte dignũ adhuc probatũ fuerat, alteri illi cuius malitia conſtabat omnibus, eſſent præelecturi.[a] Conuocatis itaq; ad ſe Iudæis, & tota illa turba ad ſe congregata, propoſuit illis cõſilium cordis ſui, dicẽs: Paſchalis iam adeſt feſtiuitas, neceſſe eſt mihi, iuxta veterem veſtram cõſuetudinẽ, vinctum aliquem pro veſtra poſtulatione dimittere liberum.[b] Nunc itaque duos vobis propono, quorum alterũ vt eligatis volo: Barrabam ſcilicet illum latronẽ, quem noſtis omnes morte dignum, vt pote qui contra reipublicæ bonum machinatus ſit in ciuitate regia ſeditionem,[c] aut Ieſum hunc qui modo præſentatur, & de quo adhuc quæſtio agitur, qui à plæriſq; Meſsias æſtimatur & dicitur, aduerſus quem nihil adhuc morte dignum eſt comprobatũ.[d] Quærebat autem Pilatus hoc conſilio ſic prudenter Chriſtũ de manibus accuſatorum eripere, eo quòd aduertiſſet, iniuſtè eum accuſari, neq; niſi inuidia moueri Iudæorum primates ad eius mortem procurandam: propter quod totis viribus ad liberandum eum quem innocẽtem credebat præſes (vt & ex officio tenebatur) agebat.[e] Ad hoc verò acceſsit, & aliud quod grauiter præſidis animum deterrebat, ne aduerſus Chriſtũ quicquam ageret. Siquidem ipſo pro tribunali in morẽ iudicis ſedẽte, miſit ad eum vxor ſua nuntium, qui hæc illi ex ipſius nomine diceret:[f] Nihil rei ſiue negotij tibi ſit cum homine illo iuſto & innocente, qui tibi adductus eſt iudicãdus: caue ne aduerſus illũ quicquam agas aut tentes innocentem.[g] Multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis, & territamẽta magna per viſum mihi oſtẽſa ſunt, quæ omnia ad ipſius inducebant liberationem: vt nõ dubitem peſsimè nobis futurum, ſi aduerſus hunc innocẽtem quicquam tentaueris. Proinde ab illo te quantotius abſolue, eúmque dimitte liberum, ne manus tuas in eo cõmacules, & ſuper omnem domum tuam inducas inexpiabile malum.[h] Statim verò vbi audiſſent principes Iudæorum verba præſidis, quibus Chriſtũ conabatur à morte eximere

a Congregatis ergo illis, dixit Pilatus:

b Quem vultis dimittã vobis: Barrabam,

c an Ieſum qui dicitur Chriſtus?

d Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidiſſent eum.

e Sedente autẽ illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicẽs:

f Nihil tibi & iuſto illi.

g Multa enim paſſa ſum hodie per viſum, propter eum.

h Principes autem ſacerdotũ, & ſeniores perſuaſerunt populo, vt peterent Barrabam, Ieſum verò perderent.

mere per collationem cum Barraba,metuētes ne populus innocētem Chriſtum præeligeret Barrabæ latroni,cœperūt magna celeritate per turbam huc atq; illuc diſcurrere,ac multa efficacia & authoritate populis ſuadere,vt Barrabam peterent ſibi dimitti,Chriſtum verò ad mortem poſtularent. [a] Iterum ergo Pilatus Iudæos interrogauit, dicens:Vtrum duorum illorum quos iamiam propoſui vobis,dimitti pro conſuetudine veſtra poſtulatis? Barrabam homicidam & ſeditioſum,an Ieſum innocentē, in quō nullam mortis cauſam inuenio?[b] Seductus principum malo conſilio populus omnis reſpōdit: Dimitti nobis petimus Barrabam.[c] Quod populi reſponſum vehementer admirans præſes(nō enim exiſtimauerat tam peruerſo corde fore homines illos qui ſe Dei cultores iactabāt,vt manifeſtarium homicidam homini innocenti præeligerent) iterum obiecit illis: [d] Quare non potius Ieſus hūc poſtulatis,qui Meſsias veſter à pleriſq; ſanioris iudicij exiſtimatur & dicitur? Præſtarétne illum in vita ſeruare,de quo tanta eſt ad plurimos ex veſtris exiſtimatio?Quid igitur de eo vultis fieri?[e] Statim clamaroſis vocibus reſponſum inſanum protulerunt rabidi canes,dicentes:Male pereat Ieſus,& cruci affixus moriatur in patibulo. [f] Præſes indignisſimè ferens hanc iudæorum duram ceruicem & irrationabilem pertinaciam,cum indignatione illos alloquutus eſt, dicēs: [g] Ecquid mali fecit homo iſte,propter quod cruci debeat affigi,aut vel alio quocunq; mortis genere plecti?Vos hactenus nihil aduerſus illū efficax, imò neq; probabile attuliſtis, quod morte dignum debeat iudicari. An hoc exigitis à me qui ſum miniſter iuſtitiæ,vt veſtro ſeruiā affectui:vt ſine cauſa hominem innocentem,pro veſtro tantum voto,in crucem adigam,præcipuè virum talem & tātum cuius fama per vniuerſam terrā Iudææ & omnia in circuitu loca cum honore peruenit?[h] At illi videntes Pilatum totis viribus conari,vt Chriſtū abſolueret,cōcitato amplius populo,iunctis vocibus cœperunt vociferari,& clamores in cælū tollere,tanquam rabidi canes ſine ratione latrantes,neque aliud clamantes,niſi

Affigarur

a Reſpondens autem præſes, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti?

b At illi dixerunt, Barrabā.

c Dicit illis Pilatus,

d Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus?

e Dicūt omnes, Crucifigatur.

f Ait illis præſes,

g Quid enim mali fecit?

h At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.

·Affigatur cruci homo iſte, affigatur cruci: videlicet vt clamorũ importunitate & improbitate extorquerẽt, quod neq; per rationẽ euincere, neq; per authoritatẽ obtinere potuerant. [a] Tandẽ Pilatus poſt longã verborũ pugnã, poſt multa pro Chriſti dimiſsione excogitata & acta, videns quod Iudæos nullis rationibus, nullis reſpõſis quantumuis rationabilibus, poſſet placare, ſed cõtinuò amplius inſanirent & tumultuarentur, perpendẽs illos pro ſuę duræ ceruicis pertinacia, nõ ceſſaturos, donec propoſitũ, ſiue per fas ſiue per nefas, ad effectum perducerẽt, perterritus quoque illorum minis & clamoribus, ſuccubuit iniuſtitiæ, & fractus animo, quo hactenus boni iudicis munus egerat, pro innocẽtis liberatione fortiter depugnans, cõſenſit petitioni iniuſtè accuſantium. [b] Prius tamẽ quàm eorũ petitioni ſatisfaceret, aperto teſtimonio & ſigni & verbi declarare voluit Chriſti perfectam innocentiã. Accepta nanq; de manu miniſtri fundentis aqua, manus ſuas omnibus videntibus abluit, dixitque eis: [c] Hoc ſigno ablutionis manũ mearum palàm ego teſtor hominis huius quẽ vos ad mortẽ depoſcitis, inno centiã: & hoc apertè profiteor, nõ ex animo meo, neq; ſecundũ rectũ iuſtitię dictamẽ, hũc me poſſe ad mortẽ damnare, quẽ ego iuſtũ & innocentem comperi & cõfiteor: neq; ego cõdemnationis huius quã à me poſcitis culpã, volo in me ſuſcipere, ſed culpam omnem ego in vos reiicio qui veſtra improbitate me cogitis ad proferendum contra iuſtitiam & conſcientiam iniquũ iudiciũ. [d] Ego quod in me erat effeci, vt de manibus veſtris innocentem eriperem. Vos poſteaquã me coëgiſtis ad iniquum iudicium, culpam & reatũ omnem meritò portare debebitis. Veſtrum agitur negotium, vos quid agatis, videritis. [e] Videntes autem Iudæi eouſque ſe promouiſſe clamoribus, vt ad extremũ ferè punctũ cauſa adueniſſet, eſsẽtq; iamiam ferenda ſententia: vt animum adderent timido præſidi, celeriuſque perficeretur negotium, omnes vna voce clamabant: [f] Nos totum hoc negotium vltro & libẽter in nos ſuſcipimus, omnem culpam (ſi quæ eſt) in nos transferimus, nobis totum volumus imputari

a Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret,

b accepta aqua lauit manus coram populo, dicens:

c Innocens ego ſum à ſanguine iuſti eius.

d Vos videritis.

e Et reſpondens vniuerſus populus, dixit:

f Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.

tari:nos pro eo quod egeris reſpondere parati ſumus: atq; etiam(ſi quam fortè vltionem exiſtimas propter eius necem in te ac domum tuam,vel à Dei iudicio, vel à Cæſaris ira poſſe venire)nos te ſecurũ facimus, totúmq; pŏdus,illud iam nunc in nos transferimus, atq; in filios & poſteros noſtros,vt pœnas demus nos & filij noſtri pro nece eius,ſi quę vel à Deo vel à Cæſare exigetur vltio.Sic impij iſti homicidę & parricidę ſuo iudicio ſemetipſos cŏdemnãtes,vltioni ſempiternæ ſe ſubiiciunt: & non ſe tantum, ſed poſteritatem quoque vniuerſam, vnà ſecum ſub maledictionem pertrahunt.[a]Pilatus cautione hac à Iudæis accepta benè ſecurum ſe exiſtimans,petitioni eorũ ſatisfecit.Barrabam pro cŏſuetudine diei feſti dimittens liberum,[b]Chriſtum verò(quem paulò antè flagellari iuſſerat,ad ſatisfaciendum Iudæis, ſperans ita illos ceſſaturos à clamoribus)cruci adiudicans:tradens eũ illis,vt iuxta ſuum deſiderium de eo agerent:id eſt,vt cruci affigeretur ſicut popoſcerant.[c]Tũc milites pręſidis,ad quos ſpectabat exequutio decretorum eius, ſuſcipiẽtes Ieſum in domo prętoria,congregauerunt ad eũ illudendum totam cohortem militum:vt tanto probroſior atque grauior eſſet illuſio, quanto plures adeſſent ſpectatores ſimul & illuſores.[d] Illic exuentes Chriſtum veſtimenta propria,circundederunt, ei chlamidem coccineam,ſiue purpuream veſtem quandã,detritam & reiectitiam,quam alicubi fortè inuenerant,vt quaſi regio cultu ornarent eũ qui ſe regem & Meſsiam dixerat.Nam purpura regibus conuenit.[e] Inſuper, quia reges decet coronam geſtare, manibúſq; ſceptrum tenere, ad eiuſdem repræſentationis propoſitum, coronam de acutis ſpinis contexentes, [f]impoſuerunt crudelitate magna,atq; vi impreſſerũt beato eius capiti: vt hoc pacto à vertice capitis ad calcem vſque pedis,non relinqueretur in eo ſanitas. [g]Baculum quoque arundineum,quaſi pro ſceptro regali,in manibus illi dederunt. [h] Ac deinde flectentes ante eũ genua,vt ſolet regibus fieri, ita eum irridebant,in ſimulatione dicentes: [i] Salue rex Iudęorum. Nunc manifeſtè cernitur,cuiuſmodi rex tu ſis,qui te Iſraël

a Tunc dimiſit illis Barrabam.
b Ieſum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.
c Tunc milites præſidis, ſuſcipiẽtes Ieſum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem:
d & exeuntes eũ chlamidẽ coccineam circundederunt ei.
e Et plectentes coronam de ſpinis
f poſuerunt ſuper caput eius,
g & arundinẽ in dextera eius:
h & genu flexo ante eum illudebant ei, dicẽtes:
i Aue rex Iudæorum,

Iſraëlis regẽ & Meſsiam eſſe iactaſſet. Hanc videlicet illuſionis miſeriã tuç prçſumptionis ſuperbia promeruit. [a] Neq; hoc illorum inſatiabili petulãtiæ ſatis videbatur, verùm inſuper ſordida oris excrementa, ſputaque fœtentia in faciem eius benedictam iacebant: [b] ac ſubinde de manibus eius accipientes arundinem baculum, caput ſacrum grauibus ictibus feriebant, vt ſpinæ caput pungerent, capitique infixç vehemẽtius de capitis venis educerent ſanguinem. Sic angelorũ dominus, verè rex regum & dominus dominantium, in cuius manu ſceptrum eſt, & imperium omniũ finium terrç, cui debet in veritate flecti omne genu, ab improbis hominibus ſordida fæce terræ, ſimulatione nequam illuditur & affligitur. [c] Cõſummata verò ad hunc modum illuſione, ad exequẽdam deinde latam in Chriſtum mortis ſententiam properãtes miniſtri, chlamidem illam purpuream qua eum ad irriſionem circundederant non ſine vi & dolore ab eo auferunt, [d] ac propriis veſtimẽtis indutum (vt ab omnibus ipſe facilius agnoſceretur) educunt de domo prætoria, ad locũ ſupplicij, qui Caluariæ dicitur, vt illic eum cruci iuxta præſidis ſententiam affigerent. [e] Cum autẽ eum ad ſupplicium ita educerent, obuiã illis factus eſt homo quidẽ gentilis à Cyrene, cui nomen erat Simon, qui fortè fortuna de villa ſua redibat in ciuitatem. [f] Hunc in via repertum, vi coẽgerunt, Chriſti crucem poſt ipſum portare: eo ꝙ non ſufficeret ipſe, propter exhauſtum corporis vigorem, ad locũ vſq; ſupplicij tanti ponderis lignum baiulare, quod tamẽ ab initio cum eum educerent humeris eius impoſuerant, atq; ipſe aliquouſq; geſtauerat, quoadusq; videlicet ſuppetebant corporis vires. [g] Peruentum eſt tandem ad locum publici ſupplicij, qui Hebraico vocabulo appellatur Golgota, quod interpretatum valet, locus caluariæ ſiue cranij: nimirũ à caluariis ſiue craniis aliiſque oſsibus & ſpinis mortuorũ cadauerũ, tum ab hominibus, tum ab aliis beſtiis, quç illic abũdabãt, vt ſolet videri in locis cõſimilibus, in quibus exequutio fit ciuilis iuſtitiç. [h] Quo cũ peruenisset innocẽs Ieſus, propinata eſt ei ab amara illa hominũ fæce amaritudo fellea,

a & expuentes in eum,

b acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius,

c Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eũ chlamidem,

d & induerunt eum veſtimẽtis eius: et duxerũt eum, vt crucifigerent.

e Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine ſimonem.

f Hunc angariauerũt, vt tolleret crucẽ eius.

g Et venerunt in locum qui dicitur Golgota, quod eſt, caluariæ locus.

h Et dederũt ei vinũ bibere cũ felle mixtum:

nempe vinum cum felle cõmixtum:cum aliàs dãnati ſolitum fuerit vinum merũ propinari,ad ipſorũ conſolationem,deiectorumq; animorum cõfortationẽ.

a Et cũ guſtaſſet noluit bibere. [a]Quod vinum felli commixtum admouit quidẽ ori ſuo dominus,vt guſtaret quanquam fraudis & amaritudinis nõ ignarus:propter cõſuetudinẽ non improbandam Iudæorũ,& propter adimpletionem ſcripturarum id prædicentium.Verũ poſtquam guſtaſſet,noluit bibere,quoniã nõ vltra volebat ipſe affligere cor ſuum infirmum,& amaritudine alioqui ſatis ſuperq; plenum,nec minus ratione eius quod ſignabatur myſterij.

b Poſtquam autem crucifixerunt eum, [b]Poſtquam autẽ in loco iſto ſupplicij Chriſtũ veſtimẽtis nudatum viq; magna crudeliter diſtentũ, perfoſsis diro vulnere manibus ac pedibus,crucis ligno affixiſſent miniſtri prǽſidis,completa domini ſui ſententia.

c diuiſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes. [c]iuxta tortorum morem,ad ſpolia ſunt conuerſi:diuiſeruntq; ſibi Chriſti veſtimẽta,& ſuper eis ſortem miſerũt:ſuperius quidem veſtimentũ in quatuor partes diuidentes,vt eſſet vnicuiq; quatuor militum crucifigentium pars vna:ſuper tunicam verò inconſutilem indiuiſam,ſortẽ mittentes,quis eã ſibi ſumeret.

d Vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: [d]Atq; ita adimpleta eſt Prophetia illa quã prǽdixit ſpiritus ſanctus per os Dauid,in perſona Chriſti ita loquentis:

e Diuiſerũt ſibi veſtimẽta mea, [e]Diuiſerunt ſibi milites crucifixores veſtimenta mea,facientes quatuor partes,vnicuiq; militi partẽ:

f & ſuper veſtem meam,miſerunt ſortem. [f]& ſuper veſtem meam,ſuper tunicam incõſutilem miſerunt ſortem,quis eam in portionẽ ſuam acciperet,nolẽtes eam ſcindere,eo qꝫ eſſet inconſutilis.Vſqueadeo etiã ad nouiſsimũ iota aut apicem minimum ſunt in Chriſti paſsione impleta omnia,quæ per Prophetas prædicta fuerant.

g Et ſedentes ſeruabant eum. [g]Pendente autẽ in cruce domino,milites illi ſedentes iuxta crucẽ in loco commodo,obſeruabant eum donec exhalaret animam,ne fortè priuſquam expiraret,de cruce illũ deponere quiſquam tentaret.

h Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam, [h]Curauit quoq; Pilatus titulum poni ſuper caput Chriſti pendentis,quo cauſa indicaretur crucifixionis eius,iuxta Romanorum cõſuetudinem:qui in teſtimonium iuſti iudicij,titulum mortis cauſam exprimentem,ſuper reum ſolent conſtituere.

i Hic eſt Ieſus rex Iudæorum. [i]Tituli autem huius talis erat tenor,Hic eſt

Ieſus,

Ieſus,rex Iudæorum.Quo titulo hoc voluit indicare Pilatus,nō pro alia cauſa illum fuiſſe cruci affixū,niſi ꝙ regem ſe eſſe dixiſſet Iudęorū.[a]Quo verò eſſet cōfuſibilior Chriſti damnatio & mors ignominia plenior,curatum eſt inimicorū malitia,vt ſimul cum illo eodem genere ſupplicij plecterentur alij duo ſcelerati:inter quos medius ipſe,tanquā dux latronū, aut ſceleratorum princeps,ſuſpenſus eſt,altero ad dexteram,altero ad ſiniſtram eius in cruce appenſo:vt vel ſic perſuaderetur vulgo,omnibuſq; ſpectaculū illud viſuris,nō minus imò amplius mortem eſſe commeritum Chriſtū,quàm alios illos duos ſceleratos latrones.[b] Cùm autem in tanta afflictionis anguſtia penderet innocens ille agnus Dei, ſuper tantū crudeliū vulnerum dolorem adiiciebāt improbi illi homines amara conuitia:Prętereuntes nanq; iuxta crucem plęrique de populo Iudæorum,capita ſua more irridentium & ſubſannantium ſuper eum commouentes,dicebant:[c] Ecce miſerum illum & execrandū hominē qui præſumptione nimia dixit ſe poſſe templū Dei deſtruere atq; intra triduū reædificare,cum modò ſeipſum non poſſit à morte ſaluum facere.[d] Quòd ſi diſſolutam tantam templi molē intra tam breue ſpatium potuiſſet reparare,poſſet certè nunc à morte ſeipſum ſaluum facere.[e] Dixit quoq; ſe eſſe Dei filiū, & à Deo patre miſſum in mundum. Quod ſi ita eſt, deſcēdat nunc de patibulo cui affixus hæret,excutiat clauos virtute diuinitatis,& credemus verū eſſe quod iactauit.Si non poſſit,vt certè non poteſt,ſcimus illa omnia fuiſſe impudentiſsima ſuperbi impoſtoris mēdacia.[f]Neque ſolum in huius illuſionis culpa rei extiterunt ſimplices de vulgo,verum etiā principes ſacerdotum cū ſcribis ac ſenioribus,qui merito cordatiores eſſe debuerāt,atque etiam vulgus ab eiuſmodi in miſerum procaci inſultatione compeſcere vnà cū aliis probra in eum iacientes, dicebant:[g] Alios iſte cōplures iactatur curaſſe à miſeriis ſuis, cęcis viſum, ſurdis auditum,claudis greſſum reſtituendo, leproſos mundando,atque(vt fama fert) etiam mortuos ſuſcitando. Nunc verò, ſeipſum non poteſt à morte

a Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, et vnus à ſiniſtris.

b Prætereuntes autem blaſphemabāt eum, mouētes capita ſua & dicentes:

c Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas,

d ſalua temetipſum:

e ſi filius Dei es, deſcende de cruce.

f Similiter principes ſacerdotum illudētes cum Scribis & ſenioribus, dicebant:

g Alios ſaluos fecit, ſeipſum nō poteſt ſaluum facere.

ſaluũ facere, neq; de paſsionibus iſtis liberare. Vnde certò colligitur, priora quoque illa mirabilia per illũ non verè, aut certè non ex virtute diuina fuiſſe patrata. Si enim verè alios potuiſſet à morte ad vitam ſuſcitare, etiam nnnc multò facilius ſeipſum poſſet à morte ſeruare.[a] Si rex Iſraël ipſe eſt, qualẽ ſe iactauit, verus Meſsias à Deo miſſus, oſtendat modò & comprobet veritatem, clauos excutiendo de manibus; ac de cruce deſcendendo: & credemus vera eſſe quæ dixit, alioquin nunquam credituri.[b] Ecce qui ſemper gloriabatur in Deo, patrem ſe dicens habere Deum, & illum ſibi ſemper adeſſe, neq; ab eo vnquam derelinqui, quomodo nũc à Deo relinquitur in tãta miſeria: quod argumentum eſt, non eſſe Deum cum eo, nec illi in eo eſſe beneplacitũ, neq; in nomine Dei quæ egit, egiſſe. Si enim in nomine domini patraſſet opera ſua, defenderet illum vtiq; Deus, & non in tanta deſereret anguſtia.[c] Ad hunc etiã modum, latronũ qui cũ eo pendebant alter in Chriſtum iaciebat ſcommata, dicens: Si verè es filius Dei, ſaluũ fac temetipſum & nos. Verùm iſtis ita de terra Chriſtum irridentibus, pater cæleſtis nõ oblitus dilecti pueri ſui, deſuper eũ admirando ſigno clarificauit.[d] Eius nanque voluntate, per trium horarum ſpatium, quibus in cruce viuẽs filius eius pendebat, nempe ab hora ſexta diei vſque ad nonam, factæ ſunt tenebræ denſæ & horribiles ſuper vniuerſam terram, ſole lætos radios ſuos continente, velut præ cõpaſsione creatoris ſui, qui in tanta ignominia & afflictione nudus pendebat in ligno, eosq; à terra abſcondente & retrahente, præ horrore facinoris quod gerebatur in ea.[e] Circiter nonã autem horam cùm in maxima iam pẽderet anguſtia Chriſtus dominus, mortiq́ue fieret proximus, magna voce ad patrẽ clamauit, dicẽs:[f] Eli Eli lama azabatani? Quod in Latinam linguã translatũ, valet: Deus meus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? principium videlicet Pſalmi vigeſimi primi, quem Dauid in perſona Chriſti pendentis in cruce pronuntiauerat. Vt in hac flebili & querula voce, amariſsimę ſuę paſsionis anguſtiam nobis exprimeret, quam, non obſtante ea quæ cum

a Si rex Iſraël eſt, deſcẽdat nũc de cruce, & credimus ei.

b Confidit in Deo, liberet nũc eum ſi vult. Dixit enim, quia filius Dei ſum.

c Idipſum autẽ & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

d A ſexta autẽ hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſq; ad horam nonam.

e Et circa horã nonam, clamauit Ieſus voce magna, dicens:

f Eli Eli lama azabatani? hoc eſt, Deus meus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?

cũ ipſo ſemper & indiuiſibiliter erat diuinitate,ſuſtinebat ſimul vt à patre tanti laboris fructum, generis humani ſalutem requireret, id quod & ſubſequenti voce alia clarius explicauit,cùm ad prędictam vocem adiungeret,Sitio. [a] Quidam autem aſtantium,audita voce illa,Eli Eli,dicebant adinuicem:[b] Audite,Eliam inuocat maleficus iſte,vt eum deponat de cruce. Videamus,num illi Elias ſit allaturus auxiliũ.Dicebant autem hoc,vel quia verbũ Chriſt nõ rectè intellexiſſent,vel quia ſic eis in verbo rectè intellecto petulanter ludere collibuit.[c] Ac paulopoſt,pronũtiato à Chriſto verbo altero, Sitio, currens vnus ex miniſtris , ex verbo illo occaſionem ſumens ; ſpongiam accepit, eamq; in aceto intinctam impoſuit arundini longæ: quam vſq; ad os pẽdentis porrigens,ſic illi verè pluſquam melleo fonti propinat aceti acrimoniam.[d] Alij autem ſiſtẽtes in verbo illo, Eli Eli, dicebant illudentes,Sine expecta paululum,videamus,num venturus ſit Elias quem inuocat,ad liberandum eum. [e] Dominus autem Ieſus,omnibus iam in ſe cõſummatis quæ pater ipſum pati voluit,& quę per Prophetas de eius paſsione fuerant prædicta , iterũ exclamans voce magna,dicẽſq;:Pater,in manus tuas cõmendo ſpiritum meũ,poteſtatiuè à ſemetipſo ex patris voluntate animam poſuit,eſtq; ipſa ad tempus diſpẽſatoriè à carne ſeparata.[f] Statimq; moriẽte domino , velũ illud quod in templo diuidebat inter ſancta & ſanctaſanctorũ, ſciſſum eſt per medium à ſummo vſque deorſum.ita vt quę prius intra ſanctaſanctorũ latebant abſcondita,iam reuelata paterẽt. Vt ſenſibili hoc ſigno innoteſceret,per Chriſti mortẽ cuncta legaliũ cæremoniarũ inuolucra eſſe manifeſtanda,& plana veritate ante omnium oculos palàm exhibẽda.[g] Inanimes quoque creaturę,quaſi cõpatientes creatori ſuo & ſceleris patrati exhorrẽtes magnitudinẽ , nouo modo immutatæ ſunt,& velut cõturbatę.Terra quippe horribiliter mota eſt, atq; etiã petræ duriſsimæ vltro ſciſſæ ſunt. [h] Item & mortuorũ ſepulchra cum terræ motu & petrarũ ſciſsione aperta ſunt.[i] Nec ſolũ monumẽta aperta,ſed & corpora multa ſanctorum olim vita defunctorum

a Quidam autem illic ſtantes & audientes,dicebant:
b Eliam vocat iſte.
c Et continuò currens vnus ex eis,acceptã ſpongiam impleuit aceto,& impoſuit arundini,et dabat ei bibere.
d Cæteri verò dicebãt,Sine videamus an veniat Elias liberans eum.
e Ieſus autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum.
f Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum.
g & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,
h & monumẽta aperta ſunt:
i & multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt.

ctorũ atq; in monumẽtis cõditorũ,ſurrexerũt de monumẽtis.[a] Deque ſepulchris iam tũ apertis in Chriſti morte poſtmodum reſurgentes die tertia,poſt ipſam Chriſti reſurrectionẽ, venerũt in reſumptis corporibus ad ciuitatem ſanctã Hieruſalẽ,[b] ſeque in teſtimonium veræ reſurrectionis multis oſtenderunt viſendos:vt dubiũ eſſe nõ debeat vllum,quin verè ad vitam reſurrexerint.[c] Porrò Cẽturio ille qui militibus præerat ad exequutionem ſententiæ à Pilato miſsis, vnà cum iis qui cum eo erant,Ieſum in cruce pendentem donec moreretur obſeruantes, [d] viſis ſignis illis tam patentibus,terribili videlicet illo terræmotu,petrarũ ſciſsione,& inaudita eiuſmodi ſolis obſcuratione,cõpuncti ſunt corde vehementer, & magna erga Chriſtũ reuerẽtia affecti ſuper patrati ſceleris indignitate dolentes;& innocenti tam crudelia paſſo compatientes,dixerunt:[e] Profectò nõ apparet hic homo mortis fuiſſe reus,ſed iuſtus omnino & innocens, imò Dei filius ſit neceſſe eſt,quem Deus tam potentibus atq; patẽtibus ſignis in paſsione clarificat:quíque ſic etiã in vltimo vitæ articulo, patrem Deum tam fidenter inuocauit,ſuámque illi animã tanta fiducia cõmendauit.[f] Interim verò dũ hæc agerentur,aderant iuxta paſsionis locum mulieres nonnullæ horum omnium ſpectatrices & teſtes,aliquãtulum elongatæ, & velut ex oppoſito ſtantes,quò commodius ſpectarent omnia:[g] quæ dominum Ieſum magno deuotionis affectu, ſolitæ comitari docentem, vna cũ ipſo aſcenderãt à Galilæa ad Iudæam, quę de ſuis facultatibus illi ac diſcipulis ſolebant neceſſaria ſuppeditare.[h] Inter has erat Maria dicta Magdalenæ,ſoror Lazari, [i] & altera eodem nomine dicta Maria, mater Iacobi minoris & Ioſeph,[k] & cum is Salome mater Ioannis & Iacobi maioris, filiorum Zebedæi: quæ mulieres illic aderant cum Maria matre Ieſu,filio compatientes,& matrẽ,vt poterant,afflictiſsimam conſolantes. [l] Cùm autem ad veſperam iam dies declinaret, venit homo quidam diues & inclytus, nobilis decurio, vir cõſularis dignitatis,ab Arimathia ciuitate,cui nomẽ erat Ioſeph, [m] qui Ieſum frequenter docentem audiat,

a Et exeũtes de monumẽtis, poſt reſurrectionem eius venerũt in ſanctã ciuitatẽ,
b & apparuerunt multis.
c Cẽturio autẽ et qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum,
d viſo terræ motu et his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes:
e Verè filius Dei erat iſte.
f Erant autem ibi mulieres multæ à longè,
g quæ ſequutæ erant Ieſum à Galilæa.
h Inter quas erat Maria Magdalena,
i et Maria Iacobi et Ioſeph mater,
k et mater filiorũ Zebedæi.
l Cũ autẽ ſero factum eſſet, venit quidã homo diues ab Arimathia, nomine Ioſeph,
m qui et ipſe diſcipulus erat Ieſu,

dierat,& bonũ erga illũ grati diſcipuli gerebat affectũ,tanquam erga eũ à quo nil niſi merã audiſſet veritatem. [a] Hic,audito aut forte viſo crudeli facinore,in innocentẽ deſignato,nihil reueritus Iudæorum inuidiã,acceſsit confidenter vt homo nobilis ad Pilatum præſidem, petẽs ab eò ſibi donari corpus defuncti,vt illud pro ſuo libito poſſet abſq; cuiuſcunq; cõtradictione de cruce deponere, ac ſepulturæ tradere. [b] Pilatus nolens viro nobili rem ſatis modicã denegare,ſimul & pietate aliqua erga innocentẽ occiſum permotus,annuit illius poſtulationi,iuſsitque ſua authoritate corpus deponi,&illius volũtati tradi. [c] Abſcedẽnſq; ad locum ſupplicij Ioſeph,corpore de cruce depoſito,excepit illud magna cũ reuerentia, indignã tibus haud dubiè inuidis & improbiſsimis Iudæis acceptũmq; in vlnas ſuas ipſe inuoluit in linteo mundo cum aromatibus & vnguentis, iuxta morẽ Iudæorũ: [d] ſicque inuolutũ condidit in ſepulchro nouo, quod ipſe ſibi in ſuam ſepulturam, nõ longè à loco ſupplicij,in loco petroſo magna diligẽtia excidi aptarique curauerat: ſic mortuo præceptori exhibens omnem quam poterat honoris reuerẽtiam,neque ſumptibus parcẽs neq; verecũdiæ. [e] Et ne fortè ad ipſum Chriſti corpus in monumẽto conditũ inimicorum rabies poſſet facilem habere acceſſum, ſaxũ prægrande aduoluit ad monumẽti oſtium. Hiſq; ita fidèliter peractis,abſceſsit: tum ꝙ vltra nihil ſe pręſtare poſſe videbat in obſequium magiſtri: tum ꝙ iam nox aduẽtaret, diſceſſumq; ſuaderet ad propria. [f] Aderant autẽ illic Maria Magdalenę, & altera illa eiuſdẽ nominis, mater Iacobi: quæ ex oppoſito ſepulchri reſidebant, ſepulturam & ſepulturæ modũ, atq; ipſum ſepulchri clauſtrũ,piè diligentérq; cõſiderantes. [g] Poſtridiè vero eius diei quo mortuus eſt dominus Ieſus: id eſt, in die ſabbati quæ paraſceuen ſiue ſextã feriam proximè ſequitur,principes ſacerdotũ & Phariſæi, quemadmodum Chriſto ante mortẽ vnanimiter aduerſati, ita & poſt mortẽ in eius perſequutione cõcordes, acceſſerũt ad Pilatũ,dicentes: [h] Domine præſes, in mẽtem nobis venit, ꝙ populorũ ſubuerſor iſte heri tua

a hîc acceßit ad Pilatũ, & petijt corpus Ieſu.
b Tunc Pilatus iußit reddi corpus.
c Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda,
d & poſuit illud in monumẽto ſuo nouo quod exciderat in petra.
e Et aduoluit ſaxũ magnum ad oſtiũ monumenti, & abijt.
f Erat autẽ ibi Maria Magdalena, & altera Maria, ſedentes cõtra ſepulchrũ.
g Altera autẽ die, quæ eſt poſt paraſceuen, conuenerunt principes ſacerdotũ & Phariſæi ad Pilatum dicentes:
h Dñe, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuẽs, poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum, vſque in diem tertium:

ſententia crucifixus, dũ adhuc viueret, iactare ſolitus ſit, poſt tres dies ſe reſurrecturũ ex mortuis, atque ad vitam iterũ rediturum. Quod nos quidem vt ità impleatur, minimè formidamus. Veruntamen propter fraudem & dolum diſcipulorum ac ſectatorum eius, hoc à te poſtulamus, ad plenam tuæ ſentẽtiæ exequutionem, vt tua authoritate præcipias ſepulchrum, in quo ex tua permiſsione cõditus iacet, diligenter obſeruari, donec tertius à morte dies fuerit tranſactus.

a ne fortè veniant diſcipuli eius, & furẽtur eum, & dicant plebi: ſurrexit à mortuus,
b & erit nouiſſimus error peior priore.
c Ait illis Pilatus, Habetis cuſtodiam,
d ite & cuſtodite ſicut ſcitis.
e Illi autẽ abeũtes munierunt ſepulchrũ ſignãtes lapidem cũ cuſtodibus.

[a] Alioqui ſi non adhibeatur cuſtodia, periculum eſt, ne ipſius diſcipuli, quos plurimos habet ſui admodũ ſtudioſos, magiſtri honorem peruerſè zelantes, in tenebris nocte corpus eius furto auferant & abſcondãt, perſuadeantq; populo, eum iuxta quod viuens prædixerat ſurrexiſſe ex mortuis. [b] Quod ſi ita eueniret, fieret vtique poſtremus error qui ex hac falſa perſuaſione oriretur longè peior priore, quo illum donec viuerent tanta æſtimatione populi proſequebantur. [c] Quorum poſtulationi Pilatus annuens, dixit: In promptu vobis ſunt cuſtodes, quibus pro voto veſtro hoc committatur negotij. [d] De hac re mihi placet agatis vt vultis. Ite, & diligenter, quantũ poteſtis, ſepulchrum fideli munite cuſtodia. [e] Illi autem mox abeuntes, ſolicitè ſepulchrũ munierunt aduerſus fraudem quam metuebant: primum quidem, grande illud ſaxũ quod ad oſtiũ erat monumenti ſigillo obſignantes: vt nõ poſſet aperiri monumentum, niſi fracto ſignaculo: deinde & cuſtodes adhibentes illi negotio ſufficientes, qui poſſent prohibere, ſi qui fortè ad auferendum mortui corpus manum mittere tentarent.

VEſpere autẽ ſabbati quæ luceſcit in prima ſabbati, venit
g Maria Magdalena,
h & altera Maria. videre ſepulchrum.

ELVCIDATIO CAP. XXVIII.

POSTQVAM verò ſabbati dies tranſiſſet, eiuſq; veſpera iam ad ſubſequentis diei initium perueniſſet, vt inciperet iam lux aduenire primæ poſt ſabbatum diei. [g] Maria dicta Magdalenæ, [h] & altera illa Maria mater Iacobi minoris, venerunt ſummo mane vixdum oriri incipiẽte ſole, vt ſepulchrum viſerent: & ſi quo modo ad corpus poſſent

accede

accedere mortui, præparatis vnguētis ipſum inungerent. [a] Ipſis verò magnæ pietatis deuotione ſic ad ſepulchrum pergentibus, ad oſtenſionem terribilis potentiæ & maieſtatis Chriſti, qua mortis victor iam tū è corde terrę, vel ſurgebat, vel ſurrexerat, factus eſt ſubito vehemens terręmotus. [b] Nimirum angelus domini, patefacturus reſurrectiōis Chriſti magnificum myſterium, de cælo aduenit: [c] ac loco ſepulchri in forma viſibili & operatione ſenſibili præſentem ſe exhibens, [d] lapidem quo occluſum erat os monumēti amouit ſeditque ſuper illum quaſi expectans aduētātes pia deuotione mulierculas, vt de reſurrectionis veritate eas erudiret. [e] Erat autem aſpectus vultus eius quem aſſumpſerat, admodū terribilis, in modum fulguris coruſcantis: [f] & veſtimētum quo amictus erat, candidiſsimum atq; ſplendidiſsimum erat, inſtar niuis: vt ipſo quoque externo habitu mōſtraretur reſurrectionis domini feſtiuum gaudium & magnifica gloria, cuius ipſe aduenerat nuntius. [g] Qui verò ex Iudæorum procuratione ſepulchrū obſeruabant, angelo in tanta claritate & magnificentia viſo, timore magno correpti ſunt, atque terrore nimio cōturbati: factiq; ſunt mortuis ſimiles, ſenſu priuati & motu, ita vt ad tempus aliquantum, nec membrum vllum mouere poſſent, neque verbum vllum proferre. Et hos quidem cuſtodes infideli corde ſepulchrum obſeruantes, meritò ita exterruit domini angelus. [h] At verò mulieres pia deuotione dominum inquirentes, verbis lenibus & blanda conſolatione prior ipſe affatus eſt, dicens. [i] Vos quæ non corde incredulo, ſed piæ deuotionis affectu huc veniſtis, vos (inquam) ne metuite ab aſpectu claritatis meæ, neque exterreamini vos, vt iſti iacent perterrefacti increduli. k Noui enim, quòd corde deuotò quæratis Ieſum dominum meum, qui crucifixus fuit in paraſceue, atque hoc in ſepulchro vobis videntibus conditus. [l] Ecce verò quem quæritis, iam non adeſt, neque inuenire hîc illum poteritis. Reſuſcitato nanque & reſumpto corpore, quod hîc vidiſtis poni mortuum, reſurrexit ipſe ad vitam: iuxta quod viuens adhuc

a Et ecce terræmotus factus eſt magnus.

b Angelus enim domini deſcendit de cælo:

c & accedens,

d reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum.

e Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur,

f & veſtimentum eius ſicut nix.

g Præ timore autem eius, exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.

h Reſpōdens autem angelus, dixit mulieribus:

i Nolite timere vos.

k Scio enim quòd Ieſum qui crucifixus eſt, quæritis.

l Non eſt hic. Surrexit enim ſicut dixit.

a venite, & videte locum, vbi poſitus erat dominus.
b Et cito euntes, dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis.
c Ecce prædixi vobis.
d Et exierunt cito de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare diſcipulis eius.
e Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens:
f Auete. Illæ autem acceſſerũt, & tenuerunt pedes eius, et adorauerunt eum.
g Tunc ait illis Ieſus:
h Nolite timere:
i ite, nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.
k Quæ cùm abiiſſent, ecce quidam de cuſtodi-

adhuc diſcipulis nõ ſemel prædixerat, tertia die, ſe ex mortuis reſurrecturũ. [a] Et ne vlla vobis de veritate reſurrectiõis eius ſuperſit hæſitatio, accedite huc propius, & introſpicite in locũ vbi corpus illius vobis vidẽtibus poſitum fuerat. Videte locũ vacuum, & prorſus mortui cadauer nullum continentem. [b] Et vos nunc certò cognita huius rei veritate, celerius hinc abeuntes, nuntiate diſcipulis in mœrore latitantibus lætum hoc nuntium, quod à mortuis ſurrexerit dominus, quodque in Galilæa ſe eis ſit palam demonſtraturus, ipſiq; eum illic ſint viſuri in reſuſcitato corpore, ad veritatem reſurrectionis certiſsimis indiciis comprobaturi. [c] Ecce functus ſum officio meo, annũtiaui vobis & prædixi quæ de cælo miſſus ſum nuntiare vobis, ac per vos reliquis domini mei diſcipulis. [d] Quibus tam blandæ conſolationis, támque certæ inſtructionis ſermonibus auditis, credẽtes & obediẽtes mulierculæ, timore admirationis, & gaudio cõſolationis plenæ, feſtinanter de loco ſepulchri egreſſæ: properabant ad diſcipulos, nuntiare eis læta quæ audierant de domino nuntia. [e] Ipſis verò hoc animo ad ciuitatem properãtibus, ecce in itinere obuium ſe illis exhibuit dominus Ieſus amica eas ſalutatione, ſolita benignitate ſalutans ac dicens: [f] Auete. Quæ ſtatim ex ipſa viuæ vocis energia præceptorẽ agnoſcẽtes, fiducialiter ad ipſum propius acceſſerũt, pedéſq; eius nimio deuotionis affectu ad deoſculandum apprehẽdentes, ipſum fide plena, vt Deum & dominum ſuum, adorauerunt. [g] Tunc dominus quod ante per angelum ſuum nuntiauerat, ipſe iam per ſe iterum illis mandauit, dicens: [h] Vos quæ corde fideli me quæritis, nolite timere, neque à mea, neque ab angelorũ meorum præſentia. [i] ſed ite otius, & nuntiate diſcipulis meis, quos ego vt amicos & fratres habeo chariſsimos, vt in Galilæam abeãt ad locum deſtinatum: ibi me eis demonſtrabo pariter congregatis, certiſsimiſque argumentis veritatem meę reſurrectionis illic comprobabo. [k] Interim verò dum hæ abiiſſent è ſepulchro cuſtodibus ſepulchri angelico terrore diſparente ad ſe redeuntibus, vitæque officia recipientibus

ribus, quidam illorum venerunt in Hieruſalem, & ad principes ſacerdotum à quibus ad cuſtodiam ſepulchri fuerant conſtituti, retulerunt ex ordine omnia quæ euenerant: nempe de terræ motu, de apparitione angeli, de ipſorum conturbatione, de monumenti apertione, de corporis abſentia. [a] Quibus plurium fide digna relatione auditis, conturbati non modicum principes ſacerdotum vnà cum ſenioribus, inierunt concilium, quid hac in re facto opus eſſet. [b] Viſúmque eſt illi impietatis concilio, hoc eſſe conſilium bonum, vt cuſtodes teſtes veritatis pecunia corrumperent, & clariſsimam veritatem impudentiſsimo mendacio opprimerent. Propter quod, cuſtodibus pecuniam dederunt copioſam, dicentes eis: [c] Cauete diligentiſsimè, ne in vulgus efferatis, aut vel hominum cuiquam poſt hac verbum faciatis, de iis quæ vidiſtis. Sed hunc in populo rumorem ſpargite, quòd diſcipuli illius nocte vobis dormientibus clanculum corpus de monumento abſtulerint. [d] Quòd ſi præſidem timetis, ne fortè reſciſcat ille veritatem, vóſq; pro falſitatis ſparſo rumore, & infideliter peracto vobis commiſſo negotio pœnas luatis, nos cauſam hanc & culpã in nos vltro ſuſcipimus: ſi præſidem de hac re quicquam audire contigerit, nos eum contentum reddemus: nihilque vobis inde eueniet periculi. [e] Illi autem perditiſsimi homines, pecunia corrupti, acquieuerunt malæ ſuaſioni ſacerdotum: fecerúntque vt ab illis edocti fuerant, conſtanter Chriſti reſurrectioné pernegantes, ipſius autem corpus furto ablatum aſſerentes. [f] Eſtque hoc tam impudens & irrationabile mendacium, tanto ſtudio diuulgatum, tanto quoque conſenſu & plauſu receptum apud Chriſti gloriæ inuidentiſsimos Iudæos, vt bona pars illorum non aliud ſibi perſuaderi poſsit aut velit. Permanétq; vſque in hoc tempus apud illos falſiſsima iſta perſuaſio, qua etiamnum blandiuntur ſibi, atque in infidelitate ſua ſe corroborant. [g] Vndecim verò Chriſti Apoſtoli, auditis iis quę per mulieres ex ore domini ſibi fuerant nuntiata, profecti ſunt in Galilęam, locum à domino deſignatum,

bus venerunt in ciuitatẽ, & nũtiauerunt principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant.

a Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto,

b pecuniam copioſam dederũt militib⁹, dicẽtes

c Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.

d Et ſi hoc auditum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus.

e At illi acceptа pecunia fecerũt ſicut erant edocti.

f Et diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos, vſq; in hodiernum diem.

g Vndecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam, in montẽ vbi conſtituerat illis Ieſus.

ſignatum,ad montem illum quem eis conſtituerat & deſignauerat dominus Ieſus,vt in eo ſe ipſis manifeſtaret.

a Et videntes eum adorauerunt:

b quidã autem dubitauerunt.

[a]Et cũ illic cõgregati eum vidiſſent in reſumpto corpore glorioſum,procidentes omni fide & deuotione eum adorauerunt, confitentes eum verè dominum ac Deum ſuum eſſe. [b]Quidam nihilominus ex his qui aderãt cum vndecim Apoſtolis,dubitationis nonnihil paſsi ſunt,ob inauditam rei nouitatem, quæ animum ſolet ad credẽdum reddere tardiorem.

c Et accedens Ieſus loquutus eſt eis:dicens.

d Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo & in terra.

[c]Accedens verò propius dominus Ieſus ad diſcipulos ſuos,& familiarius ſe illis applicans,ſolito more benignitatis ſuę,multa loquutus eſt eis de regno Dei,dẽque myſteriis paterni cõſilij.[d]Inter cætera autem,de poteſtate ſibi à patre data, ad ipſorũ conſolationem, dixit eis:Nũc mihi homini per reſurrectionẽ glorificato,data eſt omnis omnino poteſtas, in cælo & in terra.Promeruit hoc apud patrem mea humilitas & obedientia,qua ad mortem vſq; crucis ſum humiliatus,vt nunc in humanitate locum accipiam in patris mei dextera,omniũmque habeam poteſtatem,& plenum dominiũ in cęlo & in terra, conſtitutus quoque à patre iudex viuorum omnium & mortuorũ.

e Euntes ergo, docete omnes gẽtes:

[e]Nunc igitur vos mei diſcipuli, qui ad hoc à patre eſtis electi,& à me vocati,vt gloriã meã & nomẽ orbi prędicetis,nunc (inquam) tempus eſt, vt abeuntes in orbẽ vniuerſum,nõ ſolum Iudæis vt hactenus, verũetiam gẽtibus omnibus,vbicunque tandem conſtitutis,prędicetis doctrinam quam ex me audiſtis,& quam per

f baptizantes eos in nomine patris et filij et ſpiritus ſancti,

g docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis.

h Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus.

ſpiritum ſanctum plenius ſum inſpiraturus cordibus veſtris:[f]eruditóſque in doctrina nominis mei, baptizate credentes,in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti,ſanctæ trinitatis nomen ſuper eos inuocantes, in remiſsionem omnium peccatorum.[g]Sicque baptizatos & ablutos,ne ſatis hoc ſibi eſſe putent ad ſalutem, docete ſedulitatem bonorũ operũ, vt diligenter obſeruẽt operéque adimpleant omnia quæcunq; vobis vel per os meum, vel per ſpiritum meũ, tradidi tradámque obſeruãda:vt ita dignè ambulantes vocatione ſua, per bona opera ſatagant certam facere vocationem ſuam. [h] Nec eſt quod metuatis, grex puſillus.

fillus,non eſt quare diffidere debeatis vos,licet ex vobis viles ſitis & humiles, ineruditi & rudes. Semper enim ego vobi adero in mea vinea laborantibus:nec vobis ſolum , ſed & omnibus in veſtrum locum ſucceſſuris,& Apoſtolicū munus adminiſtraturis,[a] vſque in conſummationem ſæculi:Vobis laborantibus ego cooperabor,& per meæ virtutis cooperationem proficietis in omnibus ad quæ vos miſero:facietiſque in me magna, qui ex vobis non valetis nec minima. Semper erit mihi cura Eccleſiæ meæ, quam per veſtræ prædicationis miniſterium ædificabo mihi, neque eam deſeram, vt penitus deficiat, donec iſtud perſtabit ſæculum.

a *vſq; ad conſummationem ſæculi.*

FINIT ELVCIDATIO in Euangelium ſecundum Matthæum.

ELVCIDATIO PARAPHRASTICA IN Sanctum Chriſti Euangelium, secundum Ioannem,

CVM ANNOTATIO-

NIBVS IN ALIQVOT

CAPITA.

Per F. Franciſcum Titelmannum, Haſſellenſem, ordinis fratrum Minorum.

M. D. LVI.

EXIMIA PIETATE VIRO: ET SVMMO VIRTVTVM SPLENDORE clariſſimo domino, magiſtro Ruardo Tappart, Enchuſiano, ſacræ Theologiæ Profeſſori eruditiſſimo, inſignis collegiatæ Eccleſiæ diui Petri Louanienſis Decano, ac præclaræ Academiæ Louaniẽſis Cancellario digniſſimo: Necnon Hereticæ prauitatis Inquiſitori adiuigilantiſſimo Præceptori ſuo, Petrus Titelmannus indignus diſcipulus

S. D.

CVM abhinc annos aliquot piæ memoriæ, tui Titelmanni, mei olim fratris charisſimi, lucubrationes magno cum pietatis fructu legi paſsim aduertiſſem, præceptor obſeruande, nec vllo temporis tractu earundem lectionem tepeſcere: (vti eius rei locuples eſt teſtis ipſa typographorum diligentia: noctes atque dies Titelmannum concrepans.) Id ſumme in votis fuit: vt & reliqua adhuc opuſcula quę neſcio vbinam terrarum latitabant, in publicum prodirent: quod tamen illico præſtare nõ potui, eo quòd hoſpite ignoto ſeruabantur. Cui rei cauſa fuit: partim tui Titelmanni mors præmatura: partim ipſa tam magna loci intercapedo. Non tamen ſine magno animi mœrore hucuſque latuerunt. Auxit hinc dolorem cotidiana typographorum importuna ſolicitatio, quæ mihi adeò fuit moleſta: vt quidnam agerem, animus dubitaret. Cupieb-

piebam enim votis eorum facere ſatis,nec licuit. Ad huius moleſtiæ cumulum acceſsit, quod vel deieranti non crederent,penes me non eſſe quod petebant: mihi veluti hæreditario ſucceſſu,quicquid reliquum eſſet laborum Titelmanni vendicantes. Quæ querelæ dum nullum faciunt finem,adeò vt huiuſmodi hominũ conſortium fruſtra fugerem,eo animum impellunt, vt quacunque via aut ratione id fieri poſsit,nec amicis: nec ſumptibus parcendo,tandem è tenebris in lucem,ab exilio in patriam reuocare ſtatuerim: Quod animi decretum veluti indignatione conceptũ,flacceſcere fortè potuiſſet:niſi indies magis ac magis ex vltimis Hiſpaniæ,Galliç,Italiæq; finibus opera prius per ipſum ædita ante annos decẽ aut eo amplius viderem peti,ex hoc noſtro Antuerpiano Emporio longè celeberrimo, à Titelmanni tui ſtudioſis. Qua in re id mihi ſentire videntur,quod eximius ille Eccleſiæ *Doctor* beatus Ambroſius nempe hominem non in vita, ſed poſt mortem eſſe laudandum, & poſt conſummationem eſſe magnificandum. Sic nimirum nunc demum defunctus Titelmannus tuus viuere videtur grauiſsimorum virorum lectione. quorum omnium tam piis votis,ac Chriſtianis afflagitationibus quãto ſtudio, quot moleſtiis, quantis ſumptibus,quáve induſtria conatus ſum ſatisfacere,haud facilè dixero. Poſtquam igitur voti compos factus,lucubrationes aliquot ad manus noſtras venerunt,non fuit conſilium diutius pias mentes ſuo deſiderio fraudari. Quare tuo vnius exactiſsimo iudicio fretus qui (abſit adulatio) lumen eſt Theologiæ, atq; adeò totius ſtudij vniuerſalis Louaniẽſis decus:ſiue eruditionem ſpectes,ſiue vitæ integritatem. Hoc Ioãnis Euangeliũ,Titelmanni labore elucidatũ,auſus ſum æde-

re,Cui vni ſi placet,aliis diſplicere non poteſt. Tu igitur obſeruande præceptor accipe animo candido quod Titelmannus offert, opus exiguum tuo nomini dicatum: quanuis magnificentia tua & eximia eruditione indignum,non tamen tuæ humanitati ingratum: quæ non tam munera, quàm dantis animum conſiderare ſolet. Reddit quod accepit,maiora lubens daturus. In eo nil eſſe fateor, quod inſigni tuæ eruditioni accedat:non deerit tamen quod animum tuum ingeniumq́ue grauiſsimis rebus preſſum reficiat. Denique ſit iſtud veluti pignus & memoria perpetua chariſsimi tui Titelmanni, quem tuæ magnificentiæ defendendum trado, contra morſus inuidorum, ſi qui fortè calumnientur quod tua magnificentia probauit. Quod ſi cum fructu legi, & benigno animo à lectore pio ſuſcipi ſenſerimus: curabimus, & reliqua Euangelia vna cum commentariis in Iob,& in cantica canticorum in medium proferri: & ſi quid prætereà ad manus noſtras venerit. Hiſce precor Deum optimum maximum, vt te præceptor obſeruande ſeruet incolumem in annos plurimos multo pietatis augmento.

Datum Rothnaci, ſexto Calendas Ianuarij. Anno 1543.

PSALMVS NVNCVPATORIVS, AD HONOREM SANCTI IOANNIS Apoſtoli & Euangeliſtæ. Pro operis ſequentis nuncupatione, cum iubilo omnipotenti Deo decantatus, ſeptem ſcandens gradibus.

GRADVS PRIMVS. De peculiari electione & ſingulari dilectione qua fuit à Chriſto electus & dilectus Ioannes Apoſtolus.

MAgnifica ô anima mea, quos facit magnos qui ſolus eſt magnus: exalta & prædica in iubilo vocis quos ille facis excelſos in abundantia donorum ſuorum.

Contemplare admirabilem in ſanctis ſuis ſanctorum omnium dominum: diuitias liberalitatis & munificentiæ eius in illos admirari nunquam deſinas.

Inter cætera verò miſericordiæ vaſa quæ ille in gloriã ſuam præparauit, plurima numero & pretio digniſsima: electũ illud attentius contemplare virginalis pudicitiæ vaſculum, quod omni odore bono impleuit ſinus eius qui in ſinu patris requieſcit ab initio.

Illum loquor virginem electum, diſcipulum dilectum, magnum Apoſtolum, ſcribam fidelem, theologum inclytum: Iohanna nomen aptiſsimum, indidit ei piſcator Zebedæus, genitor carnis eius,

Adoleſcẽtem humilem & ſimplicem agnouit veniens in carnem vnigenitus filius Dei: laborantem in naui & retibus cum Zebedæo patre, vidit ipſe iuxta mare deambulans, & vocauit eum.

Attendit verè Iſraëlitam, in quo non erat dolus malus, & ex piſcatore piſcium piſcatorem fieri voluit hominum.

Non eſt paſſus maritali opere humiliari eum: ante ratas nuptias illum ſibi aſciuit comitem indiuiduum & aſſeclam inſeparabilem.

Rebus nempe magnis & eximiis ſuper cõſocios omnes iam tunc deſtinabat illum: propterea ne honeſti quidem thori commertio humiliari paſſus eſt illum.

Videlicet æditum illũ parabat mundiſsimo digniſsimoq́; ſacrario ſuo: arcam teſtamẽti deauratã in qua totũ erat diuinitatis myſteriũ, & vrnã auream manna cæleſti grauidã, daturus ei erat in cuſtodiã.

Inſuper & ſecretorum ſuorum conſcium,teſtem ac notoriũ præcipuum habere illum elegit,per quem nota mundo fierent admirãda diuinitatis ſacramenta,quæ nulli cæterorum data fuerunt eloqui.

Propterea dum viueret in carne filius Dei,ſingulari quodam peculiaris amoris & familiaritatis amicæ priuilegio dignatus eſt eum: ſciens quantis eum rebus iam tum deſtinabat,quantis eum decoraturus olim erat miniſteriis.

Omitto quòd cum Simone collegij principe & Iacobo fratre in monte vidit transfigurati gloriam,in horto conturbati anguſtiam: ꝙ inſuper ſolus ipſe cum Simone miſſus fuerit ad ſoluendum in myſterio pullum & aſinam,ꝙ cum illo omnium capite ſolus vltimam apparere cœnam miſſus fuerit & paſcha nouiſsimum.

Quæcunque huic cum vllo aliorum fuere cõmunia,& ſi verè magnis omnia grauida myſteriis,non impræſentiarũ iuuat verbis extollere:quæ verò vni huic peculiaria ſunt exhibita amoris ſingularis indicia,hæc commemorare delectat amplius.

Quando aduenit hora,vt peracto curſu ſui miniſterij tranſiret ex hoc mundo ad patrem qui inter homines homo vixerat,vnigenitus filius Dei:ibi ſcilicet peculiaris amoris ſigna patuere, ibi familiarioris dignationis apparuere teſtimonia.

Conuiuio accumbens nobili, memorabilẽ ſæculis omnibus cœnam celebrans gallina illa in medio pullorum trepidantiũ,quos ſub maternis ſibi aggregauerat alis:accipitrem heu peſsimum in medio pullorum,vrſum ſæuientem & leonem ferocientem ſub exuuiis innocentis ouiculæ,verbo deſignauit,qui ſciebat corda omnium.

Rigeſcunt ſtatim & obſtupeſcunt,ad execrandi ſceleris auditum, innocua pectora:metu percelluntur omnes,vox hæret faucibus graui mœrore turbata ſilent omnia. Hic virgo ille nobilis, diſcipulus quem diligebat magiſter bonus, præ amoris teneritudine ſeipſum non ſuſtinens:caput virgineum in pectus illud reclinat ſacratiſsimũ, in quo totius inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter.

Inde videlicet tunc hauſit auidè,quod poſtmodum effudit abunde fluenta ſacri Euangelij,quibus omnes Aſiæ plantauit, totius orbis poſt modũ rigauit Eccleſias,de pectoris dominici fonte potauit.

Hauſit aquas in gaudio de fontibus Saluatoris:quibus ſubueniret in terra deſerta & inaquoſa ſiti periclitantibus & pereuntibus animabus hominum.

Conſiderauit liberalem & munificum dominum,ſeruus & diſpenſator fidelis:prompſit non auarus de vaſe pleno liberaliter,menſurã confertam & coagitatam & ſupereffluentem,quam effunderet pincerna

cerna diues conſeruis ſitientibus,ad omnem abundantiam.
Gloria patri & filio:& ſpiritui ſancto. Sicut erat in princip. &c.

GRADVS SECVNDVS. *De peculiari dilectionis ſigno quod in cruce pendens Chriſtus Ioanni oſtendit.*

DENIQVE exaltatus iam à terra, appenſus in ligno maledicto,æneus ille Moſi ſerpens,vt viuifico ſacri ſanguinis veneno mortuum mundum reuocaret ad vitam.

Vide obſecro te,quiſquis hoc legis canticum: vide quanta Ioannem ſuum dignatione ibi agens animam nobilis magiſter reddidit nobilem,& ſæculis omnibus honorabilem.

Stabat iuxta arborem paradiſi, iuxta lignum vitæ quod pomum ferebat viuificum,virgo mater virgo Deipara: mœrore graui ſaucia, amaris plena doloribus, felle ſatura, ebria abſyntio, nunc vere Marah quondam Noëmi, Miriam illa inclyta.

Simeonis ille gladius diro vulnere perpenetrabat virginei pectoris intima:cùm in ligno maledictionis exaltatũ ante omniũ oculos videret fructum benedictũ,quem de cælo cõceperat in vterũ ſuum.

Huic aſtabat materni doloris teſtis & conſolator diſcipulus dilectus,pectus fidele demõſtrans præceptori: quem nec in extremo abnegare voluit aut deſerere ſupplicio.

Ad locum ignominiæ,cæteris omnibus condiſcipulis in propria diſperſis,adduxit illum fides erga præceptorem integra: fides inuicta,ſpes inconcuſſa, & inextinguibilis charitas, quam neque tantarum impetus aquarum prorſus valuit extinguere.

Vidit igitur qui pendebat in ligno aſtantem ſibi in amaritudinem matrem,verè nunc ex Noëmi Maram vidit aſtantem ad matris obſequia & ſolatia diſcipulum fidelem, quem non immerito peculiari ſemper amore dilexerat.

Non ſe potuit vltra continere diuini cordis inæſtimabilis pietas: quos in vita peculiari ſuper omnes proſequutus fuerat amore, in finem quoque moriẽs familiari dilectionis ſymbolo gaudere voluit.

Teſtamentũ breue iamiã moriturus de cruce dulcis condidit Ieſus: imò donatione magis inter viuos donauit vtriſque quod voluit.

Mulier(ad matrem inquit)ecce filius tuus:ad diſcipulũ verò, Ecce (ait)mater tua:ſic breui verbulo teſtamẽtum clauſit,& ſanguine obſignatum proprio poſt paululum moriẽs effecit ratum ac validum.

Sic vtriſque opportuna ſapienter prouidit ſolatia: vt neque virgo mater neceſſario deſtituta relinqueretur obſequio,neque virgo diſcipulus parentali prorſus orbatus magiſterio.

Et illi enim pro fragilitate ſexus, ac virginei pudoris verecundia fido erat opus cuſtode, deuotóque famulo: & huic pro inſtructione magnarum rerũ quibus erat deſtinatus, fideli opus erat magiſterio

Gloria patri & filio: & ſpiritui ſancto. Sicut erat in princi. &c.

GRADVS TERTIVS. *De commendatione excellentiæ ſancti Ioãnis præ alijs Apoſtolis, in eo quod virginem matrem in ſuam commendationem à Chriſto accepit.*

GAVDE piſcator humilis, lætare virgo nobilis, in tanto miniſterio, exulta adoleſcens inclyte, & iubila ei qui te ad tantam prouexit gloriam.

Nobilis quidem in clauibus ſuis & faſcibus Simon ille bar-Iona, ſuper gregem agnorum, & caulas ouium: in ouili ſuo glorioſus ille, ligans & ſoluens, innodans, pro arbitrio.

Tua verò quanto eſt excellentior dignitas, cuius ſunt commiſſa fidei ſancta ſanctorum? in quæ non niſi ſummo ſacerdotalis ordinis apicidatus vnquam fuit introitus.

Tibi tradita eſt in cuſtodiam nobilis arca teſtamenti, de imputribili fabricata ligno, & auro ſuperueſtita puriſsimo propitiatoriũ clementiæ Dei, quod obumbrant Cherubin gloriæ eius.

Virga Aaron diuino in teſtimonium ſempiternum florida miraculo, tabulæ teſtamenti quas inſcripſit digitus Dei: thuribulum aureum quo propitiatio fieri debuit pro peccatis populi, aurea quoque vrna, manna ſeruans imputribile.

Hæc (inquam) omnia, tam multa numero, tam magna pretio: tibi vni à magno præceptore ſunt credita.

Profectò tibi ceciderunt funes in præclaris, fœliciter tibi cecidere funiculi diſtributionis: egregie opima eſt portio tua, bene præclara hæreditas, quam moriens tibi pater Iacob teſtamento diſpoſuit extra fratres tuos.

Siquidem & tibi faſces fuerunt & claues, æque ac cæteris omnibus fratribus tuis: nec fuit his in rebus deterior pars tua ſorte condiſcipulorum tuorum.

Super hæc verò, ſingularis amoris priuato priuilegio, donatione iſta extra cæteros tuam voluit honeſtare pudicitiam magiſter bonus: vniuerſum ſuum quod in mundo poſsidebat peculium, effudit in ſinum tuum: matrem dilectiſsimam, theſaurum incomparabilem, tuæ commendans fideli cuſtodiæ.

Neque verò præceptoris falſum eſt in te iudicium: commiſſum tibi munus ab hora illa amaræ ſeparationis ad finem vſque, adimpleſti ſtren-

ſtrenuè.

Donec ſupereſſet in illa halitus vitæ,non diſceſſiſti à miniſterio illius:quaſi filius obedientiſsimus matri deiparæ obſequebaris,ſolicitudine impiger,labore infatigabilis.

Viciſsim illa pro grato miniſterio neceſſarium tibi rependebat magiſterium, de iis quæ in ſe pro ſalute mundi geſta ſciebat: quæcunque ab initio magni myſterij conferens in corde ſuo virgo prudens abſcondita tenebat, à capite ad calcem vſq;, pleniſsimè te erudiebat omnia.

Sic te illa doctorē formabat populis,ducem & præceptorem gentibus,vt per te illuminaretur orbis vniuerſus,ad agnitionem ſalutis.

Gloria patri & filio:& ſpiritui ſancto. Sicut erat in princip.&c.

GRADVS QVARTVS. *De fideli miniſterio prædicationis poſt defunctam matrem Chriſti,& de exilio Apoſtoli.*

DENIQVE, poſt matris fœlicem vocante filio tranſitum,gubernacula ſuſcepiſti populorum multorum, prudens architectus ſuperſtitionis delubra demoliēs:religionis ſacræ fundaſti Eccleſias per ampliſsimas auguſtæ Aſiæ prouincias.

Quæ ſuper arenam malè locata erant, ſubuertiſti phana ruinoſa, impia delubra: illiſque euerſis, ſupra firmam petram ædificaſti turres inuictiſsimas,virtutis & ſalutis fundaſti propugnacula.

Eradicabas mala zizania, plantabas bona germina, rigabas arbuſta creſcentia:ſeminabas agros,plantabas vineas, & fructū fecerunt, Deo proſperante,plantationes nouellę horti deliciarum tuarum.

Ne vero eſſet in vllo tuus locus inferior fratribus,etiā paſsionum tibi data fuere certamina:ne non eſſet conſummata corona beatitudinis tuæ,datum eſt tibi,ſicut cæteris, pro nomine Ieſu pati contumeliam,& perſequutionem,propter iuſtitiam.

Pro fideli confeſsione cæſus virgis,gaudens ibas à conſpectu concilij:quoniā dignus habitus eſſes pro nomine Ieſu pati cōtumeliam.

In feruentis olei dolium mitti te præcepit iuſsio poteſtatis iniquæ: ſed & hinc velut athleta vnctus non aduſtus, ſine omni nocumento exiiſti illæſus.

Exulem denique Pathmos dura ſuſcepit inſula:ſed neque illic tibi abſuit dilectus tuus,pro cuius bona confeſsione ferebas grauia.

Sicut abundabant in te Chriſti paſsiones, ſic per Chriſtū abundabat conſolatio tua:ſecundum multitudinem dolorū quos ferebas in carne tenera,conſolationes internæ ſanctam lætificabant animam.

Miranda illic tibi exulanti oſtendit dilectus tuus altiſsimæ theologiæ myſteria: Apocalypſim ſacram datum eſt videre tibi in ſpiritu: Eccleſiæ ſtatum vniuerſum, ad conſummationem vſque ſæculi, quaſi in tabella legere depictam.

Quæ vidiſti ſublimiter & intellexiſti ſubtiliter, in libro deſcripſiſti fideliter: quibus ineſt ſpiritus ille qui reuelat myſteria, ipſi intelligunt, ipſi ſapiunt magnitudinem tantorum mirabilium.

Porcis margaritæ iſtæ ſunt abſconditæ, canibus ſunt occultata ſancta myſteria: animalibus & carnalibus eſt obſignatus liber iſte ſigillis multis, ne poſsint eum vel legere vel introſpicere.

Gloria patri & filio: & ſpiritui ſancto. Sicut erat in princip. &c.

GRADVS QVINTVS. *De Euangelio quod poſt reuerſionem ab exilio deſcripſit, altiſsima Theologia pleno.*

TANDEM ab iniquo diuina cura reuocatus exilio, inuiſiſti quas dilecto tuo plantaueras in horto deliciarũ, areolas aromatum: fructum odoris boni offerre illi cupiẽs, in naribus gratiſsimũ.

Tunc verò demolitores vulpes, ſylueſtres apros, & feras ſingulares reperiſti in vinea: lupos in caulis offendiſti diſsipantes gregem electum magiſtri tui, mordentes, furantes, mactantes, perdentes innoxias ouiculas.

Ibi te zelus domus Dei armauit in prælių, loricam induiſti quaſi gigas: apprehẽdiſti arma & ſcutũ, vt exurgeres oppreſsis in auxiliũ.

Ibi videlicet boanergem te verè demonſtraſti, tonitrui filium aduerſum hæreſiarchas impios effundens valida tonitrua & eiaculans vrentia fulmina.

Atque, vt finem ſemel vniuerſis imponeres commentis impiis, ſanæ fidei regulam, in teſtimonium ſempiternum, deſcripſiſti Eccleſiis per orbem vniuerſis: Euangelium ſanctum, orthodoxæ veritatis immobilem columnam: firmiſsimum fundamentum, validiſsimum firmamentum, rubricam rectiſsimam, certiſsimam regulam, gnomonem commodiſsimum.

In hac regula diiudicatur omnis ædificatio bona aut mala: quicquid ab ea diſſonat vel in minimo, incuruum deprehenditur, falſumque & mendax redarguitur.

Cherinthus & Ebiõ, Sabellius & Arrius, Samoſaten⁹ & Eunomius, & quicquid eſt, monſtrorum huiuſmodi mendacium, te ſcribente confuſa & confecta ſunt: in calamo tuo arundineo multiplicata inci diſti colla hydrarum, draconum immanium comminuiſti capita.

Scriptura digitorũ tuorũ vſque hodie gladius eſt biceps, ſarculus electus, in manibus ſponſæ: quicquid aduerſus veritatẽ orthodoxiæ enaſcitur impij dogmatis, celerrimè purgatur & præciditur in illo.

Et magni quidẽ etiam illa facienda ſunt quæ dedere ſcripta Eccleſiis cæterorũ calami conſcribarum tuorum: quæcunque deſcripſerunt notarij veritatis, Euangeliographi ſancti, vſque ad iota paruulum aut minimum apiculum, vniuerſa ſunt veritate plena, fide certa, attentione & obſeruatione digniſsima.

Quæ verò tu de materni cordis myſtico ſacrario congeſta, imò de pectoris dominici fonte potata, eructaſti & euomuiſti viuentium aquarum flumina: longe nimium ſuperant altitudine, præcellunt dignitate, ponderis vincunt magnitudine & ſuauitatis integræ exuberant dulcedine.

Nobilis inter publicanos Matthæus, teloniorũ ad vnam vocationẽ proiectis libris & ſyngraphis: primus conſcribere res magnas aggreſſus, ab humanæ generationis linea ſcripturæ ſuæ ſumpſit initiũ.

Poſt hũc, inter ſacerdotes egregius ab Alexandria Marcus, aſſecla Simonis: cõpendio perſtringens quæ ille dixerat fuſius, à voce præconis viam parantis venturo domino ſcribendi ſibi fecit initium.

Poſt hos, ab Antiochia Lucas, arte inſignis medica, ſermonis diſertus facundia, vaſis electi indiuiduo comitatu celebris: magni myſterij altius repetens originem, à ſacerdote præcurſoris genitore, deſcriptionis ſuæ ſumpſit exordium.

Tu verò piſcator humilis & ignobilis, nõ publicæ adminiſtrationis officio notus, non ſacerdotij dignitate eminens, non arte vlla liberali inſignis: ſuperaſti tamen in ſcriptura manus tuæ illorum ſcripta omnia, viciſti in exaltatione vocis tuæ illorum dicta vniuerſa.

Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob, ſic incipit narrationem Publicanus Iudæus: Alexandrinus ſacerdos à prophetico de præcurſoris voce teſtimonio exorditur hyſtoriam.

Fuit in diebus Herodis regis Iudææ ſacerdos quidam ſic poſt magnificum diſertumq; procemium, orditur narrationis filum Antiochenus medicus.

Ita quidem illi ſæculari prudẽtia ac dignitate celebres viri, exorſi ſunt quæ de magnis myſteriis voluerunt deſcribere volumina: principium altius nulli illorum dedit omnium diſtributor donorum ſpiritus, ſine quo non deſcribitur vlla pagina ſacra.

Tibi verò piſcatori ignobili & illiterato, de principio ſine principio datum eſt principium altiſsimum: quo ſublimius nihil exprimi, nihil ab vlla mente potuit excogitari diuinius.

In principio

In principio, inquis, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ, hoc erat in principio apud Deũ, omnia per ipſum facta ſunt: huiuſmodi tu verba de verbo abbreuiato profundis, tam grandia in ipſo ſtatim veſtibulo.

Ab altiſsima Theologia tuæ ſcripturæ dedit initium moderator calami ſpiritus dilecti tui: propterea vni tibi peculiari attributione, nomen Theologi aſſcripſerunt patres orthodoxi ab Eccleſiæ naſcentis exordio.

Inſuper & totum ipſum filum texturæ tuæ ſubtiliſsimum, de occultis eſt diuinitatis myſteriis: ſecundum altitudinem principij correſpondent media, reſpondent & nouiſsima.

Quæ ab alijs conſcribis tuis prætermiſſa fuerant, noſtræ eruditioni ad ſalutem vtilia, tuum calamum non potuerunt effugere, quæ nobis deerant ex illis, per te impleri nobis voluit artifex omnium ſpiritus, cuius perfecta ſunt opera. Gloria patri & filio: & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, &c.

GRADVS SEXTVS. *De excellentia Ioannis ſuper Euangeliſtas cæteros, quodq́; ea excellentia conuenienter ſignata fuerit per viſionem Aquilæ.*

SCILICET hæc illa erat volantis aquilæ facies, quam in viſione myſtica quatuor animalium deſuper eminentem conſpiciebat huius cognitor & figurator myſterij: hanc ille tum prophetico notabat ſpiritu, prophetico præſcribebat eloquio, ſcripturæ tuæ in ſacramentis diuinitatis ſingularem præcellentiam.

In humana facie monſtratus eſt, qui ab humana hominis Dei genealogia accepit ſcribẽdi initiũ: quæq́; ab humano Deo, ad morum inſtructionem, dicta fuere aut facta hominibus ſtudioſè contexuit.

In leonis apparuit vultu, qui à rugitu præconis libri ſui fecit exordium: inſuper & triumphantis de tribu Iuda leonis, verè leoninã, cæteris accuratius ſategit conſcribere victoriam.

In facie bouis aut vituli ſignatus eſt, cuius libri eſt principium à deſcriptione ſacerdotij, immolantis idoneas hoſtias: finis verò cæteris omnibus clarius vituli electi pingit immolationem bouis in area horti ſudantis labores & paſsiones ſcribit diſtinctius.

Tibi verò magno theologo, pro altitudine ſcriptorum, figura cõpetebat altior: auis qua non eſt alia ſiue viſu perſpicacior, ſiue volatu fortior, tuæ celſitudinis eſt conſtituta ſymbolum.

Repũt humi & infernè cõmorantur homo, leo, bos, animalia terreſtria, nec ſe valent in altum atollere: ſola aquila beneficio ſubuecta alarum

alarum conſcendit excelſa,& in altiſsimis ſibi nidum conſtituit:

Eadem quoque,contra oppoſitam è regione micantem ſolis rotã irreuerberatis contuetur luminibus:præfulgidum illuſtrantis omnia ſyderis iubar illæſis oculis aſpicit ſola,nec vllum inde accipit incommodum.

Ita tibi Ioannes ſancte,excellẽtia iſta munere peculiari collata eſt alarum magnarum & oculorum valentium: relictis terrarum imis, vſque in altiſsimum patris ſinum auolans,de ingeniti vnigenito cõtemplatus eſt, quæ ſupra ſenſum hominum ſunt, multa mirabilia.

Glorioſius quidem in raptu ſuo & auditu arcanorum verborum gentium ille magiſter, vas electionis: verùm ſi ad tuam conferatur excellentiam,exigua videbitur & obſcura iſta gloria,

Ad tertium vſque cælum raptus ille peruenit egre,non tranſiit vltra:illic audiuit,raptus nõ vidit(cuius erant obducti ſquammis oculi) mirabilia: denique, audita non illi fuit licitum eloqui,non homini humana lingua patefacere.

Te verò longè ſupra omnes cælos, ad patris ingeniti ſinum, adduxit impetus alarũ tuarum:quod in ſecretiſsimo illo ſinu ab æterno latebat abſconditum,non audiſti auribus,ſed ipſis vidiſti limpidiſsimis oculorum luminibus.

Denique, ſuper iis quæ vidiſti vel audiſti, nequaquam tibi ſunt occluſa labia,non eſt impoſitum ſilentium:fas vtique & liberum licitumque tibi fuit, quæcunque vidiſſes vel audiſſes, lingua eloqui præſentibus,calamo deſcribere abſentibus.

Te vocauit ſurſum cæleſtis tuba,à facie ſedẽtis in throno progrediens:huc,inquiens,aſcende in ſpiritu, & oſtendam tibi:huc veni, & videbis mirabilia:ac rurſum.Quod vides,ait,ſcribe in libro,& mitte Eccleſiis:ſcribe, ait,quæ vidiſti,& quæ poſt hæc oportet fieri.

Ita tu quidem cæleſti obediens iuſsioni, quæ noſtræ videras vtilia ſaluti,deſcripſiſti fideliſsimè:familiæ ſponſi de pleno horreo tritici menſuram de diuite penu vini portionem, diſpenſator fidelis diſtribuis in opportuno tempore.

Quod fuit ab initio, quod audiſti, imò quod vidiſti tuis oculis, quod perſpexiſti & contrectaſti manibus de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt:vt vidiſti ita teſtatus es,& annuntiaſti nobis,vitam æternam quæ apud patrem erat ab æterno,& apparuit nobis in tẽpore,

Quod vidiſti & audiſti annuntiaſti nobis, vt & nos ſocietatem habeamus tecum:ſicque vna tecum nobis ſit ſocietas,cum patre ingenito & Ieſu Chriſto eius vnigenito.

Verũtamen ob rerum magnitudinem,quæ à te deſcripta ſunt,tenuibus

nuibus ingeniis captu ſunt difficilia: multo opus eſt ſtudio, meditatione longa, affectu deuoto opus eſt volentibus paginarum tuo illatarum attramento penetrare intelligentiam.

Hinc quidem ad lectionem ſtudioſam ipſa rerum inuitat maieſtas, copioſa allicit vtilitas, imò cogit quæ à demolitoribus vineæ callidis vulpeculis procedit neceſsitas: illinc remoratur dictorũ ſublimitas, reuocat laboris difficultas, deterret quod curioſis ſolet maieſtatis, perſcrutatoribus euenire certum periculum.

Quomodo imperitis artis nauticæ non eſt ſecurum indomitos ſulcare fluctus, aut vaſta ſine remige nauigare maria: ſic iis qui in catholico dogmate inexercitatos habent ſenſus & mentem inſtabilem, ſenſu pueris & fide paruulis, ab altitudine verborum tuorũ non paruum eſt periculum.

Succurrit tamen ex parte huic periculo orthodoxorũ patrum quos vnus tecum impleuit ſpiritus, laborioſa diligentia & officioſa charitas: quos feruens in Deũ amor, & ardẽs ad fratrum profectũ dilectio, ſudare fecit in explicandis nodis, quos volens in altum piſcatrix aquila perplexis vnguibus inuoluit & implexuit, haud facile ſolubiles.

Qui alta nauigant maria, donec littora quieta immotis tenẽt ocu lis, aut fixa in cælo ſydera fixis obſeruant luminibus ſcyllas & charybdes, & vniuerſa ſimul effugiunt nauigationis pericula.

Ita qui in altitudine verſantur cuiuslibet paginæ ſacræ, eius potiſsimum quam ſacris ſubtiliter depinxit vnguibus aquila dilecta: fulgentium in firmamento militantis Eccleſiæ ſyderum inhærentes luminoſis radiis, probatis orthodoxorum infixi ſenſibus, nauigabunt fœliciter in gaudio.

Ab omni impietate & errore liberi ſubibunt optatos portus in gaudio: diu multúmque deſiderata littora obtinebunt gaudẽtes, & poſsidebunt ouantes, in ſecuritate perfecta & ſempiterna lætitia.

Gloria patri & filio: & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, &c.

GRADVS SEPTIMVS. *Deuota nuncupatione ſancto Apoſtolo labor offertur præſentis operis, & pia ſupplicatione eiuſdem poſtulatur interceſsio.*

DIVINORVM patrum ſtudioſè obſeruantes ſacra veſtigia ad elucidandam ſcripturæ huius paginam, laboris nonnihil nos quoque adiecimus: pro data puſillo mihi puero gratia, propter ſublimium verborum reuerentiam & ſimpliciorum fratrum commoda, viſum eſt & mihi hac in re pauxillum quidam conferre

ferre,quod forte ſuperno munere poteram.

Non quaſi aſpernantes aut paruifacientes aliorum vetera, noua noſtra ſuperbi cudimus:veſtigia potius adoramus illorum, qui priores laborauerunt in agro, quorum nos indigni ſimus calciamenta vel portare vel ſoluere.

Illi laborauerũt ac ſudauerunt priores in opere domini,& nos in eorum labores ingredimur:pondus diei & æſtus in ſe ferentes, facilem nobis & ſuauem ſuis reddidere ſudoribus laborem reſiduum.

Aurum & argẽtum,coccum,byſſum,& purpuram,omnémq; pretioſum lapidẽ,apertis theſauris ſuis principes viri illi obtulerunt in ædificationem & ornatum tabernaculi: ego plebeius & ſemipaganus quod habeo,mẽte deuota offero, pillos caprarum exigui pretij,

Illi de eo quo abundabant,multa & magna in dominicum gazophilacium miſere munera:ego pauper & inops, egenus & mendicus, qui ad portas diuitum ſtipem mendico exiguam, æra minuta duo offero libenter,conferò gaudenter, victum meum omnem & vniuerſam ſubſtantiam.

Si tibi aquila ſublimis,virgo nobilis,diſcipule dilecte,magne ſcriba,tibi,inquam,Ioannes ſancte ſit gratus iſte labor agreſtis operarij: per te quoque dilecto tuo,domino meo,fiat commendatus & placitus,ante conſpectum throni gloriæ eius.

Tibi,Ioannes ſancte, noſtram hanc deuoto corde nuncupamus, porrectis exhibemus manibus quam deſcriptæ per te ſacræ paginæ impendimus operam:tu eam animo benigno,frõte lęta,obuiis vlnis. excipe dignanter,de manibus ſupplicantis ſeruuli deuotíq; cliẽtuli.

Sub tuo patrocinio ingrediatur ante oculos eius, qui tibi ſinum ſuum molle fecit ceruical & ſuaue reclinatorium:per te agnoſcat libẽter,quod de pauperculi ingenij vena exili & curta ſupellectili, ab hilari datore, imò redditore proficiſcitur, exiguum munuſculum.

Sordidas ego habeo manus,ſordidis amictus veſtimentis, nudus prodire non audeo coram eo qui diligit munditiam, propterea ſub candidum virgineæ tuæ puritatis ſupplex confugio pallium, vt honeſter in decore & nitore munditiæ tuæ.

Aduocatum,te docente,cognouimus apud patrem nobis eſſe fidelem, Ieſum iuſtum: qui etiam propitiatio dignatus eſt fieri pro peccatis noſtris in pretio magno quo nos redemit, in glorioſo ſanguine ſuo.

Apud hũc te precamur oratorẽ benignum,interceſſorem fieri nobis fidelem:te enim peculiari diligit amore,quomodo olim in carne viuens paſsibili,ita etiam nunc multomagis in immarceſsibili fulgens

gens gloria.

Ora pro nobis, amice ſpōſi, dilecte Chriſti, vas munditiæ, puritatis virgineæ, incorruptum ſpeculum: florem pudicitiæ, pro nobis interpella, qui inter candida totus ipſe candidus commoratur & paſcitur lilia.

Intercede pro nobis, virgo puriſsima, hircis ſordentibus, laſciuiētibus vitulis, inutilibus hœdis, iumentis putrefactis in ſtercore ſuo: impetra nobis pia interuentione apud agnum Dei ſine macula, peccatorum omnium noſtrorum, vt pondere grauium, ita multorum numero, veniam.

Mentis caſtitatem & corporis puritatem, ab eo qui caſtitatis eſt author & amator ipſe caſtiſsimus, conciliet nobis oratio tua: qui te copioſis huiuſmodi donis fecit inſigniter diuitem & nobilem, nobis tua prece vel exiguam (quantum vt illi placeamus opus eſſe noſti) donet eorum portiunculam.

Ita tuo ſeruulo fiet in lætitiam & exultationem labor iſte, quem tibi nuncupat deuotio cordis aridi: & forſitan tuæ liberalitatis munificentia prouocari poterit animus male requiei impatiens, oſórq; peſsimi otij, ad operas vel meliores, vel conſimiles.

Si tibi diſcipulo dilecto, ac per te magiſtro dilectiſsimo, gratum fuiſſe munuſculum iſtud perſenſerint fibræ cordis, heu, modo duri nimium & aridi: non me poſt hac vllius pigebit honeſti laboris, non capiet tædium operis ſancti, non me, ab exercitio pio vllum deterrebit faſtidium.

Gaudens gaudebo in domino, & exultabit cor meum in Deo Ieſu meo: cantabo domino, qui bona liberaliter tribuet mihi: cātabo ſemper & laborabo nomini ſancto eius, quod eſt benedictum in ſæcula.

Gloria ingenito patri & vnigenito filio: & paracleto ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, &c.

Finit Pſalmus ad honorem ſancti Ioānis Apoſtoli & Euangeliſtæ, omnipotenti Deo pro operis huius nuncupatione decantatus.

Elucidatio paraphraſtica
SANCTI EVANGELII
SECVNDVM IOANNEM,

Per F. Franciſcum Titelmannum, Haſſellenſem, ordinis fratrum Minorum.

ELVCIDATIO CAP. I.

AB initio & ante ſæcula, ab æterno, & ante omne principium temporis, erat verbum increatum mentis paternæ, æterni patris, coæternus filius, ſecunda in deitate perſona. [b] Verbum autem hoc non ſolitarium erat, ſed apud Deum patrem, & cum Deo patre ſemper erat, ſic ab eo perſonaliter diſtinctum, vt tamen ſecundum eſſentiam non ſit vlla diſtinctio. [c] Vnde & ipſum verbum ab æterno non tantum apud Deum, ſed etiam Deus erat vnus, idemque cum patre, non alius Deus à patre, ſicut vtriuſque vna & eadem eſt, non alia atque alia ſubſtantia [d] Hoc, inquam verbum increatum ſic ab æterno ante omne principium temporis erat cum ipſo Deo patre ſuo, à quo ſecundum æternam generationem ſemper procedit, omnẽ eſſentiæ plenitudinẽ, & omnis bonitatis perfectionem ab ipſo accipiens. [e] Per hoc etiam verbum omnis creatura in tempore exiſtentiæ ſuæ cœpit initium: quoniam pater per verbum ſum omnem fecit creaturam, [f] ita vt nihil in rebus creatis ſit factum, quod non per ipſum verbum

IN principio erat verbum,

b & verbum erat apud Deũ,

c & Deus erat verbum.

d Hoc erat in principio apud Deum.

e Omnia per ipſum facta ſunt:

f & ſine ipſo factum eſt nihil.

ſit factum,atq; in ſua natura & perfectione diſpoſitũ: imò neq; poſsit fieri aliquid non per ipſum verbum,

a Quod factum eſt in ipſo vita erat,

quoniã indiuiſa ſunt patris & ſui verbi opera.[c] Omnia autem quæ in tempore per verbũ facta ſunt,antè quàm in ſe,& in propria natura ſubſiſterẽt,multo nobiliori modo præfuerunt in ipſo verbo, tanquam in originali principio,& viuo,ſempiternoque exẽplari: vnde quæ in ſua natura tantũ entia & viuẽtia dicuntur ſecundũ aliquam entitatis & vitę participationẽ, in ipſo verbo ab æterno erãt eſſentia ipſa,& vita infinita.

b & vita erat lux hominum,

[b] Atq; hæc vita prima & infinita,tametſi omnibus omnino creaturis dederit eſſendi principiũ,ſpecialiter tamẽ inter omnes corporeas creaturas hominem inſigniuit lumine naturalis rationis,creãs illum ad imaginẽ & ſimilitudinẽ ſuã:nec ſolũ lumine rationis naturalis hominẽ donauit:ſed lumine inſuꝑ gratię quotidie viſitare dignatur.

c & lux in tenebris lucet,

[c] Et lux iſta beatiſsima à qua lumẽ omne tã naturę q̃ gratię effluit,in hoc mũdo(q ex ſe eſt plenus errorũ tenebris) lucere nõ deſinit,per oẽs generationes in animos hominũ ſuos radios ſpargẽs,& illuminãdo erudiẽs.

d & tenebræ eam non comprehenderunt.

[d] Verũ excreſcẽte indies hominũ malitia,tã denſę factę ſunt tenebrę huius mũdi,vt lucẽ illã in ſua puritate nõ voluerint cõprehẽdere,neq; eius influxũ & illuminationẽ potuerint homines malitia & erroribꝰ excæcati ſuſcipere.

e Fuit homo miſſus à Deo,cui nomen erat Ioannes,

[e] In tẽporis autẽ plenitudine,quãdo lux iſta clarius debuit manifeſtari,voluit Deus in mũdũ pręmittere hominẽ quẽdã puerũ,ſed virtutibꝰ & gratia inſignẽ,cui ex Dei impoſitione angelo nũtiãte nomẽ inditũ eſt, pręcellẽtię eius ſignificatiuũ,nẽpe Ioãnes:qđ vocabulũ ſonat,eũ in quo eſt gratia Dei.

f Hic venit in teſtimonium,vt teſtimoniũ perhiberet de lumine,

[f] Hic homo miſſus à Deo,venit in mũdũ,tanq̃ pręcurſor & teſtis,ad perhibendũ teſtimoniũ veritati:videlicet vt de vera illà luce,quę poſt ipſum erat hominibꝰ in aſſumpta natura hominis manifeſtãda teſtimoniũ ꝓhiberet,& lucẽ illã quę & quãta,& vnde eſſet hominibꝰ ſua prędicatione declararet,

g vt omnes crederent per illũ.

[g] vt per eius talẽ pręcurſionẽ & præuiã prædicationẽ, omnis populus, luce illa poſterius adueniente,inueniretur paratus plena eã fide ſuſcipere.

h Non erat ille lux,ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.

[h] Non erat quidẽ Ioãnes lux illa prima,æterna & infinita

finita, in quam credere deberẽt homines: ſed tantum lucis illius præcurſor ac prænuntius, & quaſi oriẽtis ſolis rutilans aurora præceſsit, hoc habẽs officij, vt lucẽ illam ſuo teſtimonio hominibus prędicaret & cõmẽdaret, eosq; ad credendũ in illã induceret.[a] Vera autẽ lux illa erat, quę non ſolũ vnam aliquam mundi portionẽ, nec vno ſolũ tempore illuminat, quẽadmodum Ioãnes in ſola Iudæa & modico luxit tẽpore: ſed quæ mundũ vniuerſum omni tẽpore, & vult & poteſt illuminare, omnẽ ſcilicet hominẽ qui vel natus eſt vel naſcetur in mundo. Hæc lux verbũ eſt patris, quod in omnes homines participiũ ſuæ lucis, lumen naturalis rationis infundit: lumẽ quoq; ſpiritualis viſitationis, & internę illuminatiõis in omnibus generationibus ſemper prõptè infundit humanis mẽtibus, ita vt quãtũ in ipſo eſt hac etiã illuminatiõe omnes illuminet. Deniq; nihil omnino eſt luminis in quoquã, vel naturæ vel gratiæ quod nõ ab illa vna & prima luce effluxerit.[b] Et hęc quidẽ lux, ſiue hoc verbũ in mũdo erat, ab initio ex quo creatus eſt mundus, cælũ & terrã ſua eſſentia, pręſentia, atq; potentia adimplens.[c] Nimirũ in initio tẽporis per ipſum factus eſt mundus, ſicut & per ipſum donec ſubſiſtit, ſubſtentari, & manu teneri debet.[d] Attamen homines mundũ inhabitãtes, illũ à quo & eſſe ſuũ & omne bonũ habent (tametſi ita ſibi ſemp pręſentiſsimũ) nõ cognouerũt, malitia excęcati ita vt pro creatore adorarẽt creaturas.[e] Deinde verò lux illa aut verbũ illud ſecũdũ aſſumptã ſerui formã, à patre deſcẽdens ad propria venit, ſuper terrã apparẽs, quã in principio creauerat, & peculiariter in terra Iudęę, quã in ſpeciale peculiũ elegerat:[f] ſed veniẽs ita verbũ à ſuis nõ eſt agnitũ, non eſt creator à creaturis, dominus à ſeruis, debito ſuſceptus honore: imò nec ab illo ſuo peculiari populo, quẽ prę ter cõmune creatiõis beneficiũ aliis multis ſibi deuinxerat, reuerẽtia decẽti exceptus.[g] Quicũq; verò iſtud verbũ ſic in mũdũ aduenieẽs, fide & deuotiõe cõgrua receperint, eiq; in finẽ vſq; fideliter adhęſerint, cuiuſcũq; tãdẽ ſint cõditionis aut ſtatus, ſine pſonarũ acceptione, per filiũ naturalẽ ad tantã gloriã pucheẽtur, vt fieri poſsint etiã

a Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum.

b In mũdo erat.

c Et mũdus per ipſum factus eſt.

d Et mundus eũ non cognouit.

e In propria venit,

f & ſui eum nõ receperunt,

g Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,

ipſi filij Dei ſecundum adoptionem & gratiam, qui alioqui ex natura erant filij iræ:[a] hi, inquam, qui per fidem ei adhærent. Nam is eſt modus quo vult & debet ſuſcipi in mundum veniens filius Dei, per fidem ſcilicet in credentium cordibus.[b] Iſti verò qui ſic credendo efficiuntur filij Dei, non tales ſunt per generationem naturalem, qua ex parentibus ſunt generati in eſſe naturæ: in qua generatiõe fit cõmixtio ſeminũ maris & fœminæ, quę ex ſubſtantia ſanguinis per decoctionem naturalem formantur:[c] neque tales nati ſunt ex concupiſcentia mollis & carneæ mulieris, aut ex concupiſcentia viri, non ex coitu illo carnali parẽtum, quo ad inuicem in concupiſcentiæ ſuæ ardore cõmiſcentur, habẽt vt ſint filij Dei, ſed potius vt filij ſint iræ, mortis, & diaboli.[d] Tales autem, id eſt, filij Dei fiunt, per aliam generationem ſpiritualem & ſupernaturalem, qua ex Deo homo renaſcitur, & regeneratur, dum per fidem anima Deo coniungitur. Quemadmodum enim carnalis generatio ex coniunctione maris & fœminæ procedit, ſic genaratio diuina ex coniunctione animę cũ Deo per fidem. Quòd ſi quis requirat, vnde tãta dignitas homini procedat, vt fieri poſsit filius Dei, cũ tanta ſit inter Deum & hominem diſtantia, ſciat ille ex verbo hoc de quo iam multa diximus, totum iſtud nobis procedere.[e] Verbũ enim hoc ab æterno exiſtens apud patrẽ, in temporis ad hoc conſtituti plenitudine, humanã naturam dignatum eſt aſſumere in ſuppoſiti vnitatẽ: & filius patri coæternus, in tempore factus eſt caro & ſanguis, id eſt, verus & viuus homo:[f] & habitauit in medio noſtri, tanquam vnus quilibet aliorum hominum, eadẽ humanæ vitę opera exercens, quæ nos puri homines, & nihil aliud quàm homines exercemus. Atq; ita per hunc: qui vtranq; in ſe ſuſcepit & conciliauit naturã, poteſtatem accepit homo, vt fiat filius Dei: per hunc ſimul hominẽ & Deũ, illa nobis hominibus puris cõfertur diuina regeneratio.[g] Ne verò hac de re, vt impoſsibili aut non veriſimili, quiſquã dubitet, nos qui cum eo per multũ temporis cõuerſati ſumus, ego qui hęc ſcribo, & mecum alij plures, nos illum vidimus oculis

a his qui credũt in nomine eius.

b Qui non ex ſanguinibus,

c neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,

d ſed ex Deo nati ſunt.

e Et verbum caro factum eſt,

f & habitauit in nobis

g Et vidimus gloriam eius,

oculis noſtris in mundo conuerſantem nobiſcum:[a] & gloriã quaſi tantam eius perſpeximus,in ſignis diuinę potentię, atque in doctrina diuinę ſapientie, tantam gloriam longè omni creaturę imparem pręcellentiam,vt manifeſtè ex ea comprobatũ ſit,& euidẽter demonſtratum,quòd ipſe quomodo dixit,ita verè ſit vnigenitus filius,à patre ęternaliter procedens,& ab eodem temporaliter miſſus in mundũ.[b] Verbum illud,inquam, factum eſt caro,& in nobis habitauit,plenum exiſtẽs etiam in aſſumpta humana natura,gratię & veritatis: quoniam in ipſo inhabitabat plenitudo totius diuinitatis corporaliter,& ſpiritu ſancto non ad menſuram erat plenus,eratque ipſe veritas,& omnis veritatis cognitionè ab exordio ſuæ conceptionis pleniſsimus. [c]Neque verò nos ſolum de eo teſtificamur,ſed etiam Ioãnès ille Propheta magnus,& ab omni populo meritò ęſtimatus maximi,à Deo edoctus,teſtimonium ipſi perhibuit,dum Chriſtum pręſentẽ demonſtrans, clara voce in aures omnium clamauit,& dixit:[d] Ecce nunc illũ,de quo priuſquam vobis oſtenderetur,multa & pręclara vobis prædixi,& hoc ſignãter,prę aliis frequenter inculcaui.[e] Poſtquam ego ad tempus aliquantum vobis prędicauero,alius veniet,& quaſi ſuccedet mihi in prędicationis officio,qui tamen à Deo patre lõgiſsimo interuallo mihi prępoſitus eſt,& cui ego ſecundum infinitam diſtantiam ſum poſtpoſitus: [f] nimirum quia me & duratione & omnimoda dignitate prior erat:ab ęterno cũ patre vnus Deus exiſtẽs, cum ego tantum ſim creatura vilis,& in tempore ad eius obſequium deſtinatus.Iure igitur mihi eſt in tẽpore pręferendus & pręlatus,qui me ſecundum ęternitatem prior eſt.[g] Tanta autem fuit perfectio plenitudinis eius,vt ex ea quę eſt non ad menſuram,ſed infinita & inexhauſta,nos omnes ad mẽſuram ſecundũ participationem aliquã accepcrimus,quicunq; in nomine eius credidimus,ſintq; item accepturi ex eadẽ quicunq; in poſteris generationibus credent in eum. [h] Quaſi autem eximium beneficium,& toti humano generi vniuerſale,per verbum hoc incarnatũ accepimus gratiam teſtamenti noui,longè pręſtatiorẽ,loco

a gloriã quaſi vnigeniti,à patre,

b Plenum gratia & veritatis.

c Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat, dicens:

d Hic erat quẽ dixi:

e Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt,

f quia prior me erat.

g Et de plenitudine eius nos omnes accepimus,

h & gratiam pro gratia,

teſtamenti veteris:quæ & ipſa non parua erat gratia, ſed cõparatione ad gratiam noui teſtamẽti(in quam per verbum incarnatum commutata eſt) perexigua: quum in comparatione ad eam, non ſit niſi vt figura ad rem figuratam, ſignũ ad rem ſignatam, vmbra ad veritatem,ſeruitus ad libertatem,imperfectũ ad perfectum. [a] Lex enim vetus olim per Moſem,tanquam per miniſtrum & famulum,ac nuntiũ inter Deum & populum, à Deo data eſt:gratia autẽ & veritas in inſtitutione noui teſtamenti,per Ieſum Chriſtum, non famulũ ſed filium Dei,perfecta eſt, vtpote per quem ea quæ prius legalib⁹ oraculis repromiſſa, & cæremoniis fuerãt præſignata, opere & reipſa ſunt exhibita: quando ablato iugo ſeruitutis antiquæ,libertas noua Euangelij ſucceſsit,& vmbra cedente,veritas manifeſtata mundo refulſit. [b] Quòd ſi quis fortè nos interroget,vnde nobis iſta poſsint haberi comperta, quæ ex Dei ſecreto conſilio pendere, & homini per ſe nõ poſſe comprehendi videntur, huic reſpondebimus, Deum quidem in ſua natura diuina à nemine hominum corporeis oculis vnquam viſum eſſe, ſicut nec videri poteſt, quum ſit inuiſibilis: neque item corporeis auribus vnquam à quoquam in ſeipſo auditum eſſe,vel audiri poſſe,cùm nullo ſenſu ſimpliciter ſit perceptibilis. [c] Sed patris verbum illud,de quo ſupra diximus,ipſe exiſtẽs vnigenitus filius Dei patris, qui & in ſinu eius,ab æterno requieſcit(id eſt,ab eius ſemper fœcunditate æterna generatione procedit,& apud eum perpetua perfectiſsimáq; fruitur beatitudine.) [d] ipſe ad nos deſcendens, & in aſſumpta ſerui forma viſibilis apparens,nos qui cum eo familiariter ſumus cõuerſati,tanquã præceptor diſcipulos,de omnibus his fideliter & apertè edocuit, nobíſque patris omne cõſilium,& propoſitum,vt amicis & fratribus, lucidiſsimè declarauit. [e] Et quoniã paucis ſuprà de teſtimonio Ioannis diximus, nunc latius ipſum ad fidem veritatis firmandam explicabimus.Quum enim iam aliquandiu manifeſtatus fuiſſet mundo Ioannes, tũ prædicando, tum baptizando, & tantæ æſtimationis haberi inciperet apud plebẽ, vt à nõ paucis Meſſias

a quia lex per Moſem data eſt, gratia,& veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.

b Deum nemo vidit vnquam.

c Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris,

d ipſe enarrauit.

e Et hoc eſt teſtimoniũ Ioãnis, quando miſerũt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad eum,

ſias eſſe putaretur, Iudæorũ primores ab Hieroſolymis (vt certum aliquid cognoſcerẽt) nuntios ſolẽnes, nempe ſacerdotes & leuitas, miſerunt. [a] Qui ad eum peruenientes, ex nomine Iudæorum à quibus fuerãt miſſi, eum interrogauerũt, dicentes: Quis tu es, & cuius præcellentiæ vel officij, vel qua præditus authoritate, vt ſic præter cõſuetudinem homines in deſertis locis noua quædã doceas, & nouo ritu baptizes? Nunquid fortè Meſsias tu es ille nobis repromiſſus, quẽadmodũ nonnulli de te ſuſpicantur? [b] Ioãnes autem ſic interrogatus, ingenuè confeſſus eſt veritatẽ, & nõ negauit, neque in vllo contradixit veritati. Et hoc ſignãter ante omnia, & ſuper omnia apertiſsimè eſt cõfeſſus, ꝙ nõ ipſe eſſet qui expectabatur Meſsias: ne videlicet alienã gloriã ſibi raperet, & domino ſuo debitum honorem præcurſor ac ſeruus in ſe transferret.

a vt interrogarent eum, Tu quis es?

b Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia nõ ſum ego Chriſtus.

[c] Poſtquam autẽ confeſſus eſſet Ioannes ſe Meſsiam non eſſe, aliam ei proponunt quæſtionem, interrogãtes, num fortè Elias eſſet, qui & ipſe ex vaticinio Malachiæ Prophetæ Iudæis expectabatur vẽturus, antequam adueniret dies domini. [d] Etiam huic interrogationi per negationem Ioannes reſpõdit, dicens, ſe Eliam non eſſe, iuxta intellectum quærẽtium: perſonam videlicet à ſe abnegans Eliæ, officium autẽ non recuſans. [e] Rurſum illi interrogabant: Nunquid tu vnus aliquis es ex antiquis Prophetis, aut peculiariter Propheta ille quẽ nobis per Moſem Deus ſe ſuſcitaturum promiſit, vt eum ſicut Moſem audiamus? [f] Reſpondit iterũ Ioannes, nec ex antiquis Prophetis, qui olim vixerant aliquem ſe eſſe, nec peculiarem illũ in lege promiſſum Prophetam. [g] Quum itaque illi multis interrogationibus propoſitis, non aliud quàm negatiuam reſponſionem à Ioanne accepiſſent, certum & definitum aliquid diſcere cupientes, ita eum interrogauerunt: [h] Si neque Chriſtus es, neque Elias, neq; Prophetarum aliquis, neque peculiaris ille Propheta, dic igitur nobis, quiſnam tu ſis, & quod tuũ officium, aut quæ & vnde tibi commiſſa authoritas: vt certum aliquid reſpondere valeamus principibus noſtris, qui nos huc miſerunt iſtius rei à te perquirendæ gratia.

c Et interrogauerunt eũ, Quid ergo? Elias es tu?

d Et dixit: Non ſum.

e Propheta es tu?

f Et reſpondit: Non.

g Dixerunt ergo ei:

h Quis es vt reſpõſum demus his qui miſerunt nos?

a Quid dicis de teipſo?

b Ait:

[a] Quid de teipſo affirmas?Quem aut qualẽ aut cuius officij & poteſtatis teipſum prædicas? [b] Tunc Ioannes qui eatenus particulariter interrogantibus ſingulariter reſpõderat propoſita quęſtione generali,generalem itẽ & plenam cũ authoritate adhibuit reſponſionem, dicens:

c Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viã domini, ſicut dixit Eſaias Propheta.

[c] Ego ille ſum de quo Eſaias Propheta multò antè prædixit in temporis plenitudine,antè quàm reuelaretur gloria Domini,filius altiſsimi patris audiendã eſſe vocem cuiuſdã pręconis,qui in deſerto clara voce omni populo ad ſe confluenti pœnitentiam prędicaret,docerétque homines venturo domino viã parare, id eſt, in aduentũ & occurſum eius qui poſt paululũ eſſet venturus, ſeipſos per pœnitentiam peccatorum dignè præparare.

d Et qui miſsi fuerant, erant ex Phariſæis.

e Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei:

f Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus?

[d] Nuntij autem iſti, qui miſsi fuerant ad Ioannem ex ſecta erant Phariſęorũ:quæ ſuæ iuſtitiæ nimium fidens, Ioannis prędicationem & conſilium ſpreuit.[e] Quem deinde contemptum ſatis iſti exprimunt,dum poſt clarã reſponſionem,inuidia neſciente quieſcere,odioſam iterum quæſtionem velut indignantes proponunt: [f] Quid ergo tu,inquiunt,ita nouo ritu populum hîc in deſerto baptizare præſumis, ſi neq; Meſsias es,neq; Elias, neque Propheta aliquis: quemadmodum ex tua iam confeſsione audiuimus? Profectò non mediocris videntur iſta præſumptionis, ſic populum in deſertum conuocare,illicque noua & inſolita præter conſuetudinem prędicare,ac deinde aqua baptizare,cuiuſmodi ante te nemo tẽtauit: maximè cùm citra authoritatem eorum ad quos eiuſmodi rerum ſpectat admiſſio,hæc omnia facias.

g Reſpõdit autem eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autẽ veſtrũ ſtetit, quem vos neſcitis.

[g] Ioannes cum multa modeſtia ſimplicem eis veritatem pro reſponſione aperuit,dicens:Ego quidem in aqua tantum baptizo,baptiſmo tali quod corpus abluat,ſed à peccatis emũdandi virtutem non habet,tantũ in ſignum & præparationem quãdam baptiſmi ſubſequuturi per alium.Eſt autem alius quidã me maior,q inter homines homo, in mediis hominum turbis cõuerſatur, quique inter vos & Deum medius aſsiſtit,mediator Dei & hominũ,ipſe Deus & homo,quem vos ignoratis,& mundus adhuc ignorat,poſt paululum tamen per me manifeſtandus,

Ipſe

[a] Ipſe eſt, qui iuxta Dei patris diſpoſitionem poſt me venturus eſt, & mundo oſtendendus: qui vt filius patri coæternus ab eo æterna generatione ſecũdum diuinam naturam procedens, iure mihi prælatus eſt, atq; prępoſitus, dignitate & gloria tanquam creator creaturæ, tanquã ſeruo dominus: [b] qui tam incomparabiliter eſt me dignior, vt meipſum nõ putẽ dignum, vel infimum quodlibet, & omnium quæ poſſunt cogitari viliſsimũ ei impendere obſequiũ ſiue miniſteriũ: quale eſt calceamentorũ corrigiã ſoluere, aut calceamenta portare, aut aliquid huiuſmodi. Atque hic adueniens cùm ſe mundo manifeſtauerit, baptiſmo longè nobiliori credentes baptizabit, ad quem meus iſte baptiſmus in aqua non eſt niſi præparatio quædã, & velut aſſuefactio præuia. Propter quod, indignari vos nõ debetis aduerſus me, meũmq; baptiſmum: ſed illũ qui venturus eſt & eius nobiliorẽ baptiſmũ, cum humilitate & patientia expectare. [c] Hæc autem quęſtio à nuntiis Iudæorũ cum Ioanne habita eſt in Bethania, nõ illa quidem quæ eſt iuxta Hieruſalem, vbi Martha morabatur & Maria, ſed vltra Iordanem, in loco illo vbi Ioannes tũ agebat, populum docens, atque baptizans. [d] Poſtera autem die, quum perſtaret Ioannes in officio, prædicationíque & baptizationi ſedulò inſtaret, venit dominus Ieſus, tanquam vnus aliquis ex vulgo, ad locum vbi agebat Ioannes, tum vt officium eius ſua præſentia comprobaret, tum vt humilitatis nobis exemplũ monſtraret, libenter etiã eos q[ui] videntur inferiores, modò bona prædicantes, audire. [e] Quem videns Ioannes & ſpiritu quis eſſet agnoſcens, digito eleuato eum cõmonſtrans, & clara voce proclamans, dixit ad turbas circũſtantes: [f] Ecce agnum Dei, ecce illũ qui venit auferre peccaca mundi. Videte hic in aſſumpta humana forma innocentẽ filiũ Dei: qui ſicut agnus mãſuetus, victima efficietur pro ſalute totius mũdi, ad ſatisfaciendũ diuinę iuſtitiæ, per ſanguinis ſui effuſionẽ, pro omnibus omniũ ſæculorum peccatis. [g] Iſte eſt de quo iam antè crebrò dixi vobis: Poſtquam ego ad aliquantũ tempus prædicauero, manifeſtabitur mũdo alius quidam vir ma-

a Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt:

b Cuius ego nõ ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.

c Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem vbi erat Ioãnes baptizans.

d Altera die vidit Ioãnes Ieſum venientem ad ſe,

e & ait,

f Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

g Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt.

magnus,ſimul homo & Deus: qui tãquam ab æterno à patre ſecundum æternam generationem procedēs iure mihi ante poſitus eſt & prælatus, tãquam dominus ſeruo,tanquam iudex præconi,tanquam ſaluator præcurſori.

a quia prior me erat.

[a] Nec mirum ſi in tempore mihi præferatur, quoniam ab æterno prior me erat, & dignior exiſtens ab æterno Deus,cùm nondum ego in rerum natura ſubſiſterem.

b Et ego neſciebam eum.

[b] Et ego quidem, quantū ad humanam cognitionem,illum quis eſſet non cognoſcebam,cuius perſona mihi in deſerto hic à pueritia agēti fuit incognita, & cum quo nullam vnquam duxi familiarem conuerſationē.

c ſed vt manifeſtetur in Iſraël: propterea veni ego in aqua baptizans.

[c] Attamen propter hoc ego à Deo patre,tanquam ſeruus illius & præcurſor, ſum præmiſſus ad prædicandum & baptizandum præparatorio hoc aquæ baptiſmo, vt ipſe per me fiat populo Iſraëlitico manifeſtus.Hæc eſt ſumma mei officij,illum tanto me præcellentiorem,verum mūdi ſaluatorem,prædicando & demonſtrando,populo facere manifeſtum,& ad credendum in eum populorum corda præparare.

d Et teſtimoniū perhibuit Ioannes, dicens:

[d] Amplius quoque & apertius de illo Ioā nes teſtificatus eſt,palàm omnibus,dicens: Teſtimonium quod ego de hoc agno Dei perhibeo, non humanum eſt,ſed diuinum,vtpote quod ego non ab homine, ſed à Deo per miraculi diuini indiciū acceperim.

e Quia vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eū.

[e] Vidi nanque ſpiritum ſanctum in ſpecie columbæ de cælo à patre deſcendentem, & ſuper eum requieſcentem:in teſtimonium veræ diuinitatis eius, quòd in eo inhabitaret non ad menſuram ſpiritus, & quòd in eo totius diuinitatis inhabitaret plenitudo corporaliter.

f Et ego neſciebam eum.

[f] Vnde & ego prius quidem eum non cognoſcebam,humana notitia aut conuerſatione familiari.

g Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit:

[g] Sed Deus pater,qui mihi in hoc prædicādi & in aqua baptizandi iniunxit officiū, is mihi per internam inſpirationē, & ſpiritus inſtructionem ſignū dedit,quo eum cognoſcerem, dicens:

h Super quem videris ſpiritū deſcendentē & manētem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto.

[h] Super quem in media turba videris ſpiritum ſanctum deſcendentem in ſpecie columbæ,& requieſcentem ſuper eum, ſcito hunc eſſe verum illum mundi ſaluatorem, & agnum Dei,cuius te præcurſorē eſſe volui,& in omni tuo officio non aliud quàm miniſtrū:ipſe eſt qui poſt te

re prædicabit mundo,& credẽtes baptizabit,non (vt tu facis)aquæ tãtum baptiſmo, in proteſtationẽ pœnitẽtiæ,& expectationem venturi ſaluatoris, ſed baptiſmo longè nobiliori,per quem in fide ſuſcipientibus conferetur à Deo ſpiritusſanctus,ad peccatorum omniũ remiſsionẽ, & gratiæ ſpiritualis infuſionem, ad plenam perfectámque in ſpiritu regenerationem. [a]Ego iuxta ſignum hoc mihi à Deo datum, vidi ſuper hunc hominem ſpiritum ſanctum deſcendentem in columbæ ſpecie,& ſuper eum requieſcentẽ:hincq; cognoui edoctis à Deo, non ab homine: & ſicut cognoui, ita teſtificor, abſq; vlla hæſitatione, quoniam hic eſt verè agnus Dei,& filius Dei,ſaluator mundi,in quẽ vos omnes vt credatis hortor,& vt ab eo ſalutem veram expectetis, per Deum qui mihi ad veſtrum omnium commonitionẽ hæc reuelauit, ſanctè obteſtor. [b]Factum quoque eſt poſt hæc, die altera, vt iterum ſtaret ad ſui officij ſtrẽnuam exequutionem paratus Ioannes, aſtaréntque ei duo ex diſcipulis ipſius, ad audiendum ex eius ore doctrinam ſalutis. [c]Videns itaque Ioannes Ieſum inter turbas,ita vt prius in humilitate ambulantem,atque ad ſe tanquam vnum aliquem ex vulgo venientem,iterum teſtimoninm ſimile quale prius de eo perhibuit, diſcipulis illis audictibus dicẽs: [d] Hic quem vobis eleuato digito commõſtro,eſt innocens & ſine omni peccato filius Dei, ad hoc miſſus à patre in mundum,vt tanquam agnus & victima offeratur pro expiatione omniũ ſcelerum mundi.Ipſe eſt verè Meſsias,& ſaluator mundi. [e] Audientes verò diſcipuli qui aſtabant à præceptore ſuo Ioanne, cuius commendationem non poterant non magnifacere,Chriſtũ tantis efferri præconiis, in magnam admirationem adducti de tanta præcellentia, cœperũt illum abeuntem proſequi,tanquam cupientes ſe illi inſinuare,& familiariatem aliquam cum eo inire. [f]Pius autem Ieſus, qui ſe affectu ſimplici quærẽtes nunquam abiicit,nec faſtidit,vultũ ad eos conuertẽs,& ſequentes eos conſiderans, vt eos ad ſecum colloquendum (quod vehementiſsime deſiderabant) inuitaret,benignè eos alloquutus eſt,dicens: [g] Quid

a Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.

b Altera die iterum ſtabat Ioãnes,& ex diſcipulis eius duo.

c Et reſpiciens Ieſum ambulantem,dicit:

d Ecce agnus Dei,

e Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem,& ſequuti ſunt eũ.

f Conuerſus autem Ieſus,& videns eos ſequentes ſe, dicit eis:

g Quid quæritis?

eſt,

eſt,ò boni pueri,quòd me proſequimini? an fortè eſt quod à me vobis præſtari velitis? [a] Illi gaudẽtes tantum virũ vltrò ſibi antequam interrogaretur loquutum eſſe,& hinc futuræ familiaritatis ampliorem ſumentes fiduciam,reſponderunt ei:[b] Rabbi,id eſt,magiſter(ea eſt enim nominis illius Hebraici ſignificatio & interpretatio)ſcire deſideramus,vbinam tua ſit habitatio,aut vbi moram trahas, hoſpitiúmque accipias,vt nobis liceat te familiariter(ſi tibi non erit moleſtum)inuiſere, atq; à te verba ſalutis audire. [c] Cui tam pio deſiderio fauẽs & annuens piiſsimus dominus,dixit ad illos:Venite mecũ,& ipſi oculis veſtris locũ videte manſionis meæ. [d] Statim illi gaudẽtes tam benignum ſe inueniſſe magiſtrum,Ieſum comitãtur, & ad locũ hoſpitij vbi manebat cum eo peruenerũt. [e] Adeóque illis cœpit in ipſo ſtatim initio dulceſcere Chriſti præſentia, vt eo die nõ poſſent aut vellent ab eo ſeparari:ſed apud eum eodem in hoſpitio ſunt demorati,beatos ſe æſtimantes,quòd tam breui tempore,cum tãto magiſtro,tam pulchra futuræ familiaritis conſequuti eſſent initia. [f] Iam verò ad veſperam dies declinabat: erat enim quaſi decima diei hora, quũ illi dominũ ſequerẽtur. In quo magnus eorũ erga Ieſum feruor declaratur, quod neq; noctis imminentis occaſione ab eo diuelli ſe patiebantur.[g] Alter autem duorũ horum diſcipulorum, qui (vt iam diximus)audito teſtimonio Ioãnis de Chriſti præcellentia,eum fuerant inſequuti, Andreas erat frater Simonis Petri:qui & poſtmodum vnus ex Apoſtolis duodecim deſignatus fuit. Hic non contentus ſua beatitudine,nec propriis tantum commodis intentus,ſtatim de fratre ſuo Petro (quo nihil habebat charius) fuit ſolicitus,vt eum quoque ad Chriſtum adduceret,facerétque huius gaudij & fructus participem. Quapropter illum ſolicitè perquirens(nam & ipſe tũ temporis illic aderat) prior inuenit, lætúmque ei nuntium cum exultatione referens,ait: [h] Neſcis frater animo meo chariſsime,quantum gaudij,& fructus quantum ſimus cõſequuti.Iam enim ex magiſtris Ioannis indicio inuenimus & cognouimus Meſsiam illũ, in lege & Pro

a Qui dixerunt ei:

b Rabbi(quod dicitur interpretatũ, magiſter) vbi habitas?

c Dicit eis, veni te, & videte.

d Venerunt & viderunt, vbi maneret:

e & apud eum manſerunt die illo.

f Hora autem erat quaſi decima.

g Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus q audierant à Ioanne, & ſequuti fuerant eum.

h Inuenit hic primũ fratrem ſuum Simonem, & dicit ei:

& Prophetis promiſſum,& patribus tãtopere deſiderarum.[a]Meſsias autẽ Hebræum vocabulũ, idem Hebręis quod Gręcis Chriſtus, Latinis vnctus ſignificat. [b]Statimque gaudens gaudentem adduxit ad Ieſum. [c]Quem pius magiſter oculo pietatis ſuæ, quo homines bonæ voluntatis intueri ſolet,aſpiciens,& futurũ in eo fidei ſanctę feruorem(cuius iam ſemina aliqua, imò initia,in eo videbat) diuinitatis ſuæ omniſcientia contemplans dixit ad eum: [d] Noui te ex nomine, & quis iam ſis,& quis olim futurus. Tu enim Simon es,filius Iona ſiue Iohanna: quæ nominatio tibi bene competit, quoniam obediens es ſalutem tibi monſtrãti(quæ eſt interpretatio nominis Simon) & filius es colũbę,propter ſimplicitatem animi,item & gratię Dei,propter electionem: quæ ſunt interpretationes nominum, Iona & Iohanna. [e]Poſterius autem ſuo tempore imponam ego tibi nomen alterum,vt voceris Cephas,id eſt,Petrus:à petra videlicet,ſiue firmitate fidei,quã tu confiteberis, vbi poſt aliquãtum temporis plenius inſtructus fueris: Sic Ieſus Petro, & ea quę ſibi humana via erãt incognita patefecit, & quæ futura hominibus omnibus occulta, per diuinitatis ſuæ omniſcientiam prædixit. [f]Poſtridie verò eius diei quo hæc geſta ſunt,parabat dominus reditum à Iudæa, ad quã aſcenderat vt Ioannis prædicationem audiret,& comprobaret,itémque vt teſtimonium ab eo iuxta patris voluntatem ſuſciperet, in Galilæam, vbi adhuc morabatur:[g]ſicque reditum parans, inuenit virum quendam, Philippum nomine, qui & ipſe poſtmodum Apoſtolorum collegio erat annumerandus:& vocãs eum dixit: Sequere me, & vnà cum iſtis te adiungas,vt mihi diſcipulus fieri incipias.[h]Philippus autẽ iſte originem trahebat ex Bethſaida ciuitate Galilæę:è qua etiã Andreas,& Petrus erant oriundi,& forſitan horum cura & inſtructione ille ad dominũ Ieſum venit,vt ab eo vocari mereretur.[i]Philippus autem iſte, poſtquàm dominum cognouiſſet, & quis ipſe eſſet plenius,tum ab ipſo,tum à conciuibus intellexiſſet,inueniẽs alium quendam ſibi probè notũ, nomine Nathanaëlem, qui & ipſe Galilæus erat,

natus

a Inuenimus Meßiam, quod eſt interpretatũ Christus.

b Et adduxit eum ad Ieſum.

c Intuitus autem eum Ieſus, dixit:

d Tu es Simon filius Iona:

e tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

f In craſtinum voluit exire in Galilæam,

g & inuenit Philippum. Et dicit ei Ieſus: Sequere me.

h Erat autem Philippus à Bethſaida, ciuitate Andreæ & Petri.

i Inuenit Philippus Nathanaël, & dicit ei:

natus in Cana Galilææ, ſolicitus fuit adducere eum ad Ieſum, dixitque ad eum:[a] De quo Moſes iuxta ſapientum enarrationem fertur ſcripſiſſe in lege, & de quo Prophetæ ſancti multa ſcripſerunt, hunc nos inuenimus, & quis ſit cognouimus, nimirũ Ieſum illũ, qui æſtimatur filius Ioſeph, Nazarenum.[b] Audiens hæc Nathanaël homo (quantum videtur) in lege eruditus ſecum admirãs, & quaſi contra obiiciens, dixit: An putas ex Nazareth Galilææ tantum boni poſſe Iſraëlitico populo ſurgere? Nonne magis ex Iudæa & Bethleẽ ciuitate Dauid, iuxta propheticam ſcripturam, expectari debet Meſsiæ aduentus?[c] Philippus verò nõdum ſufficienter in his rebus inſtitutus, poſtpoſita verborum diſputatione, hortatur ſimplici animo Nathanaëlem, vt ad Chriſtum ipſe accedat, atque ab eo audiat plenam veritatem, nihil dubitans, quin eius obiectionibus ille facilè ſatisfaceret. Nec mora: acquieſcẽs Nathanaël Philippi conſilio in ſimplicitate cordis eum ſequitur, vt ad dominũ pergat.[d] Quem videns dominus Ieſus ad ſe venientem, prius quàm cum eo miſcuiſſet ſermonem, de eo loquutus eſt, iis qui coràm aderant audientibus.[e] Ecce (inquit) verè Iſraëlita, in quo nulla eſt duplicitas animi, aut fictio ſimulationis, quæ in plæriſque huius conditionis hominibus (id eſt, eruditis in lege) ſolet inueniri: ſed eſt ſimplex iſte & rectus, bene in hoc patrem Iacob repreſentans, vt meritò ſemen Iſraël verum ſecundum imitationem virtutis, & non tantum ſecundum carnem poſsit nominari.[f] Nathanaël verò audiens Ieſum ſic de intimis ſuæ conſcientiæ apertè pronuntiantem, admirans ait ad eum: Vnde tu domine me noſti, vt iſta de me tam definitè pronunties? Non enim arbitror vnquam te antehac noſtro vel conuictu vſum vel colloquio.[g] Dominus Ieſus, oſtendens ſe non humana cognitione (quæ ex ſenſibus oritur) eum cognoſcere, ſed per diuinam omniſcientiam, dixit ad eum:[h] Non nunc primum vbi te video, incipio agnoſcere præſentem: ſed cùm abſens adhuc eſſes, & nullo ſenſu te valerem apprehendere, cùm eſſes adhuc ſub arbore ficu, antequàm te Philippus

a Quẽ ſcripſit Moſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph, à Nazareth.

b Et dixit ei Nathanaël: à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?

c dicit ei Philippus, Veni, & vide:

d Vidit Ieſus Nathanaël venientem ad ſe, & dicit de eo:

e Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.

f Dicit ei Nathanaël, Vnde me noſti?

g Reſpondit Ieſus, & dixit ei:

h Prius quàm te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te.

lippus huc adduceret, iam te cognoſcebam corpore abſentem,& loco diſtantem, non minus quàm nunc præſentem.[a] Ex quibus verbis aduertens Nathanaël, dominũ Ieſum abſentia atque præſentia, præterrita, atque futura, aperta, atque occulta, æquè cognoſcere, atque hinc omnia ſcientem Deum interna ſpiritus inſtructione cognoſcens, poſtpoſitis argumentis & obiectionibus, pulchram cõfeſsionem ingenuè protulit, dicens: [b] Magiſter bone, nunc credo, quòd verè ſis filius Dei, qui omnium habes ſcientiam, qui etiam corda ſcrutaris & renes, quódque verè ſis tu Meſsias ille nobis promiſſus & expectatus, vt ſuper Iſraël regnes imperpetuum. [c] Quoniam verò tam facilè ſuæ dubitationi cedẽtem,& veritati tam modica inſtructione prompte acquieſcentẽ, conſpexit illum dominus copioſa ſua benignitate maioris & manifeſtioris ſigni vltro ei adiecit certitudinem, dicens: [d] Tu quidem pro tua ſimplicitate, ex modico tantum verbo quod non multi ponderis animo duro videri poſsit, credis & cõfiteris me eſſe filium Dei, nimirum ex eo tantũ quod dixi, te mihi prius cognitum fuiſſe, quàm te Philippus vocaret, cũ adhuc ſub ficu eſſes propter hanc tuam tam promptam fidem, aliud teſtimonium veræ diuinitatis meæ, longè maius & clarius videre mereberis.[e] Atque ad hoc ſignum explicandum, adiecit dicens: [f] Cùm firma & indubitata veritatis aſſertione, non tibi ſoli, ſed & his nunc aſtãtibus polliceor futurum aliquãdo, vt cęlos mihi videatis patere, angelóſque ſuper me aſcendere & deſcendere, tanquam in miniſterium & obſequium ad me dominũ ſuum & regem à patre miſſos. Vobis & iis qui tunc mihi erũt à ſecretis, poſt mortem & reſurrectionem meam, quãdo tempus aduenerit mei abſceſſus à mundo,& reditus ad patrem: vobis, inquam, videntibus, tunc ego eleuabor, atque per nubes aſſumar in cælum, cum multo angelorum comitatu, quos mihi pater obuios mittet, vt me ipſorum dominum ſuum filium, cum victoria redeũtem in triumpho adducant, & decenti gloria: quod erit meæ diuinitatis ſignum efficacíſsimum,& euidentiſsimum teſtimonium,

a Reſpondit ei Nathanaël, & ait:

b Rabbi, tu es filius Dei: tu es rex Iſraël.

c Reſpondit Ieſus, & dixit ei:

d Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis, maius his videbis.

e Et dicit ei:

f Amen amen dico vobis, videbitis cælũ apertum, & angelos Dei aſcendẽtes & deſcendentes ſupra filium hominis.

ANNO

ANNOTATIONES IN CAP. PRIMVM Euangelij ſecundum Ioannem.

IN principio erat verbum.) Caue intelligas, in principio tẽporis quomodo in principio Geneſis dicitur, in principio temporis Deum creaſſe cælũ, & terrã. Hic enim ſenſus palàm impius eſt & hæreticus: quo nimirũ ſignificatur, verbũ patris ſimul cum tempore, exiſtendi ſumpſiſſe initiũ. Orthodoxi verò duobus modis, quoòd hîc dicitur, in principio, exponũt. Quidam per principium intelligunt patrem, ex quo æternaliter procedit, & in quo æternaliter permanet, verbũ. Sic poſteriori loco manifeſtè interpretatur diuus Cyrillus, & itẽ Auguſtinus. Verùm hæc intelligentia non vſqueadeo ad literã commoda videtur, eo quòd ſtatim ſubſequatur per replicationem: *Hoc erat in principio, apud* Deum: vbi nõ videtur principium pro patre accipi. Alioqui per vtranque particulã idem diceretur, & in eadẽ oratione idem videretur ſuperuacaneè repeti. Idẽ enim eſſet in principio, & apud patrẽ. Vnde conuenientius videtur, vt per illud, eſſe in principio, ſignificetur æternitas durationis, nimirũ vt idem valeat, in principio, quod à principio, vel ab initio: per quę in ſcriptura etiã alibi æternitas ſignificari ſolet. Vt cũ in Prouerbiis dicit ſapientia: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.* Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis totum ad æternitatem refertur, Idem eſt apud Eccleſiaſticum ab initio, cùm dicitur: *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* Nã id quod ſequitur, *ante ſæcula*, exponunt pręcedens, *ab initio.* Ioannes quoque Apoſt. in 1. ſua Canonica, in eadem ſignificatione verbo illo vtitur, dicẽs: *Quod fuit ab initio, &c.* Sic & apud Micheam de filio dicitur: *Egreſſus eius à principio à diebus æternitatis.* Nos proinde hanc intelligentiam in Elucidatione prælegimus, vt literæ magis conſentaneam, quam etiam veteribus inuenimus probatã. Nam & ipſe Cyrillus priori loco eam ſatis indicat, quum ait, principio nihil eſſe antiquius, neque poſſe principi principiũ cogitari. Et cũ deinde ſubiungit: Si enim erat in principio, quæ mens poterit vnquã vltra illud, erat conuolare? Aut quando illud erat mente ita tenebimus, vt cogitationes noſtras non antecedat? Chryſoſtomus verò hanc aperte ponit, & ſolã ponit intelligentiam: in principio eſſe, exponens, ſine principio eſſe, & æternũ, ac per hoc quod dicitur, eſſe in principio ſignificari dicẽs, æternitatẽ, ſicut per id quod dicitur: *Hoc erat in principio apud Deum,* coæternitatẽ cum patre. Omniũ autem aperiſsimè Theophylactus noſtrã ſententiam explicat, dicens: *In principio erat,* hoc eſt, à principio erat. Quod enim à principio eſt, eius omnino nullum tempus inuentum, quando non erat,

1. Ioã. 1.

Con

Confirmatq́ue hanc intelligentiam,per id quod ſuprà citauimus,ex ipſius Ioannis Canonica epiſtola.Intelligit ad eundem modũ Hilarius lib.2.de Trinitate:&.Auguſtin' lib.6.de Trinitate:In principio, id eſt,ante omnia,exponẽs.Concorditer & Baſilius magnus,æternitatem verbo iſto ſignari aſſerit. ¶*Et ſine ipſo factum eſt nihil.Quod factum eſt in ipſo vita erat*) Huius loci ,etiam apud veteres,Græcos atq; Latinos,varia inuenitur diſtinctio.Græci codices,qui nũc ſunt in manibus,textũ preſentem ita diſtinguunt:*Et ſine ipſo factũ eſt nihil quod factũ eſt.* Ac deinde: *In ipſo vita erat.* Iuxta quã diſtinctionẽ, Chriſoſtomus & Theophylactus apertiſsimè enarrant,volẽtes,propter ſpiritũ ſanctũ à creatione excludendũ,adiectũ eſſe illud,quod factum eſt,ne videlicet etiã ſpirituſſanctus credatur per ipſum verbũ eſſe factus.Diſtinctionẽ autem illam quæ in noſtris Latinis paſsim inuenitur exemplaribus,adeò duo iſti Græci interpretes perſequũtur,vt omnino eam reiiciant,quaſi hæreticorum figmentũ.Macedoniani enim hæretici ſpiritũ eſſe creaturã contendentes(quos ea ratione orthodoxi πνευματομάχους pneumatomachos,id eſt,contra ſpiritum pugnãtes appellabant)iuxta morem noſtrum diſtinguentes,per id quod factũ eſt,ſpiritum intelligebant.Verùm iſta hęreticorũ peruerſitas noſtrę diſtinctioni,prorſus nihil obeſt,ſi modo rectè & catholicè ſecundũ eam textus exponatur:id quod non ſolum Latini patres fecerunt,verum etiam aliquot ex Græcis.Auguſtinus enim apertiſsimè & legit & interpretatur locum præſentem ſecundum modum noſtræ diſtinctionis,prolixè & ſubtiliter declarãs,quomodo creatura ſit in verbo vita,licet nõ ſit vita in ſemetipſa. Quia(inquit)ſapiẽtia Dei,per quã facta ſunt omnia,ſecundum artem continet omnia,antequàm fabricet omnia hinc quæ fiunt per ipſam artem,nõ continuò vita ſunt:ſed quidquid factũ eſt,vita in illo eſt.Foris(inquit) corpora ſunt,in arte vita ſunt.Amplius verò & Cyrillus author Græcus,ipſis quoq; Chryſoſtomo & Theophylacto vetuſtior,iuxta conſuetudinem noſtrę diſtinctionis legit & interpretatur clariſsimè.Verũtamẽ ſenſum poſterioris illius partis,Quod factum eſt,in ipſo vita erat,longè aliũ aſsignat,quàm expreſſerit Auguſtinus,aut noſtra Elucidatio . Sic enim ille accepit hanc orationem,vt relatiuũ,ipſo,nõ referat, verbum,ſed immediate præcedens,Quod factum eſt:& pro ſuppoſito verbi erat, non ſumit totum illud,quod factum eſt,ſed nudum verbi vocabulũ, iuxta hanc cõſtructionem:Quod factum eſt,verbum erat in ipſo vita,id eſt,verbũ vita erat in ipſis quæ facta ſunt.Vbi,quod factum eſt, quaſi abſolutè poſitũ ſine rectore appoſito accipi debet,quomodo fit in oratione iſta:*Dominus,in cælo ſedes eius*.Eritq́ue iuxta hanc conſtru Pſal.10

C ctionem,

ctionem,ſenſus huius orationis,in omnibus creaturis ipſumverbum eſſe vitam eorum,id eſt verbũ intime omnibus creatis ineſſe,& vitã atq; eſſe omnibus influere:quod ipſum ſit vita per eſſentiã,creata au tem ſolum per participationẽ eius. Quem ſenſum ipſe apertiſsimè indicat:Non ſolum,inquiens,per ipſum facta ſunt vniuerſa,ſed quæ cunq; facta ſunt,vnigenitus filius Dei principium,& ſubſiſtẽtia om nium,tam viſibilium,quàm inuiſibiliũ,in ipſis vita erat. Quam etiã ſententiam prolixè proſequitur,& aduerſum hæreticos ex ea validũ ſumit argumentũ,quod Dei filius nõ creaturis debeat connumerari, ſed extra numerum creaturarum ſeponi,& vnà cũ Deo patre ſubſtã tia æſtimari.Quid ad hæc(ait ſubſequenter)hæreticorum inſania di cet,cùm ſpiritusſancti Euangelicam vocẽ audiat,quod in creatis om nibus verbum Dei quod in principio eſt,vita erat?& cætera quæ in hanc ſentẽtiã verbis & rationibus pluribus diſſerit.Sanctus autẽ Hilarius lib.11.de Trinit.aliam à prędictis ponit punctationem huiuſmodi: *Sine ipſo factũ eſt nihil quod factum eſt in ipſo:* vt deinde ſeparatim ſequatur: *vita erat.* Cuius diſtinctionis etiã Theophylactus meminit, nec eam refellit.Nos tamen breuitatis gratia,ab illa expendẽda aut latius explicanda ſuperſedemus. ¶*Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem,&c.*) Quęrat fortaſſe aliquis,quomodo omnes homines lux diuina illuminet,quũ multi excæcati & obſcurati rẽmaneãt. Tribus modis id diſſoluitur. Primum quidem, per illuminationẽ naturalẽ, quatenus omnem hominem Deus ad imaginem ſuam rationalẽ cõdidit.Secundo,intelligendo Deum,quantum in ſe eſt,omnem homi nem illuminare:pleroſq; autẽ ſuo vitio manere excæcatos:ſine lumi ne gratię,ꝗ indignos ſe reddãt.Priorem ſenſum vnicum ponit Cyrillus,dicens,verbum illuminare creatiuè omnem hominem,quatenus omnem hominẽ creat rationalẽ.Chriſoſtomus ſolũ habet poſte riorem.Theophylactus ſimul vtrunq;.Auguſtinus verò,ad duos prę dictos tertium adiicit,hunc illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum:ſubaudi,quæ illuminatur,ita vt nemo in hoc mun do poſsit illuminari,niſi per verbum.Nos in Elucidatione nihil horum omiſimus.¶*In propria venit,& ſui eum non receperunt.*) Poteſt hoc intelligi,vel generaliter de mundi inhabitatoribus:vel peculiariter de populo Iudaico.Vtrunq; ſenſum indicant Auguſtinus & Theophylactus. Cyrillus & Chriſoſtomus tantum poſteriorem.Vtraquę autem ſententia eſt commoda, & in vtraque quod ſequitur præcedenti addit exaggerationem.Iuxta priorem,ad hũc modum:Ab initio quidem creaturæ verbum patris ſecundum diuinitatem erat in mundo,& homines mundi incolæ ipſum nõ cognouerũt.In tẽporis autem

autem plenitudine,etiã in aſſumpta forma ſerui:nouo modo venit in mũdum,& ne ſic quidem à ſuis eſt agnitum,aut ſuſceptum. Iuxta alterum ſenſum,ſic fiet exaggeratio ex ſententia patris Cyrilli.Ferẽdum illud forſitan,& qualicunq; venia dignum,homines gẽtiles nõ cognouiſſe verbũ.Illud verò grauius & intolerabilius,quod ipſi quoque Iudæi,populus eius peculiaris,verbũ ipſum etiam in carne veniẽns, & ſe viſibiliter manifeſtans, contempſerunt.¶*Gloriam, quaſi vnigeniti à patre.*) Diligenter eſt notandum,quod admonent Chryſoſtomus & Theophylactus,verbum(quaſi)hoc in loco nõ eſſe ſimilitudinis,neq; parabolæ ſiue comparationis,ſed confirmationis & determinationis indubitatæ,certiſsimæq; diffinitionis,ad glorię maieſtatẽ & incomparabilẽ excellentiã ſignificandam. Veluti cùm videmus regis alicuius gloriã,quã particulatim exprimere non ſufficimus:dicimus,ꝙ incedat vt rex:id eſt,quod verè ſit rex,& verè regẽ ſe mouſtret in apparatu ſuo.Cęterũ,quod in fine dicitur,à patre,quidã ad gloriam referũt,in hũc ſenſum:Vidimus gloriã eius à patre,quaſi gloriam vnigeniti:vt indicetur,gloriã iſtam filij à patre proceſsiſſe, & patrẽ glorificaſſe filiũ.Cyrillus verò & Theophylactus,magis videntur ipſum adiunxiſſe immediate prçcedẽti vocabulo, vnigeniti, vt ſit ſenſus: Vidimus gloriã eius,vt gloriam vnigeniti filij à patre procedentis,cũ quo eſt vna ſubſtantia. ¶*Plenum gratia & veritatis.*) Plenum,nominatiuus eſt,iungendus cũ nomine verbũ,id quod manifeſtè patet ex textu Græco,vbi verbũ & plenũ ambo ponuntur in caſu nominatiuo & genere maſculino, λόγος πλήρης, ſermo plenus, tanquam ſi Latinè ſic diceremus: Sermo caro factus eſt,&c. Plenus gratiæ & veritatis.Ad hoc indicandum,nos in elucidatione repeꝛiuimus illud, *Verbum caro factum eſt.* ¶*Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt.*) Non ſecundum anteceſsionem temporis,Chriſtus ante Ioãnem factus eſt,cùm(vt ex Lucæ Euangelio cognoſcitur)ſex menſibus eo poſterior fuerit:ſed anteceſsio intelligitur & prælatio dignitatis,& præcellentia gloriæ,qua erat Chriſtus ſupra Ioannem inter homines glorificandus,iuxta id quod ipſe Ioannes ait: *Illum oportet creſcere,me autem minui.* Vnde quod dicitur, *ante me factus eſt,* tantundẽ valet ac ſi dicas:Præpoſitus eſt mihi,ſupra me exaltatus eſt,maior me factus eſt.Atq; hoc pacto vno ore veteres omnes interpretantur. ¶*Et de plenitudine eius,&c.*)Theophylactus etiam hæc verba Ioannis Baptiſtæ eſſe putat, vſque ad locum illum. Et hoc eſt teſtimonium Ioannis. Cyrillus verò & Chryſoſtomus hæc verba Euangeliſtę eſſe dicunt,confirmantis ea quæ à Ioanne dicta ſunt.Quæ ſententia magis veritati conſentanea videtur,propter illud quod ſequitur:*Vnigenitus*

Lucę.1

nitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Non enim Baptiſtæ quicquam adhuc enarrauerat Chriſtus, cùm de ſe teſtificaretur, ſed Apoſtolis ipſis poſterius enarrauit omnia. Iuxta illud quod in Canonica epiſtola idem ait: *Quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis, vitam*
1. Ioã. 1 *æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis.* ¶ *Et gratiam pro gratia.*) Auguſtinus piè interpretatur, gratiam, qua ex fide iuſtificamur, pro gratia remunerationis æternæ, qua à Deo gratis coronamur. Iuxta illud Apoſtoli, *Gratia Dei, vita æterna.* Verùm communior expoſi-
Ro. 6 tio gratia noui teſtamenti, pro gratia veteris teſtamenti datam intelligit, quam veteres magis approbant, Cyrillus, Chryſoſtomus & Theophylactus, & nos in elucidatione ſequuti ſumus. ¶ *Propheta es tu? Non ſum.*) Græci authores, Cyrillus, Chryſoſtomus, Theophylactus, vim faciunt in articulo Græco ad nomen Prophetæ appoſito, vt non de quolibet generaliter Propheta proponatur quæſtio, ſed de illo peculiari & inſigni quem in lege promiſit Moſes, dicens: *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus, &c. ipſum ſicut me audietis*: Atque ita Ioannē reſpondiſſe dicunt, vt non ſe Prophetam abſolutè negauerit, ſed illum Prophetam, & prophetarum omnium dominum, qui expectabatur. Auguſtinus verò generaliter intelligit, Ioannem non eſſe Prophetam, quoniam (iuxta domini teſtimoniū) eſſet pluſquā Propheta, eo quòd non more cæterorum venturū prænuntiandi tantum, ſed etiam præſentem demonſtrandi haberet officiū. Poteſt & tertia addi expoſitio, vt intelligatur Ioannes interrogari, num ipſe vnus ex antiquis Prophetis ſit: quēadmodū poſtmodū de Chriſto nonnulli ſunt opinati, vt patet ex aliis Euangelij locis. Nos in Elucidatiōe duplicē ſenſum, primum illum, & hunc poſtremum expreſsimus. ¶ *Medius autem veſtrûm ſtetit, &c.*) Duplicem attigimus expoſitionem, quarū vtriuſq; ſancti enarratores, meminerunt. Prior tamen, quę eſt de cōmuni cōuerſatione Chriſti inter homines, magis ad propoſitū facit, & apud doctores ſanctos eſt celebratior. ¶ *Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiā calceamenti eius.*) Secundum literam, hoc prouerbiali modo loquendi humilitatem ſuam tantum Baptiſta inſinuat, & quàm ſit Chriſto inferior demonſtrat: aſſerens, ſe indignum eſſe, qui vel infimum aliquod obſequiū Chriſto impendat. Nec aliter interpretātur Cyrillus, Auguſtinus, Chryſoſtomus. Gregorius verò, & alij nōnulli, myſticas alias ſuperaddunt enarrationes, quibus ſuperſedeo. ¶ *Hæc in Bethania facta ſunt*) Codices Græci qui nunc ſunt in manibus, pro Bethania, habent Bethabara, atque ita in emendatioribus exēplaribus haberi annotarunt Chryſoſtomus & Theophylactus. Vnde apparet etiam apud Græcos olim fuiſſe huius loci variam lectionem, & vulgatiora exempla-

exemplaria etiam tunc Bethaniam habuiſſe. Beatus Hieronimus in libro de locis Hebraicis non Bethaniam, ſed Bethaibã appellat locũ iſtum de quo hic fit mentio. Sic enim de eo poſt nomen Bethaniæ ſeparatim tractatum ſcribit: Bethaiba trans Iordanem, vbi Ioãnes in pœnitentiam baptizabat. Vnde & vſque hodie plurimi de fratribus, hoc eſt de numero credentiũ, ibi renaſci cupiẽtes, vitali gurgite baptizãtur. Illud certum videtur, etiam ſi Bethaniam legamus, nõ illam tamen intelligendam eſſe Bethaniam vbi Marię ac Marthę domicilium, & domini familiare hoſpitium: cùm hæc (vt Chryſoſtomus ait, & locorum inſpectio manifeſtat) non trans Iordanẽ fuerit, aut in deſerto, ſed prope Hieroſolimam longè a Iordane, vnde ſi Bethaniam legamus, alium accipere oportet eiuſdem nominis. Nã hoc frequens eſt, idem vocabulũ pluribus locis conuenire: quemadmodũ Hieronymus teſtatur, duplicem fuiſſe Bethleem, alterã in tribu Zabulon, alteram in tribu Iudæ, & duas item Canas idem aſsignat, de quibus in ſequẽtis capitis annotationibus dicemus. ¶*Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*) Græci codices vulgati habent numero ſingulari, peccatum mundi: id quod & Theophilactus annotauit, & rationem adiunxit, his verbis: Quare autem non dixit peccata, ſed peccatum? Fortaſſe quidem per hoc quod dicit peccatum, in genere dixit & de omnibus. Sicut enim ſolemus dicere, Defecit homo, hoc eſt omnis humanitas, à Deo, ita & hoc loco dicens peccatum, omnia peccata ſignificauit. Ex quo patet, ſiue peccatum legamus, ſiue peccata, ſententiam eſſe eandem. Ex Cyrillo & Chryſoſtomo, quid legerint nõ colligitur, ſed quod plurali numero intellexerint, manifeſtè cernitur. Auguſtinus nobiſcum, plurali numero legit. Pro eo autẽ quod paulo antè poſitũ eſt, altera die, Gręcè eſt, τῇ ἐπαύριον, ti epaurion: id eſt, craſtino die: pro quo interpres Latinus: ne fortè quis putaret diem proximè ſubſequentem debere intelligi, poſuit altera die. ¶*Et ego neſciebam eum.*) Beatus Auguſtinus plurimis verbis locum iſtum tractans, dicit, Ioãnem ſecundum aliquid cognouiſſe dominũ. ſecundum aliquid non cognouiſſe: cognouiſſe quidem de eo, quod eſſet dominus ac Meſsias: nõ cognouiſſe autem, quod baptizandi poteſtatem ſibi ſoli retineret, & nulli ſeruo ſuo eam daturus eſſet. Videtur autẽ ſimplicior aliquanto & facilior ſenſus in elucidatione, ſuprà expoſitus: quẽ veteres authores approbant, Cyrillus, Chryſoſtomus, & Theophylactus, cæteriq; etiam recentiores: vt dicat Ioãnes, ſe humana quidem cognitione quæ per conuictum ac familiarẽ cõſuetudinem acquiri ſolet nõ agnouiſſe Chriſti excellentiã, ſed per diuinã reuelationem. ¶*Rabbi, quod eſt interpretatum magiſter, vbi habitas.*)

Totum illud,quod eſt interpretatum magiſter,per parentheſim in-
teriicitur,nõ tanquã verbum duorum diſcipulorum,ſed velut ipſius
Euangeliſtæ,interpretari volentis nomẽ Rabbi, quo illi appellabãt
Ieſum.Sic paulò poſt,*Inuenimus Meſsiam,quod eſt interpretatũ Chriſtus.*
Et iterum,*Tu vocaberis Cephas,quod eſt interpretatum Petrus*. Sic & apud
Matthæum dicitur: *Et vocabitur nomen eius Emanuel, quod eſt interpre-*
Mat. 1. *tatum nobiſcum Deus*.¶ *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?*) Diuus Au-
guſtinus aſſertiuè id pronuntiandum cõtendit,dicẽs , Nathanaëlem
audito nomine Nazareth in ſpem erectum (eo quòd legis ſcrutator
egregius ex ipſa intellexiſſet,Chriſtum à Nazareth proditurum)ſe-
riò & cum aſſertione verbũ iſtud pronuntiaſſe.Cyrillus verò, Chry-
ſoſtomus,& Theophylactus,dubitatiuè intelligunt , quomodo etiã
nos in elucidatione ſumus interpretati,neq; verò hæc dubitatio aut
interrogatio laudẽ diminuit ipſius Nathanaëlis,quaſi ex infidelita-
te proceſſerit,ſed prudentiam magis commendat in eo quod contra
ſcripturarũ teſtimonia velit nihil temerè recipere,nec omni ſtatim
ſpiritui credere,ſed antè probare,num ex Deo & veritate ſint,iuxta
.Ioã.4 Euangeliſtæ huius in epiſtola monitionẽ. Chryſoſtomus verò etiã
manſuetudinem ipſius in hoc attendit,quòd Philippum rudiorẽ &
ineruditum,nuda aſſertione ea proponentẽ,quæ per ſe non admodũ
credibilia videbantur,ita facilè tamen & promptè ipſe vir in lege
eruditus(quemadmodũ de eo cõcordi ſentẽtia,ſacri doctores omnes
teſtantur)fuerit inſequutus, diſcendæ veritatis gratia. ¶ *Videbitis cæ-
lum apertum, & angelos aſcendentes & deſcendentes*) Hunc paſſum ob-
ſcurè ſatis videntur expoſuiſſe veteres.Auguſtinus moraliter ange-
los intelligit bonos prædicatores in Eccleſia,qui interdum aſcẽdũt,
ſublimia vel contemplãtes vel prędicantes : interdũ deſcendunt,hu-
milia loquentes vel agentes:Cyrillus angelicos quidem ſpiritus in-
telligit,aſcendere autem eos & deſcendere,ſuper,ſiue(vt ipſe ait)ad
filium hominis,in eo quod ex mandato ipſius,ad credentiũ ſalutem
ſubſeruiunt:nunc exeuntes,nunc redeuntes,in quo Chriſti maximè
gloria clareſcit.Chryſoſtomus angelos dicit,quaſi regios miniſtros,
ſuper Chriſtum vel ad Chriſtum dilectiſsimum regis filiũ aſcẽdiſſe
& deſcendiſſe:hoc quidem paſsionis tempore,illud autẽ reſurrectio
nis & aſcenſionis.Theophylactus particularius iſta exprimit,dicẽs,
ante paſsionem apparuiſſe angelum ad confortandum Chriſtum:in
reſurrectione quoq; & aſcenſione,viſos eſſe angelos.Rupertus Tui-
tienſis Abbas,qui in hũc librum non pœnitendos ſcripſit commenta
rios,cælum dicit apertum fuiſſe per Chriſti paſsionem,quãdo pate-
facta eſt fidelibus ianua cæli.Ex eo autem tempore factam eſſe con-

cor-

cordiam inter angelos & homines,talem, vt angeli deſcẽdant ad animas ſanctorum è corpore egredientes,& aſcendant vnà cum ipſis,vt eas deducant per ianuam cæli patentẽ ad æterna gaudia.Nos in elucidatione,his omnibus non præiudicantes,quod nobis viſum fuit literæ maximè conſonũ,apertè ſatis explanauimus.Ad gloriam enim aſcenſionis Chriſti ſenſum verbi huius accõmodauimus: quam gloriæ ſuæ magnificentiam Iudæis ferè ſimiliter proponit, dicens: Si ergo videritis filium hominis aſcendentem,illuc vbi erat prius?

ELVCIDATIO CAP. II.

ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ:

HORVM itaque diſcipulorum ſocietate comitatus dominus Ieſus, deſcendit à Iudæa in Galilæam. Contigit autem tertia die,poſtquàm à Iudæa profectus eſſet,nuptias in loco quodam Galilææ, cui nomen erat Cana,celebrari, [b] quibus nuptiis mater domini Maria(vel ob cõſanguinitatẽ cũ altero cõiugum,vel ob familiarẽ aliquà notitià)inuitata aderat honeſtam ciuilitatẽ,quà naturalis fouetur amicitia & charitas fraterna non minuitur,docens nõn temerè eſſe relinquendam. [c] Audito autem,quod à Iudæa cũ aliquot comitibus rediiſſet Ieſus, vocatus eſt & ipſe ad nuptias,ſimul & ij qui ipſum tũ comitaban tur diſcipuli, ob gratiam ipſius eodem ſunt vocati. [d] Poſtquàm verò diſcumbentibus conuiuis vinum omne iam exhauſtũ eſſet, quod ſufficiens futurũ exiſtimabatur vocatis ad nuptias,pia mater Ieſu, pauperũ ſubuenire penuriæ,& pudori conſulere cupiẽs, materna fiducia filio ſuo ſuggeſsit, ꝙ vinum omne iam exhauſtũ eſſet,nihilq; ſupereſſet quod cõuiuis poſſet honeſtè proponi. [e] Scilicet pia mater filium ſuũ credens omniũ habere poteſtatem, ſic ei defectũ paucis verbis indicauit,tacitè ab eo poſtulans,vt ſua virtute suppleret quod illorũ inopiæ deerat. Idq; ab eo maiori fiducia iam poſtulabat (tametſi aliàs ad ſigna ꝙdẽda inuitare eũ inſolita) quod ex ſignis iã præuiis cõiiceret tẽpus adeſſe,quo mũdo deberet ſeipſum manifeſtare,poſtquàm teſtimonio Ioãnis, & patris,& ſpiritus ſancti mũdo eſſet manifeſtatus,& inſuper diſcipulorũ honeſta ſocietate ex Iudæa adueniſſet comitat⁹.

b & erat mater Ieſu ibi.

c Vocatus eſt autem & Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias.

d Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eũ:

e Vinum non habent.

Propter hoc,ſcilicet nūc illa à filio miraculum poſtulat,quod eatenus nō tentauerat. [a] At verò dominus Ieſus,vt oſtēderet in miraculorum operatione patris gloriæ ſe debere ſeruire,non humanæ volūtati,neq; vel materno affectui,durè ſatis, quantum ad verborū faciem videtur,matrē alloquitur, dicens: [b] Quid tu mihi,ò mulier,pro tuo affectu ſuggeris miracula facere?Hac ſanè in parte qua ſum editurus miracula,nō tibi ſubdor vt matri:ſecundum hanc partē nihil mihi tecum eſt negotij, neq; in huiuſmodi tuo ſum ſubiectus imperio,ſed in his patris tantum ſeruio gloriæ. [c] Nōdum aduenit tempus illud,quo palàm ego(vt tu exiſtimas)manifeſtari debeā mūdo.Adhuc enim Ioānes ad tempus aliquantū prædicare debet,donec curſum ſui miniſterij peragat: atq; ille vbi minui cœperit vel prorſus deſierit, tū demū ego in gloria ſignorū palàm mūdo exhibebor. [d] Mater benignißima filij verbis,licet in ſpeciē durioribus, nihil offenſa,bene confidens de inæſtimabili ipſius pietate(maximè quòd non putaret in hoc patris gloriam poſtponi, ſi vnum aliquod miraculum neceſsitate quadam velut cōpellente,in humili ſatis loco filius patraret:) acceſſit tacita ad eos qui in nuptiis miniſtrabāt. [e] Suggeſſitq́; eis in aurem,vt quicquid ipſis à filio ſuo diceretur, id promptè expeditéq; perficerent: ne fortè ipſi ſua tarditate aut inobedientia miraclum impedirēt: [f] Erant autem in loco illo nuptiarū poſitæ vrnæ aliquot aquales,ſex numero,ex lapidis materia, nec ad alium quàm ad aquam ſeruandam illic poſitæ, iuxta vulgatū morem Iudæorū,quibus propter crebram purificationē & ablutionem corporis,ſemper aquarū copiā in promptu habere conſuetū erat,cæq́; magnę ſatis erāt capacitatis, nimirū ſingulæ capiētes aut ternas aut vt minimū binas metretas,id eſt,mēſuras certas,quarū genti illi cōmūnis vſus erat,quos etiam cados alio nomine appellāt. [g] Motus itaq; pietate,tum erga matrem,tum erga pauperes coniuges,dominus Ieſus ad miraculum ſe parans, miniſtris iuſsit, vrnas illas aquales(quarum aliquæ multo vſu aquarum,vel prorſus,vel magna ex parte erant exhauſtæ) ad ſummum

a Et dicit ei Ieſus:

b Quid mihi & tibi eſt,mulier?

c Nondum venit hora mea.

d Dicit mater eius miniſtris:

e Quodcunque dixerit vobis facite.

f Erant ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecūdum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas.

g Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aqua.

mum

mum vſque aqua implere, ne vlla ratione poſſet miraculo detrahi, ſicq; Dei gloria, per calumniam ſupprimi. [a] Qui ſtatim iuſſa complentes hydrias aquis impleuerunt vſque ad os: ita vt manifeſtè cerni poſſet, nihil niſi aquam in hydriis illis contineri. [b] Satimque dominus inuiſibili & ineffabili diuinitatis ſuæ virtute (cui omnis ſubeſt creatura) aquam illam in vinum optimũ & præſtantiſsimũ cõuertit, dixitq; miniſtris: Nunc promite ex hydriis iſtis liquorem, & ad eũ qui triclinio præeſt, omniúmque in nuptiali conuiuio agendorum curam gerit adferte, vt ſobrius ipſe, & pro oneris ſibi incumbẽtis neceſsitate, minime potu obrutus, vini huius qualitatem diſcernat. [c] Et ita iuxta domini verbum fecerunt, promentes ex hydriis, atque ad illum adferentes. [d] Vbi verò ille guſtaſſet aquam conuerſam in vinũ, ſiue vinum ex aqua factũ, & præſtãtiſsimum ipſum eſſe poſt guſtum diiudicaſſet, ignorans quid actum eſſet, aut vnde vinum iſtud eſſet allatum (tametſi miniſtri rem omnẽ cognitam haberẽt, qui ipſi ex parte aliqua miraculi cooperatores & teſtes fuerant, aquam hauriẽtes ex qua factum fuit vinum) admiratus architriclinus vini huius præſtantiam, ſponſum ad ſe vocari iubet, & quaſi cum indignatione quadam expoſtulando eũ alloquitur, dicens: [e] Solent paſsim qui conuiuia parant hunc in potu promendo obſeruare ordinem, vt vinũ præſtantius prius apponant cõuiuis, ac deinde, cùm iam impleti fuerint, & largius bibere cœperint, ſicvt ad ebrietatẽ tendant, tũc poſteriori loco quod eſt minoris virtutis ac pretij vinũ apponunt. Videlicet quoniam in conuiuij initio, palato adhuc recenti, & ſtomacho nondum impleto, optimè diſcernunt conuiuæ ac ſi quid præſtantis vini tum illis apponatur, & nutrimentum bonum & oblectationem multam inde accipiũt, aguntur quoque hoſpiti debitæ gratiæ à conuiuis, quod eos lautè exceperit, magnificéque tractauerit. Poſtquàm verò inebriari cœperint, ablata guſtus diſcreſsione, parum refert quid propoanatur. [f] Tu verò ordine hoc inuerſo, vinum præſtantiſsimum & priori hactenus deprompto vix comparandum, in finem

a Et impleuerunt eas vſque ad ſummum.

b Et dicit eis Ieſus: Haurite nũc & ferte architriclino.

c Et tulerunt.

d Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam, vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei:

e Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt.

f Tu autẽ ſeruaſti bonũ vinũ vſque adhuc.

a Hoc fecit initium ſignorum Ieſus, in Cana Galilææ.
b Et manifeſtauit gloriã ſuã.
c Et crediderũt in eum diſcipuli eius.

conuiuij ſeruaſti, quod omni iure debuiſſet apponi in ipſo ſtatim initio. [a] Hoc autem ſignum tam magnificũ, quod ſignorum omnium Chriſti, quæ ipſe in mundo poſt baptiſmum, ad manifeſtationẽ ſuæ diuinitatis ędidit, initiũ & primũ fuit, exhibuit in loco illo Galilææ, qui Cana dicitur: [b] in quo ſigno patenter ipſe demonſtrauit gloriam diuinæ virtutis ſuæ, per quam tantum fuerat miraculum operatus. [c] Diſcipuli quoque illi qui nullo adhuc ſigno ab eo conſpecto, tantum ex Ioannis teſtimonio & verbis quæ audierant, in eum credere cœperãt, eiq; adhærere, comitati eum à Iudæa in Galilæam, viſo nunc tam patenti miraculo, quale nũquam in Ioanne viderãt, mirũ inmodum in fide & deuotione erga ipſum ſunt confirmati.

d Poſt hæc deſcendit Capharnaũ ipſe & mater eius & fratres eius, & diſcipuli eius, & ibi manſerunt non multis diebus. Et propè erat paſcha Iudæorum.
e Et aſcendit Ieſus Hieroſolymam.
f Et inuenit in tẽplo vendentes oues & boues et columbas,
g & nummularios ſedentes.
h Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis,

[d] Poſt hæc ad inferiores partes Galilææ trãſiit, ad Capharnaũ ciuitatem maritimam: nec ſolus ipſe, ſed cum eo mater & cognati ſiue conſobrini, & diſcipuli alij qui eum fuerãt à Iudæa proſequuti: ibiq; ad tempus modicũ ſunt demorati. Inſtabat autem poſt paululum illa Iudęis celeberrima ſolẽnitas paſchalis, quam in memoriã olim ſibi præſtiti beneficij liberationis ex Aegypto, diligẽtiſsima obſeruatione colebant. [e] Et aſcendit dominus Ieſus cum ſuis, inſtante ſolennitate, Hieroſolymam, iuxta cõſuetudinem Iudæorum: qui omnes illuc ad faciendum paſcha, debebant ex legis præcepto conuenire. [f] Veniensque in Hieroſolymam, & templum Dei ex more primum inuiſens, cõſpexit in ipſo templi ingreſſu animalium immolatiorum, ouium ſcilicet & boum & columbarum, & aliorum huiuſmodi, quæ ad offerendum domino ex legis præſcripto erant accommoda, venditores, qui illic à ſacerdotibus propter auaritiam erant conſtituti, [g] item & colybiſtas, ſiue nummularios illic inuenit reſidentes, qui pro certo lucro nummos maiores commutabant minoribus: vel etiam pecunias mutuabant non habentibus: vt nemo excuſationem videretur habere rationabilem, quãtumuis pauper, nihil offerendi in templo. [h] Quem tantum in ſacro loco rerum ſæcularium tumultum conſpiciens, ægrè admodum ferẽs, quòd ſic patris ſui domus dehone-

honeſtaretur, paternæ gloriæ zelo vehemẽter accenſus, ad vlciſcendum tantam loco ſancto illatam ignominiam, arripuit funes, qui ibi ad manũ occurrebant, quibus fortè animalia alligabantur: eóſque in modũ flagelli connectens & complicans, [a] ſeueris ictibus totam illam turbam tumultuãtem quantotius è templo fugere coëgit, neque homines tantum, ſed & beſtias ipſas, oues & boues inde abegit, & colũbas eiecit: inſuper & nummulariorum æs, quod in menſis ad permutandum aut mutuandum promptum iacebat, ipſe effudit, diſperſitq; per pauimentum templi: menſas denique ipſas in feruore ſpiritus confregit, atque ſubuertit. Iſta videlicet aduerſus tam multos vnus homo agebat, fulgore quodã mirabili de eius vultu prodeunte, quo nimiũ conterriti venditores, illi non auſi ſunt contradicere vel reſiſtere percutienti, non tam verberibꝰ territi, quàm ipſa vultus maieſtate perculſi. [b] Cauſam verò huius facti ſui aſsignans, dixit ad eos qui colũbas illic aliaq; vendebant: [c] Auferte procul hinc à loco ſacro prophana iſta negotia, neq; iterum huc ea inferatis. Et nolite domum patris mei cæleſtis veſtro abuſu facere domum negotiationis atq; mercationis: quod certè facitis, dum hic ementes atque vendẽtes, templum ipſum quaſi in boarium forũ conuertitis, & quaſi nundinas celebratis in domo orationis. [d] Quod videntes diſcipuli, factum quidem alta mente repoſuerũt: ac poſt reſurrectionẽ Domini, quando apertus eſt eis ſenſus ad intelligendum ſcripturas, tunc eis in mentem venit, quòd factum iſtud bene cum illo concordaret ſcripturæ loco, in quo Dauid ſub perſona hominis Chriſti ita loquitur ad patrem: [e] Zelus & feruens æmulatio pro honore & ſanctificatione domus tuæ, totũ me abſorbuit atque vorauit, totúmque poſſedit animum meum, ita vt contemptum illius nõ paterer inultum. Cuius verbi licet intellectus præcipuus ad domum Dei ſpirituale͂(quæ eſt fidelium congregatio) ſpectet, nihilominus & de materiali tẽplo Dei minus principaliter ipſum venit intelligendum. [f] Iudæi verò ſic violenter & ignominiosè, tanquam fures & latrones è tẽplo eiecti, indignantes

a omnes eiecit de templo: oues quoq; & boues, & nũmulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit.

b Et his qui columbas vendebant dixit:

c Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

d Recordati ſunt verò diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt:

e Zelus domus tuæ comedit me.

f Reſponderũt ergo Iudæi & dixerunt ei:

a Quod ſignum oſtendis nobis, qui hæc facis?

b Reſpondit Ieſus & dixit eis:

c Soluite templum hoc,

d & in tribus diebus excitabo illud.

e Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta et ſex annis ædificatũ eſt templũ hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?

f Ille autem dicebat de templo corporis ſui.

g Cũ ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat: & crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quẽ dixit Ieſus,

gnãtes aduerſus tãtum vnius infirmi hominis auſum murmurantes dixerunt ad eũ: [a] Quæ eſt iſta tua confidentia tanta, vt quæ principes conſtituerunt tu tam imperioſè audeas reprobare, atq; etiã vi infringere? Quod ſi ex authoritate Dei id tibi licere præſumis, quo ſigno tu nobis cõprobas, quòd à Deo miſſus ſis, quódque ex Dei authoritate tibi iſta facere liceat? [b] Dominus Ieſus ſignum poſtulantibus, ſignum omnium ſignorum maximum miraculum, videlicet ſuæ reſurrectionis poſt exhibẽdum dedit, ſed ſub velamine parabolico ſermone: quoniam indigni erãt malitioſè interrogãtes, tanta ſibi ſacramẽta nudè proponi. [c] Loquutus eſt itaque ad eos dominus de corpore ſuo, ſub ſimilitudine templi, dicens: Vos quidem templum iſtud corporis mei, in quo plenitudo inhabitat totius diuinitatis, diſſoluetis, animã meam paſsionibus & tormentis, me permittente, à carne ſeparaturi. [d] Ego autem per potentiã diuinitatis meæ, eandem qua vos modo è tẽplo eieci, poſtquã tres dies mortuus fuero, in die tertia ipſum à morte reſuſcitabo: rurſúmque animam & carnem in compaginationem & vnionem priorem reducam. [e] Cuius verbi intellectũ non capientes cæci Iudæi, ſic contra obiiciunt: Templum iſtud in quo nunc ſtamus & loquimur, poſt reditum ex Babylonica captiuitate intra annos multos, nempe quadraginta ſex, magno cum labore à filiis captiuitatis vix abſolui potuit: & tu intra tam breuiſſimum tridui ſpatium ſtultè & nimium impudenter præſumis illud te poſſe ædificare, ſi dirutum fuerit? [f] Verùm iſti malè intelligentes Chriſti verbum, vanè eũ calumniabantur. Verbum enim illud intelligi voluit de ſanctiſsimo illo ſui corporis templo, quod toti diuinitati, per inhabitationem ſancti ſpiritus non ad menſuram peculiariter dedicatum erat & ſanctificatum, à conceptionis ſuæ initio. [g] Diſcipuli autem & hoc verbũ, tanquam bene memorabile, extũc in corde geſtãtes abſconditũ, poſt Chriſti reſurrectionem, dato eis intellectu myſteriorum clariori, reuocantes ad memoriã quæ antè à Chriſto audierant aut videbãt, recordati ſunt etiam huius verbi: videntéſq; ipſa

rei

rei impletione omnia ſic eueniſſe, vt Chriſtus prędixerat, firmati ſunt in fide credẽtes ſcripturis, de eius reſurrectione & vera diuinitate loquentibus, itẽ & doctrinæ ſcripturis cõformi, quam ex ore ipſius audierant. [a] Cùm autem dominus Ieſus ad tempus ageret Hieroſolymis in ſolẽnitate paſchali multi Iudæorũ qui ex omnibus locis circumiacentibus illud ratione ſolennitatis legis præcepto conuenerant, videntes ſigna multa & magna quæ faciebat, in ſanandis ſolo verbo infirmis, aliiſque huiuſmodi, attendere cœperũt & bene affici doctrinæ eius, & in eum tanquam Prophetã magnum à Deo miſſum fide quadam initiatiua & imperfecta credere. Perpauci enim adhuc perfecta in eum fide credebant. [b] Verũtamen ob imperfectionem & inſtabilitatem fidei, nõ ſemetipſum eis credebat, non eis apertè & nudè myſteria omnia reuelabat, tãquam ſenſu adhuc paruulis, & tantarum rerum necdum capacibus. [c] Videlicet quoniam ipſe ſingulos ſigillatim, qui eſſent & quãtæ fidei aut capacitatis, noſcebat, neq; opus ei erat, vt quiſquam ei verbo indicaret de ſingulis, cuiuſmodi aut quanti eſſent. Siquidem per omniſcientiam ſuam diuinam, quam nihil poteſt latere, omnia nouit, etiam abſcondita cordium; & noſtra omnia, quæ vel in intimis cordis latent, nobſipſis multò exactius habet perſpecta.

a Cùm autem eſſet Hieroſolymis in paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius quæ faciebat:

b Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, *c eo quòd ipſe noſſet omnes & quia opus ei non erat vt quis teſtimonium perhiberet de homine. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.*

ANNOTATIONES IN CAP. II

I*N Cana Galilææ.*) Hieronymus in libro de locis Hebraicis, duplicẽ Canã diſtinguit, alteram in tribu Ephraim, alterã in tribu Aſer, de qua eſt in prę́ſenti loco ſermo. Et dicitur Cana maior, cõparatione ad alteram minorem. Dicitúrq; ſignanter Cana Galilææ, ad differentiam alterius. Et vſq; ad ſua tẽpora idem Hieronymus oppidum illud ſitum eſſe teſtatur in Galilæa gentium. ¶ *Et erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus.*) Ex eo quod pręmittitur vocatio matris, ac deinde vocatio filij, nõ ineptè colligũt Chryſoſtomus & Theophylactus, non vt magnũ aliquem Prophetam propter miraculorum claritatem ad nuptias illas vocatũ fuiſſe Ieſum, ſed vt popularem & notum. Sic enim filium vocauerunt, quomodo matrem. ¶ *Deficiente autem vino, dicit mater Ieſu ad eum.*) Quæri non immeritò hoc in loco poteſt, quid matrem induxerit vt filium modo ad miraculum ſolicitaret,

ret,quod hactenus feciſſe nō legitur, neq; ipſe Chriſtus aliàs miracula patraſſe inuenitur. Huius autem quæſtionis ſolutionem ex ſentētia Chriſoſtomi & Theophylacti in Elucidatione perſtrinximus. ¶*Quid mihi & tibi eſt mulier?*) Poteſt hoc verbum dupliciter intelligi. Prius quidem ad hunc ſenſum. Quid mihi tecū eſt negotij? quo modo loquendi dicere ſolemus: Quid Deo & ſatanę? Quid luci & tenebris? vel aliter, Quid luci cum tenebris? Et in hunc ſenſum manifeſtè enarrat Auguſtinus, dicēs, hanc increpationem eo pertinere, vt indicaret dominus ſecundum eam partem cuius erat miracula facere, id eſt, ſecundū diuinitatē, matrem ſe non agnoſcere, & cum ea commune nihil habere, neque in vllo ſubiectū eſſe. Neque nos in Elucidatione aliū ſenſum aſsignauimus. Poteſt verò aliter accipi verbum pręſens, in hunc ſenſum: Quid mea & quid tua, mulier? hoc eſt: Quid mea refert, aut tua quid refert, ſi vinum non habeant, nobis non incūbit, in his nuptiis de vino prouidere, aut eorum quæ ædenda ſunt, vel bibēda curam gerere: ipſi viderent, qui huic præfecti ſunt negotio. Et hic quidem ſenſus, Græcæ loquutioni non eſt inconueniens. Sic enim interdum vtūtur datiuis huiuſmodi, mihi, tibi, pro ablatiuis mea, tua. Vt in epiſtola priore ad Corinthios, *quid enim mihi de*
1. Co.5 *his qui foris ſunt iudicare?* Vbi intelligitur, attinet vel incumbit, vel aliquid huiuſmodi. Quid mihi attinet, vel pertinet, vel incumbit de his qui foris ſunt iudicare? quod iuxta communionem loquēdi modum Latini dicerēt: Quid mea intereſt, aut refert, de his qui foris ſunt iudicare? Atq; hunc ſenſum innuere videtur Theophylactus, cùm ait: Increpat Ieſus nō abſurdè matrem. Dicit enim: Si non adeſt vinum, oportet illos ipſos quibus deeſt accedere & rogare, & nō te matrem. Neq; multum ab his diſtat, quod Cyrillus hunc in locum ſcribit. Secūdum hunc autem ſenſum, non habet locum illa conſideratio diuinitatis, per quam Auguſtinus verbum iſtud exponit, neque item noſtra Elucidatio quę illum ſequitur. Referenda autem erit hæc increpatio ſecūdum ſpeciem durior ad indicandum, quòd non facile aut leuiter ad miracula Chriſtus vellet procedere (queādmodum ſolent glorioſuli ad magna peragēda, ſi quę poſſunt eſſe prōptuli) ſed maturitate opus eſſet, & euidenti ac certa neceſsitate. Id enim eſt quod Cyrillus ait: Non à ſe, neq; non rogatus, ad actionem miraculorum ſolet dominus procedere. Neceſsitati enim atq; vſui hominum gratiam præbere ſolet: quanuis gratiora etiam ſunt quæ petuntur, ſi aliquantulum differuntur. Chryſoſtomus & Theophylactus dominum iſta duriore oratione hoc voluiſſe matri perſuadere dicunt, quod nō expediret ad gloriam Dei, tātum ex matris ſolicitatione ipſum miracula

racula facere, ab indigẽtibus, ait Chryſoſtomus, non à mãtre id erat quærendũ: quoniam quæ familiarium precibus impetrantur, quanuis magna, rarò tamen eorum prædicationibus augentur. Indigentiũ verò laudes cùm quid impetrarint, omni vacãt ſuſpicione, nihil ab his ſimulatur, & multa vtilitas prouenit. Cõſimilémque omnino ſentẽtiam & Theophylactus habet. Cæterum, id quod priori loco Chryſoſtomus ait, Mariã ex quodã affectu humano, quaſi gloriam apud homines quærentem ex filij miraculis, de vino querelam propoſuiſſe, atque ob hoc durius ei loquutum eſſe dominum, nequaquam tutum fuerit hac noſtra tempeſtate approbare: quando ex Eccleſiæ totius vnanimi conſenſu conſtat, & ſic ab omnibus piis creditur, virginẽ Mariam ab omni actuali peccato, etiam leuiſsimo, fuiſſe ſemper immunẽ. Adde, quod nec ab originali peccato libera pertinaciter negari ſine impietate poteſt. Neque profectò hac in re vel tanti eſt facienda à nobis illius authoritas, poſteaquam totius Eccleſiæ vnanimis ſententia contrariũ clamat. Neque tamen ob hoc Chryſoſtomum ipſum damnamus, qui ea ſuis dixit temporibus, quando matris Dei dignitas nondum plenè Eccleſiæ innotuit: quæ ſi nũc dicantur impietatis notam non effugient, poſtquam vniuerſo fidelium cœtui per latiſsima orbis terrarum ſpatia, ſpiritus ſancti haud dubie operatione, certius perſuaſa eſt diuerſa ſententia, & Deiparæ matris ſanctitas plenius reuelata innotuit. Iſta quidem hoc in loco admonere viſum nobis fuit operæpretium, vt ſimpliciores quíque lectores noſtra hac admonitione præmoniti, ſi forte in locum aliquem huiuſmodi apud Chryſoſtomũ aut Theophylactum inciderint. (Nam & alibi nonnulla prædictis ſimilia authores iſti dixiſſe comperiuntur) non illorum authoritate commoueantur, vt vel tantillũ mutent de pia erga Chriſti matrẽ affectione, quam à cunabulis, iuxta antiquæ fidei traditionem & obſeruationem à piis parẽtibus imbiberunt: ſed nec illi culpa ante Deum vacare ſe arbitrentur, qui noſtra hac tẽpeſtate iſta quæ ſepeliri & celari magis decebat, ex huiuſmodi authoribus collecta, ſimplicioribus lectoribus non ſine exaggeratione ponunt ob oculos, atq; etiam (quod maioris eſt periculi) & pueris decantant, & indoctis mulierculis in ſinum obtrudũt. ¶*Nondum venit hora mea.*) Variè id exponitur. Auguſtinus intelligit, nondum veniſſe horam paſsionis & mortis, quando in infirmitate carnis moriẽs erat matrem agniturus, commendando eam diſcipulo qui dum viueret, ſecundum diuinitatem qua æduntur miracula, matrem noluit agnoſcere. Chryſoſtomus & Theophylactus, per horam iſtam intelligunt, tempus opportunum faciendi miracula,

Videlicet

Videlicet quia nondũ erat cognitus præſentibus, quia nondum illi ſciebant deeſſe vinum, neq; adhuc quiſquam rogauerat pro vino niſi mater ſola, iccirco aiunt dixiſſe dominum, *Nondum venit hora mea.* Quaſi diceret: Tantiſper differendũ eſt miraculum, donec ipſi qui indigent defectũ intelligãt, quo miraculum vniuerſis appareaț, & Dei gloria clareat. Nos in elucidatione aliã inſuper rationem indicauimus, ob quã diceret dominus nondum veniſſe horam ſiue tẽpus opportunum faciendi miracula. ¶*Capientes ſingulæ metretas binas aut ternas.*) Metreta Græcis dicitur à verbo μετρῶ metro, quod ſignificat menſurare. Eſt enim certũ genus menſuræ, de cuius capacitate varij variè loquuntur. Quidã idem eſſe dicunt quod cadũ, alij idem quod ſextariũ. Quidam metretam vnam dicunt capere decem congia. Alij ſextariũ totum, quod idem metretam appellant, tantum ſextam eſſe partem congij aſſerunt. ¶*Ferte Architriclino.*) Triclinium locus eſt in quo diſcũbitur, dictum à tribus lectis. τρεῖς treis enim Græci tres dicũt, & κλίνην clinen lectum. Tres enim menſas in conuiuio apponere veteres ſolebant, & accũbendo cœnare. Hinc Architriclinus dicitur, qui triclinio præeſt: ſicut archimagyrus dicitur, qui coquinæ præ eſt. Nam ἀρχέω archeo, ſignificat impero vel prę ſum. Triclinarij autẽ dicuntur miniſtrãtes in triclinio, & ſubſunt Architriclino quẽadmodũ culinarij, vel coquinarij qui in culina ſub archimagiro miniſtrant. Quare autem ad hunc Architriclinum deferri vinũ iuſſerit dominus, & quod officium eius fuerit, pulchrè explicat Chryſoſtomus, his verbis: Nõ conuiuas, inquit, de miraculo tuliſſe ſententiam, ſed Architriclinũ, qui ſobrius nihil adhuc guſtauerat. Etenim nemo ignorat, huiuſmodi in conuiuiis officia maxime ſobriis & tẽperantibus demandari: quorũ ſolum officium eſt, vt debito ordine & apparatu omnia diſpenſentur. Idcirco ſobriũ virum in miraculi teſtimonium adducit. Non enim dixit Chriſtus, vt recũbentibus miſcerent: ſed ferrent Architriclino. ¶*Vt autẽ guſtauit Architriclinus.*) Ex his Architriclini verbis manifeſtũ eſt, vinum illud præſtantiſsimũ fuiſſe. Atq; ex eo generalem ſententiam proferunt ſancti doctores quæcunque à Chriſto miraculoſe facta ſunt, optima fuiſſe & perfectiora iis quæ ſecundum communem naturæ curſum ſolent fieri. Eiuſmodi, ait Chryſoſtomus, erant Chriſti miracula, vt quàm quæ natura perfecta ſunt longè pulchriora melioráque reddantur. Ita & aliâs diſtortũ membrum, quam ſana validius reddebat. Conſentiunt Cyrillus & Theophylactus. ¶*Poſt hæc autem deſcendit Capharnaum.*) Capharnaũ (vt ait Hieronymus in libro de locis Hebraicis) ciuitas erat maritima, iuxta ſtagnum Genezareth in finibus Zabulon &

Neptalim,

Neptalim, ac proinde, ſitu erat inferior ipſa Cana, quæ erat in tribu Aſer: propter quod, à Cana ad Capharnaum deſcendiſſe ſcribitur dominus. ¶*Nummulariorum effudit æs.*) Quos Latinè nummularios vocamus, Gręci vocant colybiſtas & cermatiſtas. *κόλλυβος* Colibus enim (vt ait Theophylactus) apud Græcos ſignificat minutũ numiſma, quod Romani nummum vocant. Vnde colybiſtæ dicuntur, qui parua nũmiſmata vẽdunt, id eſt, qui nũmos maiores minoribus, cũ quæſtu & lucro aliquo cõmutant. Eadem eſt ratio alterius nominis. Nã & *κέρμα* cerma, æs minutũ ſiue pecuniam minorem ſignificat, vnde dicti ſunt cermatiſtæ. ¶*Soluite templum hoc.*) Cùm ſoluite dicit nõ imperat, vt faciant rem nephariam: ſed quod ex illorum malitia & ſua permiſsione euenturum erat eo loquendi modo ſignificare voluit. Velut cùm Iudæ diceret, *Quod facis fac citius*. ¶*Ieſus autem non credebat ſemetipſum eis.*) Diuus Auguſtinus prolixa interpretatione videtur hoc ad dominicam menſam referre, dicens, cathecumenos omnes in Chriſtum credere, & tamẽ nõ viciſsim illum ſe eis credere, eo ꝙ nõdum ſumere poſsint ipſius corpus & ſanguinẽ, donec ꝑfectè fuerint Chriſtiani. Neq; multũ ab hoc ſenſu diſtat, quod hoc ex loco monet Cyrillus, eos quibus diuinorũ myſteriorum diſpenſatio credita eſt, non nimis cito neophytos ad dominicã menſam accipere. Chriſoſtomus verò & Theophylactus, de ſecretiorum myſteriorũ occultatione pręſentem locum intelligunt, eo ꝙ non omnia dogmata, vt verè fidelibus & perfectis diſcipulis, credebat vel aperiebat. Chriſtus enim (vt aìt Chryſoſtomus) inſtabilibus hominibus nõ fidit, plurima occulit: & quemadmodũ nos non eodẽ modo amicis nomine & re credimus, ita neque Deus. Hæc autem expoſitio magis ſecundũ literam propoſito videtur conueniens. Nam ſi de reali corporis & ſanguinis perceptione loquamur, nõ ſolũ imperfectis iſtis tunc temporis nõ dabat hoc ſacramentum, ſed neque veris diſcipulis ſuis, nec omnino vllis, vſque ad tempus cœnæ nouiſsimæ, quo primum omnium creditur conſecraſſe panem in corpus ſuum, & vinum in ſanguinem, atque ita dediſſe diſcipulis. Ioã.13

ELVCIDATIO CAP. III.

CVm ſigna Chriſti iam manifeſta fieri, & multi ſermonibus eius auditum præbere inciperẽt, extitit inter cæteros vir quidã honorabilis ex ſecta quæ Phariſęorũ dicitur, nomine Nicodemus, vnus ex Iudæorum principibus, qui populo erant ad regimen & gubernationem prępoſiti. [b] Iſte permotus ver

ERat autẽ homo ex Phariſæis Nico*demus nomine, princeps Iudæorum.*

b Hic venit ad

Ieſum nocte,
a Et dixit ei: Rabbi, ſcimus quia a Deo veniſti magiſter.
b Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis niſi fuerit Deus cum eo.
c Reſpõdit Ieſus & dixit ei:
d Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, nõ poteſt videre regnum Dei
e Dicit ad eum Nicodemus.
f Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex?
g Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire et renaſci?
h Reſpondit Ieſus: Amẽ amẽ dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnũ Dei.

bis & operibus Chriſti, vt certius aliquid poſſet de eius doctrina cognoſcere, ſecretò ad eũ acceſsit per tẽpus noctis: tum ne ab aliis notaretur vt Chriſti diſcipulus, tum vt ſolus cum ſolo diſputans plenius poſſet edoceri. [a] Accedensq́ue dixit ad eum: Præceptor, iam ſatis perſuaſum eſt pleriſq; Iudæorum, te à Deo miſſum eſſe veritatis doctorẽ, vt voluntatẽ & conſilium eius mundo annũties. Id quod nobis potiſsimũ perſuadet, ſignorum quibus tuam doctrinam confirmas efficacia. [b] Nemo enim ſigna tanta, tam multa, tam inſolita, diuinam virtutem apertè teſtãtia poſſet edere in nomine Dei, niſi miſſus à Deo, niſi cũ illo & per illum in huiuſmodi operaretur Deus. Obſecro itaq; te, vt veritatẽ quam Deus te miſit prædicare, apertè me doceas. Ob hoc enim ſecretò ad te veni, turbam fugiens. [c] Suſcipiẽs pius dominus in hoc homine boni deſiderij initium, primum illud proponit, quòd à tempore gratiæ caput eſſe debebat vitæ ſpiritualis, & ſalutis principium, baptiſmi videlicet & regenerationis ſacramentum dicens: [d] Illud tibi imprimis cum veritatis atteſtatione affirmo, neminem poſſe pertingere vt introeat & videat regnum Dei, deſiderabilem gloriam fœlicitatis æternę, qui non prius renatus, aut regeneratus fuerit, quaſi de integro, ſecunda & prorſus noua generatione. Hoc eſt meæ doctrinæ primum principium, & illius quam mundo afferre veni ſalutis oſtium. [e] Hæc audiens & minimè intelligens rudis in huiuſmodi ſpiritualibus Nicodemus, iuxta Iudæorum conſuetudinem, magis literæ & carni ſolitus inhærere, cum admiratione dixit ad Ieſum: [f] Quid hoc ſibi vult, quod ais, neminem poſſe videre regnum Dei, niſi qui denuò natus ſit? De ſenibus igitur quid fiet? [g] Quomodo fieri poterit, vt iterum ipſi in matris ſuæ vtero concipiantur, foueantur, ac tandem partu ædantur, vt ſic iterum de nouo naſcantur? Attamen iſtud tua verba (quantum ego capio) indicare videntur. [h] Audiens dominus ſecundum carnem omnia intelligere rudem diſcipulum, ad ſpiritualem intellectum eum tranſtulit, dicens: Iterum tibi cum veritatis

tis

tis certa proteſtatione clarè denuntio,neminē poſſe introire ac poſsidere æternæ gloriç fœlicitatem,niſi qui iterū natus fuerit,natiuitati ſeu generatione ſpirituali,quæ per baptiſmi ſacramentum perficitur:dū exterius quidem viſibile aquæ elementum,ad abluēdum,corpori adhibetur,interius autem ſpiritus ſanctus in anima peccatorum remiſsionem & gratiç collationem inuiſibiliter operatur.[a] Duplex ſi quidē eſt intelligēda natiuitas.Altera naturç & carnis:& quod hac tantū natiuitate carnali natū eſt,non niſi caro eſt: qui ſolum hoc modo natus eſt,homo tantum carnalis eſt,adhuc peccati originalis ſorde fœdatus.[b] Altera verò natiuitas eſt ſpiritualis,quæ meritò ſecunda natiuitas vel regeneratio dicitur. Et hac qui nati ſunt, nō iam caro dicēdi ſunt,neq; vltra carnales appellādi, ſed ſpirituales,propter regenerationem ſpiritualem, qua ſunt à carnis corruptione emūdati.[c]Ne verò tibi illud nimis videatur nouū,quod dixi, neceſſariū eſſe vobis generationem ſecundam:neque tibi hoc videatur,aut impoſsibile,aut incredibile, quamuis ſenſus iudicio comprehendi non poſsit.[d] Scilicet à vento materiali accipe comparationem. Is enim quocunq; fert impetus,incerto curſu vagatur & ſpirat per omnia,nunc huc,nunc illuc,ita vt à nullo poſsit prohiberi,quin naturalem ſuum curſum peragat:& ſonitum quidem eius auditu facilè percipitis.[e]Attamen difficilè eſt & interdū impoſsibile,ſenſu percipere determinatum locū,vnde egrediatur,& vbi generatus ſit, aut determinatum locū quo pergat aut vbi flare deſinet.[f]Ad hunc plane modū ſe res habet in eo qui naſcitur ex ſpiritu,idem eſt iudicium de regeneratione ſpirituali:ſimiliter eſt ipſa ſenſu imperceptibilis,& ſimiliter ipſa quo modo fiat,& quādo fiat determinatè nō poteſt percipi.Vnde ſi difficile ſit intelligere, quo modo ſe res habeat in flatu materialis venti,nō mirū ſi ſit intellectu difficilis regeneratio ſpiritualis.[g] At verò Nicodemus nōdū ſibi ſatis intelligere viſus,qđ à Chriſto docebatur,rurſum interrogat,plenioré requirens inſtructionem,dicenſque ad eum:Et quomodo poſſunt hæc fieri? Obſecro te,vt eadem hæc mihi

a Quod natum eſt ex carne,caro eſt:

b & quod natum eſt ex ſpiritu,ſpiritus eſt.

c Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuò

d Spiritus vbi vult ſpirat, & vocē eius audis:

e ſed neſcis vndè veniat, aut quo vadat.

f Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.

g Reſpondit Nicodemus,& dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri?

a Reſpondit Ieſus, & dixit ei.

pleniùs & planiùs explices.[a] Dominus autem Ieſus quoniam iam lucidè ſatis quantum res illa patiebatur, & quantum tempus illud poſtulabat, ſatis apertè ſententiam aperuerat, Nicodemo quaſi ſenſibilẽ demonſtrationem requirẽti, eius quod fide potius debebat ſuſcipere, per increpationis modum ita reſpõdit:

b. Tu es magiſter in Iſraël: & hæc ignoras?

c Amen amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, et quod vidimus teſtamur,

d & teſtimoniũ noſtrum non accipitis,

[b] Tu ex officio & conditione populo in Iſraël doctor es, atq; magiſter: & iſta quæ tibi ſunt iam lucidè ſatis propoſita, atq; etiã ſenſibili exemplo declarata, necdum intelligis?[c] Illud tibi cum veritatis proteſtatiõe firma aſſertione teſtificor, quæ ego in mundo loquor, & mecum pater ac ſpiritusſanctus, ea nos non loqui quaſi incerta & dubia, ſed quæ certiſsima ſunt & certiſsimè nobis cognita loquimur, & illa quæ vidimus ſiue cognitione perfectiſsima ſcimus, teſtificamur & prædicamus:[d] cùm tamen ſermonem noſtrum & teſtificationem noſtram perpauci adhuc ex vobis ſuſcipiant, ea fide qua decet tam ſacroſanctum totius Trinitatis excipi teſtimonium. Exemplum tu iam in teipſo monſtraſti, qui de ſpirituali regeneratione mihi loquẽti, vix fidem habere potes.

e Si terrena dixi vobis, & nõ creditis,

f quomodo ſi dixero vobis cæleſtia credetis?

[e] Quòd ſi iſta quæ hîc in terris aguntur, & quæ per exemplum terrenum ac corporale adhibitum vobis expoſui, credere non valetis, aut nõ vultis, quæ tamẽ videtur (modò fidei pietas ſe adiungat) captu ſatis facilia:[f] quomodo res ſupermũdanas & prorſus cæleſtes, vt pote æternæ generationis proceſſum, aut incarnationis verbi ſacramentum, aut humanæ redemptionis myſteriũ, filij deſcenſum & aſcenſum, fide ſuſcipietis, ſi eiuſmodi vobis prædicare tentauero?[g]

g Et nemo aſcẽdit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo.

Maxime cùm nemo vnquam hominum in cælum conſcenderit, imò neq; conſcendere poſsit virtute propria, vt quæ ibi ſunt occulta videat, præter vnũ me qui in temporis plenitudine per aſſumptionem humanitatis homo factus, & ex homine natus, de cælo deſcendi, manens nihilominus ſecundum diuinitatis naturã in cælo, ſicut ab initio in cælo eram, ab æterno in patris ſinu quieſcens. Vnde cùm ſolus ego ex humano genere, in cælo ſim domeſticus, qui illic ab initio habitaui, illinc mea voluntate deſcendi, illuc quoque propria virtute rediturus:

rus, meritò mihi cæleſtia prædicanti vos puri homines fidem pleniſsimam debetis,tãquam ei qui illa nouit exactiſsimè:quẽadmodum filio de paternis rebus narranti,fides tribuitur. [a] Inter cętera autem,hoc eſt præcipuum & quaſi caput omniũ quæ ego veni nunciare & operari in mundo,myſterium ſcilicet redemptionis humanæ per ignominioſum crucis ſuppliciũ, quod olim in typo veteri populo Moſes ſignauit. Quemadmodum enim Moſes quõdam in deſerto ex iuſsione Dei, ſerpentem æneum ſuſpendit in altum, vt qui à ſerpentibus ignitis morſi fuerant, ænei illius ſerpentis aſpectu ſanarentur: [b] ſic & ego filius virginis matris(qui peccatũ nullum habeo,ſimilitudinem tamen carnis peccati porto,ſicut æneus ſerpens venenum nõ habet, ſed tantum venenoſi ſerpentis ſimilitudinem)poſt paululum exaltari debebo in ligno crucis pro ſalute totius humani generis. [c] Videlicet vt omnis qui me aſpexerit,in me vt Deum & hominem pro ſalute mundi paſſum credendo, ſanetur ab omni peccati veneno,quod igniti illi ſerpẽtes impij dęmones inſufflauerant:ſicq; à peccatorum vulneribus ſanatus,non veniat in perditionem,ſed magis ſeruetur in vitam ſempiternam. [d] Tam ſingulari enim & familiari,ac vere pluſquam paterno amore pater meus cæleſtis humanum genus mũdum inhabitans dilexit, vt pro eis peccato ſuo perditis iterum redimẽdis, atque in priſtinæ conditionis ſtatum reſtituendis, me ſuum proprium & conſubſtantialem filiũ æternaliter à ſe procedentem,& quidem filiũ non ex multis vnũ, ſed vnicum & vnigenitum ſibi chariſsimum:dare voluerit,quaſi in oblationem & hoſtiam, pro expiandis mũdi ſceleribus:quaſi in redemptionis humanæ pretium ad ſatisfaciendum diuinæ iuſtitiæ, quaſi in mediatorem pacis & reconciliationis, ad oſtenſionẽ ſuæ inæſtimabilis miſericordiæ. [e] Ad hoc, inquam, dare voluit & in mundum mittere me filium ſuum,vt omnis q mihi per fidem veram & dilectionẽ perfectam adhæſerit, per me ſeruetur à miſeria mortis æternæ, & beatitudine perfruatur vitæ ęternæ. [f] Quod enim me pater nũc miſit in mundũ carnẽ accipere me volens,

a Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto,

b ita exaltari oportet filium hominis,

c vt omnis qui credit in ipſo:nõ pereat, ſed habeat vitam aeternam.

d Sic enim Deus dilexit mundũ, vt filium ſuum vnigenitum daret,

e vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

f Non enim miſit Deus filium ſuum in mundũ vt iudicet mundum,ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.

lens,atque inter homines hominẽ fieri,non hoc fecit propter humani generis iudicium & cõdemnationẽ: ſed vt per me homines transferrẽtur à morte,ad vitã.

a Qui credit in eum non iudicatur.

[a] Vnde quiſque mihi per fidẽ & dilectionẽ verã adhæſerit,condemnationis æternę iudicium non accipiet,ſentẽtiamq; mortis effugiet.[b]

b Qui autẽ non credit,iam iudicatus eſt:

Qui verò obſtinata mente & animo ingratiſsimo tantam ſibi vltro oblatam gratiam ſuſcipere recuſauerit,in filium Dei ſaluatorem mundi credere nolens,hic profectò ſuum iam habet iudicium certum,ipſe ſeipſum cõdemnat, & iuſtè condemnandum oſtendit,dum libera electione proprio ſuo iudicio repellit oblata ſalutẽ,& prælegit damnationem:[c]

c qui nõ credidit in nomine vnigeniti filij Dei.

per hoc videlicet quod in vnigenitum filium Dei,mundi ſaluatorem credere recuſauit,quem tamen in hoc propriè pater miſit in mundum,vt per eum credẽtes mortis damnationem effugerent.[d]

d Hoc eſt autẽ iudicium quia lux venit in mũdum,& dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.

In hoc autem iuſta eſt incredulorum condemnatio,quòd cùm lux vera in mundum aduenerit à patre cælitus miſſa,homines tamẽ mundi huius lucem illam noluerunt ſuſcipere,præeligẽtes magis in tenebris errorũ atque peccatorũ ſuorum permanere: ſicq́, & luci huic cæleſti verbo patris, & ipſi qui eam miſit patri ingrati,condemnationis reos ſeſe conſtituerunt.[e]

e Erant enim eorum mala opera.

Propter hoc autem lucem odientes repulerunt,& in tenebris ignorantiæ ſuę voluerunt permanere,quoniam mala erant eorũ opera,in quibus per longam conſuetudinem & animũ peruerſum ſic erãt obfirmati,vt nollent arguentẽ ſe lucem ſuſtinere,ſed tenebras magis amare,in quibus latere poſſet eorum malitia.[f]

f Omnis enim qui mala agit odit lucẽ,& nõ venit ad lucem vt non arguantur opera eius.

Omnis enim qui in animo habet malè agere,odit lucem,tanquam ſuo propoſito malè cõuenientem:& non venit ad eam,ſed quantum valet fugit eã, quærens latibula,vt non manifeſta fiant & reprehendantur opera eius,quibus ex affectu cupit inhærere.

g Qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius. quia in Deo ſunt facta.

[g] Qui autem bonum habet deſideriũ & propoſitum, ſecundum Euangelij doctrinam,quod eſt veritatis & iuſtitiæ operandi,hic nequaquã angulos aut latebras quærit,ſed confidenter prodit in lucem,vt fiant manifeſta ipſius opera,quoniam ſecundum Deum & iuxta Dei voluntatẽ ſunt facta:propter quod bene ſibi con-

ſcius

ſcius nihil metuit. Sic mea doctrina, cùm ſit lux, odiũt eam & fugiũt, qui in peccatis eligũt perſeuerare: diligunt autem & amplectũtur me meámq; doctrinam, quibus propoſitum eſt vitam bene inſtituẽdi. [a] Poſt aliquàtum verò temporis, venit Ieſus cum diſcipulis ſuis in terram Iudææ, illicq; cũ eis demorabatur, prædicare incipiẽs per ſemetipſum, & per diſcipulos baptizare. [b] Adhuc autem & Ioannes perſtabat in officio ſuo, prædicãs & baptizans, donec vulgatum fieret Chriſti baptiſma. Baptizabat autem in loco ad hoc accommodo, appellato Ennon, iuxta Salim, vbi erat aquarũ copia: propter quod, locus erat officio illi baptizationis imprimis idoneus. Veniebantq; ex Iudęis multi, tum ad Ioannem, tum ad Chriſtum ipſiúſq; diſcipulos, baptiſmi ſuſcipiẽdi gratia. [c] Incipiebat nanque Chriſtus prędicationẽ & baptiſma, Ioãne adhuc prædicante, & nondum in carcerem miſſo, id quod paulò pòſt futurũ erat. Sic enim expediebat, vt ſimul cum Ioanne ad tempus aliquantũ Chriſtus ſuum officiũ exercere inciperet, vt priuſquam ille deſineret, hic iam in authoritate haberetur, ſicq; facilius Ioãne miſſo in carcerem, Chriſtũ vno animo omnes ſequerentur. [d] Ex hac autem occaſione, quæſtio quædam contentioſa orta eſt, inter diſcipulos Ioannis, qui pro ſui præceptoris antiquo honore immodicè zelabant, & Iudæos quoſdã qui Chriſti baptiſmã ſuſcipiebant, & fortè Ioannis baptiſmati præferebant, de purificatiõe baptiſmatis, vtra pręſtaret, an illa qua Ioãnes, an illa qua Chriſtus purificabat. [e] Atq; ob huius quęſtionis diſſolutionem, diſcipuli Ioannis ad præceptorem venerunt, quaſi de iniuria querimoniam proponentes: [f] Magiſter (inquiũt) homo ille qui nuper apud te erat trans Iordanẽ, vbi tum baptizabas, & cui tu perhibebas tam magnificum teſtimonium, hic modo in tantam venit æſtimationem, & tantam ſibi vſurpat authoritatem, vt palàm homines ad ſe venientes baptizet, ad eum modum quo tu prior id cœpiſti: [g] & ecce turmatim omnes ad eum confluunt, te relicto, & habet iam ille plures ſectatores quàm tu habeas, quod nos certè pro noſtro erga te bono affectu, æquo

a Poſt hæc venit Ieſus & diſcipuli eius in Iudæam terrã, & illic morabatur cum eis, et baptizabat.

b. Erat autem & Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic: & veniebãt & baptizabantur.

c Nondũ enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem.

d Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis de purificatiõe.

e Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei:

f Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat,

g & omnes veniunt ad eum.

animo ferre vix poſſumus, vt is qui per te authoritatē adeptus eſt in populo, te adhuc baptizante, tuum ſibi officium ſibi vendicet, & tibi ſe vel æquare vel pręponere tētet. Cupimus igitur ſuper hac re tuam audire ſententiam, an rectè faciāt, qui illum, te relicto, ſectātur. [a] Audiens hæc Ioannes, inordinato zelo feruentes diſcipulos de veritate & dignitate Chriſti plenius edocuit, dicēs: [b] Fieri nō poteſt, vt quicquam omnino boni, vel corporalis vel ſpiritualis homo quilibet habeat vel accipiat, niſi id ei detur à cælo: id eſt, à Deo, cuius eſt in cælo manſio. Ita ſi quid ego habeo, nō mihi illud tribuo, neq; mihi inde gloriam aut laudem poſtulo. ſed Deo id omne refero acceptū. [c] Vos ipſos ego teſtes habeo, q̃ apertè confeſſus ſim Iudæis interrogantibus, me non eſſe. Meſsiam aut Chriſtum in lege promiſſum, ſed tantū miſſum eſſe in præcurſorem, ad pręparandum viam illi qui poſt me eſſet venturus, verus Meſsias & verus ſaluator mūdi, mihi modis omnibus incomparabilis. Hoc teſtimoniū ipſi veſtris auribus ex me audiſtis, antequā adhuc iſte mūdo eſſet cognitus, aut prædicare vnquā & baptizare cœpiſſet. Nō igitur ægrè vos id fere debetis, aut in meā reputare iniuriam, ſi ille ſuum incipiat exercere officiū, & mihi præferatur. Et hac quidem in re quomodo meus afficiatur animus, lucido exēplo vobis monſtrabo. [d] Cùm quis vxorem aliquam habet ſibi deſponſatam, & ſponſæ celebrat nuptias, ipſe quidem ſolus cui ſponſa iungitur ſpōſus dicitur, & ſolus eſt ſpōſus. [e] Amicus verò ſponſi, tametſi ſponſus ipſe non ſit, tamen dum ſtat aduertens, & audit ſponſum cum ſponſa dulciter affectu maritali confabulantem, non fert ęgrè, non dolet, non inuidet, ſed gaudio perfunditur magno propter vocem ſponſi cum ſponſa, ex qua cognoſcit bene inter illos conuenire, & ex bonis initijs, ſperat proceſſum bonum nuptiarum. [f] Sic modo in me de illo impletur gaudium. Ille enim ſpōſus eſt, qui ad hoc deſcendit de cælo, vt ſibi ſponſam Eccleſiam credentium copulet: ego autem ſponſus non ſum, ſed amicus, aut potius miniſter & præcurſor ſpōſi: & ob hoc meritò nunc gaudeo, dum ſponſam video

a Reſpōdit Ioānes, & dixit:
b Nō poteſt homo quicquā accipere, niſi fuerit ei datum de cælo.
c Ipſi vos mihi teſtimoniū perhibetis, quòd dixerim: Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum.
d Qui habet ſpōſam, ſponſus eſt.
e Amicus autē ſponſi, qui ſtat et audit eū, gaudio gaudet, propter vocē ſponſi.
f Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.

deo ſponſo coniungi, & ſponſum cum ſponſa colloqui: dum illũ audio prædicare plebi, eámque ſibi per fidem adiungere: [a] Et vtique ſic eſt voluntas Dei, vt ille in æſtimatione hominũ & numero diſcipulorum proficiat, indieſq́; magis ſe proferat eius gloria: ego verò cedere illi debeo, vt ſeruus domino, vt aurora diei, & eo adueniente meam oportet minui æſtimationem, vt me relicto, illi vt verò ſpõſo omnes adhæreant. Nec mirum ſi illi ego debeam cedere. [b] Qui enim de cælo de ſinu patris deſcendit, vt homo fieret, proculdubiò hic omnibus eſt præcellentior, & meritò præferendus omnibus. [c] Et qui de terra eſt, non de cælo deſcẽdens, ſed de terra tantum formatus, purus homo (cuiuſmodi ſum ego) hic vt terrenus eſt & vilis ſecũdum conditionem ſuam, ita humilia loquitur ex ſeſe, id eſt, terrena quæ ſenſibus valet percipere, non autẽ cęleſtia ex ſe loquitur, quæ nõ poteſt per ſeipſum capere. [d] Qui verò dè cælo deſcendit, non homo purus tantum de terra formatus, ſed ſimul Dei filius ab æterno à patre genitus, hic meritò omnibus præeminet. [e] Atque hic eſt, qui cæleſtia quæ apud patrem in cælo didicit, loquitur: quorũ accepit à patre certiſsimam cognitionem, ea prædicat & teſtificatur in mundo, ſecundum ſcientiam diuinitatis ſuæ. [f] Sed hoc eſt dolendum, quòd eius prædicationem & doctrinam perpauci ſic vt oportet fideli corde & ſtabili fide ſuſcipiũt, quam æquum erat ab omnibus ſumma cum deuotione promptiſsimè acceptari. [g] Quiſquis verò eius doctrinam ſuſceperit, ſic ei credendo comprobat, & quaſi ſigillo appoſito confirmat, Deum eſſe veracem: quoniam in filium credendo, credit in patrem: quemadmodum econtrario, qui filij teſtimonio nõn credit, quaſi ſigillando comprobare videtur, quòd mendax ſit Deus, cui recuſat præſtare fidem. [h] Is enim qui à Deo patre miſſus eſt, verba Dei, à quo miſſus eſt loquitur: atque ob hoc qui eius teſtimonium accipit, Deum veracẽm comprobat: qui non accipit, Deum mendacij arguit. [i] Et bene quidem ille verba Dei loquitur, nec aliud quàm verba Dei loqui poteſt, cui pater nõ ad mẽſuram & portionem

a Illum oportet creſcere, me autẽ minui.

b Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt.

c Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur.

d Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt.

e Et quod vidit & audiuit hoc teſtatur:

f & teſtimoniũ eius nemo accipit.

g Qui autem accepit eius teſtimonium, ſignauit, quia Deus verax eſt.

h Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur.

i Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.

aliquam præciſam, ſed omnem plenitudinẽ ſpiritum ſanctũ dedit: ita vt in eo totius diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitet, vt ſit ipſe vnum cum patre, ac homo exiſtẽs ſit nihilominus verus & Deus: propter quod, aliud quam verba Dei loqui non poteſt, ſicut nec aliud quàm opera Dei operari. [a] Pater enim cæleſtis filium ſuum ſibi coæternũ & conſubſtantialem dilectiõe æterna & infinita diligit, & omnia quæ ipſe habet ab æterno ei cõmunicat, ipſam quoq; eandem ſuam ſubſtantiã & eſſe idem ei donans, in tempore verò omnium rerũ poteſtatem & plenũ dominium ei dedit, vt ſit cum eo vnus dominus omnium in cælo in terra, ac ſpecialiter quantum ad res hominũ, vt ſuo tempore de omnibus ferat iudicium. [b] Propter hoc, quiſquis per fidem veram & perfectam ei vt filio Dei ſe adiunxerit, & inhæſerit, per eum vita viuet æterna: nunc quidem in gratia ſpiritus ſancti, quem ab eo & per eum accipiet, ac deinde in gloria æternitatis, quã per ipſum aſſequentur omnes electi. [c] Qui verò fide non adhæſerit filio Dei, vel credere, vel obedire verbis eius recuſans, hic vitam non aſſequetur æternam, ſed iræ Dei manet obnoxius donec talis perſeuerat: & ſi in ea incredulitate permanſerit, veniet ſuper eũ ira Dei, ad vltionem perditionis, & imperpetuum ab eo non recedet, feretque ille tormenta perpetua.

a Pater diligit filiũ, & omnia dedit in manu eius.

b Qui credit in filium habet vitam æternam.

c Qui autẽ incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

NISI *quis renatus fuerit denuò.*) Vbi Latina lectio vulgata multis in locis habet renatus, Græcè ſimpliciter eſt natus. Fortaſsè interpres Latinus eo conſilio renaſci, pro naſci poſuit, quod non de natiuitate carnali, quæ prior eſt & vetus natiuitas, ſed de ſpirituali, quæ eſt quaſi ſecunda & noua natiuitas, ſermo habeatur, pro eo autem quod nos habemus denuò, Græcè dicitur, ἄνωθεν anothen, quod ambiguæ eſt ſignificationis, ex qua ambiguitate diuerſa intelligẽtia naſcitur, & varia lectio. Significat enim anothen, vel idẽ quod deſuper, vel idem quod denuò, aut de integro ſiue iterũ. Secundum ſignificationem cõmunis ſequitur lectio Latinorum, quam & nos in Elucidatione ſequimur. Iuxta priorẽ verò, Cyrillus locũ præſentem ita intelligit, Niſi quis natus fuerit deſuper vel de ſupernis, id eſt, ſuperna & cæleſti diuináq; generatione, quæ fit per ſpiritũ ſanctũ deſuper à pa-

à patre vniẽte,non poteſt videre regnum Dei. Quòd autem ita intelligat Cyrillus,manifeſtiſsime oſtẽdit,in eo quod ſubiungit:Cùm verò,inquiens,deſuper regenerationem iſta quę per ſpiritum eſt fieri aſſerat,apertè ex ſubſtantia patris ſpiritũ eſſe demõſtrat.Ita certè de ſe quoque alibi dicit:*Ego de ſurſum ſum.*Et Euangeliſta, *Qui de ſurſum venit ſuper omnes eſt.*Ad eundem modũ manifeſtè exponit Theophylactus.Chryſoſtomus,aut certe eius interpres,vtriuſq; meminit intelligẽtiæ,neque quid magis ſequatur ſatis apparet. Illud certum videtur,Nicodemũ ſic accepiſſe verbum domini, vt intelligeret iuxta ſenſum noſtræ lectionis, hominẽ debere denuò ſiue iterum naſci.Id quod ex ipſius obiectione manifeſtę cognoſcitur,vbi ait:*Nunquid poteſt homo in ventrem matris ſuæ iterato introire,& naſci?* Si enim intellexiſſet ille hominem debere naſci è ſupernis,ſtulta omnino videretur de introitu in matris vterum interrogatio. Neque in verbo iſto Nicodemus vocabulo illo ambiguo vtitur,ſed alterũ ponit *δεύτερον*,id eſt, ſecundo vel iterato, quod apertius reſpondet ad denuo, quàm ad deſuper.Atq; hinc apparenti ſatis argumento probari poteſt,ſenſum illum quem noſtra lectio vulgata habet,fuiſſe ex mente Euangeliſtæ.Nõ enim Græcè dominus alloquutus eſt Nicodemũ(licet Græcè ſcripſerit Ioannes) ſed Hebraicè.Non igitur dici poteſt, quod Nicodemus in ambiguitate vocabuli ἄνωθεν anothen falſus fuerit,quęadmodum Theophylactus ait,Nicodemũ dictionem illã ano then in alia ſignificatione accepiſſe,quàm ſaluator protuliſſet .Non enim vocabulũ illud audiuit Nicodemus, ſed Hebraicum ſermonẽ, non habentem æquiuocam illam particulam. ¶ *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto.*)Græci codices hoc loco non habent niſi, ex aqua & ſpiritu,verũtamen quia de ſpiritu ſancto intelligitur, parum refert ſi addatur.¶ *ſpiritus vbi vult ſpirat &c.*) Hunc locum beatus Auguſtinus de ſpiritu ſancto intelligit:de ſpiritu autẽ materiali (quẽ vẽtum dicimus)expoſitionem, quaſi incommodam oppugnat, dicens:Quis noſtrum fratres,nõ videat(verbi gratia)auſtrũ euntem à meridie ad aquilonem, aut alium vẽtum venientem ab oriente ad occidentem? Quomodo ergò neſcimus,vnde veniat, aut quo vadat? Gręci verò interpretes, Cyrillus, Chryſoſtomus & Theophylactus, concorditer de ſpiritu materiali & vento locũ iſtum interpretantur, eo modo quẽ nos in Elucidatione ſatis clarè expreſsimus. Vnde etiã facile eſt obiectioni Auguſtini reſpondere.¶ *Quomodo poſſunt hæc fieri?*) Nonnulli ſanctorum hoc Nicodemi verbũ & alia quæ ante præmiſit dubitationem indicantia,nimis (vt mihi videtur) ſiniſtrè aut (vt mollius dicam)rigidè nimis interpretantur, quaſi hæc protulerit

Ioã.3.

tanquam

tanquã diffidens,aut credere recuſans , ad quod etiam pertinere dicunt illam domini increpationem quæ ſubiungitur:*Tu es magiſter in Iſraël,& hæc ignoras*? Nobis verò (ſalua aliis ſua authoritate) viſum eſt., Nicodemi iſtã inquiſitionẽ & crebras interrogationes,ad ardẽs veritatis deſiderium & inſatiabile diſcendi ſtudium pertinere. Non enim ſtatim bonus eſt diſcipulus,qui ad omnia quæ à præceptore dicuntur obmuteſcit:etiãſi prorſus quæ dicuntur non intelligat. Eiuſmodi enim diſcipuli raro proficiunt.Siquidẽ de ſingulis dubitare, vt habet Ariſtoteles,nõ eſt inutile. Et iuxta vetus Græcorum prouerbiũ,qui nihil dubitat,nihil nouit. Commendandum verò eſt in diſcipulo,ſi interrogando etiam importunus fiat præceptori,vt quantum res patiatur,ad extremũ vſque ſibi elucidari omnia poſtulet: modo id obſeruet,vt in quibus fidẽ præceptor exigit,non pertinaciter contra ſentiat,& vbi demõſtratio,vel elucidatio vlterior haberi non poteſt,ab inquirendo deſiſtat, humilitérque iis quæ dicta ſunt fidẽ adhibeat.Diſcentẽ nanque(vt idem ille Philoſophus ait)oportet credere,illic ſcilicet vbi fidẽ ab eo poſtulat qui docet, etiamſi demonſtrationem non adferat,aut vllam probationem. Atque huc referendus mihi videtur ſermo iſte ſecundũ ſpeciem increpatorius , in quo dominus poſt declarationẽ vtcunque ſufficientem,quãtum res illa patiebatur,ab vlteriori inquiſitione diſcipulũ prohibet,& ad fidẽ præſtandã dictis perurget.Eſtque id frequens præceptoribus,vt immodicũ diſcendi deſiderium vel importunam inquiſitionem eorũ quæ vlterius non poſſunt vel non debent demonſtrari, per quandã increpationis ſeueritatem cõpeſcant. Et quod poſt increpationem Nicodemus non vltra apponit quæſtionẽ aliam , id mihi videtur in eo argumẽtum bonæ voluntatis,& qualiſcunq; fidei,vt minimum initiatiuè,quæ & poſtmodũ temporis ſucceſſu increuit, quemadmodum in eo mõſtrauit, quod pro Chriſto adhuc viuẽte in publico Iudæorũ conceſſo loqui non timuit, & poſt mortẽ honeſtæ ſepulturæ obſequia ei impendere nõ erubuit.¶*Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt.*) Græcè eſt ἐπὶ πάντων epi panton,quod verti poteſt ſuper omnes,vel ſuper omnia,quo poſteriori modo ſecundũ genus neutrum manifeſtè Cyrillus interpretatur,dicens,Chriſtum nõ ſolum humanã gloriam ſuperare:ſed omnẽ omnino creaturam.Super omnes,inquit,eſt creaturas:non vt cũ eis connumeratus,ſed vt ab omnibus ſeparatus, & tamẽ omnibus præſens,vt Deum decet.¶*Signauit,quia Deus verax eſt.*)Græcè eſt ἐσφράγισε eſphragiſe,id eſt,ſignauit,ſigillauit,vel ſigillo obſignauit: hoc eſt certo comprobauit & confirmauit. Idem vocabulum infrà ponitur cap.6.vbi de ſeipſo Chriſtus loquitur,dicens:

Hunc

Hunc enim pater ſignauit, Deus: id eſt, certo demonſtrauit & confirmauit, verum eſſe filium ſuũ. Cyrillus hoc in loco plus aliquid emphaſis videtur in verbo iſto annotaſſe, quod enim ſignatur vel ſigillatur, ſiue ſignaculo munitur, non ſolum approbatur & verum eſſe comprobatur, verumetiam ſigillo occluditur. Vnde in hac ſignatione, ſimul approbatio & occultatio videntur includi. Atque ita (iuxta Cyrillum) qui credit Chriſto miſſo à patre, is ſua ſapientia probè diſcernẽdo, quaſi concluſum quoddã & certum ſignauit, non poſſe diuinam mentiri naturam. Hic tamen author in loco altero illo ſexti capitis iam citato longe aliter verbum iſtud, ſignauit interpretatur, de quo ſuo dicetur loco.

ELVCIDATIO CAP. IIII.

POSTQVAM verò cognouit dominus Ieſus, vel per deitatis omniſcientiam, vel ex aliorũ relatu cognitione humana, famam ſui nominis & officij ad Phariſæos perueniſſe, auditúmque ab eis eſſe, quòd prædicare & baptizare etiam ipſe inciperet, imò plures haberet iam ſectatores quàm Ioannes (quanquam Ieſus ipſe per ſe non paſsim vulgus populi confluentis ad ipſum baptizabat, ſed diſcipulis ſuis, quos veriſimile eſt, prius ab eo fuiſſe baptizatos, officium dederat baptizandi populum, ipſe interim doctrinæ vacans & euangelizans, ad quod præcipuè fuit miſſus à patre) poſtquam igitur cognouit Ieſus à Phariſæis hæc eſſe audita, eóſque ex his graui contra ſe inuidia concitatos, locum dare volens eorum improbitati, diſpoſuit Iudæam, vbi tum baptizans agebat, ad tẽpus relinquere, & in Galilæam iterum verti. [b] Ad perueniendum autem à Iudæa in Galilæam, neceſſe erat tranſire terram Samaritanorum, quæ inter vtranq; velut media interiacet, quam tum temporis inhabitabant alienigenæ olim à rege Aſſyriorum translatis Iudæis illuc miſsi, qui ſimul cum ſua veteri idololatria quam ex natiuitatis loco attulerant, etiam Deũ cæli p ræſcriptis cęremoniis legis colebant, pro more Iudæorum quorum ſedes occupauerant. [c] Hac itaque cõſtrictus neceſsitate dominus, venit ad ciuitatem quandam Samariæ, quæ appellabatur Sychar,

Vt ergo cognouit Ieſus quia audierunt Phariſæi, quod Ieſus plures diſcipulos facit & baptiZat, quàm Ioannes (quanquam Ieſus non baptiZaret, ſed diſcipuli eius) reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam.

b Oportebat autem eum trãſire per mediam Samariam.

c Venit eergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.

ſitam

ſitam in tranſitu viæ, iuxta prædium illud ſiue illam terræ portioné, quam ſacra Geneſeos hiſtoria teſtatur, datam fuiſſe à Iacob Patriarcha filio Ioſeph extra fratres ſuos, quã ipſe in gladio & arcu ſuo abſtulerat de manu Amorrhæi.

a Erat autem ibi fons Iacob.

[a] Erat autem iuxta locum illum fontalis quidã puteus, magnæ ſatis altĩtudinis, quem Iacob foderat, & quo vti ipſe ad ſuę familiæ ſuorũq; iumentorum ſuſtentationem ſolebat.

b Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.

[b] Super hunc fontem dominus Ieſus ex itineris labore fatigatus, ad requieſcẽdum aliquantulum reſedit, ſic vt mos eſt iis qui fatigati ſunt ex itinere iuxta fontes aut fluuios libẽter requieſcere.

c Hora autem erat quaſi ſexta.

[c] Hora autem erat ab ortu ſolis quaſi ſexta & penè meridies erat, quando ſolis æſtus affligit grauiſsimè, & vehementius fatigare ſolet per viam ambulantes: vt non modica intelligatur fuiſſe domini fatigatio, nec ſine cauſa humana neceſsitate quæſiſſe modicam requiem.

d Venit mulier de Samaria haurire aquam.

[d] Domino autem Ieſu ſic ſupra fontem reſidente, mulier quædam in loco illic vicino moram trahens, venit ad puteum circa meridiei & prandij tempus, aquam haurire ad potum vsúſque neceſſarios.

e Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere.

[e] Quam vidéns dominus, ſiti magna æſtuans, poſtulauit ab ea, vt aquam ſibi de puteo hauriret, potúmq; præberet: allegans, ſe graui ſitis afflictione præmi, & valde fatigatum aliquid quærere refocillationis.

f Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.

[f] Quod autem à muliere iſta extranea hoc requirebat miniſterium, & non potius à diſcipulis, inde erat, quoniam diſcipuli ex ipſius iuſſu iam abierant in ciuitatem vicinam, cauſa emẽdi cibos neceſſarios, ſicque ſolus ipſe remanſerat, extra ciuitatẽ illorum pręſtolans reditum.

g Dicit ei mulier illa Samaritana:

[g] Mulier ergo iſta admirans, quaſi rẽ nouam & inſolitam, quòd tam familiariter homo Iudæus à ſe Samaritana aquam bibẽdam poſceret, dixit ad eum:

h Quomodo tu, Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?

[h] Quomodo tu, qui mihi ex ipſo habitu videris eſſe Iudęus, à me dignaris vel audes poſtulare potũ, quæ ſum mulier Samaritana? Hactenus enim tale nihil à me viſum eſt, vt tãtum commercij Iudæus cum Samaritano habere voluerit.

i Nõ enim coutũtur Iudæi Samaritanis.

[i] Dicebat autem hoc mulier iſta, propter odiũ quod inter Iudæos erat & Samaritanos: illis hoc execrantibus, eorúmque conuictum & commercium omne fugiẽtibus

tibus,tũ quòd ſuorum locorum bonã partem occuparent,tum quod gentiles eſſent, & idololatræ,quos abominabantur Iudæi. [a] Dominus autem Ieſus muliereulæ dignãter ſe manifeſtare volens,ita ei reſpondit:Poſtulaui nunc ego à te hauſtum aquæ putei,rem viliſsimam:& differs præſtare quod poſtulo. Tu verò ſi ſcires,quale donum ex Deo tibi ego conferre poſſim , & ſi me noſſes qui modo à te potum poſtulaui, quis ſim,& vnde venerim,& quãtæ ſim poteſtatis , tu proculdubio nõ ſolum non promptiſsimè mihi obediſſes,ſed inſuper humillime me fuiſſes deprecata pro collatione donorum illorum quæ ſunt in mea poteſtate:[b] & ego orationem tuam exaudiens , dediſſem tibi nõ aquam huiuſmodi corpoream,ſed aliam longè præſtantiorem,cuius comparatione aqua iſta corporalis merito aqua mortis ſit æſtimanda,& quæ ſola aqua viua verè meretur nominari,gratiam videlicet ſpiritus ſancti,quæ animam nũquam morituram reficit & potat, ſicut aqua iſta corporea carnem iſtam mortis neceſsitati ſubiectam aliquo vſque refecit & ſuſtentat. [c] Mulier verò verborum iſtorum ſenſum nõ capiens,nec aquam aliam præter eam quæ corpus reficit valẽs intelligere, ita aduerſus propoſitum ſermonem modeſtè obiecit,dicens:[d] Domine, vt video, nullum eſt apud te vas in quo aquã poſsis haurire de puteo iſto,neque item funem habes,aut aliquid eius loco,quo attrahas aquam:& propter putei profunditatẽ fieri non poteſt,vt ſine his aquam tibi compares. Quomodo igitur ſalua veritate dixiſti,te habere aquã viuam,quã mihi ſi poſtulaſſem dediſſes? [e] An forte tu apud Deũ maioris es ſanctitatis aut meriti,quàm fuerit Patriarcha Iacob,quẽ nos quoq; Samaritani, licet ſecundũ carnẽ Iudæi non ſimus,vt patrẽ noſtrum colimus,tũ quòd ipſius religionẽ in cultu Dei cęli imitamur,tum ꝙ eius hęreditatẽ ex patriis noſtris ſedibus trãſlati inhabitamus.[f] Qui pater Iacob puteũ hũc fodit,& poſteris vſq; in hoc tẽpus reliquit : & ipſe olim dũ viueret ex eo bibit,& filij eius, ac vniuerſa familia,inſuper & iumẽta eius.Ille igitur tantus pater & Patriarcha , ſi aliam hoc in loco aquam habere non

potuit

a Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei , & quis ſit qui dicit tibi:da mihi bibere , tu forſitan petiſſes ab eo,

b & dediſſet tibi aquã viuã.

c Dicit ei mulier:

d Domine neq; in quo haurias habes, & puteus altus eſt : vnde ergo habes aquã viuam?

e Nunquid tu maior es patre noſtrò Iacob,

f qui dedit nobis puteum , & ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?

potuit,præter huius aquæ puteũ, tu vbi hic inuenias aquam viuam quam mihi petenti tribuas? [a] At verò dominus Ieſus ad ſpiritualis aquæ intelligentiam volens transferre mulierem, diſtinctioné ei aſsignat dicens: [b] Inter hanc aquam de qua tu modo verba facis, & illam quam tibi ego ſum pollicitus, hæc eſt diſtátia, quod quiſquis ex tua hac aqua biberit, tametſi ad tempus ſitis aufugiat, breui tamen redibit, & iterum neceſſe erit cõſimilem aquam ſumere: neque vnquá, in quantacũque ſumatur quantitate, ſic perfectè hominem poterit reficere, vt nõ iterum affligatur ariditate ſitis. [c] Qui verò ex aqua iſta ſemel biberit, quam ego deuotè petentibus tribuo, per illam ſic in anima reficitur, vt in æternum non patiatur animæ ſuę afflictionem, nec egeſtate affligatur humoris ſpiritualis. [d] Imò multiplicabitur in dies in anima eius aqua iſta ſpiritualis gratiæ, & tanquam fons viuus in eo ſcaturiet atq; ebulliet, donec eum perducat ad vitam ſempiternam: vbi perfecta erit & ſemper duratura ebrietas, omnibus in quibus modo aqua iſta ſcaturit. [e] Audiens mulier tanquam aquæ huius quá Chriſtus pollicebatur commoditatem, nec valẽs iuxta verum & ſpiritualem intellectũ verba illa accipere, eo quòd rudis eſſet & carnalis, magno affectu dixit ad eum: Obſecro domine, vt hanc mihi aquam largiaris, ne ſiti amplius affligar, neq; vltra cogar à domo mea locum hunc accedere, aquæ ex puteo iſto hauriendæ gratia. Hanc enim mihi gratiam præſtans, multa me leuabis moleſtia. [f] Videns autem dominus mulierem rudé verborum ſublimium non bene capacem, ad ſignũ reuelationis ſecreti ſe conuertit, quò melius ipſa poſſet commoueri, dixitq; ad eam: Abi hinc domum, & virum tuum aduoca, vt vnà tecum huc adueniat. [g] Quæ ſibi bene conſcia, quòd virum proprium & legitimum non haberet, reſpondens dixit illi: Domine mi, virum ego non habeo, quem aduocem vel adducam. [h] Statímque dominus vt oſtenderet omnem mulieris ſtatũ ſibi probè eſſe cognitum, confirmans verbũ eius, dixit: Rectè & verè hoc dixiſti, te modo non habere virum. [i] Quinque etenim viros iam antè habuiſti:

a Reſpondit Ieſus & dixit ei:

b Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum.

c Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.

d Sed aqua quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

e Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hãc aquam, vt non ſitiam neq; veniã huc haurire.

f Dicit ei Ieſus: Vade voca virũ tuum & veni huc.

g Reſpondit mulier, et dixit: Nõ habeo virum.

h Dicit ei Ieſus: Bene dixiſti: Quia non habeo virum.

i Quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir:

buiſti:verùm is qui modo tibi cohabitat in modum viri, & qui à pleriſque vir etiam tuus exiſtimatur, verè tuus nõ eſt maritus,neq; legitimo tibi eſt ſociatus coniugio.[a] In hoc ſanè veritatem cõfeſſa es ingenuè, quòd virum te modo habere denegaſti.[b] Illa ab homine extraneo & ignoto audiens ſibi tam apertè proponi rem ſecretiſsimam,quam humana via ille videbatur non potuiſſe cognoſcere, vehementi admiratione perculſa,ſimul & rubore perfuſa dixit ad eum: [c]Domine,quantum ego ex verbis tuis iſtis coniicere valeo,Propheta eſſe videris:nimirum occulta cognoſcens ex reuelatione diuina,quorum humana via cognitionem non es aſſequutus. Poſtea igitur quã occaſionem nactus ſum ita commodam quæſtionem tibi proponam quæ noſtros animos multũ & diu perplexos detinuit.[d]Maiores noſtri ſancti Patriarchæ, qui locum hunc quondam inhabitauerunt,in monte iſto dicto Garizim,huic loco vicino Deum adorare conſueuerũt,inq; eo & vota facere & immolare hoſtias. [e] Vos autem Iudæi docetis,Hieroſolymis in Iudæa locum eſſe orationis,& illic multo poſterius ædificatũ templum dicitis locum eſſe à Deo deputatum ad vota facienda,& offerendas hoſtias,& huc aſcendere docetis vniuerſos ad orationem,locum iſtum quem patrum nobis authoritas commendatum reddidit prorſus negligentes. Cupio igitur ſuper hac quæſtione à te meram edoceri veritatem, vt certo ſciam vtro in loco ſit Deo acceptior oratio.[f] Dominus Ieſus mulieri rem vtilẽ ſtudioſe interroganti, ſolita benignitate reſpondit,dicens:Rem,ô mulier,auditu & fide dignam tibi aperiam. Ecce in proximo tempus aderit conſtitutum,quãdo ij qui Deum patrem meum verè colent & adorabunt,neque peculiariter hoc in monte,neque peculiariter hoc in tẽplo illo Hieroſolymitano adorare ſatagẽt,neque omnino vllam habebũt loci rationem, ita vt putent in hoc tantum aut illo loco velle coli Deum:ſed ipſum in ſeſe in omni tempore & in omni loco diſcent adorare.[g] Et nunc quidem inter vos Samaritanos homines gentiles, & nos Iudæos, hæc eſt differentia, quod vos adoratis eum

a Hoc vere dixiſti.

b Dicit ei mulier:

c Domine video quia Propheta es tu.

d Patres noſtri in monte hoc adorauerunt.

e Et vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet.

f Dicit ei Ieſus: Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neq; in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrẽ.

g Vos adoratis quod neſcitis:

cuius non veram habetis cognitionem: quoniã Deũ quem colere vos dicitis, non verè cognoſcitis: quem ſi verè cognoſceretis, non ſimul cum eo alia quoque idola coleretis, ſed vni ipſi vt ſummo & ſoli Deo latriæ cultum impenderetis.[a] Iudæi verò, quem adorãt vnum verum Deum, rectè & cognouerunt, vni ipſi & non cum eo idolis latriæ cultum exhibentes.[b] Idcirco autem Iudæis ſpeciali dono vera vnius Dei per legem cognitio data fuit, quoniam ex ipſorũ genere ſalus debebat oriri humano generi, ex populo illo ſecundum carnem naſci debebat iuxta Dei voluntatẽ mundi ſaluator: propter quod, vera cognitione & vero cultu vnius Dei populus ille ſpecialiter debuit ſanctificari, ob reuerentiã illius ex ipſo naſcituri.[c] Inſtat autem in proximo, imò iam aduenire & adeſſe incipit tempus illud Euangelicæ libertatis & gratiæ, quando veri cultores Dei à ſenſibilibus ad inuiſibilia ſubleuati, intus potiſsimum in ſpiritu, fide, ſpe & charitate Deum colere & adorare ſatagent, nõ vltra craſsis vmbris aut corporalibus legis cæremoniis inhærentes, ſed per ſpiritus libertatem, ex animo qui proprius eſt, & verus per ſe cultus Dei.[d] Nam & pater meus cæleſtis verus Deus huiuſmodi homines quęrit, qui ſic eum in ſpiritu & veritate colant, in hoc tẽpore legis nouæ & gratiæ, quod modò incipit, ſicut & ſemper huiuſmodi magis quæſiuit, quã ſi eos qui corporali tantum & cæremoniali cultu ipſum colerent.[e] Nimirum Deus ipſe in ſua natura non craſſum eſt aut ſenſibile corpus, ſed ſpiritus eſt, ſenſu imperceptibilis, propter quod ab hominibus maximè adorari vult & coli officiis & actibus ſpiritualibus, quæ non per corporis organa foris exercentur, ſed intus in anima ipſa peraguntur, cuiuſmodi ſunt actus fidei, ſpei, & charitatis, aliarumque huiuſmodi diuinarum virtutum, in quibus eſt præcipuus & primus Dei cultus, ſine quo cultus omnis exterior Deo non eſt acceptus, eſtque cultus iſte internus cultus Dei verus, vtpote quem omnes illi externi veterum cæremoniarum cultus præſignabant.[f] Reſpondit autem illi mulier: Nos certò ſcimus, partim lege edocti, partim

a nos adoramus quod ſcimus: b quia ſalus ex Iudæis eſt.

c Sed venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate.

d Nam & pater tales quærit, qui adorent eũ.

e Spiritus eſt Deus: et eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare.

f Dicit ei mulier: ſcio quia Meſſias venit qui dicitur Chriſtus.

Iudaico firmati teſtimonio,expectari à Iudæis Meſſiam,quendam virum magnum & inſignem futurũ, qui Græco vocabulo Chriſtus appellatur: [a] qui cùm venerit,de his aliisq; huiuſmodi omnibus plenã nos edocebit veritatem.Sic enim pollicitus eſt per Moſem Deus,olim Prophetam magnum ſuſcitare mundo,cuius doctrinæ omnes deberent attendere,& verbis habere fidem indubitatam. [b] Videns autem Dominus mulieris animum ſatis rectè ad fidem capiendam diſpoſitum , plenam ei dignatus eſt aperire veritatem,dicens:Ego qui nunc tecum loquor,ille ſum Meſsias, multo antè vobis promiſſus & expectatus: ego ſum qui veni in mundum , annuntiare vobis omnia quæ ad ſalutem erunt neceſſaria. [d] Interim verò dum ſic cum muliere ſola ſolus dominus loqueretur,peracto negotio ad quod miſsi fuerant, redierunt à ciuitate diſcipuli:videntesque rem nouam & aliâs inſolitam, vehementer admirati ſunt, quòd ſic cum vna mulercula, & ea quidem Samaritana, tam familiariter, præter conſuetudinem , dominus protraheret colloquium. [e] Veruntamen ob reuerentiam nimiam erga præceptorem , nemo illorũ auſus eſt eum interrogare,quid à muliere iſta poſtulaſſet,aut qua de re cum ea miſcuiſſet ſermonem perſuaſiſsimum habentes, non niſi ſanctum & ſalutare illud fuiſſe colloquium,nec ſine peculiari ratione huic mulieri,licet Samaritanæ, tantam familiaritatem fuiſſe exhibitam. [f] Mulier autem illa, cùm audiſſet a Chriſto quòd verè ipſe eſſet Meſsias, nimio fidei feruore ſuccenſa, hydria iuxta puteum derelicta,feſtinà abiit in ciuitatem,cupiens tanti boni cæteros quoque conciues efficere participes:& teſtimonium perhibens veritati, occurrentibus ſibi hominibus ciuitatis illius dixit: [g] Venite mecum,& ego vobis demonſtrabo hominem,qui mihi per ſpiritum Prophetiæ res occultiſsimas, & humana via ſibi minimè cognitas patefecit:qui cùm me nunquã viderit, neque de me vnquam audierit, homo Iudæus exiſtens & extraneus,ſic tamen exactè mea omnia nouit:vt mihi nõ videatur dubium,quin Prophe-

a Cùm ergo venerit ille,annuntiabit nobis omnia.

b Dicit ei Ieſus:

c Ego ſum qui loquor tecum.

d Et continuò venerunt diſcipuli eius,& mirabantur, quia cum muliere loquebatur.

e Nemo tamen dixit : quid quæris,aut quid loqueris cum ea?

f Reliquit ergo hydriam ſuam mulier,& abiit in ciuitatem,& dicit illis hominibus:

g Venite & videte hominẽ,qui dixit mihi omnia quæcunque feci.

tiæ ſpiritum habeat.[a] Et forſitan ipſe eſt Meſsias ille patribus noſtris olim promiſſus atque hoc in tempore ad ſalutem populi deſtinatus.[b] Quibus ex muliere auditis, homines ciuitatis illius rei nouitate allecti, de ciuitate egreſsi, ducatu mulieris venerũt ad Ieſum, reſidentem iuxta fontẽ, vt eum viderent & audirent. [c]Interim verò dũ mulier hydria relicta ad ciuitatem properaret, ac per ciuitatem diſcurreret, quę audierat nuntiare, antequam de ciuitate mulier cũ cæteris rediſſet, diſcipuli qui cũ domino tum ſoli erant, eum ad ſumendum cibum quem ex ciuitate ſecum attulerãt inuitabant, quòd ſcirent eum iam ex itinere fatigatũ cibo indigere, ad refectionem corporis. [d] Ipſe verò ſciens quid ageret abſens muliercula, & quem expectaret ad ſe populi cõcurſum, vt oſtenderet, quantum ſibi eſſet cordi ſalus hominum, dixit ad eos. Non eſt iam tempus cibum hunc corporalem ſumendi, quem vos proponitis.[e] Ego enim alium habeo manducare cibum, non corporalem, ſed ſpiritualẽ, longe illo mihi gratiorem, quem vos adhuc ignoratis, & hunc ego veſtro ſic præfero, vt veſtrum illum nolim ſumere, donec meum hunc antè ſumpſero.[f] Quod verbum audientes, nec ſatis intelligentes diſcipuli, inter ſeſe cõquirentes dicebant: Nunquid fortè alius quiſpiam cibos ei attulit gratiores, quos noſtris præponit?[g] Dominus autem Ieſus audiens diſcipulos in verbi huius intellectu hallucinantes, vt oſtenderet ſpiritualem cibum eſſe, de quo verba fecerat, non corporalem, dixit eis: [h] Cibus meus quem dixi me habere manducandum hic eſt vt voluntatem perficiam Dei patris, qui me miſit in mundũ, vt opus quod ille mihi iniunxit, perficiã. Hoc mihi eſt omni cibo corporali longe gratius, nihil æquè meum animũ paſcit ac reficit: & vbi huius rei ſeſe offert occaſio, libenter eſcam corporalem poſtpono & negligo. Quod autem opus ſit iſtud de quo loquor, per comparationem vobis indicabo. [i] Vulgo homines tempora ſupputantes, & ventura præſentibus conferentes, meſsis tempus multo antè quam adueniat præuident, & cum deſiderio expectant, dicentes: Poſt quatuor menſes, tempus deſiderabile

a Nunquid ipſe eſt Chriſtus?

b Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

c Interea rogabant eum diſcipuli dicentes, Rabbi, mãduca.

d Ille autem dixit eis:

e Ego cibum habeo manducare quẽ vos neſcitis.

f Dicebãt ergo diſcipuli adinuicem, Nunquid aliquis attulit ei manducare?

g Dicit eis *Ieſus*

h Meus cibus eſt, vt faciã voluntatẽ eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.

i Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor mẽſes ſunt, & meſſis venit,

rabile meſsis adueniet.Sicut autem iſti meſſem temporalem multa attentione conſiderant,& magno deſiderio expectant,ſic ego ſpiritualem multo deſideratius attendo & expecto.[a] Et vos modo oculos mentis veſtræ atque etiam corporis leuate,vt contemplemini vniuerſum populum terræ:quoniã vere iam matureſcunt,& quaſi albeſcunt homines regionis huius, quemadmodum ſolent albeſcere ſegetes inſtãte meſſis tempore.Ex his qui modo ad me accurrũt & iamiam aderunt Samaritanis,cõſiderabitis prope adeſſe tempus fidei & cõuerſionis gentiũ,quam ego meam & veſtram meſſem reputo. [b] Atque in hac meſſe qui laborauerit,non gratis laborabit,ſed mercedem beatæ retributionis accipiet,quiſquis huic inſtabit operi:& congregabit,ſic metens fructum copioſum, id eſt,populos credentes in horreum domini meſsis,in vitam ſcilicet æternam.Sicque fiet, vt de fructu iſto ſimul gaudeãt & qui priores ſeminauerãt,& qui poſteriores meſſuerunt:dum vtriq; ſicut ſui laboris mercede nõ priuabuntur,ita & fructu lætabũtur.[c]Signanter dixi,vt & qui ſeminat ſimul gaudeat,& qui metit, quoniam hac in re,quantum ad meſſem iſtã ſpiritualem attinet recte locum habet vulgatum prouerbiũ, quo dici ſolet,aliũ ſeminare & aliũ metere. Hic ſanè veritatẽ certã habet prouerbialis iſte ſermo , tametſi in meſſe corporali nõ ſemper ita eueniat.[d]Ego enim vos elegi,& huc deſtinaui in animo , poſt paululum externa quoque iuſsione vos miſſurus,vt metatis quę voſipſi non ſeminaſtis, vt aliorum opus conſummetis,in quo ab initio ipſi non laboraſtis.[e] Qui ante vos extiterunt in populo domini, Patriarchæ atque Prophetæ,hi priores in erudiendo populum, partim verbis,partim exemplis, laborauerunt , ac pro formandis ad fidem & obedientiam vnius veri Dei hominibus multum inſumpſere laborem,pro hac re & mira gerentes , & grauia ferentes : [f] & vos modò in labores eorum ſubintroibitis , tanquam illorum opus conſummaturi , & quod illi pro ratione temporis ad perfectum adducere non potuerunt ad perfectionem debitam Euangelij prædicatione perducturi.

a Ecce dico vobis , leuate oculos veſtros , & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.

b Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternã: vt & qui ſeminat ſimul gaudeat & qui metit.

c In hoc enim verbũ verum, quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit.

d Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis.

e Alij laborauerunt.

f Et vos in labores eorum introiſtis.

Sicq́; fiet, vt ſimul & illi qui vobis meſſem hanc præparauerũt, habituri ſint gaudium, & vos qui opus eorũ conſummabitis, nihilominus veſtri laboris & fructus mercede perfruamini: vt ſicut fuit in opere laborioſa ſocietas, ita ſit & in retributione iucunda cõmunio. [a] Ex ciuitate autem illa Sychar, multi Samaritanorum ad fidem & deuotionem erga Chriſtum ſunt inducti, ex occaſione rumoris quẽ mulier illa ſparſerat in populo, dicens: Venite, & videte hominem, qui mihi reuelauit omnia mea, etiã ſecretiſsima. Tã cœperũt ad fidem diſponi; & quaſi obuia vltro fieri orda gentiliũ, imminẽte prædicationis Euãgelicæ tempore. Vt vel hoc ipſo exemplo manifeſtè ſtatim pateret veritas verbi domini, quo dixerat albeſcere regiones ad meſſem. [b] Prouocati itaque mulierculæ vnius verbis homines Samaritani, ciuitatem propere ſunt egreſsi, mulieris veſtigia inſequentes, vt viderẽt eum cuius tantam famam tenui aura perceperant: & cũ ad eum perueniſſent, cœpiſſentq́ue ab eo verbũ audire ſalutis, allecti verborum eius dulcedine, obnixè eum deprecati ſunt, vt ad tempus aliquantum apud ſe dignaretur comorari, ac veræ ſalutis ſibi viam docendo demonſtrare. [c] Dominus autem Ieſus, ſciens nõdum adeſſe tempus, quo penitus eſſet conuertẽda gentilitas, nec tamen cõtemnendos omnino putans tam ſuppliciter poſtulantes, in hoc eis cõſenſit, vt duos tantum dies apud eos permaneret, docens interim eos quæ ſalutis erant & fidei, donec poſterius ſuo tempore plenius omnia edocerentur. [d] Neque ſuo fructu caruit labor docentis. Factum eſt enim, Chriſto prædicante, vt multo plures in ipſum crederent, quam à principio crediderant, cùm per ſolam famam à muliercula de eo audiſſent. Multo ſiquidẽ efficacius præſentis viua vox ad vitam animos inflectit, quàm nuda abſentis fama. [e] Vnde in proteſtationem perfectioris ſuæ fidei erga Chriſtum, dicebant mulieri quæ primum ſibi Chriſti famam nunciauerat: [f] Nos licet à principio tuo verbo cœpimus habere fidem, iam tamen non vltra propter verbum narrationis tuæ credimus in iſtum mũdi ſaluatorem: ſed propter verba præ-

a Ex ciuitate autẽ illa, multi crediderũt in cũ Samaritanorũ, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci.

b Cùm veniſſent ergo ad illũ Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret.

c. Et manſit ibi duos dies.

d Et multo plures crediderunt propter ſermonem eius.

e Et mulieri dicebant:

f Quia iam nõ propter tuã loquelã credimus: ipſi ènim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt verè ſaluator mũdi.

prædicationis, quæ noſtris auribus ipſi ex eius ore audiuimus. Et hoc ab eo edocti certò cognoſcimus, fidéque indubitata tenemus, hũc verè eſſe Meſsiam, ſaluatorem mũdi, à Deo miſſum ad ſalutem humani generis. [a] Quoniam verò tempus nondum aduenerat, quo reiectis Iudæis, Euangelium prędicandũ erat in gẽtibus; ſed Iudaico populo propter patrum promiſſiones, adhuc miniſtrari debebat, nõ niſi duos dies illic voluit demorari, tametſi multis precibus inſtãter ſolicitatus: poſt quos deinde, iter inſtitutum eſt proſequutus, pergẽs in Galilæam. [b] Quod autem non in ſuam ciuitatem Nazareth, in qua fuerat enutritus, venit dominus, ſed ea relicta ad loca alia Galilęæ diuertit, cauſam ipſe reddidit, allegãs Prophetas nuſquam minus in pretio eſſe quàm apud ſuos ciues, in patria ſua, apud quos familiaritas antiqua cõtemptum ſolet parere. Vnde fit, vt fructũ maiorem apud exteros faciãt homines à Deo miſsi, quàm apud ciues proprios: propter quod, magis apud exteros voluit dominus cõuerſari, vbi fructum poſſet ampliorem conquirere.

a Poſt duos autẽ dies exijt inde, & abijt in Galilæam.

b Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet.

[c] Cùm ergo dominus, relicta Nazareth ciuitate ſua incredula, ad alias Galilææ ciuitates diuertiſſet, Galilæi magna fide & reuerentia eũ exceperũt: ob id maximè, quod ea iam vidiſſent quæ paulò antè Hieroſolymis in ſolennitatę paſchali patrauerat mirabilia. [d] Nam & ipſi præſentes tũ aderãt Hieroſolymis, propter feſtiuitatem paſchalem, quæ ex legis præſcripto eos coëgerat Hieroſolymam aſcẽderę, atq; ex miraculis iſtis iam antè viſis magnã de Chriſto æſtimationẽ animo cõceperãt, propter quam illũ ad ſe venientem promptius atq; magnificentius exceperunt. [e] Venit itaque rurſum ad locum illum Galilææ, nomine Cana, vbi prius miraculum illud inſigne cõuerſionis aquæ in vinũ oſtenderat. Quo cùm veniret, commoda ſtatim ſe obtulit occaſio prius illud miraculũ alio ſecundo velut innouandi. [f] Erat enim in Capharnaum non longè illinc diſtante ciuitate Galilææ, homo quidam gentilis & nobilis, vel natus de regio genere, vel in officio aliquo adminiſtrationis regalis cõſtitutus, cuius filius in ciuitate Capharnaum ad mor-

c Cùm ergo veniſſet in Galilæam exceperũt eum Galilæi, cũ omnia vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto.

d Et ipſi enim venerant ad diẽ feſtum.

e Venit ergo itẽrũ in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum.

f Et erat quidã Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaũ.

a Hic cùm audiſſet, quia Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæã, abijt ad eum, et rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius.

b Incipiebat enim mori.

c Dixit ergo Ieſus ad eum:

d Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.

e Dixit ad eum Regulus: Domine, deſcẽde priuſquã moriatur filius meus.

f Dicit ei Ieſus, Vade, filius tuus viuit.

g Credidit homo ſermoni quẽ dixit ei Ieſus, et ibat.

tem vſque grauiſsima febri laborabat. [a] Qui cũ aliorum relatu didiciſſet, dominum Ieſum relicta Iudæa, aduenire in Galilæam, nec longe à loco illo abeſſe, ex fama miraculorũ eius quę à referentibus audierat concepta bonę ſpei fiducia, ad Chriſtum ipſe acceſsit, obnixè ei ſupplicans, vt deſcẽdere ſecum dignaretur vſque Capharnaum, filiúmque ægrotantem ab infirmitate curare. [b] Erat enim humana via morbus incurabilis, & res planę deſperata: quoniam cum à domo abſcederet pater, iã morti proximus erat, & in extremis agebat filius. Propter quod ad Chriſtum, tanquã ad vnicum ſubſidium confugiebat, quem credebat ex diuina virtute ea quoque poſſe quæ humanas vires tranſcenderent. [c] Verùm quia imperfecta erat hominis iſtius & inſufficiẽs fides, qui præſentiã requirebat domini Ieſu, quaſi abſens abſentẽ curare nõ potuiſſet nõ ſtatim dominus petitioni eius aſſenſum præbuit, ſed quaſi de infidelitate eum redarguens, per modum increpationis dixit ad eũ: [d] Sic eſtis corde duri, & ſi de imperfecti, tu tuíque ſimiles, vt ſignis tãtũ & prodigiis, iiſque ſemper nouis, velut cogi debeatis ad fidem: cùm tamen ex inſtructionibus præuiis, & ex ſignis aliis iam antè oſtenſis, merito ad fidẽ pleniorem debueritis proficere. [e] Regulus autẽ ille paterno affectu pro filio animam agente nimium anxius, impatiens moræ, non exiſtimans tẽpus eſſe latius diſputandi, rurſum poſtulationem ſuam magno affectu replicat, dicens: Mi domine nunc quęſo te deſcẽde mecum in ciuitatẽ, & filium mihi chariſsimum ſanare digneris. [f] Eſt enim in mora periculum, quoniam iam eſt morti proximus. Cernens autẽ benigniſsimus dominus hominis illius fidem, licet imperfectã, ſuperabundanti ſua pietate ſupplens quod illius deerat imperfectioni, dixit ad eum: Non opus eſt, vt iuxta tuam poſtulationem pro hac re tecum vadam, non mea ad ſanandum tuũ filium opus eſt pręſentia. Abi tu domum filium tuum proculdubio viuum & valentem reperies. [g] Audiens hæc Regulus ille, non vltra domini præſentiam requiſiuit, ſed verbo ipſius ſimplici ſimpliciter credens, domum quantotius properauit, vt

quid de filio actum eſſet videret, & veritatem verborum Chriſti comprobaret. [a] Inter abeundum verò obuios ei habuit in itinere miniſtros, læta ſibi adferentes de filij bona valetudine nuntia: aſſerentes filium ſubitò conualuiſſe,& euaſiſſe mortis periculum. [b] Quo audito ſibi gratiſsimo nuntio, ab eis horam interrogauit, in qua erat morbo leuatus filius: vt ſic ex temporis conſonantia diſceret & comprobaret, non caſu aliquo aut immutatione naturæ reualuiſſe filium, ſed verbo Chriſti diuina & ſupernaturali virtute. [c] Et reſpondentes ſerui indicauerunt ei, quòd pridie eius diei circiter horam ſeptimam, ſtatim poſt meridiem, à febri illa qua laborabat grauiſsimè, ſubito fuiſſet liberatus, & priſtinæ omnino redditus ſanitati. [d] Conferens itaque ſecum pater, perpendit hanc ipſam fuiſſe horam, in qua cum domino pridie miſcuiſſet ſermonem, quando poſt omnia ab eo audiuit: Abi domum, filius tuus viuit & valet. Atq; hoc indicio certiſsimè comprobatum eſt, non caſu aliquo aut naturali qualibet immutatione filium ſic tanta alteratione ab infirmitate grauiſsima ad plenam ſanitatem rediiſſe, ſed per virtutem verbi Chriſti, quod abſens protulerat, & in abſente vt præſens ipſo ſenſus experimento cognouit fuiſſe operatum. [e] Quam ob rem & ipſe Regulus, tanto viſo miraculo & accepto beneficio, in Chriſtũ credidit, tanquam à Deo miſſum ad ſalutem hominum, & cum eo pariter omnis familia, quæ ei vt homini nobili, aut in magni officij adminiſtratione poſito, erat non modica eruditione eius inſtructa, & exemplo prouocata, in Chriſtum ſimiliter credidit. Sic enim ferè ſolet familia dominorum vel pietatem, vel impietatem imitari. [f] Hoc autem ſecundum fuit ſignum, quod altera iam vice dominus à Iudæa rediens in Galilæam patrauit, & in eodem ferè loco in quo prius illud miraculum conuerſionis aquæ in vinum oſtenderat, vt hoc ſecundo prioris velut innouauerit memoriam.

a Iam autẽ eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes, quia filius eius viueret.

b Interrogabat ergo horã ab eis in qua melius habuerit.

c Et dixerunt ei: Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris.

d Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus, filius tuus viuit.

e Et credidit ipſe, & domus eius tota.

f Hoc iterum ſecundum ſignũ fecit Ieſus, cum veniſſet à Iudæa in Galilæam.

ANNOTATIONES IN CAP. IIII.

Oportebat autem eum tranſire per mediam Samariam.) Græci codices tantum habent, per Samariam: atque ita etiam Latini codices antiqui & emendatiores habent. Senſus tamen non mutatur, ſi intelligas, per Samariam intermediam. Semper enim locus, per quem fit iter, medius eſt inter locum à quo proceditur, & alterum ad quem pergitur. ¶ Sedebat ſic ſupra fontem.) Adiicitur aduerbiũ, ſic, iuxta morem communem, volentiũ aliquid quaſi ſecundum modum quo fiat exprimere, & quaſi ipſis geſtibus quibus id fieri ſolet ante oculos proponere. In quem vſum etiam apud rhetores & eruditos huius ſeculi, ſolet particula illa vſurpari, & pleriſq; in vulgato vſu loquendi nimium eſt frequens. Sedebat igitur ſic, id eſt, vt ſolent laſſati ex itinere ſedere iuxta fontes. Nec aliud eſt, quod aliquanto clarius & diſtinctius annotarũt Chryſoſtomus & Theophylactus modum illum loquendi, ad humilitatẽ & quendam neglectũ referri. Quod autem ſedebat ſic (ait Theophylactus) ſignificat ſimpliciter, & vt fortè obueniebat, & nõ ſuper ſede, ſed ſic ſimpliciter, videlicet ſuper pauimẽto, refocillans corpus, & apud fontem ſe recreans. ¶ Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.) Coutuntur vocabulum Latinum, tametſi non ſit in vſu, interpres ad ſimilitudinẽ Græci verbi συγχρῶνται ſynchrõtæ non incommodè effinxit, ad exprimendam Græci vocabuli ſignificationẽ. Senſus eſt, Iudæos nõ habere cõſuetudinem, aut commercium cum Samaritanis. ¶ Domine, neque in quo haurias habes.) Loco totius illius, in quo haurias, Græcè vnum nomen ponitur ἄντλημα antlema, id eſt, hauſtrum, vel hauritorium, id eſt, inſtrumentũ quo hauriatur aqua. Altitudo autem hîc profunditatem ſignificat. ¶ Patres noſtri in monte hoc adorauerunt.) Cyrillus de monte Garizim locum iſtum exponit, dicẽs, ridiculoſam iſtam religionem Samaritanorum inde ortam eſſe, quòd in monte Garizim data eſſet benedictio, vt in Deuteronomio ſcribitur. Theophylactus verò mõtem illũ putat intelligendũ, in quem ductus fuit Iſaac, à patre Abraam, ad immolandũ. Verùm prior opinio Cyrilli videtur veriſimilior. Nã mõs in quẽ Iſaac à patre ductus fuit ad immolandũ, nõ in Samaria ſitus erat, ſed in Iudæa, nõ dictus Garizim, ſed Moria, quẽadmodũ legimus cap. 22. Geneſeos. Pro eo enim quod in noſtra æditione Latina legitur: Vade in terram viſionis, in Hebræo legitur Moria, quod alij lucidũ interpretantur, alij viſionem, quemadmodum reſtatur Hieronymus in libro de quæſtionibus Hebraicis. Mons autem iſte Moria, nihil dubium quin in Iudæa ſitus fuerit, cùm ibi poſtmodũ à Salomone ędificatum ſit

ſit templum,vt habes 2.Paralipomenon 3. ¶*Mirabantur quod cum muliere loqueretur.*)Non mirabantur quaſi ſuſpicantes malum, vt ait Auguſtinus,ſed bonū mirabantur.Nimirum (iuxta Cyrilli Chryſoſtomi & Theophylacti ſentētiam)Chriſti humanitatem,facilitatem,& humilitatē admirabantur:quod ipſe tantus vir,& tam celebris mundo,cū muliere paupercula & Samaritana loqui non dedignaretur:In eo autē quod ſequitur,ex diſcipulis neminem quicquā interrogaſſe Chriſtum,de iis quæ cum muliere dixiſſet,ſignificatur illorum erga præceptorem iuſta reuerētia.Diſcipulorum enim non eſt proborū, magiſtri facta curioſius perquirere,aut eorum rationem importunè ſcrutari. ¶*Adhuc quatuor mēſes ſunt.*)Quemadmodum annotauit Cyrillus,fermè veris initiū videtur fuiſſe,tunc cū iſta dominus loqueretur,quando ſata vix adhuc herbeſcentem viriditatē emiſerant quę poſt quatuor menſes,vt matura ſeges,metentiū manum poterant deſiderare.¶*Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit.*)Videtur ſermo iſte nō ſatis cohærere:Præmiſit enim,relicta Samaria, Chriſtum veniſſe in Galilæam,& mox ſubiungit,quaſi rationem reddēs facti huius:Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit, quia non eſt Propheta ſiue honore,niſi in patria ſua.Quæ verò hæc eſt cohærentia aut conſequētia?Nū ideo Samariam debuit derelinquere,& Galilæam accedere, quia nō honoratur Propheta in patria ſua?An nō magis ecōtrario videretur,ea ratione debuiſſe apud Samaritanos Chriſtū permanere, & ad Galilæā non accedere?Siquidem Galilæa ipſius erat patria, in qua honorem nō habet Propheta. Senſit iſtud incommodum continuationis diuus Auguſtinus,& explicare conatus eſt,ſed ita obſcurè, vt vix capi poſsit eius ſententia, quā tamen plurimis verbis dilatat. Patriā Chriſti totam intelligit Galilæam,eo quòd in ipſa eſſet conceptus & enutritus:& in hac tota eum nō habuiſſe honorem ait. Videtúrq; mihi(quantum ego quidem ſenſum eius capio) hoc dicere, quod rationem reddere voluerit Euāgeliſta, quare cùm apud Samaritanos tantū bidui ſpatio demoratus fructum tantum fecerit,modicū tamen admodum fructus fecerit apud Galilæos, licèt iam diu inter eos verſatus.Huius eſt ratio,quia Prophetę apud ſuos nō ſunt in pretio:vnde neq; fructum apud ſuos multum faciūt, ſed magis apud exteros,id quod & Chriſto euenit.Theophylactus aliquāto facilius videtur nodū diſſoluere.In verbo illo, Ipſe enim &c. dicens cauſam reddi,quare nō perpetuò in Galilæa dominus permāſerit, ſed ad Samaritanos aliquādo cōceſſerit.Eius hæc ſunt verba:Quum exiſſet à Samaria dominus,in Galilæā digreditur. Deinde,ne quis inquirat & dubitet,quare non ſemper manet in Galilæa,ſed peregrinatur apud

eos,

eos,maximè cùm videatur eſſe ex Galilæa,dicit, quod propterea nõ manſerit in Galilæa,quia nullum honorem illi exhibuerant.Chryſoſtomus in hoc à prædictis diſſentit, quòd patriam iſtam,de qua fit in propoſito ſermo,Capharnaum intelligit. In qua debitum honorem nõ fuiſſe domino impẽſum probat: ex illa ipſius exprobratione quã apud Matthæum cap. 11.legimus.*Et tu Capharnaum,nunquid vſq; in cælum exaltaberis? vſq; in infernum deſcendes.* Præſentem itaque locum ſic intelligit,vt dicat rationem hic reddi,quare Chriſtus,nõ ad Capharnaum ſuam patriam ſcribatur conceſsiſſe, ſed prius quidẽ ad Samaritanos,deinde ab his ad Galilæam,ſiue ad alia Galilææ loca, quàm ad Capharnaum,vtpote ad Canam & alias ciuitates:videlicet ne ſui grauius iudicarẽtur,ſi ipſo apud eos ſemper agẽte,nihilominus peruerſi & increduli remanerent. Nullam verò ex his tribus ſententiam noſtra ſequitur Elucidatio,ſed illam ſolam quã beatus Cyrillus clarius, & meo ſanè iudicio præ cęteris omnibus magis cõſonè ad ſcripturã aliorum Euangeliſtarũ,exprimit,his verbis:Vrbem quidem Samaritanorũ poſt duos dies reliquit. Verùm cùm Nazareth vbi enutritus fuit in Galilæam deſcendenti primum occurrebat, tamen in eam nõ diuertit:eiúſque rei cauſam attulit,dicens,ipſum Ieſum teſtatũ fuiſſe,Prophetam non eſſe ſine honore,niſi in patria ſua,quod tritum eſt atq; quotidianum, etiam ſi magnũ ſit,paruipendere.Præteriit ergo patriã,non quia inanis gloriæ eſſet cupidus,ſed quia optimè ſciebat prædicationem fidei fructum ibi facere nõ poſſe,vbi prædicator contemneretur.Hæc ille.Conferat lector, ſi libebit,ea quæ Lucas cap.9. ſui Euangelij,ſcripſit de ſaluatore veniente in Nazareth, ibiq; prædicante in ſynagoga,vbi & verbum illud protulit in aures omnium, quod hic proponitur,de Propheta non accepto in patria ſua,propter quod & præcipitare illum ſui conabantur de montis ſupercilio, ipſe autem tranſiens ab eis deſcendit Capharnaum.Cõferat, inquam,iſta lector diligens,cum iis quæ hîc à Cyrillo dicuntur: & videbit(ni fallor)à nobis,nõ ſine cauſa ſolam illam Cyrilli ſententiã eſſe acceptatã,omiſsis cæteris,quę mihi certè minus habere videntur claritatis & probabilitatis:illud maximè quod Chryſoſtomus affert.Quod enim prius debuit ad Canam peruenire,quam ad Capharnaum pertingeret,in ſuperioribus monſtratũ eſt,cùm ciuitas Capharnaum maritime ſit in finibus Zabulon,& Neptalim,& ſit inferior ipſa Cana,in tribu Aſer:vnde ſuprà cap.2.dictum eſt, Chriſtũ à Iudæa prius in Canã aduenisſe,ac deinde Ad Capharnaum deſcẽdiſſe.Sic & in eodem hoc capite Regulus dominum in Cana exiſtentem cupiẽs aduenire Capharnaum,rogat,vt deſcendat & ſanet filium. Vnde apparet,venientibus

bus à Iudæa per Canam eſſe tranſitum ad Capharnaum. Ac proinde nō magni videtur eſſe momenti quod ait Chryſoſtomus, rationem reddi, quare Chriſtus non in Capharnaū venerit, ſed in Galilæam & in Canam, quaſi ad Capharnaum potuerit venire ſine tranſitu Canæ. ¶*Et erat quidam Regulus.*) Græci codices vulgati habent *βασιλικὸς* baſilicos, quod ſignificat regalem vel regiū. Sic enim iſte appellatus eſt (iuxta Chryſoſtomi & Theophylacti ſententiā) ſiue quod regio eſſet genere, ſiue ꝙ alia principatus dignitate fungeretur. Eademq́; ratio in nomine Reguli locum habere poteſt. In libro enim Eſdræ quoſdam huiuſmodi regulos aut ſubregulos legimus, ab officiis adminiſtrationis regiæ appellatos. Quidam ſuſpicantur interpretem Latinum legiſſe *βασιλίσκος* baſiliſcus, diminutiuum nomen regis, quòd à priore non niſi vnius literæ immutatione differt.

ELVCIDATIO CAP. V.

FACTVM eſt autem poſt hæc tam præclara diuinæ virtutis opera exhibita, vt adueniente ſolennitate alia, iterum dominus Ieſus à Galilæa aſcenderet Hieroſolymam, tum vt legis mādato ſatiſfaceret, tum vt patris gloriam captata occaſione coram multitudine fœlicius illuſtraret.[b] In ciuitate autem Hieroſolymorum, lacus quidam erat ſiue nataroria piſcina, quæ Græca appellatione dicebatur *προβατικὴ* probatica, id eſt, ouilis, vel pecualis quod in ea oues, & pecora alia in templo immolanda prius aqua lauarētur & emundarentur: Hebraico item vocabulo eadem ratione Bethſaida vel Betheſda dicebatur, quod domum pecudum ſonat, quæ piſcina magnificè extructa, porticus quinque habebat quibus ad aquam deſcendebatur.[c] In his autem porticibus, multi admodum decumbebant male habētes, variis & longis infirmitatibus vexati, cæci quoq; & claudi, & manci, ſiue impotentes manibus: & aliis variis morbis vexati: qui omnes magno conſequēdæ ſanitatis deſiderio motum aquæ illius præſtolabantur.[d] Siquidem angelus domini certo ac definito vel opportuno tempore ſecundum diſpenſationem diuinam in aquam illam deſcendebat, ſigno viſibili virtutis ſuæ præſentiā demonſtrans, in peculiari quadā aquæ illius turbatione

Poſt hæc, erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam.

b Eſt autē Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens.

c In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectātium aquæ motum.

d Angelus autem domini deſcendebat ſecun-

& commo

& commotione.[a] Poſt quam ſenſibilem factam motioné, vnus aliquis ægrotantium cui contigiſſet alios anteuertere, & primũ in aquam illam ſic motam deſcẽdere, beneficium conſequebatur perfectæ ſanitatis ab infirmitate ſua quãlibet graui aut via humana deſperata & incurabili. Hoc enim miraculũ Deus adueniẽte tempore gratiæ, in typum paulo poſt inſtituendi ſacri baptiſmi, voluit Iudæis oſtendere, vt ad ipſum ſuſcipiendũ hac ratione paulatim aſſueſcerẽt. Experientia enim antiqua certo edocti, aquã piſcinæ hoſtiarum cęremonialium ſanguine permixtam, angelo operante, ab omni infirmitate intinctos curare, diſponebãtur ad credendum, quòd in baptiſmali lauacro, per aquam ſanguine verę illius hoſtiæ pro totius mundi ſalute immolandę commixtam, operante ſpiritu ſancto, omniũ omnino peccatorũ plena conferetur remiſsio, & perfecta ipſi animę ſanitas redderetur. [b] Inter plurimos igitur, qui illic ſpe ſalutis in porticibus decũbebant, vnus erat morbi diuturna afflictione inſignis, qui triginta & octo perpetuos annos graui infirmitate vexatus fuerat.[c] Quem cum dominus Ieſus in lectulo infirmitatis ſuæ decumbentẽ, vt ſingulariter miſerum, pietatis oculo illo quo miſeros miſericorditer ſolet aſpicere, fuiſſet intuitus, conſideraſſet quoque tot annos illum in hac infirmitate tranſegiſſe, & ab annis multis ſpe conſequendæ aliquãdo ſalutis iuxta locum illum fruſtra fuiſſe demoratum, cõmodum ei viſum eſt, in hoc miraculum edere, & patris gloriã in eo manifeſtare. Tanto enim miraculum illud futurum erat glorioſius, quanto deploratior erat & inueteratior morbus.[d] Dixit itaque ad eum: Cupis tu conſequi ſanitatem, & morbo tuo iſto leuari? Mox ille qui lãguidus iacebat, tam amicè ſibi loquẽtem audiens hominem ignotũ, ſpe auxilij concepta, miſeriã ſuam verecundè expoſuit, dicens:[e] Vir amande & honorande, ſanitatem quidem deſidero, ſed quomodo eam miſer ego cõſequar, neſcio. Omni enim auxilio deſtitutus, neminem habeo qui mei curam gerat, qui me poſt aquæ turbationẽ in lacum deferat.[f] Vnde fit, cùm per me ipſe expeditè ambulare non

dum tempus in piſcina, & mouebatur aqua.

a *Et qui primus deſcendiſſet in piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacunq; detinebatur infirmitate.*

b *Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.*

c *Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet quia iam multum tempus haberet.*

d *Dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus:*

e *Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam:*

f *dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.*

nõ valeam,neque quenquam habeam qui me deferat,vt ſemper aliorũ aliquis me anteuertat iu deſcendẽdo,qui vel me validiores ſunt inceſſu , vel ſuos habent miniſtros per quos tempeſtiuè deferantur ad aquã.Hæc ille dicebat Ieſu,quem ætate adhuc iuuenẽ,viribus fortem,& vultu benignum ac miſericordem cõſpiciebat,tacitè & verecundè poſtulans ab eo auxilium.[a]Audiens dominus hunc in tanta miſeria. non vt eiuſmodi ſolent,impatienter aut ſibi aut aliis maledicentem,ſed cum patientia & verecundia modeſte ſuam tãtum neceſsitatem proponentem,volens in eo diuinæ operationis miraculũ oſtẽdere, verbũ virtutis protulit,dicens:[b]Exurge tu de lectulo in quo decumbis,& ſanitate recepta,accipe illum in humeros tuos , atque ita palàm omnibus , in teſtimonium irrefragabile verę tuę ſanationis, hinc abi in domum tuam. [c] Statim verò vt verbum illud ore ſuo diuino protulit dominus Ieſus ita plene homo ille curatus eſt,tãmq; perfectè redditus ſanitati, & viribus omnibus ac membris reſtitutus,vt accipiẽs in humeros lectulum infirimitatis ſuę ipſum ante oculos omnium per viam publicam deferret.[d] Dies autem iſte in quo hæc peracta ſunt,dies erat ſabbati. Atque hinc ſuperſtitioſi Iudæi,in rebus minimis ſcrupuloſi, neglectis maioribus & præcipuis,anſam ſumpſere calumniandi & arguẽdi hominem illum qui lectum deferebat, dicẽtes ad eum:Dies ſabbati & requietionis eſt hodie,nõ eſt tibi licitum hoc die deferre lectum tuum, quoniam ab omni ſeruili opere lex diuina ſabbato iubet quieſcere. [e] Homo autem ille paruipendens Iudęorum verba,& illi magis obedire volens, à quo ſanitatis beneficiũ acceperat,ita reſpõdit ſe arguentibus.[f]Quod ego facio non ex me facio , ſed ex iuſſione & obediẽtia eius qui me ſanauit ab infirmitate.Is enim mihi præcepit,dicens:Tolle lectum tuum & abi domũ: cui poſt tantum acceptum beneficium nõ obedire, mihi nefas videtur, præcipue cùm non dubitẽ illum ſcire,quid & quare ſic mihi præceperit: quod nõ feciſſet homo ſanctus & diuinus,ſi iudicaſſet illicitum,& gloriæ Dei aduerſum.[g] Quo audito,ſuſpicione

a Dicit ei Ieſus:

b Surge, tolle grabbatum tuũ & ambula.

c Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabbatũ ſuum, & ambulabat.

d Erat autem ſabbatum in die illo. Dicebant *ergo Iudæi, illi qui ſanatus fuerat: ſabbatum eſt, non licet tibi tollere grabbatum tuum.*

e Reſpondit eis:

f Qui me ſanũ fecit, ille mihi dixit: Tolle grabbatum tuum, et ambula.

g Interrogauerunt ergo eum: Quis eſt ille homo qui dixit tibi, Tolle grabbatum tuum & ambulas?

picione ſtatim Iudæis incidente de Chriſto, quòd au thor ipſe eſſet huius negotij, interrogauerunt ab eo, quiſnam ille eſſet à quo ſe curatum dicebat. Quis, inquiũt, eſt homo ille tantæ prę̨ſumptionis & audaciȩ, qui tibi cõtra Dei præceptum auſus eſt iubere, in die ſabbati lectum tollere, domúmq; per viam publicam deferre? [a] Erat verò homini iſti dominus Ieſus de nomine incognitus, neq; quis ipſe eſſet, aut quo appellaretur nomine ſciebat. Nimirũ perpetuo vexatus morbo, loca publica non viſitauerat: propriáque miſeria abunde occupato, nouis rumoribus & alienis rebus intendere non vacauerat. Et quanquam de facie dominũ vtcunq; noſſet, non tamen præſens ipſe aderat, vt demonſtrari potuiſſet. [b] Statim enim poſt æditum miraculũ dominus Ieſus ſe ſubduxit à præſentia hominis ſanati & proxime circũſtantiũ hominum, atq; intra turbam interiorem illo in loco exiſtentem diſpẽſatorie ſeſe occultauit. Tum vt inanis gloriæ fugiendȩ prȩberet exemplum, tum vt miraculi fama ad patris gloriam ipſo abſente per ſanatum & ſpectatores liberius, látiusque diſpargeretur ad alios, tum ne ſua prȩſentia Iudȩorum animos vehementius irritaret, quaſi improbum eorum furorem declinans. [c] Poſt paululum verò dominus ſanatum illum in tẽplo pro collata ſibi gratia Deo agẽtem gratias inuenit, illicóque ſe ei quis eſſet amico colloquio prodidit, dicens: [d] Ecce iam plenam tibi contuli diuino munere ſanitatem: primum quidẽ malis animi tui curatis, id eſt, peccatis omnibus tibi dimiſsis, ac deinde corporis infirmitate ablata, priſtiniſque viribus tibi redditis. [e] Poſthac igitur diligenter tibi caue, ne iterum peccata committas, vt nõ in maius malum propter ingratitudinem recidas: ſiue in prȩſenti tempore in mortbũ grauiorem, ſiue in futura retributione in malum ęternũ. [f] Ex hac autem admonitione dominum Ieſum melius quàm ante cognoſcens qui ſanatus fuerat, ad Iudȩos rediit, à quibus prius interrogatus fuerat de nomine curatoris ſui: ipſiſque renuntiauit, Ieſum eſſe qui ſe curaſſet, & à quo mandatũ ſuſcepiſſet lectum ſuum perferẽdi domũ. Non id quidẽ ex animo

a Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet.

b Ieſus enim declinauit, à turba conſtituta in loco.

c Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, et dixit illi:

d Ecce ſanus factus es,

e iam noli peccare: ne deterius tibi aliquid contingat.

f Abijt ille homo, & nũtiauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum

mo malo, quòd odium conciliare vellet malè gratus curatori ſuo, ſed propter illius gloriam ex tam præclaro miraculo omnibus manifeſtandam.[a] Atq; hanc ob cauſam, inuidi & cæci Iudæi aduerſus Chriſtum odio ac indignatione ſunt commoti, quòd in die ſabbati iſta feciſſet, id eſt, hominē languidum curaſſet, & lectū ei deferre iuſsiſſet, cum illis videretur vtrunque in ſabbato illicitum, nempe & hominem curare, & lectum in humeris ferre.[b] Ieſus autem dominus exiſtens ſabbati, qui ad patris gloriam ſine peccato & ipſe faciebat, & aliis facere iubebat, quæcūque volebat, adducto patris ſui exemplo ſe excuſauit, dicēs: [c]Pater meus ab initio creaturæ, ex quo primum creaturam condidit, vſque modo ab opere ſuſtentationis & diſpoſitionis rerum omnium non ceſſit, atq; etiam in ſabbato operari nunquam deſinit: neq; dubiū eſt, quin citra ſabbati iniuriam id faciat.[d] Atque ita & ego patri conſubſtantialis filius, ab initio operari nō ceſſo, & patri in omnibus cooperor, nec ſabbati violator ob hoc debeo appellari: cùm ſim ego, ſicut & pater, ſabbati & omnium temporum dominus.[e] Quod verbum adeo Iudæorum inſanos animos non placauit, vt magis etiam irritauerit, & quaſi iram aduerſus Chriſtum duplicauerit, vt tanto ardentius eum quærerent interficere, quaſi geminam ſuo propoſito cauſam prætexentes: primum quidem, quòd ſabbatum violaret, ea in ſabbato faciens quæ illicita ipſi iudicabant. Deinde, quòd Deum diceret ſuum patrem, & ſe Dei filium, ita ſe dicens Deo æqualem, & eadem ſibi quæ Deo competere atque licere: quòd ipſi apertam blaſphemiam in Deum reputabant, nolentes Chriſtum quis eſſet, agnoſcere.[f] Dominus autē Ieſus aduerſus calumniātes, tali ſe apologia ſiue reſponſione defendit:[g] Illud ego vobis cum proteſtatione veritatis affirmo, quòd nihil ego patris verbum & filius, faciam, vel facere poſsim à memetipſo, ſic vt vlla mihi competat operatio, quæ non ſit mihi cum Deo patre communis: ſed illa tantū ego facio opera, quę patrem meum facere noui, quę mihi ſunt cum patre communia, & quę mihi pater dat vt faciam. Vnde dum me

a Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in ſabbato.

b Ieſus autem reſpondit eis:

c Pater meus vſque modo operatur:

d et ego operor.

e Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non ſolum ſoluebat ſabbatum, ſed & patrem ſuū dicebat Deū æqualem ſe faciens Deo.

f Reſpondit itaque Ieſus, & dixit eis,

g Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquā, niſi quod viderit patrem facientem,

meaq; opera vos malignantes reprehēditis,in patrē meum cæleſtem calumnia recidit:qui & eadem operatur,quæ & ego:& mihi author eſt,vt ea faciam,quę facio. [a] Et non ſolum in vno hoc opere quod nunc arguitis id veritatem habet,ſed generaliter omnis operatio mihi filio eſt cum meo patre cōmunis:ita vt omne quod fecerit pater,ego ſimiliter & cōmuniter cum eo idem illud efficiam,quoniā indiuiſa ſunt ęterni patris & coæterni filij opera. [b] Diligit nanq; dilectione æterna pater æternus , coæternum ſibi filium: eumque ſibi ab æterno gignens conſubſtantialem & per omnia coæqualem,ſic ei dat communē in omnibus operationem,vt nihil poſsit pater,quod non idē & filius,nihil ſciat pater , quod non item filius ſciat, quemadmodum ſuo more apud homines , ſolent patres filios adamātes omnem ſuam artem & poteſtatē eis tradere,& omnia ſic demonſtrare,vt nihil eos celent,aut ſibi occultū reſeruēt. [c] Inſuper & maiora quā hactenus ex me vidiſtis opera,mihi filio ſuo pater dabit operari:qui & mortuos excitabo, & infernum ac mortem debellabo , quæ maiora ſunt , quàm infirmi vnius ſanatio: [d] ex quibus meritò vos in admirationē & venerationem diuinę virtutis debeatis prouocari. Inter hæc autem diuinę virtutis opera,quę mihi pater dabit operari,vel præcipuum videtur , mortuorū reſuſcitatio,quę eſt mihi cum patre cōmunis. [e] Quēadmodum enim pater meus poteſtatem habet mortuos ſuſcitare à morte,atq; ad vitam reducere,ſicut & quæ non ſunt ad eſſe perducere;ſic & filius eandē cū patre habens poteſtatem , mortuos poteſt viuificare quos voluerit , cum plena poteſtate & imperio,tanquam mortis ac vitæ dominus.Mortuos,inquam,ſiue ſecundum corpus,ſiue ſecundum animam : quoniam vtranq; vitā pater & filius,ſimiliter tribuunt aut reddunt. [f] Alterum quoque opus præ cæteris magnum & ſpectandum in filio eſt,opus iudicij , quod in eo poſterius monſtrabitur. Pater enim cæleſtis in neminē per ſemetipſum exercebit iudiciū ſine filio , ſed filiū ſuum iudicem deſignauit , & conſtituit omnium viuorum atque mortuorum, vt ipſe Deus & homo de homi-

a Quæcunque enim ille facit, hæc & filius ſimiliter facit.

b Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit:

c & maiora his demonſtrabit ei opera,

d vt vos miremini.

e Sicut enim pater ſuſcitat mortuos & viuificat,ſic & filius quos vult viuificat.

f Neq; enim pater iudicat quenquam,ſed omne iudicium dedit filio,

hominibus pronuntiet iudiciũ:[a] propter quod, meritò omnes homines uereri debent, & honore afficere filium, qui eſt ipſorũ aſsignatus iudex, ſicut patrẽ uereri debent, & honorare, qui ipſum conſtituit iudicẽ. Quem enim ſic Deus pater omnibus pręponit, & ſibi æqualẽ conſtituit, nihil dubiũ, quin hunc & ab omnibus in ęquali ſecum honore uelit haberi.[b] Vnde quiſquis filium à patre miſſum non debito afficit honore, uerbis eius credendo & obediendo, ſed ipſum inhonorat contradicendo, & perſequendo, is nec patrẽ honore debito reueretur à quo miſſus eſt filius, & in cuius nomine uenit in mundum: quemadmodum is qui legatum contemnit, regem quoque ſpernit, à quo ille miſſus aduenit.[c] Et hoc ego uobis cum certa ueritatis proteſtatione ad ueſtram commotionem affirmo, ꝙ quiſquis meis ſermonibus fide & obediẽtia attenderit, ſicque in patrem qui me miſit iſta loqui & prædicare mundo (cuius ego ſemper gloriam quæro & prædico) crediderit, uitam habeat æternam, & modo in anima incipientem, per ſpiritus uiuificãtis gratiam, & poſt perficiendam per conſummatam gloriam:[d] neque ad iudicium condemnationis perueniet, qui huiuſmodi fuerit, ſed mortis æternæ euaſo periculo, in quod increduli incident, transferetur ad uitam, & per mortem corporis ad uitam animæ perueniet ſempiternam.[e] In ueritate autem dico uobis, iam tempus aduenire in proximo, imò iam adeſſe & currere tempus acceptabile gratiæ in quo ij qui mortui fuerint ſecundum animam morte peccati, audientes cum fide & obedientia debita uocem filij Dei incarnati in mundo, patris uoluntatem prædicãtis, reuiuiſcent per gratiam & peccatorũ remiſsionem. Sicut & ſecundum corpus audient nonnulli uocem filij Dei ſe excitantis, eaque audita, ad uitam redibunt corporalem: quæ in quibuſdam corporalis reſuſcitatio, ſignum quoddam erit & teſtimonium eius quæ intus agitur inuiſibilis reſurrectionis. Neque uerò hæc dixerim, quaſi à ſemetipſo hanc præcellentiam, actúſque tam magnificos filius habeat, ſed quia à patre ea omnia accepit.[f] Quemadmodum enim

a Vt omnes honorificent filiũ, ſicut honorificant patrem.

b Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui miſit illum.

c Amen amen dico uobis: quia qui uerbũ meũ audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam.

d Et in iudiciũ non uenit, ſed tranſiet à morte in uitam.

e Amen amen dico uobis, quia uenit hora, & nunc eſt, quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint, uiuent.

f Sicut enim pater habet uitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere uitam in ſemetipſo.

pater meus in ſe vita ipſa eſt ſecundum eſſentiam,nõ ſecundum participationem vitam habens ab alio, ſic & filio ſuo dat(dum eum ſibi conſubſtantialem ab æterno gignit) vt & ipſe vita ſit ſimiliter per eſſentiã, non viuẽs tantum ſecundum participationem. Atq; hinc & filio conuenit viuificare,ſicut patri: quoniam ei quod eſt per eſſentiã vita,per ſe conuenit,aliis quę tantum participatione aliqua viuentia ſunt vitã participando influere.[a] Dedit quoq; pater filio,ſicut poteſtatem viuificandi,ſic & authoritatem iudicandi omne genus humanũ, eo quòd ipſe ſit filius hominis, non Deus tantum,ſed Deus ſimul & homo. Conueniebat enim,& ſic viſum eſt parri,vt homines per hominem iudicarentur,qui inuiſibili forma iudicẽ exhiberet ſeipſum,ante quem exhiberentur iudicandi, & à quo ſententiam voce ſenſibili pronuntiatam pro ſuis meritis acciperent.Propter quod,non ipſe pater per ſemetipſum iudicare voluit mundũ,ſed per filiũ in aſſumpta forma ſerui,tamen glorioſa,decreuit generale iudicium fieri.[b] Neq; verò id vobis mirum videatur,aut tanquam abſurdum & incredibile æſtimetur:quòd filius hominis huiuſmodi habeat poteſtatẽ: quoniam quidem ipſa experientia olim rei huius diſcitis & cõprobatis veritatẽ.[c] Erit enim dies & hora ſoli Deo cognita,quando omnes qui in monumentis latẽt in terra,aut in profundis abyſsi in mari,audito ſonitu illo terribili magnificæ tubæ,quã per angelicum miniſterium ſonabit per orbẽ vniuerſum in iudicium adueniens filius Dei,idẽ & filius hominis,in momento,in ictu oculi,prodibunt de ſepulchris & latibulis ſuis:[d] & exhibebũtur omnes in reſumptis corporibus ante tribunal iudicis,vt recipiãt ſinguli mercedem ſecundum opera ſua:ij quidem qui in hoc mũdo vitam bene egerunt, in fide & operibus Deo dignis per ſuam reſurrectionem accepturi in anima ſimul & corpore beatam vitam & gloriam:[e] qui verò malè vitam tranſegerunt in vitiis & concupiſcentiis ſuis, per ſuam reſurrectionem accepturi in anima,item & corpore æternæ condemnationis iudiciũ, & vltionis ſempiternæ interminabile ſupplicium.

Fieri

a Et poteſtatem dedit ei iudiciũ facere, quia filius hominis eſt.

b Nolite mirari hoc:

c quia venit hora,in qua omnes qui in monumentis ſunt,audient vocem filij Dei:

d Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ,

e qui verò mala egerunt,in reſurrectionem iudicij.

[a] Fieri omnino nõ poteſt, vt opus vllum ego faciam, quod non pater ipſe mecum operetur, aut quod ab ipſo non accipiam: quemadmodũ & ipſe nihil poteſt facere per ſemetipſum, ſed per me faciat neceſſe eſt quæcunque facit. [b] Atque etiam in exequutione iudicij, non ego à meipſo iudicabo, ſed à patre: ſicut ab eo audiero, ſic iudico & iudicabo, conformiter vtique ad ipſius voluntatem & ſapientiam, quæ mihi cũ eo communis eſt & eadem. [c] Propter quod, certò ſcio meum iudicium nihil poſſe habere obliquitatis aut iniuſtitiæ, quod illi primæ & certiſsimę regulę: id eſt, patris iudicio per omnia reſpondet. [d] In omnibus enim actibus & iudiciis meis non ſequor ego voluntatem meam propriam & peculiarẽ, quæ à patris mei voluntate diſcordet: ſed per omnia voluntatem, ſequor patris, qui me miſit in mundum, & ſecundũ eius iudicium ac beneplacitum cuncta diſpono, cuius voluntati contrarium nihil facere aut poſſum, aut volo, propter perfectiſsimam quæ inter nos eſt concordiã & vnitatẽ. [e] Et quidem de his quæ iam loquutus ſum vobis, ſi ego ſolus teſtimonium perhibeam, ſi meo ſolo verbo aſſerantur, ſi ea nullius alterius ſint teſtimonio comprobata, non omnino ſine cauſa meum vnius teſtimonium (maximè cùm ad propriã laudem facere videatur) tanquam ſuſpectum refelli forſitan à vobis poſsit, tanquam dubiæ & incertę veritatis. In cauſa nanque propria non cito credendum eſt perhibenti ſibi teſtimonium, maximè ſi ad laudem res pertineat de qua agitur. Vnde nec mihi, quem non niſi hominem vultis exiſtimare, facilè vos credetis, maiora de me prædicanti, ſi nõ in alieno teſtimonio quę dixi comprobentur. [f] Nunc verò nõ ego ſolus, neque primus iſta de me protuli, ſed aliud quidam præclaræ apud deum ſanctitatis, & præcipuæ apud homines authoritatis, Baptiſta Ioãnes palàm omnibus magnificum & apertum de me perhibuit teſtimonium. [g] Et ego per diuinitatis meæ ſcientiam certò cognoui, veram eſſe prædicationem Ioanis quam de me protulit mundo: propter quod, eam & confirmo, & innouo ad patris mei gloriã. Ipſi vos Iudæorũ principes teſtimonium

a Non poſſum ego à meipſo facere quicquam.
b Sicut audio, iudico,
c & iudicium meũ iuſtum eſt:
d quia nõ quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.
e Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum nõ eſt verum.
f Alius eſt qui teſtimoniũ perhibet de me.
g & ſcio quia verum eſt teſtimonium eius quod perhibet de me.

a Vos miſiſtis ad Ioannem: nium ſi velitis,perhibere valebitis.[a] Vos enim priuſquam ego manifeſtus fierem mũdo,ad Ioannem maxima cum authoritate populum docentẽ & baptizantem ſolennes nuncios deſtinaſtis, qui eum interrogarent, num iuxta multorum æſtimationem ipſe eſſet Meſsias:[b] & ipſe apertè vobis confeſſus eſt omnem veritatẽ,dicens ſe non eſſe Meſsiam,ſed miniſtrũ tantum eſſe & præcurſorem eius,qui poſt paululum manifeſtandus eſſet mũdo,& alia huiuſmodi multa,quæ meritò vobis debebant ad fidem ſufficere.[c] Neque verò hæc dixerim,quaſi à quoquam hominum commendationem mei gratia requirens,quaſi ex teſtimonio hominis puri ego Dei filius debeã gloriam mihi venari, aut mendicando conquirere. Ego enim ſicut nullius indigeo,in meipſo apud patrem perfectã gloriam habẽs,ita neque ab hominibus quicquam valeo accipere,in quo mea creſcat gloria.[d] Sed ob hoc tantum mentionẽ induco teſtimonij Ioannis, vt vos ad memoriã reuocantes quæ ab eo audiſtis,& cum illis quæ modo ex me auditis,& in me videtis conferẽtes inducamini in fidẽ verborum meorum:ſicque ab ira incredulis omnibus vẽtura,ſaluas faciatis animas veſtras.[e] Erat Ioannes ille,non lux ipſa quę mundum illuminaret,non Dei verbũ aut ipſa patris ſapientia, ſed tamen diuini luminis participio ad menſurã ſatis copioſè illuſtratus,quaſi candela,ardorẽ habẽs & lumen:[f] ardens quidem, & erga Deum deuotione fidei,& erga proximos zelo dilectionis fraternæ, ad præparandas in ſalutem animas populorum:[g] lucens verò,tum per apertæ veritatis publicam prædicationem,tum per vitę probatiſsimę exemplarẽ conuerſationẽ.[h] Vos autem Iudæi non ſerio illius attẽdiſtis prędicationi,neque ſtabilem ex ea fructum ſtuduiſtis colligere,ſed tantum ad tempus modicum velut exultare,& gloriari ſubitanea quadam & inſtabili deuotione in eius prędicatione voluiſtis.Ipſo enim prædicante & baptizante,cœpit initio omnis ad eum regio properare,atq; ab eo & eruditionem & baptiſma turmatim requirere & ſuſcipere,ſed poſt paululũ eo ceſſante,omnium iam videmini obliti quę ille do cuit:

b & teſtimoniũ perhibuit veritati.

c Ego autẽ non ab homine teſtimoniũ accipio:

d ſed hæc dico, vt vos ſalui ſitis.

e Ille erat lucerna,

f ardens,

g & lucens.

h Vos autẽ voluiſtis ad horam exultare in luce eius.

cuit: & peculiariter illud quod potiſsimum docebat Ioannes, neglexiſtis eum quem venturum ille prædicabat modo ſuſcipere recuſantes, atque ita in vobis fruſtratus eſt illius omnis labor. [a] Quod ſi forte etiā huius teſtimonium vobis vile æſtimetur: habeo ego præterea teſtimonium aliud longè maius, validius & fide dignius, quàm ſit Ioānis teſtimonium, nimirum patris mei teſtimoniū, cui nefas ſit refragari. [b] Opera enim iſta diuinæ virtutis omnem naturæ vim ſuperantia, quæ mihi pater dedit, vt ea exhibeā in mundo, ad confirmationem doctrinæ meæ, illa (inquam) opera, quæ ſic ego facio in nomine & ex iuſsione patris mei, teſtificantur de me, quòd à patre ſim miſſus in mundum. Non enim tot ac tanta ſigna in nomine Dei patris ædere poſſem, niſi ille me miſiſſet, meámque approbaret doctrinam in cuius confirmationem hæc facio opera. [c] Ipſe enim quidem pater per ſemetipſum de me teſtimonium perhibuit, & quis ego ſim, mundo declarauit, quando ſuper me ſpiritu demiſſo in ſpecie columbæ, voce magnifica è ſupernis intonuit, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. [d] Et vos quidem vocem ipſius propriam, nūquam auribus audiſtis, neque ſpeciem eius aut formam propriam oculis vidiſtis: quoniam cùm ſit ipſe ex ſua natura ſpiritus, neque viſu neque auditu, neque vllo ſenſu alio per ſe poteſt percipi: egò tamen qui eiuſdem cum eo ſum naturæ, video eum, & pleniſsimè cognoſco, & per opera quæ in me operatur, ipſe ſe vobis quaſi viſibilē exhibet: & meritò vobis operū eius teſtimoniū debet ſufficere, poſtquam oculis ipſum videre, aut auribus audire non poteſtis. [e] Et verbum eius vos non habetis intra vos permanens, non inuenit locum in cordibus veſtris verbum patris, neq; ego qui verbum ſum & filius eius, neque ſermo meus quem ex eius iuſsione loquor in mundo: [f] quoniam mihi quem pater in ſalutem mundi deſtinauit, credere, verbiſque meis fidem dare, pertinaciter recuſatis: ſicq; per incredulitatem, ad vos miſſum Dei verbū à cordibus veſtris impiè repellitis. [g] Denique, ſi prędicta omnia non ſufficiant, quærite & ex

a Ego autē habeo teſtimoniū maius Ioanne.

b Opera enim quæ dedit mihi pater vt perficiā ea, ipſa opera quæ ego facio, teſtimoniū perhibent de me quia pater miſit me.

c Et qui miſit me pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.

d Neque vocem eius vnquā audiſtis, neq; ſpeciē eius vidiſtis.

e Et verbū eius non habetis in vobis manens, f quia quē miſit ille, huic vos non creditis.

g Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere.

ſcripturis teſtimoniũ,easque diligenter perſpicite,in quibus confiditis ſcientiam veritatis (quæ eſt animæ vita) inuenire: nec malè confiditis, ſi rectè quæritis.

a Et illæ ſunt quæ teſtimoniũ perhibẽt de me.

[a] Quas, ſi (vt oportet) animo ſyncero & ab odio excæcante iudiciũ libero, fueritis diligenter perſcrutati, etiam illic teſtimoniũ veritatis inuenietis: quoniã in ipſis eſt de me plurimus ſermo,& frequens mentio eorum quæ per me aguntur in mundo.

b Et non vultis venire ad me vt vitã habeatis.

[b] Vos tamen animo obfirmato aduerſus tot ac tanta veritatis teſtimonia, cõtemnitis ad me venire per fidem: quod ſi faceretis, vitam ex fide veram & æternam proculdubiò conſequeremini.

c Claritatẽ ab hominibus non accipio.

[c] Non ideo autem hæc dico, neque ob hoc ad me vos inuito, quòd propriã gloriam hac in re quæram. Ego enim ab hominibus gloriam non venor, ego in meipſo plenus gloria apud patrem & à patre, ab hominibus non opus habeo gloriam & claritatem mẽdicare, imò neque mihi quicquam ab hominibus poteſt addi gloriæ, præter eam qua plenus ſum in memetipſo.

d Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei nõ habetis in vobis.

[d] Sed vos ego quales ſitis cognoui, nimirũ vacui à vera Dei dilectione. Voſipſos enim pluſquam Deum, & gloriam veſtram pluſquam gloriam Dei diligentes, veram Dei dilectionẽ (quæ omni amori debet præpondere) nõ habetis, quod in vobis eſt totius mali ſeminariũ & fontale principium.

e Ego veni in nomine patris mei, & nõ accepiſtis me.

[e] Veni ego ad vos ex iuſsione patris mei, ab eo miſſus in mundũ ad veſtram ſalutem: & noluiſtis, neque etiamnũ vultis me credẽdo ſuſcipere, ſed apertè mihi reſiſtitis, & quaſi inutilem indignè repellitis.

f Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.

[f] Veniet autem olim in temporibus nouiſsimis, alius quidam mihi aduerſarius, nõ miſſus à Deo, ſed à ſemetipſo præſumptione propria, qui ſe iactabat eſſe quod ſum ego: & huic veſtra progenies, in hoc veſtram imitatura incredulitatem & rebellionem, toto corde adhærebit. Nimirum quia ego ad vos veniẽs in humilitate & paupertate appareo, nec ea quę in corde veſtro ſunt, id eſt, honores & diuitias amplector vel approbo, ſed tantum patris voluntatem vobis ſimpliciter annuntio, veſtram ſuperbiam redarguẽs, ob hoc à vobis non ſuſcipior. Ille autẽ Antichriſtus cùm venerit, quia apparebit in honore & diuitiis multis, & donis

tem

temporalibus honorabit ſibi adhærẽtes, ſuperbia veſtra illũ ſuſcipiet: quæ diuerſitas manifeſtè argumento eſt, vos eſſe à Dei dilectione vacuos, ac propria dilectione plenos. [a] Quomodo enim fieri poſſet, vt vos Dei ſermonibus fide debita attendatis & obediatis, quibus maximè cordi ſunt honores mundi huius, & gloria quæ eſt ab hominibus: gloria autẽ Dei quę primum deberet habere locũ, infimũ in corde veſtro vel certè nullum obtinet, vt non ſit vobis curæ acquirere gloriam quæ eſt apud Deum, quæ nimirũ ſola eſt & verè ſtabilis gloria. Nihil profectò mirum, ſi doctrinam Dei, & fidem Dei repellatis, poſtquam propriam gloriam toto animo quærentes, Dei gloriam cõtemnitis? [b] Nolite verò exiſtimare, quod ego tantum vos apud patrem ſum accuſaturus, ꝙ me ſolum habeatis aduerſarium in hac infidelitate & ſuperbia veſtra. [c] Etiam ipſe Moſes, in quo vos gloriamini tanquam eius diſcipuli, & cuius cathedram tanquam ſucceſſores & locum eius tenẽtes occupatis, vos accuſat, & condemnationi obnoxios arguit, aduerſus vos veſtrámq; incredulitatem ferens teſtimonium. [d] Videlicet quoniam nec ei credere vos comprobatis, dũ me refellitis. Nam ſi Moſi verbis & ſcriptis haberetis fidem, mihi quoq; fidem, reuerẽtiam, & obedientiam debitam præſtaretis: [e] quoniam quidem ille in ſuis ſcriptis mei meminit, & venienti mihi fidẽ obedientiámque præſtari pręcepit. Veluti cùm dixit: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de medio fratum veſtrorum, ipſum ſicut me audietis, itémq; & aliàs frequenter meum in ſuis ſcriptis aduentum præſignauit.

[f] Poſtea verò quàm illius cuius tanta apud vos eſt tam antiqua authoritas, ſcriptis non creditis, nec obtemperare vultis, non vſque adeò mirum videtur, ſi mihi adhuc vobis incognito, & nullius in corde veſtro æſtimationis aut pretij, cæca obdurati cordis veſtri pertinacia fidem dare recuſet.

a Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt nõ quæritis?

b Nolite putare, quia ego accuſaturus ſum vos apud patrẽ:

c eſt qui accuſat vos Moſes, in quo ſperatis.

d Si enim crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi.

e De me enim ille ſcripſit.

f Si autẽ illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?

ANNOTATIONES IN CAP. V.

P*oſt hæc erat dies feſtus* Iudæorum.) Græci authores, Cyrillus, Chryſoſtomus, & Theophylactus, ſacram pẽtecoſten hanc ſolennita-

tem fuiſſe intelligũt. Feſtum enim proximum de quo in capite præcedenti ſermo erat, paſcha fuit: quo peracto à Iudæa in Galilæam redierat, vnde nunc rurſum creditur aſcendiſſe. ¶ *Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina.*) Græca exemplaria vulgata quæ nunc ſunt in manibus, ſic habent: Eſt autem Hieroſolymis ſuper probaticam, vel ad probaticam, piſcina: vt ſignificetur piſcina vel pars eſſe eius totius loci qui probatica dictus eſſet, vel iuxta locum illum ſita. Verùm tale nihil ex vllo Græcorum commentariorum vel tenuiſsimo indicio, haberi poteſt. Quinimo Theophylacti interpretatio ſatis apertè teſtari videtur, quod noſtro more legerit, probatica piſcina, duo illa in eodem caſu iungens, vt adiectiuum cum ſubſtantiuo ſolet coniungi. Sic enim ille ſcribit: Probatica autem dicebatur piſcina, eò quòd oues illic ad ſacrificium congregabantur, & inteſtina eorũ abluebãtur. Ac poſterius, vbi hiſtoriam iſtam ad myſteriũ baptiſmi accommodat. Porrò, inquit, per probaticam piſcinam, intellige bapiſma in quo Ieſus dominus noſter, ouis illa pro nobis immolata, lotus eſt & baptizatus pro nobis. Ac deinde per eandẽ piſcinam myſticè pœnitentiam intelligẽs, ita ait: Probatica autem quædam dicetur piſcina iſta. Nam inteſtina & cogitationes, quæ in ſacrificium viuũ, ſanctũ, beneplacitum Deo præparãtur, & innocua fiunt, ſicut πρόβατα probata, hoc eſt, oues in iſta abluuntur. Conſentiunt his quæ de hac re ſcribit diuus Hieron. in lib. de locis Hebraicis, in hæc verba, Bethſaida, piſcina quæ fuit Hieroſolymis, cognomẽto probatica, quam nos pecualem poſſumus interpretari. Ecce dum ait, cognomẽto probatica, manifeſtè noſtram comprobat lectionem. Deinde ad exprimendã loci illius conditionẽ ſubſungit: Hæc quinq; quõdam porticus habuit. Oſtenduntur gemini lacus, quorũ vnus hybernis pluuiis adimpleri ſolet, alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis antiqui in ſe operis ſigna teſtatur. Nã hoſtias in ea lauari à ſacerdotibus ſolitas ferunt, vnde & nomen accepit. ¶ *Quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida.*) Græca exemplaria vulgata pro Bethſaida, habẽt Betheſda, quod quidam ſecundum Hebręã etymologiã, interpretantur, domũ pecualem. Nam beth Hebræis ſignificat domum, eder gregem vel pecus. Vnde Betheder, domus gregũ, vel pecualis poteſt intelligi. Ex authoribus vetuſtis quomodo legerint certi nihil deprehẽdi poteſt, cùm nemo vocabuli huius vim tractet, aut etymologiam excutiat. ¶ *Angelus autem domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam.*) Secundũ tempus, id eſt, certo vel opportuno tẽpore. Verùm hoc tempus quale fuerit, particulariter à nemine veterum ſcriptũ inuenio, præter quàm à Cyrillo: qui apertè aſſerit, ſolo die pentecoſtes contigiſſe

tigiſſe hanc aquæ motionem. Die pentecoſtes, inquit, angeli de cęlo deſcendentes, piſcinæ illius aquā mouebāt: & huius motionis ſonus, adeſſe ipſos ad ſanctificandum aquam, ſignificabat. Ac poſt pauca, Quapropter aqua etiam illius piſcinæ, angelorum aduētum ſignificans, non alio quàm pentecoſtes tempore mouebatur. Nec malè iſta ſententia myſterio conuenit. Siquidē per hoc piſcinæ miraculū (iuxta concordem ſanctorum patrū ſententiam) voluit Deus multò ante, baptiſmi per Chriſtum inſtituēdi ſignificare virtutē. In baptiſmate autē, nō aqua ipſa per ſe ſanctificat, niſi inſuper de cælo virtus adſit & cooperetur ſpiritusſancti, qui die ſacro pentecoſtes deſcendens, aquam turbauit: id eſt, baptiſmale lauacrū hominibus ſanctificauit, ita vt ex tūc prçciperetur Apoſtolis, vt euntes in mundū vniuerſum, vniuerſos credentes baptizarēt in remiſsionē omnium peccatorum. Mat. 28. Chryſoſtomus & Theophylactus generaliter tantū exponunt, certo tempore, vel opportuno tēpore. Videri tamen poſſet Chryſoſtomus, ſi ipſius verba preſsius conſiderentur, hoc ſenſiſſe, quòd non tantum certo aliquo & definito tēpore (vt ait Cyrillus de pentecoſte) Angelus deſcenderit, ſed generaliter per ſingulos annos, aliquo tēpore, vel etiam pluribus tēporibus non quidē certis illis & definitis, ſed indeterminatis, quādo & quoties domino fuiſſet placitum ex eo colligimus, quod cōmendans, hominis iſtius ſanandi patientiā, dicit, ipſum octo & triginta annos nūquam diſcedētem illic expectaſſe, vt ſanaretur. Quod ſi verum eſt, illum per tot annos nunquam diſcedendo à loco illo expectaſſe, cōſequens videtur, vt nō aliquo definito tempore vel die, illa fieret motio aquæ, ſed generaliter, quando Deo placebat, vel ſemel per annū vel pluries. Si enim ſtatuto aliquo tempore, vtpote in ſolēnitate pentecoſtali, tantū facta fuiſſet hæc motio aquç, non videretur veriſimile, quod per tot annorū ſpatium illic in porticibus in publico loco nunquam diſcedendo homo ille permanſiſſet. Mox enim vbi audiſſet, illo die ex infirmis illis aliquem eſſe ſanatū, certum habuiſſet, ante annum futurū nihil ſibi ſpei eſſe ad cōſequendum ſanitatem. Neque veriſimile videtur, tam fuiſſe impotētem, aut ſic fuiſſe omni deſtitutum auxilio, vt non aliquē potuiſſet acquirere per totum anni ſpatium, qui ipſum à loco illo auferret, ne fruſtra ibi tantū tempus in loco publico verecūdè tranſigeret. Mihi ſanè (ſaluo aliorum iudicio) magis arridet illa ſententia, nec definito aliquo tātum die vel tēpore, nec ſemel tantum in anno, ſed indeterminato & incerto tempore, quādo & quoties Deo eſſet placitum, aquam illam ſic moueri ſolitam. Quam ſententiā aliqua ex parte cōmendat, quod Euāgeliſta ſimpliciter dixit, *In his porticibus iacebat multitudo magna lā*

guentium

guentium, &c. Non enim videtur loqui tãtum de illo tempore feſti, ſed ſimpliciter & generaliter, aſsiduè in porticibus illis iacere ſolitã huiuſmodi infirmorum multitudinem. Ex quo deinde cõſequens videtur, quòd per totũ annum huiuſmodi expectabatur aquæ motio, neque tantum definito aliquo tempore: ipſa autem aquæ turbatio in ſignũ ob hoc data fuiſſe videtur. vt per ea intelligerent infirmi, quãdo & quoties vim ſanatiuã aqua acciperet. Verùm nos hac in re nihil definitè aſſerimus, ſuũ cuique iudicium liberũ relinquentes. Prolixius autẽ quàm noſtrũ inſtitutum ferat locum iſtum tractauimus: ob id maximè, quod apud ſcriptores minus plene tractatus videatur. ¶ *Ieſus autem declinauit à turba conſtituta in loco.*) Græci codices nõ habent præpoſitionem, à, ſed abſque ea in hunc ſenſum legunt Ieſum autẽ declinauit, turba exiſtente vel conſtituta in loco. Vt ſignificetur dominus non à turba declinaſſe, ſed ab ipſo quẽ ſanauerat, vel a proximè aſtantibus Iudæis, intra reliquam turbam ſe occultaſſe, vt facilè eſt in turba oculos cuiuſpiã vel aliquorum effugere. Atque hũc ſenſum manifeſtè indicat Cyrillus, cùm ait, Chriſtũ diſpenſatoriè in multitudine hominũ occultatum, vt ira Iudæorum deferueſceret. In eandẽ ſententiam legit & Auguſtinus, id quod apertè teſtantur hæc eius verba: Ieſus autẽ cùm hoc feciſſet & dixiſſet, declinauerat ab eo in turba. Videri igitur ſatis probabiliter poteſt (cũ & Græci & Latini cõſentiãt, & ratio ſuffragetur) ſuperuacaneã eſſe in vulgatis Latinorum codicibus præpoſitionem. ¶ *Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc feciſſet in ſabbato.*) Vulgati Græcorũ codices interiiciũt, & quærebant eum interficere. Verùm id in nullis Latinis inuenitur, neque interpretum quiſquam vel Græcorum vel Latinorum illius verbi hoc ſanè loco meminit, vnde probabiliter æſtimari poteſt, ex ſequẽtibus huc eſſe adiectũ. ¶ *Pater meus vſq; modo operatur.*) Cyrillus & Theophylactus, vſque modo, idem valere putant, quod etiam in ſabbato. Poteſt tamẽ & generalius accipi, vt ſit ſenſus, Ab initio quo cœpit operari pater, nunquã eum ab operando ceſſaſſe, cùm ab initio creaturæ nunquã deſtiterit à ſuſtentatione & gubernatione mundi. Vnde ſi quãlibet operationem in ſabbato, violationem ipſius reputare Iudæi voluerint, conſequens erit, tot ſabbatorũ Deũ patrem eſſe violatorem, quot præceſſerant ab initio creaturæ. Atque in hoc ſenſu, vt magis generali, ille etiã ſanctorũ intellectus includitur, & inſuper aliquid vehementiæ additur orationi. *Amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit patrem ſuum facientem.* Et poſt pauca: *Pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit.*) Ne quis forte iſta quæ hìc humano more dicuntur de filio Dei, aliter

intelligat

intelligat quàm de diuinitate credi cõueniat,atque vt noſtra Elucidatio in his tã diuinis verbis non aberrare à patrum interpretatione ſciatur,paucisſima hic patris Cyrilli verba,quibus locũ iſtum enarrat, ſubiiciã.Sic enim loca iſta enarrans ait:Imposſibile eſt(ait Chriſtus)cũ filius patris & ex eo naturaliter ſim, me aliud velle aut aliud facere,quã quod pater & velit & faciat, nõn quia quaſi exẽplo quodã didicerim,aut quia voluntate ſiue electione imitandum eſſe patrem iudicauerim,ſed quia naturæ legibus ad eãdem operationem atq; conſilium conſcendo.Pater etiam rurſus filio demonſtrat, quæ ipſe facit:non quaſi depicta in tabulis,nec quaſi ignorantẽ doctrina iuuans,(omnia enim filius vt Deus nouit)ſed totũ ſeipſum in natura filij ſic pingẽs,vt quæcunq; in ſe habeat,in filio demõſtret: ita vt ex quibus,quænã ſit natura patris,cognoſcitur,ex illis etiam natura filij demonſtratur.Iſta Cyrillus.Atque ad hunc modũ cæteri omnes orthodoxi,pro Chriſti gloria exponunt,quę hic dicuntur:cũ ecõtrario Arriani & alij hæretici, ferè omnia huiuſmodi aduerſus Dei gloriam torquere & peruertere conati fuerint:quorũ venena peſtifera vt certius nos effugeremus,per omnia orthodoxorũ patrum ſententiæ in diuinisſimorum verborum iſtorum enarratione inhæſimus.

¶ *Et poteſtatem dedit ei iudicium facere,quia filius hominis eſt.* Nolite mirari *hoc,quia venit hora.*)Hic locus ſecundum variam diſtinctionem varie legitur & intelligitur à patribus. Latini codices ita diſtinguunt, vt illud, *Quia filius hominis eſt*, iungatur cum immediatẽ præcedenti:ac deinde noua incipiatur ſententia ab eo loco:*Nolite mirari hoc:* Quam diſtinctionem ſolã Auguſtinus ſequitur, dicens, illa particula, *Quia filius hominis eſt*,rationem dare eius quod præcedit,nimirũ quare pater filiò poteſtatem dederit faciendi iudiciũ,ad eum ferè modũ per omnia quo nos in Elucidatione ſenſum iſtum lucidè ſatis explanauimus.Cuius etiam verba nonnulla ad pleniorem intelligentiam, hic placuit ſubiicere.Nõ ad iudiciũ viuorum & mortuorum pater ipſe venturus eſt,quia non ipſe videbitur in iudicio. Videbunt in quem pupugerũt.Forma illa erit iudex,quę ſtetit ſub iudice:illa iudicabit, quę iudicata eſt.Iudicata eſt iniquè,iudicabit iuſtè.Veniet ergo forma ſerui,& ipſa apparebit.Etenim forma Dei quomodo appareat iuſtis & iniuſtis?Nam ſi iudiciũ non fieret niſi inter ſolos iuſtos, appareret tãquam iuſtis forma Dei.Quia verò iudiciũ futurum eſt iuſtorum & iniuſtorum,nec licet vt iniqui videant Deum(*Beati enim mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt*)talis apparebit index, qualis videri posſit,& ab eis quos coronaturus eſt,& ab eis quos damnaturus eſt.Forma ergo ſerui videbitur,occulta erit forma Dei.Occultus erit in ſeruo

Matt. 5.

in ſeruo filius Dei, & apparebit filius hominis:quia poteſtaté dedit ei & iudiciũ facere,quia filius hominis eſt. Et quia ipſe ſolus apparebit in forma ſerui,pater auté non apparebit,quia nõ eſt indutus forma ſerui,ideo ſuperius ait:*Pater non iudicat quenquam , ſed omne iudicium dedit filio.* Hactenus Auguſtinus. Eãdem quoque per omnia diſtinctionem & conſimilem punctationem ſequitur Græcus author Cyrillus,ſecundũ eandem fere ſententiam quæ ſupra latius declarata eſt,exponens id quod dicitur:*Quia filius hominis eſt:* vt intelligamus cauſam reddi propter quã dixerit,ſibi datã eſſe in tempore iudiciariam poteſtatem,cùm ei vt vnigenito patri coęterno competat ſemper iſta poteſtas. Ideo,inquit,datam in tẽpore dicit filius Dei hanc ſibi poteſtatem,quia filius hominis eſt: ſecũdum quod homo eſt dari ei debuit,in tẽpore,quod ſecundum diuinitatem habet in æternitate. Cæterùm in eo quod ſubiungitur:*Nolite mirari hoc,* aliam ille intelligit relationé,quam ſupra nos ſimus interpretati. Accipit enim ille pronomen,hoc,vt referat nõ id quod proxime dictũ eſt de accepta poteſtate,ſed miraculũ ipſum ſanationis paralytici,in hunc ſenſum: Nolite mirari hoc,quod vnus longo morbo diſſolutus verbo corroboratus,etiam grabbatum tulit & abiit: cùm mortem omnino ſim deſtructurus,& orbé terrarũ iudicaturus. At verò Chryſoſtomus & Theophylactus,aliter prædicta diſtinguunt, in verbo illo, Poteſtaté dedit ei iudicium facere,completam enuntiantes ſententiam: ac deinde,à capite quaſi nouam inchoãtes,hoc modo:*Quia filius hominis eſt:nolite mirari hoc,quia venit hora &c.* Aſsignántque hũc ſenſum: Quod dixi mihi à patre datum eſſe facere iudicium, nolite tanquã nouum aut incredibile admirari ex eo quod filius hominis ſum:quoniam idem ego qui filius ſum hominis,ſum nihilominus filius Dei, quéadmodum tunc monſtrabitur, quando omnes de monumentis prodibunt in generali omniũ reſurrectione. Atque hi quidem adeò ſuam diſtinctionem amplectuntur, vt noſtram penitus reiiciant, eo quòd hęreticus quidã Paulus Samoſatenus, iuxta noſtræ diſtinctionis formã legens,ex hoc loco aſſeruerit,Chriſtum eſſe hominem purũ:dicẽs,ipſum iudicem eſſe conſtitutum,non vt Deum patri æqualé,ſed vt hominé,cui data ſit à Deo illa poteſtas. Sed nos iã ſuprà oſtẽdimus,iuxta Auguſtini & Cyrilli enarrationes,nihil eſſe periculi in noſtra diſtinctione,neq; veritati aduerſum aliquid ea ſignificari propter quod debeat reiici vel poſtponi. ¶ *Audient vocem filij Dei,& procedent qui bona fecerunt,&c.)* Verbum illud,procedent,ad vtranque parté ſequentem referatur,in hunc ſenſum: Audient omnes boni & mali,vocé filij Dei,& omnes item procedent ſiue prodibunt de mo-

monumentis

gumentis,ſiue boni ſiue mali,ſed alio atque alio modo:boni quidem ad vitam æternam,mali verò ad ſupplicium æternum. Hanc diſtinctionem annotarunt Cyrillus & Auguſtinus. ¶*Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo,teſtimonium meum non eſt verum.*) Videtur hoc pugnare cum eo quod alibi dicit. *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum verum eſt.* Verum ſoluitur contrarietas, ſi intelligamus in propoſito loco, ſecundum opinionem & iudicium illorum, ad quos ſermonem habebat,Chriſtum fuiſſe loquutum:quemadmodum puchrè annotauit Chryſoſtomus,particulam illam, *Teſtimoniũ meum non eſt verum*, non temerè eſſe intelligendam,ſed ad illorum opinionem eſſe referendam:nec ſua authoritate Chriſtũ illam aſſerẽdo pronuntiaſſe,ſed pro auditorum ſuſpicione loquutum eſſe,quaſi diceret:Vobis non eſt verum, vos non credetis,ſi ego tantum de me ipſo teſtimonium perhibeam. Annotarunt idem Cyrillus: & Theophylactus. ¶*Ego autem habeo teſtimonium maius Ioãne.*) Græcè eſt, μείζω τῶν ἰωάννου, vbi quia in genitiuo caſu ponitur, Ioannis, iuxta morem Græcorum ablatiuo carentium, putant quidam repetendum, teſtimonium, hoc modo: Habeo teſtimonium maius teſtimonio Ioannis. Atque ea ratione quidam mutant ablatiuum in genitiuum, legentes ad hunc modum: Habeo teſtimonium maius Ioannis, ſubaudientes teſtimonio. Atque in hunc modum debet etiam noſtra lectio intelligi. ¶*Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam habere.*) Sermo iſte vt in Latinis, ita & in Græcis ambiguus eſt, ſecundum quod verbum, ſcrutamini, vel imperatiue ſumitur vel indicatiue. Chryſoſtomus imperatiue accepit,dicens,Chriſtũ hoc verbo mittere Iudæos ad diligenter perſcrutãdas ſcripturas, & hoc eis iubere vt ſcrutentur. Cyrillus verò hũc ſenſum, tametſi communem eum & tritum agnoſcat, nequaquam tamen recipiendum putat, ſed indicatiue & aſſertiue verbum contendit accipiendum, in hunc ſenſum:Vos quidem ſcripturas ſcrutamini,putantes in illis vitam inuenire:ſed quæ vobis erit ex hoc vtilitas,cùm in illis de me teſtimonia deprehendentes nolitis tamen ad me venire,vt vitam habeatis?Imò magis animarum veſtrarũ maxima detrimẽta inde vobis colligitis: vnde ſalutẽ conſequi putatis,dum ad contradicendum tantum veritati ſcripturã legitis. ¶*Si alius venerit in nomine ſuo,illũ accipietis.*) Cõmuni loquentiũ cõſuetudine volentium quod certò venturũ putãt cũ modeſtia aſſerere,conditionalẽ loquẽdi modũ pro tẽporali aſſumit. Vult enim ſignificare,cũ alius venerit,illũ ab eis ſuſcipiendum. Cõmuni autem ſententia omnes doctores Antichriſtũ hic intelligẽdum eſſe affirmant, de quo & Paulus ſcribens Theſſalonicenſibus per

per omnia his Chriſti verbis ſimilia loquitur,poſterioris Epiſtolę ſecundo capite:Cuius,inquit,de Antichriſto , eſt aduentus ſecundū operationem Satanæ in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus,& in omni ſeductione iniquitatis,iis qui pereunt,eo quod charitatem veritatis non receperunt , vt ſalui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris,vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, conſenſerunt autem iniquitati,

ELVCIDATIO CAP. VI.

Poſt hæc abijt Ieſus trans mare Galilææ quod eſt Tyberiadis:

[b] Et ſequebatur eum multitudo magna quia videbāt ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur.

[c] Subijt ergo in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.

[d] Erat autem proximum paſcha, dies feſtus Iudæorum.

[e] Cùm ſubleuaſſet oculos Ieſus: & vidiſſet,quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum:

His verò peractis, alio quodam tempore dominus Ieſus abiit trās mare ſitum in Galilæa,quod ab imminente Tyberiade ciuitate,ſic à Tyberio Cæſare nominata,appellabatur mare ſiue ſtagnū aut lacus Tyberiadis. [b] Proſequebatur autem eum hominum plurima multitudo,idque potiſsimum ob ſigna & miracula,quæ ab eo fieri videbāt ſuper malè habētes.Quidam enim ex admiratione ſignorum, vt rerum nouarum cupidi:alij propter ſanitatem vel ſibi vel ſuis acquirēdam:alij propter eius doctrinam audiendam,Chriſtū proſequebantur, omnes ſignorum eius potentia & efficacia permoti. [c] Perueniens autem in locum deſertū trans mare dominus, aſcendit in mōtem ipſe cum diſcipulis:ibíque inter eos familiariter reſedit,vt cum eis de rebus cæleſtibus conferēs,ad patrandum paulò pòſt miraculum ſe ac ſuos præparet:exemplum in hoc præbens,iis qui in Eccleſia paſtorum locum tenent, prius ſe in monte ſolitudinis & contemplationis apud ſemetipſos exercere, quàm ad miniſtrandum aliis deſcendant, ſicque ex quiete & amore cæleſtis contemplationis, ad proximorū neceſsitates ſeſe demittere [d] Cùm autem hæc agerentur , non longè aberat paſchalis ſolennitas, quod tempus miraculo congruum videbatur:vt eius fama per illos qui Hieroſolymam erāt profecturi ad ſolennitatem,facilius latiúſque ad Euangelij profectum ſpargeretur. [e] Sedens itaque dominus in montis altitudine,cùm oculos illos benedictos inæſtimabilis pietatis:oculos, inquam , & corporis & mentis multo magis , ad proſpiciendum in turbam infernè

præ

præſtolantem ſubleuaſſet, vidiſſetque maximam hominũ multitudinẽ ad ſe vndiquaq; conueniſſe, ac per multum iam tempus patiẽter expectaſſe, animo meditans opus diuinæ virtutis, quo populum erudiret atq; conſolaretur, quendam ex diſcipulis nomine Philippum, qui erat à Bethſaida, alloquutus eſt, quaſi cõſilium inquirens, & dixit:[a] Vnde nobis tanta ſuppetere poſsit vis pecuniarum, vt panes emamus ad tantam hanc multitudinem reficiendam ſufficientes?[b] Interrogabat autem hæc dominus, tantum vt Philippum tentaret, vtq; ex eius reſponſo clareret rei quã Chriſtus meditabatur, humana via impoſsibilitas.[c] Non autem quaſi ignorans ignorabat, quoniam ipſe quid in animo haberet, & quid iamiam facturus erat, præſciebat.[d] Philippus autem de propoſita interrogatione vehementer admiratus, ita reſpondit: Quid tu domine de emendis panibus in omnem hanc turbã loqueris? Etiam ſi ducentis denariis (qui à noſtra tenuitate longè abſunt) panes nobis comparemus, non ſuffecerint omnes illi panes, non dico ad ſaturandos omnium ventres, ſed neque ad tenuiter reficiendũ & famis neceſsitatem depellendam.[e] Alius verò quidã ex diſcipulis nomine Andreas, frater Simonis Petri, audita domini interrogatione de modo reficiẽdi populum, & Philippi, reſponſione ignorantis conſilium, dixit ad dominum:[f] Eſt hic in comitatu noſtro puer quidam habens in cibum quinque panes, eoſque ordeaceos, & duos piſciculos, nec aliud quippiam eſcarum in promptu eſt, quod ad manũ habere poſsimus: quod ſi ad multitudinem cibandam ſufficeret, facilè eſſet tuo propoſito ex nobis inuenire conſilium.[g] Sed quid commeatus iſte tam tenuis & modicus, ad tam immenſam hominum, & famelicorum hominum turbam? Humana profectò via, ex tam modico cibo fieri nõ poteſt, vt omnes iſti vel famis neceſsitate leuẽtur. Proinde tu præceptor conſiliũ inueni, quo nos ſecundum humanam prouidentiam deſtituimur.[h] Declarata igitur ad exhibẽdi miraculi gloriã, rei difficultate & impoſsibilitate ſecundũ naturã, ad miraculum ſe accingẽs dominus, ait diſcipulis: Curate, vt in certos

a Vnde ememus panes, vt manducent hi?

b Hoc autem dicebat tentãs eũ.

c Ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus.

d Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes, nõ ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.

e Dicit ei vnus ex diſcipulis eius Andreas frater Simonis Petri.

f Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos & duos piſces.

g Sed hæc quid ſunt inter tantos?

h dicit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere.

a Erat autem ſœnum multum in loco.

b Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinq; millia.

c Accepit ergo Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet,

d diſtribuit diſcumbentibus; ſimiliter ex piſcibus, quantum volebant.

f Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerũt fragmẽta ne pereãt.

g Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinq; panibus ordeaceis, quæ ſuperſuerunt his qui manducauerant.

ordines digeſti atque compoſiti. homines iſti diſcumbant: ego illis cibũ apponi curabo, quem edant.[a] Erat autem illo in loco virentis graminis multa copia: propter quod ad accumbendum locus ille commodus & amœnus videbatur.[b] Statimq́ue obedientes diſcipuli iuxta verbum domini, turbas diſponunt ad conuiuia per ordines eos dirigentes, ſic vt ſingulis commodè poſsit miniſtrari: eratq; numerus eorum qui diſcumbebant, quinq; millia virorum, non cõnumeratis mulieribus & paruulis, quorum proculdubio non minor erat numerus.[c] Illis itaq; diſcumbentibus, & Dei gratiam ac benignitatem ex Apoſtolica inſtructione præſtolatibus, dominus Ieſus in ſacras illas ad benedictas manus ſuas panes quinq; illos accepit, eosq́; adhuc in manibus tenens, eleuatis ad cælũ oculis patri gratias egit, à quo omne bonum ſciebat deſcendere, & à quo patrandi miraculi virtutem ſe habere agnoſcebat: in hoc ſuo nos exemplo inſtruẽs patri bonum omne acceptũ referri, quodcunque nobis obtigerit, ipſiq́; ſemper in omnibus donis ſuis gratias agere:[d] ac deinde, per Apoſtolorum manus diſcumbentibus iuſsit apponi partes quas frangendo multiplicabat: ſimiliter & de piſcibus agebat, ſingulis quantũ vellẽt ex vtriuſq; miniſtrans, non ad neceſsitatem tantum aut tenuem ſufficientiã, ſed ad plenã abundantiã. Diuina quippe virtute, qua ab initio condita ſunt omnia ex nihilo, in manibus illius panes piſcesq́; frangẽtis ſic illa ſubſtantia multiplicabatur, vt omnibus abũdè ſufficeret. [e] Poſtquam verò iam omnes eſſent egregiè refecti & bene ſaturi, non ſolum depulſa fame, ſed & impleto deſiderio, iuſsit diſcipulis, colligere fragmẽta micaſq́ue panũ & piſciũ, quę mãducantibus ſuperfuerant, ne perirent Dei dona: partim, vt ex hac fragmẽtorũ collectiõe illuſtrior redderetur miraculi gloria: partim, vt ex ea nos edoceremur nunquam bona Dei dona, ad vſum hominum conceſſa, propter abundantiã ſpernere aut vilipendere, ſed quæ nobis fortè ſuperſunt, in aliorum indigentium vſus fideliter conſeruare.[f] Tanta verò eſt inuenta fragmentorum copia, vt colligẽtes ea diſcipuli duodecim cophinos impleuerint

rint

rint fragmentis illis,quæ ex quinq; tantum panibus & duob⁹ piſculis omni turbę illi ſaturitatæ ſupererãt, ita vt poſt abſolutum cõuiuium,multo plus reliquiarum ſit repertum,quàm ante ciborum poterat inueniri.[a]Proinde homines illi tãtum & miraculum & beneficium in ſemetipſis experti,meritò magnam inde conceperunt de Chriſto ſigni authore exiſtimationẽ, quam & verbo teſtabantur,dicẽtes:[b] Verè hic eſt ille Propheta magnus & inſignis in lege promiſſus,& tanto deſiderio hactenus nobis expectatus,vt qui venturus eſſet,& à Deo mittendus in mundum,ad ſalutem populi.[c] Dominus autem Ieſus per diuinitatis ſuæ omni ſcientiam cognoſcẽs,homines illos ex miraculi huius admiratione ſic nimio & incõpoſito erga ſe feruore affectos,vt animo meditarentur in regẽ temporalem ipſum ſibi conſtituere, & niſi fuga ſe ab eis ſubduceret iamiam illos ad rem properaturos, ſic vt etiam reluctantem eum conarentur in regnũ ſubuehere,atque ita rebellare Romanis (quòd putarẽt ſub tanto rege non poſſe non optimè agi)[d] rurſum in montem ſe ſubduxit,vnde ad paſcendam turbam deſcenderat vt aliquantiſper ab eis abeſſet,donec affectus ille immodicus & ſubitaneus feruor populi,temporis mora deferbuiſſet,& calor ardẽtium animorũ aliquantulũ refrixiſſet:exemplũ nobis imitabile præbens,temporales honores & mundi pompas nõ tantũ non abire,verùm etiã oblatos quo ad licet refugere. [e]Cùm autẽ iam adueniret veſpera,diſcipuli ad mare deſcẽderũt ex domini iuſsione,qui ſic eis cõſtituerat ſolus in montẽ aſcendens, vt quantotius ipſum trans mare pręcederent:[f] ſicq; conſcenſa naui,poſt periculum & miraculũ ſtatim deſcribẽda,tandẽ peruenerũt in ripam oppoſitam,in ciuitatem Capharnaũ,quę ſita erat ex oppoſito loci illius in quo miraculũ prędictũ dominus patrauerat,& in qua tum tẽporis dominus cũ ſuis morabatur.[g]Cùm autẽ nauim ingreſsi aliquã diu nauigaſſent,nox aduenit,& necdum ad eos venit dominus,in mõte ſolus ꝓlixius orãs,atq; etiã à ꝓpoſito diutius à diſcipulis,ad ꝓbãdũ eorũ fidẽ, abeſſe volẽs.[h] Abſcẽte autẽ domino, tẽpeſtas magna ſatis ex-

a Illi ergo homines cũ vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum dicebant:

b Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.

c Ieſus ergo cũ cognouiſſet quia venturi eſſent vt raperent eum,et facerent eum regem.

d Fugit iterum in montem ipſe ſolus.

e Vt autem ſero factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare.

f Et cùm adſcendiſſent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum.

g Et tenebræ factæ erant:et non venerat ad eos Ieſus.

h Mare autem vẽto magno flãte exurgebat.

orta eſt,eleuabanturq; in altum fluctus maris à venti impetu,qui à vehementia ſua mare conturbabat, & contrarius exiſtẽs nauiculam fluctibus ex aduerſo occurrentibus quatiebat,ac velut obruebat.[a] Cùm itaque remigaſſent illi ad ſtadia ferè vigintiquinq; aut triginta,multoque & longo labore,ob venti nimiam aduerſitatẽ,parum profeciſſent,pius dominus qui laborantibus in tribulatione propius ſemper adeſſe cõſueuit,opportunè illis adfuit remigãdo iam defatigatis:apparuitq; eis per tenebras noctis, pedibus mare calcans,ac ſuper maris aquas quaſi ſuper terræ ſolum ambulans.[b] Quem videntes naui iam proximũ fieri, nimia rei nouitate perterriti,timuerunt,exiſtimãtes ſpectrum forſitan eſſe phantaſticum,aut dæmonis illuſionem,cuiuſmodi nonnunquam ſolent noctis tempore nauigantibus,aut iter conficientibus, apparere. [c]Pius verò Ieſus,qui non ad ſuorũ terrorem,ſed conſolationem veniebat,voce blanda & familiari cõturbatos alloquutus eſt,dicẽs: Ego ipſe ſum dominus ac præceptor veſter,ponite ſuperuacaneum hunc animi veſtri timorem. [d] Quem ſtatim ex voce domeſtica agnoſcẽtes diſcipuli,pulſo timore,cõſolatiõe magna refecti accurrebant geſtiẽtes,velut aduentũ ei ſibiq; gratulãtes,& voluerunt eum ad ſe in nauim ſuſcipere:[e] ipſoq; ingreſſo,ſtatim nauis diuino miraculo ſubitò viſa eſt applicuiſſe terræ,ad quẽ nauigando pergebant,à qua multum ſatis Chriſto ingrediẽte diſtabant.Sicq; per Chriſti præſentiã reſarcitum eſt damnum multæ & laborioſæ nauigationis nocturnæ,qua parum profecerant,vt ſolent omnia Chriſto pręſente damna ſarciri. Atq; ita in vno hoc facto tria lucẽt miracula.Primũ,in eo ꝙ pedibus mare calcauit:ſecũdũ, ꝙ tempeſtatem ſubito ſedauit:tertium, quòd nauim à littore multum adhuc diſtantem in momẽto terræ appulit.[f]Poſtridie verò eius diei quo turbas pauerat dominus,turba quę in loco illo vbi patratum erat miraculum trans mare ex oppoſito ciuitatis Capharnaũ adhuc perſtabat,cœpit aduertere & ſecũ perpendere, quod pridie ibi non fuiſſet nauis alia, præter illã quã conſcenderant diſcipuli:& certò ſciebant,dominum Ieſum

a Cùm remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti-quinque aut triginta,vident Ieſum ambulantẽ ſuper mare, & proximum naui fieri:
b & timuerũt.
c Ille autem dicit eis: Ego ſum nolite timere.
d Voluerunt ergo accipere eum in nauim:
e & ſtatim nauis fuit ad terrã in quam ibant.
f Altera die turba quæ ſtabat trans mare,vidit quia nauicula alia nõ erat ibi niſi vna: & quia nõ introiſſet cum diſcipulis ſuis Ieſus in nauim,ſed ſoli diſcipuli eius abiiſſent. Aliæ verò ſuperuenerũt naues à Tyberiade iuxta lo-

Ieſum hanc nauim nõ conſcendiſſe cum ſuis diſcipulis,ſed ſolos eos fuiſſe nauim ingreſſos:propter quod, exiſtimauerãt adhuc in monte quẽ aſcenderat agere dominũ,nihil ſuſpicantes de miraculo ambulationis ſuper mare.Interim tamen aliæ ſuperuenerant naues à Tyberiade ciuitate vicina(vt erat continuus aduentantium ad Ieſum cõfluxus)applicantes ad locũ illum in quo dominum inuenire exiſtimauerant, videlicet vbi pridie à domino paſtæ fuerant turbæ, & manducauerant panem, gratiarum actionem Deo patri & Chriſto filio eius perſoluentes: pro tam opportuno accepto beneficio,& viſo tam inſigni atque iucundo miraculo.[a] Turba,inquam,iſta quæ adhuc in loco illo præſtolãs Ieſum perſtabat,cùm ex prædictis indiciis tandem aduertiſſet,inde eum abſceſsiſſe, & nuſquam inueniri, neque quẽquam diſcipulorum eius illic remanſiſſe, facilè ſuſpicantes ꝙ diſcipulos fuiſſet ipſe quocunq; tandẽ modo aut via ſequutus, quos viderãt verſus Capharnaum nauigaſſe, non ferentes abeſſe à Ieſu,cõſcenſis nauibus illis quæ ſuperuenerant,tranſnauigauerũt in oppoſitam ripam, & peruenerũt Capharnaum,quo prior cũ ſuis appulerat dominus:ſtatimq; eum,cuius gratia venerant quęſierũt.[b] Et cúm eum trãs mare in Capharnaum(quæ ſita erat in littore,ex oppoſito loci illius vbi miraculum factum fuerat)inueniſſent,ignorãtes quonam modo perueniſſet illuc dominus,aut lacum traieciſſet,interrogauerunt eũ,dicentes:[c] Magiſter quãdo aut quomodo huc venire potuiſti?Nos enim te prçſtolabamur,& abſceſsiſſe ignorabamus, quoniam vnica erat illo in loco nauicula,quam ſine te diſcipuli ſoli conſcenderant.[d]Dominus autẽ Ieſus,adhuc illos in animo voluere ſciens heſternum propoſitum,de ſe in regem conſtituendo (quod ſanè propoſitnm nõ ex vera fide & dilectione erga Deũ procedebat, ſed magis ex amore proprio, ꝙ ſperarẽt ſub tali ac tanto rege ſibi omnia fœliciter ſucceſſura,ac in bonis omnib⁹ tẽporalibus ſe per illũ abũdaturos)ad euellendam ex eorũ animis hanc malam proprij amoris radicem, & veræ fidei pietatẽ inſerendam,durè ſatis per modum increpantis eos allo

eum vbi manducauerãt panem gratias agentes Deo.

a Cùm ergo vidiſſet turba, quia Ieſus non eſſet ibi neq; diſcipuli eius,aſcẽderunt in nauiculas,et venerũt Capharnaum, quærẽtes Ieſum.

b Et cùm inueniſſent eũ trans mare, dixerunt ei:

c Rabbi,quãdo huc veniſti?

d Reſpondit eis Ieſus, & dixit:

a Amen amē dico vobis quæritis me nō quia vidiſtis ſigna,

quutus eſt,dicens:[e] Hoc ego certo noui,& cū veritatis ꝓteſtatione vobis affirmo,ꝙ nunc me proſequuti eſtis & quæritis,nō ex vera radice pietatis proficiſci: ſed tantum ob veſtrū proprium cōmodum, & cōmodū corporis nō animæ. Videlicet ob hoc nūc me tam ſtudioſè(vt videmini)quæritis,non quia miracula vidiſtis diuinam in me virtutem atteſtātia:hoc eſt, non quòd ex miraculis iſtis vera fide & dilectione erga Deum ſitis affecti. Nam & aliàs plura feci miracula, nūquam tamen ſic me quæſiſtis regem facere. [b] Sed propter beneficiū temporale quod pridie accepiſtis, ideo me ꝑſequimini,& vano cōceptu regē me facere cōſtituitis,vobis & vētri veſtro conſulētes: ſperantes nimirū per me in temporalibus bonis omnibus conſequi abundantiam & proſperitatem. Non eſt autem hoc verū pietatis ſtudium, ad quod vos adducere cupio.[c] Super omnia enim laborare & anniti vos oportet,vt cibum acquiratis, non iſtū corporeum & temporalem, qui nobis eſt cū brutis animantibus cōmunis & facilè tam malis quàm bonis acquiritur, quiq; conſumptus in ſeceſſum emittitur, ſed cibum animæ verum & incorruptibilem,qui animam in vita paſcat æterna, ſic vt nunquam eſuriat aut deficiat: [d] quem profectò verū animæ cibum ego vobis ſum daturus, ſi excuſſo ſomnio temporalis cibi & abundantiæ, ex animo eum à me poſtulaueritis. [e] Me enim filiū hominis in tēpore de virgine natū,pater cæleſtis ſignauit,& quaſi ſigillo cōfirmauit, teſtimoniiſq; firmiſsimis & irrefragabilibus declarauit, & declarabit amplius,illum eſſe qui hominibus cibum verū vitæ æternæ debeā largiri,à quo verus animę cibus debeat expectari. Signauit etiam me pater vnctione & ſegregatione peculiari præ cęteris omnibus filiis hominum, quem etiam ab æterno vt characterem ſuū & imaginem quaſi in identitate ſubſtantiæ gignendo ſignauit. [f] Audientes verò turbæ ita durè ſibi loquentem dominū,non ſtatim quidem in cōtumeliam prorumpunt:ex parte tamen aliqua, amarū animum & nonnihil offenſum produnt, dū quaſi indignātes interrogāt.[g] Quid tu vltra à nobis exigis,aut quid faciemus,

b ſed quia mãducaſtis ex panibus, & ſaturi eſtis.

c Operamini, non cibū qui perit,ſed qui permanet in vitam æternam:

d quē filius hominis dabit vobis.

e Hunc enim pater ſignauit Deus.

Dixerunt ergo ad eum:

g Quid faciemus vt operemur opera Dei?

vt

vt iuxta tuum conſiliũ operemur quæ Deo ſunt grata,& vitam cõferant æternã?Nonne iam ſatis nos fecimus,qui legẽ ſeruamus, atque inſuper te tanto affectu quærimus,& terra mariq́; ſectamur? [a] Dominus autem veræ pietatis radicem eis volẽs demonſtrare, paucis verbis ſic illis reſpondit: [b] Inter omnia opera quib⁹ Deũ vobis demereri poſsitis, & Deo grati fieri,hoc eſt præcipuũ & primũ, ex quo pendent cætera omnia, vt vera recta & ſyncera fide illi adhæreatis, eúmq; ſuper omnia diligatis,quem ipſe miſit in mũdum:vt vos ipſos diligere & quæ veſtra ſunt quærere deſinẽtes, totum affectum cordis veſtri, in me transferatis,me ſuper omnia diligentes,& meam doctrinã ad quam docendam à Patre ſum miſſus,ſuper omnia mundi bona requiratis. Vnicum hoc opus internũ radix eſt totius Euangelicæ pietatis, ex qua quodcunq; opus proceſſerit Deo gratum erit, quicquid autẽ inde nõ naſcitur, gratũ Deo non erit,neque vitæ æternæ meritorium. Propter hoc ſcilicet vos nũc arguo, quia radicẽ iſtam verę pietatis in vobis non inuenio. [c] His verò auditis,apertius iram ſuam prodere incipiũt,& quales antè fuerint,nũc ſatis demonſtrant,dũ verbis quaſi exprobratoriis cũ eo expoſtulant,dicentes: [d] Si vis vt tibi & in te credamus, oſtende ergo nobis ſignũ aliquod ſufficiens & efficax, quod nos de veritate miſsionis tuę à Patre certos reddat.Nõ enim videtur rationabile, vt tibi credamus, niſi ſigno aliquo efficaci nobis cõprobes, te verè à Deo miſsũ eſſe.Hactenus verò nihil tale oſtẽdiſti,quod ad faciẽdã nobis fidẽ videatur ſufficere.[e] Nã ſi fortè ſignum heſternũ velis adducere de paſtu multorum milliũ,exiguũ & tenue videt iſtud miraculũ, ſi cũ eo conferatur qđ olim patribus noſtris per Moſem fuit à Deo exhibitũ: quando patres noſtri olim ſub Moſe in deſerto mãna comederũt,panẽ ſibi de cęlo datũ, [f] iuxta teſtimoniũ ſcripturę dicentis in Pſal. Filiis Iſraël egreſsis de Aegypto Deus panẽ miſit cęleſtẽ, nõ ex terra eductũ,ſed de cęlo aëreo in modũ rotis ſuper terrã demiſſum, quo pane annos totos quadraginta eoſdẽ aluit in deſerto. Hoc ſanè miraculũ longè maius videtur,

a Reſpondit Ieſus & dixit eis:
b Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quẽ miſit ille.
c Dixerunt ergo ei:
d Quod ergo tu facis ſignũ vt videamus & credamus tibi? quid operaris?
e Patres noſtri manducauerũt manna in deſerto,
f ſicut ſcriptum eſt: Panẽ de cælo dedit eis manducare.

eo quòd ex te heri vidimus,& abſq; vlla comparatione præcellẽtius Sic illi apertè ſuam prodentes ingratitudinem, glorioſiſsimũ illud Chriſti miraculum ſimul & beneficium,attenuãt,& comparatione iniqua velut nihili faciunt.[a] Contra quorum improbitatẽ, ex aduerſo Dominus Ieſus illud per Moſem olim exhibitũ attenuat: & quãta per ſe pater feciſſet, non vni populo,ſed toti mũdo,enũtiat,dicens:[b] In veritate dico vobis,non Moſes (vt vos dicitis) panẽ veſtris patribus dedit de cęlo:quoniam non ipſe miraculi illius author erat,ſed miniſter tãtum & nuntius: deinde nõ de patris ſinu, imò nec de empyreo cælo cibus ille deſcendebat, quem dabat Moſes, ſed tantum ex aëre,vbi diuina virtute formabatur: nec deniq; verus panis erat ille,ſed tantum figuratiuus.[c] Nunc verò in hoc tempore gratiæ, Deus pater meus ipſe vobis per ſemetipſum mittit & donat me panẽ verũ, cuius manna illud vmbra & figura tantum erat: & hũc panem verè de cælo mittit,de ſumma altitudine cælorũ de proprio ſinu ſuo in quo ab æterno quieſcit.[d] Verus etenim panis ille eſt,qui à Deo patre in hũc mundum ab hoc miſſus eſt,vt panis verũ & perfectũ officium operetur, nimirũ vt vitam veram & perfectam det toti mũdo,Cùm enim panis officium paſcendi ac nutriẽdi habeat,illum conſtat eſſe verũ panẽ, qui verè paſcit vitámque præbet toti homini, & ita ſuſtentat,vt nũquam deficiat,multo melius quàm eſca craſſa & corruptibilis:quæ videtur quidem ad tẽpus carnem paſcere,vitàmq; ei ſeruare,ſed diu id facere non valet:animam verò ipſam nullo modo valet nutrire. [e] Quibus illi auditis de tam commodo & ſalutari pane,nõ intelligentes,myſterium verborũ Chriſti,corporali cibi deſiderio iterũ intenti.[f] Domine,inquiũt, panem iſtum quem tantopere commẽdas, ſemper da nobis,tu nobis illũ ſemper miniſtra, & nos te ſequemur per omnia.In quẽ modum,mulier quoq; Samaritana Chriſtũ audiens de aqua ſaliente in vitam æternam verba facientẽ,poſtulabat aquam illam ſibi ſemper adeſſe,ne ſitiret amplius.[g] Ieſus autem volẽs eis temporalis cibi ſomnium excutere, atq; ad ſpiritualem

a Dixit ergo eis Ieſus.

b Amen amen dico vobis, non Moſes dedit vobis panem de cælo,

c ſed pater meus dat vobis panẽ de cælo verum.

d Panis enim verus eſt,qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo.

e Dixerũt ergo ad eum:

f Domine ſemper da nobis panem hunc.

g Dixit autem eis Ieſus:

lem intellectum eos transferre, ita eis reſpõdit, apertius explicãs quæ prius dixerat obſcurius. [a] Ego (inquit) panis ille ſum verus, quem dixi miſſum à patre, quique vitam veram præſtat mundo. Et quiſquis per fidem ſynceram ad me venit, vt panem iſtũ fide mãducet, fame nõ affligetur anima eius: [b] ſiue (vt eãdẽ verbis aliis ſententiam eloquar) qui in me credit, ſitim non patietur animæ, nulliusque veri boni egeſtate affligetur imperpetuum, ſed ſatietate & ebrietate perfruetur æterna, à ſtatu gratiæ tranſiturus ad ſtatũ gloriæ, vbi ſine fine omnium bonorũ eſt abundantia. [c] Sed quomodo aliàs dixi vobis, ita res habet, nimirum vos ex pane iſto veſtra culpa fructum non capititis, quoniam videtes me, & ſigna quæ ego operor in nomine patris, verba quoque audiẽtes quæ ego loquor ab illo, nõ vultis ad me venire, & in me credere vt ex me impleamini bonis, ſed infidelitas peruerſa vos in egeſtate veſtra retinet. Veruntamen licet vos me repellatis, ſiue ad me venire recuſetis, non ob hoc prorſus erit ſine fructu meus in mundum aduentus, neq; ob hoc nulli me fide ſuſcipient. [d] Omnes enim homines quos ab æterno ſecundũ prædeſtinationem atq; in tempore ſecũdum ſtabilem vocationem, electionẽ & adoptionem, pater mihi dederit, electi mei omnes qui à Deo patre ſunt ad vitã prædeſtinati, ad me venient, in me fide recta credẽdo, mihique fideliter adhærendo: [e] eos verò qui ſic ad me venerint ego nequaquã vt moroſus dominus vel crudelis tyrannus repellã aut auerſabor, per cõtemptũ, ſed maximi eos faciam, benigniſsiméque vt paſtor bonus & pater benignus excipiam, & magna eis præſtabo. [f] Ad hoc enim ego de cælo à patre miſſus veni in mundum, nõ vt propriam meã faciam volũtatem patris voluntati repugnando, ſed vt ipſius per omnia pareã volũtati: qui me miſit in mundũ, vt quæ vult ille, ego quam ſtudioſiſsimè perficiam. [g] Vult autẽ hoc pater meus & ſic irreuocabili ſtatuto decreuit, vt ex omnibus, quos mihi ipſe ab æterno ſecũdum prædeſtinationẽ, & in tempore ſecundum electionem donauerit, tanquam prçordinatos ad vitam, ego nõ abiiciã aut per-

a Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me nõ eſuriet:

b & qui credit in me, nõ ſitiet in æternũ.

c Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non credidiſtis.

d Omne quod dat mihi pater: ad me veniet:

e & eum qui venit ad me, nõ eiiciam foras.

f Quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed volũtatem eius qui miſit me.

g Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me Patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.

ditione æterna perire ſinam, vel vnũ ex eis:imò hoc vult,vt nec ſecundum corpus pereant electi mei,aut in morte permaneant,ſed vt ad vitā reſuſcitem eos in nouiſsimo iudicij magni die,vt ſic & in corpore & in anima mecũ viuant in gloria, qui mihi modo per fidem adhærent in vita.[a] Iterum repeto,& apertius dico,hanc eſſe patris qui me in mundum miſit voluntatem,cui ego cōtradicere aut repugnare nec poſſum nec volo,vt omnis qui me filiũ Dei,ſiue corporis ſiue mentis oculis cognoſcit,& fide recta ver[illegible]ctione formata in me credit,vitã habeat ætern[illegible]æ modo quidem incipiat in anima per gratiam, ac poſt conſummetur per gloriam. Et nō in anima tãtum viuet, ſed etiã in corpore.[b] Propter hoc enim ego eum in nouiſsimo magni iudicij die,in conſummatione ſæculi,ad vitam reſuſcitabo, vt totus homo in corpore ſimul & anima vitã extunc accipiat ſine fine perénẽ. [c]His verò ex ore Chriſti auditis, Iudæi craſsi & carnales verborum ſpiritualium minimè capaces,aduerſus ea quę non intelligebant(vt moris eſt animalibus hominibus,blaſphemare quæcunque non intelligũt) calumniando murmurabãt,ob hoc maximè quòd dixiſſet:Ego ſum panis vitæ,qui de cælo deſcendi:dicebantque muſsitantes alter ad alterũ:[d] Nónne hic homo filius eſt hominis abiecti & ignobilis,cui nomen Ioſeph,inter nos educatus & ex multo tẽpore nobis cognitus,cuius nos & patrẽ & matrem & cognationẽ omnem probè nouimus?[e] Quæ igitur iſta eſt tam effrons iactantia , & impudens præſumptio hominis iſtius,vt iactare auſit,de cælo ſe deſcendiſſe in mundum?Qui enim & patrem & matrem habet in terris, quomodo de cælo veniſſe aut deſcendiſſe credetur? [f]Audiens verò dominus Ieſus,inter ſeſe muſsitantes, & murmurando huiuſmodi proferẽtes Iudæos incredulos,ita illis placido vultu reſpondit,dicens:[g] Ceſſate,ò Iudæi,à murmuratione huiuſmodi,quę nihil vobis prodeſſe poterit:ac poſtquam oblatam vobis Dei gratiã ſuſcipere nō placet,ab eius ſaltẽ impugnatione deſiſtite,ne cum Deo pugnare videamini. Quod vos modo mihi nō creditis,ideo eſt,quia ad vitã præordi-

a Hæc eſt autẽ voluntas patris mei qui miſit me, vt omnis qui videt filiu & credit in eũ, habeat vitam æternam,
b & ego reſuſcitabo eũ in nouiſsimo die.
c Murmurabãt ergo Iudæi de illo quia dixiſſet: Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi, & dicebant:
d Nónne hic eſt filius Ioſeph,cuius nos nouimus patrem et matrem?
e Quómodo ergo dicit hic:quia de cælo deſcendi?
f Reſpondit ergo Ieſus et dixit eis:
g Nolite murmurare in inuicem.

ordinati nõ eſtis,aut quia pater vocatione hac & electione vos nõ eſt dignatus.[a] Nemo enim hominum poteſt ad me venire, per verã in me fidei deuotionẽ, niſi Pater qui me in mũdum miſit, illum interius inſpirando ſiue erudiendo ad me adduxerit,& quaſi inflectendo cor eius ad me pertraxerit.[b] Quiſquis autem ſic à Patre ad me attractus fuerit,mihique per fidem adiunctus,ego eum in nouiſsimo magni iudicij die ad vitã reſuſcitabo, vt in corpore ſimul & anima totus homo reuiuiſcat in gloriam.[c] In Prophetis variis ſcriptũ legimus,electos & prædeſtinatos ad vitã omnes à Deo doceri,illuminari & erudiri debere, qui ſolus hominẽ docet ſalutarem ſcientiã veritatis. Humana quippe eruditio nihil ꝓficit, ſi nõ adſit qui intus doceat,trahat & moueat,cooperator, imò præcipuus operator,Deus.[d] Iuxta hoc Prophetarum teſtimonium dico, quòd quiſquis à Deo patre interius loquente audiuit & didicit eam quę eſt de me meaq; doctrina veritatẽ,is mihi ſe per fidem adiunget:contrà verò,qui non à patre docti fuerint, non poterunt ad me venire.[e] Neque verò hęc dico,quaſi corporeis oculis poſsit Deus videri, aut vt in ſe eſt cognoſcere: vt ne quis exiſtimet, de ſenſibili patris præſentia & inſtructione me loqui.[f] Hoc autem,nempe patrem videre, aut vt in ſeipſo eſt perfectè cognoſcere,mihi eſt proprium,qui ſemper ſum apud Deum & à Deo: ab æterno quidem,ex Deo Deus procedens, in tempore autẽ ſecundum aſſumptam hominis formã à patre miſſus in mundum.[g] Vnde illud vobis velut caput negotij cũ veritatis proteſtatione affirmo, quòd quiſquis fide vera & integra mihi ſe adiunxerit,tanquam membrũ effectus corporis mei, is ex me verã & æternam aſſequetur animæ corporiſq; vitam, quæ modo initium ſumit per gratiam,pòſt conſummãda per gloriam.[h] Propter quod,iterum dico & apertè profiteor,me eſſe verum panem vitæ,qui animę vitã largior,nullo vnquam tempore intermoriturã.[i] Fateor equidẽ,patres veſtros(iuxta ea quæ per vos paulo antè adducta ſunt) manna illud corporale olim in deſerto perpetuos quadraginta annos mãducaſſe,qđ

a *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum:*
b *& ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.*
c *Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.*
d *Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me.*
e *Non quia patrem vidit quiſquam,*
f *niſi is qui eſt à Deo, hic vidit patrem.*
g *Amen amen dico vobis: qui credit in me habet vitam æternam.*
h *Ego ſum panis vitæ.*
i *Patres veſtri manducauerũt manna in deſerto,*

vos

a & mortui ſunt.

b Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.

c Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.

d Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

e Et panis quẽ ego dabo caro mea eſt, pro mũdi vita.

f Litigabant ergo Iudæi, ad inuicem dicentes:

g Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?

h Dixit ergo eis Ieſus.

vos permagni facitis. [a] Verùm per hunc cibum corporeum, non potuerunt à morte neque corporis neque animæ ſeruari. Omnes enim ſecundũ corpus defuncti ſunt pleriq; etiam ſecundum animã, ob murmurationes & tentationes impiæ ſuæ incredulitatis. [b] Ego verò longè alius ſum panis, & ſine collatione præſtãtior, qui ad hoc de cælo miſſus ſum in mundũ, in aſſumpta hominis forma, vt quiſquis in fidei ſynceritate me mãducauerit, me in ſe traiecerit, ſeq; mihi per fidẽ counierit, mortẽ nõ ſentiat, neque animæ neque corporis, ſic vt in morte corpus permaneat quod ad glorioſam vitam ſuo tẽpore reſuſcitabitur. [c] Non de alio aliquo loquor, neq; de craſſo alio & perituro cibo verba facio. Ego, inquam, ego panis ſum vitam habẽs, vitáque exiſtens in memetipſo, & vitam præbere ſufficiens omnibus: qui de cælo deſcẽdi, de ſinu patris veni in mundum, [d] hunc panem abſque perſonarum acceptione à patre omnibus propoſitũ, ſi quis manducauerit ſyncera fidei deuotione, quiſquis tandem ille fuerit, ex me veram & æternam conſequetur animæ vitã. Non enim poterit non viuere, nec mortẽ poterit ſentire, quiſquis mihi qui vera ſum vita adhæſerit, & vnum fuerit mecum. [e] Et panis iſte quẽ ego dabo mũdo, ipſa eſt mea vera & viua caro, quam ego dabo ad viuificandũ mundum. Dabo in tempore paſſionis corpus hoc meũ ad ſupplicia ac mortem perferenda, quibus genus humanum à morte liberabitur æterna: dabo quoq; in ſacramenti magnifici inſtitutione, in mortis meæ memoriam, corpus meum ſub panis ſpecie ſumendum fidelibus. vt dignè ſumentes vitam animæ accipiant, & in vita ſeruentur. [f] Hæc verba merè ſpiritualia & diuina non intelligentes craſſi Iudæi, tumultuari cœperunt & inter ſeſe contendere aduerſus ea quæ audierant: indignantéſque dixerunt alter ad alterum: [g] Quid ſibi vult iſte hominis huius tam irrationabilis ſermo? Quomodo fieri poſſit, vt iſte nobis carnẽ ſuam præbeat manducandam? Quis nõ exhorreat, carnem humanam & maximè viuentem comedere? [h] Audiens verò dominus eorum contentionem & murmura, non ob hoc à veritatis

prædica

prædicatione deſiſtis, neque blāda & placentia, vt eos in affectu priſtini fauoris retineat, loqui curat, ſed conſtāter veritatem eis pergit proponere, dicens:[a] In veritate ego vobis ſerio & conſtanter illud affirmo, nō eſſe vobis vllam ſpem ſalutis & vitæ æternæ conſequendæ, niſi per manducationē carnis meæ, & ſanguinis potationē: niſi videlicet in me verum hominem habentem veram carnem & verum ſanguinem fide ſyncera credideritis, quod eſt fide carnem meam manducare & ſanguinem meum bibere: item niſi in ſacramento per me ad mundi vitam inſtituendo, vbi tempus & opportunitas poſtulabit, meam veram carnem & verum meum ſanguinem ſub ſacramētalibus ſpeciebus dignè ſumere ſatageritis, tanquam verum animæ cibum & potum, quicūque eius capaces eſtis. [b]Qui autem carnem meam manducat & ſanguinem bibit, ita in me credendo, atque etiam in euchariſtiæ ſacramento corporaliter ſumēdo, is per communionem & participationem mecum, vitā habet æternam: modo quidem ſecūdum initium aliquod in vita gratiæ, poſt verò ſecūdum conſummationem in plenitudine gloriæ.[c] Neque ſecundum animam tantum viuet, verumetiam ſecūdum corpus: quoniam ego eum ad vitam glorioſam & immortalē reſuſcitabo, in nouiſsimo magni iudicij die, vt totus homo reuiuiſcat ad gloriam.[d] Nam caro mea verè eſt cibus, & cibi ac panis verè præſtat officium, melius quàm cibus quilibet alius corporeus: & ſanguis meus verè pręſtat officiū potus: melius quàm alius quilibet liquor corporeus: quoniā caro mea, in qua eſt diuinitas humanitati coniuncta, verè animam cibat, ſimiliter & ſanguis potat: id eſt, verā vitam totus ego præſto hominibus, qui meam carnem & meum ſanguinem, id eſt, me totum, in fide & ſacramento digne ſumunt.[e] Qui ſic meam carnem manducat, & meum ſanguinem bibit is per huiuſmodi communionem ſic vnum efficitur mecum, vt ipſe in me ſit, tanquam palmes in vite, & membrum in corpore, & ego viciſsim in eo tāquam ſpiritum & vitam influēs, & animam eius per vnionē gratiæ intime inhabitans.[f] Quemadmodum pater meus

[a] Amen amē dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

[b] Qui manducat carnē meā, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam,

[c] & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.

[d] Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.

[e] Qui manducat meam carnem & bibit meū ſanguinē, in me manet & ego in illo.

[f] Sicut miſit me viuens pater, et ego viuo propter patrem: & qui manducat me, et ipſe viuet propter me.

meus cæleſtis vitam habens in ſemetipſo, ſecundum aſſumptã hominis naturã me miſit in mundũ, & ego propter eum viuo, ſiue ab eo vitã habeo, tam ſecũdũ humanam ꝙ ſecũdum Diuinam naturam: ſic qui me manducauerit, propter me viuet, id eſt, ex me & à me vitã accipiet, per influxũ gratiæ & ſpiritus, quẽ me ſumendo mihiq; ſe vniendo ex me hauriet. [a] Iterũ dico, quod iam ſępius vos admonui, & vt rẽ maximè fide dignã repeto, me eſſe verum illũ ac longè ſaluberrimum panem, de cælo è ſinu patris in hunc mundũ demiſſum, ad vitam & ſalutem hominũ. [b] Non eſt panis iſte ſimilis illius cuiꝰ vos paulo antè meminiſtis, nõ ſicut mãna illud corporale, quod in deſerto manducauerũt patres veſtri annis quadraginta, nec tamẽ per ipſum à morte vel animæ vel corporis potuerũt ſeruari: ſed mortui ſunt, omnes quidẽ corporis morte, nunquã ab ea per vim mãnæ illius redituri ad vitã, multi verò etiã morte animæ in peccatis ſuis condemnati perierunt. [c] At verò panem iſtum quẽ vobis pater miſit cęleſtis, quiſquis manducauerit, vitam ex eo aſſequetur æternã: ſeruabitur à morte & damnatiõe ęterna, quãtũ ad animã attinet, inſuper & corpore reſuſcitandus ad vitã immortalẽ & glorioſam. [d] Hæc omnia fidei ſalutaris verba ſanctiſsima, dominus Ieſus in ſynagoga palàm omnibus prędicauit in ciuitate Capharnaum, ad quam ipſe prçceſſerat, & turbæ eum ſubſequutæ fuerant. [e] Perpauci verò in tanta turba fructum verũ ex verbis iſtis tũ temporis acceperũt: imò nõ paucis qui prius videbãtur aliquid eſſe, & Chriſto vtcunq; credere, ac tanquã ſectatores & diſcipuli adhærere, facta ſunt in occaſionẽ ſcãdali, propter inſtabile fundamentũ imperfectę fidei, ita vt ad inuicẽ velut conquerendo & faſtidiendo dicerẽt: [f] Abſurdus atq; etiã auditu grauis eſt ſermo iſte, quẽ vix patienter ferãt aures humanæ. [g] Cognoſcens autẽ Dominus apud ſemetipsũ per Diuinitatis ſuę omniſcientiã, quòd ſectatorũ & auditorũ eius multi ex verbis illis ſcãdalo accepto aduerſus ſe murmurarẽt, ad comprimendã irrationabilẽ eorũ murmurationẽ, & trãsferendos ad ſpiritualẽ intellectũ eorũ animos, dixit

a Hic eſt panis qui de cælo deſcendit.

b Non ſicut mã ducauerunt patres veſtri man na, & mortui ſunt.

c Qui manducat hunc panẽ, viuet in æternum.

d Hæc dixit in ſynagoga, docẽs in Capharnaũ.

e Multi ergo audientes ex diſcipulis eius dixerunt:

f Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?

g Sciens autem Ieſus apud ſemetipsũ qa murmurarẽt de hoc diſcipuli eius, dixit eis:

dixit eis: [a] Sic vos facile ex verbis his meis offendimini,& ſcādali occaſionē vobis accipitis,ex eo tantū ꝙ dixi me panē vitę eſſe,& carnē meam cibū,ac ſanguinē potū,eaq; eſſe mūdo neceſſaria ad ſalutē? [b] Dicā vobis quod magis videatur admirandū,certiſsimè tamē cōplendū.Quid ſi me in aſſumpta natura humana videritis ſuo tēpore,poſt reſurrectionē à mortuis, propria virtute diuinitatis ad cælos aſcendentem,ad dexterā Patris apud quē eram ab æterno in eius ſinu requieſcens ſecundū diuinitatē, priuſquā in mūdum venirē ſecūdū aſſumptā humanitatē? An fortè ne tūc quidē me vera dixiſſe creditis? Aperiā autē vobis radicē morbi quo laboratis,& quo pacto verba mea ſalubriter debeāt audiri edocebo.[c] In omnibꝰ quę ego loquor vel ago,ſpiritualis intelligentia eſt quę ædificat,& prodeſt ad verā animæ vitā: carnalis autē intellectus eorū quę ego loquor aut ago,veram nō adfert animę vtilitatē aut ędificationem,ſed potius hebetāt mentem,& affectum impedit à vero fructu. [d] Verba mea omnia quæ ego loquor,nō caro ſunt,neq; ſecundum carnē & ſenſum craſsè intelligenda,ſed ſpiritus ſunt & ſpiritualiter debent intelligi : ſicq; intellecta vita ſunt, vitamq; præbent animę. Vos proinde,dum omnia ſecundum ſenſus iudiciū craſsè accipitis, & ad ſpiritualem intellectum tranſire negligitis,fructū doctrinæ meæ non accipitis.Quemadmodum videlicet id quod modo dixi de manducatione carnis meę, vos ita carnaliter intelligitis, quaſi velim ego carnē meam mactatam & conciſam in fruſta, & aqua vel igne decoctā,dentibus diſcerpi, quomodo fit in manducatione carnis ouinæ aut bouinæ, & ideo in hoc carnali intellectu ſcandalizamini: cùm mea verba de manducatione ſpirituali, quæ fit per fidem & ſacramentalem communionē,debeant intelligi, vt ad vitam proficiant. [e] Craſſum verò iſtud & peruerſum iudiciū in pleriſq; veſtrū ex radice infidelitatis procedit: videlicet quia in me credere nolunt, ideo quæ dico ſecūdum carnalē & ſenſibilem intellectū ſtatim accipiūt,vt refellant & reiiciāt: ſpiritualē autem intelligentiam non quęrūt, vt in vero fructu proficiāt.

Hæc

a Hoc vos ſcandalizat?

b Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius?

c Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.

d Verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſūt.

e Sed ſunt quidam ex vobis qui non credūt.

a Sciebat enim ab initio Ieſus qui eſſent credẽtes,

b & quis traditurus eſſet eũ.

[a] Hæc autem dicebat dominus Ieſus, notare volens, incredulos: quoniã ipſe per diuinitatis ſuæ omniſciẽtiam ſciebat, qui eſſent vere & fideliter in ſe credẽtes, & exaduerſo qui eſſent non recte credentes: [b] inter quos peculiariter illum iam præuidẽdo ſciebat infidelem diſcipulum, nomine Iudam, qui poſt paululum futurus erat ſui domini traditor, qui & ipſe vnus erat ex numero eorum qui Chriſti verba ægre ferebant.

c Et dicebat, Propterea dixi vobis quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo.

[c] Commone faciẽſque eos verborum ſupradictorũ, ait: Scilicet hoc erat quod paulo ante dicebam vobis, neminẽ poſſe ad me venire, fide perfecta in me credẽdo, niſi hoc ei à patre meo datũ fuerit, niſi ab ipſo trahatur, erudiatur, & velut inflectatur, vt mihi ſe adiũgat. Propter hoc multi ex vobis nõ credunt in me, quoniã non eſt illis datum à patre meo vt credant: ex quibus aliqui forſitã poſterius ſunt credituri, cùm eis datum fuerit: alij nunquam, quibus id pro demerito impietatis & pertinaciæ ſuæ à patre non dabitur.

d Ex hoc multi diſcipulorum eius ab.erũt retro; & iam nõn cum illo ambulabant.

[d] Ab eo autem tempore & ex ea cauſa, id eſt, occaſione iſtorum verborum Chriſti, multi eorum qui prius fide quadam imperfecta ipſi adhæſerant, & tanquam diſcipuli ſectari eum ſolebãt, propoſitum inceptum delinquentes, comitari eum deſiſtebant, & ab eius ſocietate ſe ſeparantes redibant in propria.

e Dixit ergo Ieſus ad duodecim:

f Nunquid & vos vultis abire?

[e] Quod videns dominus, ad duodecim illos peculiares ſuos diſcipulos & Apoſtolos conuerſus, vt oſtenderet ſe neminem velle ad ſequelam ſui cogere, neque propter ſemetipſum aut ſuam propriam gloriam diſcipulos vllos requirere, interrogauit eos, dicens: [f] Vos iam diſcipulorum numerum occaſione prædicationis meę, multũ imminutum cernitis. An forte etiam vos, illorum qui ſe à me diuiſerunt prouocati exemplo, me vultis relinquere, atq; in propria reuerti? Si abire vobis libuerit, per me vtiq; licebit: liberos requiro diſcipulos, neminem cogo inuitum.

g Reſpondit ergo ei Simõ Petrus:

h Domine, ad quẽ ibimus? verbo vitæ æternæ habes.

[g] Hac interrogatione propoſita Simõ Petrus erga dominum pręcipuo feruens amore, tanquam caput Apoſtolici collegij, omnium nomine fidẽter reſpondit, dicens: [h] Nos te domine in æternum noſtra voluntate non deſeremus, neq; alium requiremus magiſtrum & dominum, te-

cum

cum viuere & mori parati. Tu enim verba habes veram animæ vitam donantia, doctrinam tu loqueris ædificantem & viuificantem animas.[a] Et nos fide ſyncerâ in te credimus, certoque & abſque omni dubitatione cognouimus (ſicut omniū nomine ego apertè confiteor) te eſſe Meſsiam in lege & Prophetis promiſſum, verùm & conſubſtantialē filium Dei, qui ſecundum aſſumptam naturam humanam miſſus es in ſalutem mundi. [b] Iſta quidem Petrus bene confidens de omnibus, & de nullo coapoſtolorum ſuorum malè ſuſpicans, omnium nomine fidenter aſſerebat. Verū dominus, qui occulta nouit cordium, ſciens nec duodecim ipſorum omnium eſſe rectum animum, aut ſtabilem fidem, ita Petro ac cæteris reſpondit: [c] Non vſqueadeo mirum vidrei debet, ſi ex rudi illa turba multi receſſerint, quandoquidem & inter vos pauculo numero duodecim quos ego ex omnibus peculiariter elegi in Apoſtolos & diſcipulos ſecretiſsimos ac familiariſsimos conuictores, vnus quidā mihi notus eſt non ſynceræ fidei, neque recti & ſtabilis erga me cordis, diabolicum gerens animum, & opus patraturus aliquando diabolicum.[d] Deſignabat verò in hoc verbo, & quaſi præueniendo notabat de futuro crimine quendam ex duodecim Apoſtolis, nomine Iudam, filium Simonis, à loco Scariot:[e] qui nimirum inaudita veſania poſt tot ac tanta accepta beneficia, beneficentiſsimum ſibi dominum pro modico pauculorum nummorū pretio erat proditurus in manus hoſtium: tali exitu tandē declaraturus, quod licet corpore dominum fuiſſet aliquandiu inſequutus, cæterorū more diſcipulorum, forſitan & ex verò affectu ad tempus perdurante, nunquam tamen veram charitatis radicem in ſeſe habuiſſet.

a Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.

b Reſpondit eis Ieſus:

c Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt?

d Dicebat autē de Iuda Simonis Scariotis.

e Hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet vnus ex duodecim.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

Dicit ad Philippum.) Quare Philippum præ cæteris interrogando dominus tentauerit, rationē aliquam attingunt Chryſoſtomus & Theophylactus, apertius etiam Cyrillus, dicentes, illum libentius diſcere, & ſæpius quærere ſolitum, tametſi non eſſet acutus ingenio, vt altiora facilē poſſet intelligere: atque ob hoc

vt rudiorem & maiori exercitatione ad ſublimiora fidei myſteria capienda indigentem, ipſum interrogari præ cæteris. Sic enim ſolẽt boni præceptores, huiuſmodi diſcipulos diſcendi auidos & ingenio tardiores frequentius interrogare, & familiarius inſtruere. Quod autem rudior aliquanto fuerit, licet diſcendi cupidus & libenter interrogare ſolitus, ex illo declaratur: ꝙ circa Chriſti paſsionẽ cũ iamdiu cum domino fuiſſet verſatus, rudi admodum poſtulatione Chriſtum adhuc interpellat, dicens: *Domine, oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Vnde etiã à domino benignè corripi meruit de tarditate ac ruditate, atq; inſuper plenius edoceri de myſterio, *Tanto tempore.* (ait dominus) *vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem meum*, & alia quæ Euangeliſta hîc ſcribit cap. 19. Iterum quæ in cap. 1. ſcripta ſunt circa initium vocationis eius, quomodo ſtatim Nathanaëlem ad Chriſtum cui prior iam ipſe crediderat, inuitauerit, eidemque addubitãti, & quaſi contra obiicienti, num à Nazareth poſſet tantum boni procedere? non eruditè vel elaboratè reſponderit, ſed hoc tantum ſimpliciter dixit: *Veni & vide*, ſatis ipſius ſimplicitatem cum pia diſcendi auiditate coniunctam videntur teſtari. Ad idem facit & illud quod infrà ſcribitur cap. 12. de gentilibus volentibus videre Ieſum, qui ad ipſum quidem præ cæteris accedebant (vt probabiliter ęſtimari poteſt) quod ſimplicitatẽ & benignitatẽ quãdã præ ſe ferebat, vt ſolent huiuſmodi ab ignotis facilius interpellari, prę aliis plus grauitatis prę ſe ferẽtibus. Ipſe verò nõ ſibi fidit tãquã rudior, ſed Andream accedit tanquam magis intelligentem, vt eũ cõſulat ſuper negotio, atq; ita demum ipſe nec dum ſolus, ſed vnà cùm Andrea ad Chriſtum ingreditur. ¶*Erat autem fœnum multum in loco.*) Fœnum pro gramine paſsim in ſcripturis ponitur. Vt cùm dicitur apud Eſaiam, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni.* Et apud Pſalmiſtam, Homo ſicut fœnũ dies eius, &c. Fiant ſicut fœnum tectorum: Tanquam fœnum velociter impij areſcent. Hoc admonendum putaui, ne ſimpliciores exiſtiment, gramina demeſſa & exiccata ac iam emortua, virore perdito, fuiſſe fœnũ iſtud cuius hîc fit mentio. Idcirco enim graminis virentis meminit, vt loci opportunitatem & amœnitatẽ ad diſcumbendum ſignificaret. ¶*Et cùm gratias egiſſet.*) Matthæus dicit Chriſtum benedixiſſe, non gratias egiſſe. Verùm (vt annotauit Cyrillus) idem hæc duo volunt: cùm gratiarũ actio pro cibo, ſit ipſius ſanctificatio, iuxta illud Apoſtoli, Nihil immundum, quod cum gratiarũ actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Non ignoramus, inquit ille, benedici omne quod ſanctificatur, ea oratione quã in menſa facere ſolemus.

Diſcubuerunt

¶ *Diſcubuerũt ergo viri, numero quaſi quinque millia.*) Peculiariter in hoc Euangeliſta obſeruanda eſt, & diligenter conſideranda ipſius in loquendo religioſa cautela, & ſanctus quidam metus in pronuntiando, ne fortè in aliquo minus teneat veritatem. Ob hoc enim iſte frequentius in deſcribendo res geſtas, ea maximè quæ non omnino ad punctum ſciri aut deſcribi poſſunt, particulam aliquam moderantẽ *ũs* hos, id eſt, quaſi aut ferè aut circiter: vt modo dicit, *quaſi quinque millia*, & ſuprà capite quarto, *Hora autem erat quaſi ſexta.* Item capite 21. *quaſi cubitis ducentis.* Item capite 11. *Erat Bethania à Hieroſolyma quaſi ſtadijs quindecim.* Et rurſum in hoc ipſo capite paulo pòſt, *Cùm remigaſſent ergo quaſi ſtadia ſtadia 25. aut 30.* Atque hoc annotamentũ ne quis fortè ridiculum habeat, quod ego ſanè nõ paruifaciendũ puto, primùm ex ratione oſtendam, nonnulliùs momenti eſſe obſeruationẽ huius rei: deinde & ex ſanctorum patrum authoritate idipſum declarabo. Sanè Marcus Euangeliſta, vnus ex quatuor, cùm tempus deſcriberet quo peragebatur Chriſti iudiciũ & crucifixio, abſolutè pronuntiauit, dicens: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Non ait, quaſi aut circiter tertia, ſed abſolutè, hora tertia. Ioannes verò idem tempus deſcribens, etiam quod ipſam crucifixionem aliquantũ præceſſit, vtpote quo adhuc Pilatus contra Iudæos diſputabat ſedens pro tribunali. *Erat*, inquit, *paraſceue paſcha, hora quaſi ſexta.* Quid ſi hîc Ioãnes abſolutè pronuntiaſſet, dicens: *Erat hora ſexta*, ſine adiectione moderantis particulæ, an non hîc vel apertiſsima emergeret Euãgeliſtarũ duorũ diſſonantia? cũ alter tẽpore crucifixionis diceret fuiſſe horam tantum tertiam, alter verò etiam ante crucifixionẽ, imò ante condemnationem fuiſſe horã ſextam? Nunc verò noſter Euãgeliſta loquens per moderantem particulam, viam innuit nobis ſoluẽdi diſſonantiam, & inueniendi concordiam. In eo enim quod dixit, quaſi, inſinuat tempus potuiſſe eſſe inter mediũ, inter tertiam & ſextã: & quia medium vtriuſq; extremorũ eſt particeps, & ab vtroq; ſubinde denominatur, comparatione ad alterum oppoſitũ, hinc factum eſſe, vt alter horam qua hæc agebantur dixerit tertiã, alter ſextã: id quod etiam apparentius videretur, ſi conſimili obſeruatione dixiſſet item Marcus, *Erat hora quaſi aut circiter tertia.* Vides igitur non vanam nec inutilem eſſe religioſam iſtam in ſcribẽdo cautelam. Aduerterũt hãc etiã ſancti doctores, Cyrillus & Theophylactus, ac ſuper verbo illo capitis quarti. *Hora autem erat quaſi ſexta*, vigilanter adnotarunt. Vide obſecro (ait in locum illum ſcribens Theophylactus) & diligentiam Euangeliſtę. Neq; enim dixit affirmatiuè, hora erat ſexta: ſed vt minus excidat à veritate, quaſi ſexta. inquit, ſecurum faciens ſermonẽ,

Et Cyrillus in eandē ſententiam, Horam verò, non certè ſextam, ſed quaſi ſextam fuiſſe ſcribit, vt etiam nos diſcamus, vel in minimis nō paruam veritatis curam habere. Hæc ille. Cùm verò iuxtà iſtorum ac noſtram annotationē ita loquitur Ioānes, vt eius particula ὡς hoς, id eſt, quaſi aut circiter nō eſt arbitrandum, ita illam accipi vt ſignificet numerum vel tempus incōpletum, quo modò ſolet dici vulgato verbo, id quod quaſi aut ferè fit aut factum eſt, non eſſe factum aut fieri. Sic enim ea particula ſermo nō redderetur ſecurior, nec minus affirmatiua ac definitiua eſſet oratio, quæ definitè aſtrueret, nōdum eo numerū vel tempus illud fuiſſe completum. Debet autē ſic apud hūc Euāgeliſtā accipi illa particula: quomodo vti ſolemus præpoſitione vel aduerbio circiter: vt ſignificetur per eius adiectionē nec multum ſupra, nec multum infrà tempus aut numerū appoſitū fuiſſe: vt ſiue plus aliquid fuerit ſiue minus, ſiue etiam ipſa menſura cōpleta, nec deficiens nec abundans, oratio ſemper habeat veritatem. Videlicet vt in propoſito loco, quaſi quinque millia fuiſſe intelligantur, ſiue paulo plures fuerint, ſiue paulo pauciores, ſiue etiam determinate in eo numero, vt nec vnus ſupfuerit, nec vnus defuerit. In hoc autē falſificaretur oratio, ſi aut multo plures aut multo pauciores, (ſecūdū numerum comparatione ad tantum numerum notabilem,) illic adfuiſſent. Si cui fortè hæc annotatio plixior iuſto videbitur, ſuper tā modica, id eſt duarū literarū particula ὡς hos, aduertat ille, nec iota in lege Dei nec apicem eſſe paruifaciendum. ¶ *Cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.*) Græci codices vulgati aliquanto plus habent quàm noſtri. Sic enim legunt. Diſtribuit diſcipulis, diſcipuli autem diſcumbentibus: Et ita quidem Cyrillum legiſſe non ſolum textus ipſe (in quo hęc ita legūtur poſita ab eo qui vertit, quāuis aliàs ſoleat vulgatam Latinorum in omnibus ferè lectionem ſequi) verumetiā commentarium ipſum declarat, in quo circiter finē huius miraculi pulchrum & iucundum myſterium in eo conſiderat, quod nō per ſemetipſum dominus ſcribitur propoſuiſſe turbis eſcas, ſed per diſcipulos: qui deinde cophinos duodecim plenos cibis poſt abſolutum miniſterium reportauerunt, in ſignū magnæ remunerationis & copioſiſsimæ, quam accipient ij qui modo in eccleſia Apoſtolorum & doctorum rectè funguntur officio, ſpirituali ſcripturæ vtriuſq; pabulo plebem domini fideliter paſcentes. Auguſtinum certū eſt non aliud legere: quā quod habent noſtri codices Latini. In Chryſoſtomi quoque & Theophylacti enarratiōe nihil prorſus inuenitur, quo ſt teſtetur illos aliter legiſſe quā nos paſsim habeamus. ¶ *Similiter & ex piſcibus, quantum volebant.*) Quidam ex Græcis legere malunt numero ſingu

ſingulari,quantũ volebat,quòd vulgati codices habeant ἤθελεν ithelen,numero ſingulari:vt indicetur,Chriſtum turbis dediſſe quantum ipſe volebat.Verùm hæc ſententia ex nullius Græcorum authorum interpretatione comprobatur.Certè auguſtinus nobiſcum legiſſe videtur,qui id quod nos legimus exponens,dicit,quantum ſufficiebat. Non autem dediſſe quantum ipſis ſufficiebat,niſi quantum volebat dediſſet.Denique miraculi gloriam attenuat,ſi dicatur dediſſe dominus quantum ipſe volebat.Auget verò,ſi dicimus,dedit quātum ipſi volebant qui edebant.In illo enim auara quædā parſimonia,in hoc autem diues liberalitas ſignificatur:quemadmodum & in eo quod ſubſequenter dicitur,impletos eſſe vel ſaturatos eos qui manducauerant. ¶*Ex quinque panibus ordeaceis,quæ ſuperfuerunt his qui manducauerant.*) Nonnulli codices Latini hîc interiiciunt, & duobus piſcibus. Verùm id nec Græca nec Latina vetuſta & emendata exemplaria habent.Additum videri poteſt ad ſententiam exprimendam.Nam & ſi non exprimatur,tamen ſubintelligi non eſt dubium:cùm non ſit veriſimile ſolum panis reliquias remāſiſſe,ſed etiam piſcium. Cæterũ relatiuum,quæ,ipſa fragmenta refert.Illa enim fragmenta ſuperfuerunt manducantibus,& relicta erant ex cibis propoſitis. ¶*Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.*) Prophetam non quemlibet intelligunt, ad eum modum quo Samaritana illa nondum Chriſtum agnoſcens,dicebat: *Domine,video quia Propheta es tu*, ſed illum inſignem, de quo apud Moſem & Prophetas alios audierant prædictum. Id ſignificat primum articulus qui in Græco præmittitur,ac ſi dicatur: *Hic eſt ille Propheta.* Deinde,quod ſequitur, *qui venturus eſt in mundum* , id eſt , de quo à Prophetis ſcriptum eſt , quòd ſit mittendus ac venturus in mundum ad ipſius ſalutem. Anniotarunt hanc ſermonis emphaſim & Græci & Latini interpretes. ¶*Et cùm aſcendiſſent nauim,venerunt trans mare in Capharnaum.*) Per anticipationem id dicitur,quod in Capharnaum venerint.Nam ea quæ ſtatim ſubduntur, de remigatione in mari,& ambulatione Chriſti ſuper aquas,vſq; ad applicationē nauis ad terrā,pri⁹ tēpore geſta eſſe cōſtat,quā Capharnaū ſint ingreſsi. ¶*Fuit ad terrā in quam ibant.*) Impropriè dicitur,fuit ad terrā,id eſt,venit ad terrā vel applicuit terrę:Gręcè eſt ἐγένετο ἐπὶ τῆς,id eſt,fuit in terrā,vel ad terrā , vel facta eſt ad terrā . Quidā autē Latini codices ſecundo loco prępoſitionē nō habent,legētes hoc modo:Fuit ad terrā,quàm ibant.Sed emēdatiores ſecundā adiiciunt prępoſitionē,in,fuit ad terrā in quam ibant.¶*Iuxta locum vbi manducauerant panem,gratias agentes Deo.*) Quidam codices Latini pro Deo,habent domino:nec ad ſenſum quicquam refert.In Græcis autem exē-

pluribus hoc loco ſatis magna eſt varietas. Quædã enim particulam illam, gratias agẽtes Deo, omnino non habent. Quædam per genitiuum, habẽt abſolutè poſitum, hoc modo: εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου: hoc eſt, gratias agente domino, ſiue poſtquam gratias egiſſet Dominus. Alia cum noſtra lectione conſentiunt. Ex Græcis authoribus, an legerint, & quid legerint, nihil poteſt certi deprehẽdi, quantũ ad hũc locũ attinet, eo quòd in cõmentariis nihil iſtius attingãt. Certè Auguſtinus apertiſsimè nobiſcũ legit. ¶ *Hunc enim pater ſignauit Deus.*) Nos in Elucidatione priori loco ſimpliciter expoſuimus, ſignauit, id eſt certo declarauit, & cõprobauit, reuelauit ſuo teſtimonio, de quo ſenſu ſatis diximus in annotationibus tertij capitis, verbũ illud Baptiſtæ tractantes: Qui autem acceperat teſtimonium eius (id eſt filij Dei) ſignauit, quia Deus verax eſt. Atque hanc expoſitionem Chryſoſtomus vtriuſq; loci Germanam eſſe exiſtimat. Aliter verò Cyrillus iſtam ſignationem intelligit, vel vnctionẽ, vel identitatem & eſſentialem ſimilitudinem. Eius in hunc locum hęc ſunt verba: Signari, aut pro vngi poſuit (ſignabatur enim qui vngebatur) aut naturaliter ad formam patris (vt ita dicam) ſe eſſe formatum ſignationis nomine denotauit, vt dicere videretur. Nõ eſt mihi difficile, permanentem cibum vobis largiri, quo ad æternæ vitę inauditas delicias deduceminі. Nam & ſi homo ſim vt vnus veſtrum, vnctus tamen à Deo patre ſignatúſque ſum, ad incõmutabilem eius identitatem. Hæc ille, altius quidem & ſublimius, haud ſcio tamen, an ad Euangeliſtæ mentem accommodatius: maximè cùm horum modorum neutro in loco illo ex capite tertio ſuprà adducto videatur accipi poſſe verbũ illud ſignauit: vbi hominem credentem ſignare dicit, quod verax ſit Deus: cùm & in Græcis & Latinis, in vtroque loco prorſus idem ſit vocabulum ἐσφράγισε eſphragiſe, id eſt, ſignauit ſigillo, ſiue ſignaculo obſignauit. Theophylactus primam illam ſimpliciorem ſententiam Chryſoſtomum ſequutus, primo loco vt præcipuam, cõſtituit: ac deinde ſecundo loco, poſteriorem illam Cyrilli ſentẽtiam non tacet, & quaſi in vnum ambas expoſitiones conuoluit, quem & nos hac in parte elucidãdo textum ſumus inſequuti. Auguſtinus verò ſignationem iſtam intelligit ſingularem quandam ſequeſtrationẽ huius filij hominis, à cæteris filiis hominum: eo quòd iſte ſit filius hominis ſimul & filius Dei, homo ſimul & Deus: cæteri tantum homines, & tantum filij hominum. ¶ *Quia dixiſſet, Ego ſum panis viuus.*) In Græcis non eſt, viuus, ſed tantum, panis qui de cælo deſcendi. In eo autem quod ſequitur: Nónne hic eſt filius Ioſeph, interiiciunt, Ieſus, hoc modo, Nónne hic eſt Ieſus filius Ioſeph? vt per contemptum

adii

adiiciatur ipſius etiam proprium & vulgatum nomen. ¶*Niſi pater qui miſit me traxerit eum.*) Tractus iſte non violentiæ eſt neque coactionis,ſed liberæ electionis: vt nullo modo per ipſum exiſtimetur auferri libertas arbitrij, quam catholicæ Eccleſiæ ſanctis dogmatibus cogimur confiteri. Modum autem quo tractus iſte ſit intelligendus,pulchrè Cyrillus his exprimit verbis, Cùm dicit,neminem poſſe ad ſe venire,niſi pater traxerit eũ,non vi quadam cogi trahiq; credẽtes putandũ eſt,ſed monitione,doctrina,& reuelatione ineffabiliter facta,vt ille ſolus nouit qui dignos cognouit. Omnis qui audiuit à patre & didicit,venit ad me. Vbi enim auditus diſciplina doctrináque adeſt,ibi fides nõ vi,ſed perſuaſiõe oritur. Patrocinio igitur Dei patris,quod ex charitate dignis præſtatur, non vi, Chriſtum fideles agnoſcunt. Non enim poſſumus, ſecũdum Eccleſiæ veritatiſq; dogmata,liberam poteſtatem hominis(quod liberũ arbitrium appellamus)vllo modo negare. Ita iuſti quidem prçmiis propter iuſtitiam, afficiuntur:qui verò malè vixerunt,nõ iniuria puniũtur. Hæc ille ad verbum pro veritate liberi arbitrij, ſecundũ Eccleſiaſticam determinationem loquitur. Eadem ferè annotarũt Chryſoſtomus & Theophylactus,in tractu illo hoc potiſsimũ intelligentes ſignificari,quod diuino auxilio habeat opus & magna Dei cooperatione, qui credere debeat & ad ipſum venire. Quomodo verò vocabulo trahẽdi minimè repugnet libera prõptitudo, & quod inuitũ eſſe non oporteat aut cõtra nitentẽ eũ qui trahitur pulchrè mõſtrat Auguſtinus,ex illo Poëtæ Hemiſtichio,Trahit ſua quemque voluptas. Si,inquit, Poëtæ dicere licuit: Trahit ſua quemque voluptas:nõ neceſsitas,ſed voluptas:nõ obligatio,ſed delectatio:quãto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtũ,qui delectatur veritate,delectatur beatitudine,delectatur iuſtitia,delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt? Iſta quidẽ tam aperte,tam ſine inuolucris verborũ,tam ſine ſententiarũ ambagibus,viri illi & antiquitate venerandi & ſanctimonia clari & rerum diuinarũ atque humanarũ ſcientia celeberrimi pro veritate liberi arbitrij pronũtiant:& audent etiã hodie impudentiſsimi quidem hæretici rem certiſsimam vocare in dubium. ¶*Eſt ſcriptũ in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.*) Sentẽtia quidẽ huius verbi,deſcripta eſt,non apud vnũ Prophetã,ſed apud multos. Crebrò enim apud Prophetas fit mentio de illuminatione & eruditione diuina. Nuſquam tamen apertius hoc verbum haberi videtur,quàm apud Eſaiam,cap.54. vbi ſic legimus: *Ponam omnes filios tuos doctos à domino.* Atque hinc,in Cõmentariis ſuper Eſaiã teſtatur Hieronymus, Chriſtum hoc teſtimonium deprompſiſſe,prçter hũc verò,nemo ve-

rerum eorũ qui in hunc librum Commẽtarios ædidere, neque Græcorum neq; Latinorum particularem aliquem locum deſignauit, ad quem dominus alluſerit: ſed tantũ generali ſermone apud Prophetas ſcriptũ id eſſe affirmãt. Pro eo autẽ quod noſtra habet lectio, docibiles Dei, Græcè eſt διδακτοὶ θεοῦ didactos theu, id eſt, doctos à Deo vel diſcipulos Dei. Noſter interpres maluit dicere, docibiles quàm doctos: ne quis putaret doctos participialiter accipiendũ, ſecundũ tempus præteritum, cùm Græcè διδακτοὶ didactos nomen habeatur, nõ participium. Sed quærat aliquis, quomodo id veritatẽ habeat, omnes eſſe doctos à Deo vel diſcipulos ſiue docibiles Dei? Quare enim multi ineruditi manẽt & indocti, ſi erunt omnes docti à Deo? Cyrillus de dignis id tantũ intelligi putat: nimirum quod dignis hominibus diuina reuelatione manifeſtãda eſſent fidei & ſalutis myſteria, vt ille ſolus nouit, qui dignos cognouit. Chryſoſtomus duplicẽ quæſtioni adhibet ſolutionem, De pluribus, inquit, hoc dictũ eſt, & præterea omnes volẽtes ſignificat. Magiſter enim omnibus proponitur, ad docendum & cõmunicandum doctrinam ſuam. Theophylactus & illam Cyrilli, & hanc poſtremã Chryſoſtomi cõiungit. Auguſtinus geminam inſuper adhibet ſolutionem, In commẽtariis quidem ſuper Ioannẽ, omnes regni illius homines docibiles Dei fore dicit: qui etiã ſi ab hominibus audiant, tamen quod intelligũt intus datur, intus coruſcat, intus reuelatur. In libro autẽ de prędeſtinatione ſanctorum ita verbum iſtud accipiendum putet, quomodo ſuprà in annotationibus primi capitis diximus de illo verbo, *Illuminat omnẽ hominem &c.* in hunc videlicet ſenſum: Omnes qui docentur, à Deo docentur: ita vt nemo doceatur vel inſtruatur ad fidem, qui non à Deo doceatur. Conſimilémque loquendi modum etiam ex vulgari ſermone adducit; Veluti cùm de aliquo literatrũ magiſtro, qui in ciuitate ſolus eſt, dicimus: Iſte omnes hîc literas docet: nõ quia omnes diſcũt, ſed quia nemo illic literas diſcit, niſi qui ab eo diſcit. ¶*Panis enim verus eſt.*) Græci codices habent, *Panis enim Dei eſt.* Atque ita & Latina quędã vetuſtiora & emendatiora exemplaria legũt, vt eſt videre apud Auguſtinum. ¶*Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.*) Græca exemplaria per replicationem verbi dabo, ſic habent, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* In quem ſenſum accipi poteſt etiam noſtra lectio quanuis & ſimpliciter intelligi poteſt, ſine replicatione, *Panis quem ego dabo pro mundi vita eſt caro mea.* Carnem autem nominat, totum ſeipſum, ab eo quod in ipſo eſt infirmius & humilius. ¶Sciendum verò, quòd licet ea quæ hucuſque dicta ſunt, à ſanctis doctoribus de Chriſto ſecundum diuinitatem ferè inte-

De ſacramẽtali.

intelligantur,vt quod ſe dixit eſſe panem vitæ, & panẽ verum,& panem cæleſtem:ea tamen quæ nũc ſequũtur,vbi ſuæ carnis facit mentionem,de Chriſti humanitate magna ex parte intelligunt,prout in dignißimo Euchariſtiæ ſacramẽto ſumitur & mãducatur eius caro ſub panis ſpecie, ſumitur & bibitur eius ſanguis ſub ſpecie vini. Et quoniam hæretici plerique noſtri temporis dignißimo huic ſacramento (quod in capite iſto plurimum ſaluator noſter commendat) ſtudioſißimè detrahentes,nihil eorũ quæ hîc dicuntur de ſacramentali illa manducatione intelligendũ contendũt,ſed omnia referũt ad fidem,dicentes: Chriſti manducare carnem & ſanguinem nihil eſſe aliud quàm in Chriſtum verum hominem credere: de ſacramentali autem veræ carnis & ſanguinis veri ſumptione, nec verbum audire volunt:ſophiſtas & ſcripturarum peruerſores clamitãtes,eos qui iſta ad ſacramentum carnis & ſanguinis domini interpretando referũt, non inutile fuerit, hoc in loco ad illorum inſaniam retundendam, ſanctorum patrum ſentẽtias etiam ad verbum proponere,ex quibus apertè monſtretur Græcorum vetuſtißimos patres maxima religione in verbis iſtis quæ ab hoc loco dicuntur,ſacramentum illud intellexiſſe. Et primũ quidem diuini illius & verißimè aurei oris ſententiam audiamus. Verbum nanque illud pertractans,quod in huius altißimi ſermonis initio dominus propoſuit. *Ego ſum panis vitæ*, ſic ait. Iam in myſteriorum traditionem deuenturus eſt. Et primum de diuinitate ſua ſic diſputat: *Ego ſum panis vitæ*. Neq; enim de corpore hoc dictum eſt, de quo circa finem inquit: *Panis quem ego dabo caro mea eſt*; ſed adhuc de diuinitate. Ad hunc autem locum perueniens, expreſsè teſtatur, in hoc verbo myſteriorum ſermonem adduci: per myſteria indubiè intelligens dominici corporis & ſanguinis ſacramenta,quæ ſancti patres quaſi per antonomaſiam myſteria appellare conſueuerũt. Nam quod ea ſacramẽta intelligat,expreſsius quàm vt negari vel ab impudẽtißimo tergiuerſatore poßit,verba ipſa quę deinde in loci propoſiti enarratione ſubiungit,teſtatur. Illi quidem, inquit,tunc tẽporis nihil ex his dictis,nos ipſius beneficij vtilitatem cepimus. Quare neceſſario dicendum, Quàm admirãda myſteria,& cur data ſint,& quænam eorũ vtilitas? Vnum corpus ſumus, & membra ex carne eius,& oſsibus eius. Quare initiati, eius pręceptis parere debẽt. Vt autem nõ ſolũ per dilectionem,ſed re ipſa in illam carnem cõuertamur,per cibum id efficitur quem ille nobis eſt largitus: Quum enim ſuum in nos amorẽ iudicare vellet,per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit,& in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cũ capite vniretur. Hoc enim amantiũ maximè eſt. Hoc Iob ſignificabat de

Euchariſtia, ex Patrũ ſententia, aduerſus Hęreticorũ temeritatem.

ſeruis,à quibus maximè amabatur: *Quis det nobis, vt eius carnibus impleremur?* Quod Chriſtus fecit,vt maiori nos charitate aſtringeret,& vt ſuum in nos oſtẽderet deſideriũ,non ſe tantum videri permittens deſiderantibus,ſed & tangi,& manducari,& dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri. Ab illa igitur mẽſa, tanquam leones ignem ſpirantes, ſurgamus, diabolo formidoloſi, & caput noſtrum intelligamus,& quam in nos præ ſe tulit charitatẽ. Vbi deinde idem vir ſanctiſsimus,& ſcripturarũ diſertiſsimus,ſimul ac diligẽtiſsimus enarrator,multò pluribus verbis ſancti huius ſacramẽti pretium,elaborata oratione magnificat & extollit:docens etiã, quemadmodum à fidelibus ſumẽdum,ne in iudicium fiat indignè ſumentibus. Admiranda ſanè,inquit,Eccleſiæ myſteria,admirandum ſacramẽtum. Sed ſicut magnum eſt & admirabile,ita ſi purè acceſſeris, ad ſalutem acceſsiſti:ſin praua cõſcientia, ad pœnam & ſuppliciũ. Qui enim manducat & bibit indignè ſanguinẽ domini,iudiciũ ſibi manducat & bibit. Nam ſi qui regiam purpuram coinquinãt, haud ſecus quàm qui ſcindunt puniũtur: quid mirum,ſi ij qui immũda conſcientia Chriſti corpus accipiunt,idem ſupplicium ſubeant,quod illi qui eum clauis cruci affixerunt? Hęc autem omnia, quis niſi deploratæ omnino mentis & irrationabilis iudicij, non aduertat ad viſibilia dominici corporis & ſanguinis pertinere ſacramẽta? Non minus verò apertè, imò lõgè diſtinctius ea quæ ad hoc attinẽt ſacramentũ, Theophylactus Bulgarienſis epiſcopus ſecundum catholici dogmatis regulam exponit,quum in huius loci explanatione ita ait: Attende autem, ꝙ panis qui à nobis in myſteriis mãducatur, non eſt tantum figuratio quædam carnis domini,ſed ipſa caro domini. Non enim dixit: Panis quem ego dabo, figura eſt carnis, ſed caro mea eſt. Transformatur enim arcanis verbis panis ille,per myſticam benedictionẽ,& acceſſionem ſancti ſpiritus,in carnem domini. Ac poſt pauca: igitur & nũc panis in carnẽ domini mutatur. Et quomodo, inquis,nõ apparet nobis caro,ſed panis? Vt nõ abhorreamus ab eius eſu. Nam ſiquidẽ caro apparuiſſet,inſuauiter fuiſſemus affecti erga cõmunionem. Nũc autẽ condeſcendente domino noſtræ infirmitati, talis apparet nobis myſticus cibus, qualibus aliàs aſſueti ſumus. Ad deinde exponens quod ſequitur: *Qui manducat meam carnem, &c.* hoc loco, inquit, diſcimus ſacramentum communionis. Nam qui edit & bibit carnem & ſanguinem domini, in ipſo manet domino, & dominus in ipſo. Contemperatio enim fit noua & ſuper rationẽ,ita vt ſit Deus in nobis,& nos in Deo,& cętera quæ ſequũtur: in quibus oſtẽdit, quomodo ex vnione cũ verbo habeat caro illa Chriſti, vt viuificare poſsit.

Beatus verò Cyrillus,ſcripturarũ exactiſsimus enarrator,& hæretico rũ validiſsimus oppugnator,non ſolũ à loco illo ſuprà ſignato,panis quem ego dabo,ſacramentum communionis in verbis domini intelligit,ſed ab initio ſermonis,vbi Iudæis poſtulātibus, *Domine,ſemper da nobis panem hunc* ita reſpondet:*Ego ſum panis vitæ.Qui credit in me,nõ eſuriet*.Sic enim in eius verbi enarratione ait:His autẽ verbis ſuboſtẽdit ſanctiſsimi ſui corporis vitã & gratiã,qua in nobis vnigeniti proprietas(id eſt,vita)& ingreditur & permanet.Ac poſt pauca:Mannæ (quòd Iudæos Iordanẽ trangreſſos deſiit nutrire)figura latius explicata,concludens ſubiungit:Quando igitur ad regnum cælorum per Chriſtũ vocati ſumus)nõ enim aliud ſignificat Iudæorũ in repromiſſionis terrã ingreſſus)tunc & manna ſenſibile deſiit.Nõ enim literali amplius legis ſenſu,ſed cæleſti pane,id eſt,Chriſto, ad vitã æternã nutrimur,& morte deſtructa Dei participes,gratia ſancti ſpiritus & communicatione corporis domini,efficimur. Et rurſum, nonnullis interpoſitis,ſubiungit:Quid igitur Chriſtus pollicetur,quid credentibus adfert?Corruptibile certè nullum,ſed benedictionẽ,quam cõmunicatione corporis & ſanguinis Chriſti aſſequemur,vnde ad eam incorrruptionem integrè reducemur vt cibo corporali & potu non indigeamus:Nequaquã verò tacenda ſunt quæ idem iſte vir ſanctiſſimus aduerſum illos qui à myſtica & ſacramentali hac mẽſa ſe quacunq; occaſione ſubtrahũt,ita ſubiungit:Quæ cũ ita ſe habeant, ſciãt baptizati homines & diuinæ gratiæ participes facti, ſi rarius in Eccleſiã proficiſcantur,& longo temporum ſpatio, propter ſimulatam religionẽ,myſticè communicare Chriſto recuſent, ab æterna ſe vita procul depellere.Quippe recuſatio huiuſmodi quanuis ex religione proficiſci videatur,& ſcandalum facit,& laqueos inſtruit. Quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi iactis fundamentis,manna cum fiducia ad ſumendam vitam concurrere. Sed variæ ſunt diaboli,multiplicéſque ad decipiẽdum inſidiæ. Nam primùm ad viuendũ turpiter inducit. Deinde, cũ malis onerati fuerint,tunc à Chriſti gloria abhorrere perſuadet,qua poſſent à turpitudine voluptatis,quaſi ab ebrietate, reuocari. Poſt quæ omnia, in exhortatione pia ſermonẽ hunc ita abſoluit: Quare demus operam, oro,vt vinculis diaboli abruptis,& iugo ſeruitutis eius excuſſo,in timore domino ſeruiamus:& carnis voluptate per cõtinentiam ſuperata,ad cæleſtem gratiam accedamus, corporiſq; Chriſti participes efficiamur.Sic enim,ſic inquam,& diabolũ fugabimus, & diuinæ naturæ participes,ad vitã & incorruptibilitatem aſcẽdemus. Conſimilẽ omnino exhortationem habet,poſt multa,in huius ferè ſermonis conclu

concluſione, enarrans verbum illud: *Qui manducat meam carnem, &c.* vbi multa efficacia illos qui prætextu ſuæ indignitatis, ſanctæ cõmunionis ſacramentum frequentare negligunt, refellit: inſuper, quæ & quanta ex illius ſumptione nobis bona ſpiritus proueniant, pulcherrimè declarat. Quę quidem exhortatio, quoniam ad pietatem plurimũ valet, & fidei catholicæ regulam de hoc ſacramẽto optimè cõfirmat, ad verbũ eam hic adſcribendã arbitrati ſumus. Nos verò inquit, ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorẽ immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictionẽ (euchariſtiam dicit) libenter cõcurramus: caueamúſq; ne loco laquei damnoſam religionem diabolus nobis prætendat. Rectè, inquit, dicis. Scriptũ tamen eſſe nõ ignoramus, iudicium ſibi comedere & bibere illũ, qui de pane comedit & de calice bibit indignę. Ego igitur probo meipſum, & indignũ inuenio. Quando igitur, quicunq; tu es qui iſta dicis, dignus eris? Quando Chriſto teipſum offeres? Nam ſi peccãdo indignus es, & peccare nõ deſinis. (Quis enim delicta intelligit, ſecũdum Pſalmiſtã) expers omnino eris viuificæ huius ſanctificationis. Quare pias, quæſo, cogitationes ſuſcipias, ſtudioſè ſanctéq; viuas, & benedictione participes: quæ, mihi crede, nõ mortem ſolum, verumetiã morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis manet Chriſtus, ſęuientem membrorum noſtrorũ legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit: nec in quibus ſumus peccatis cõſiderat, ſed ęgrotos curat, colliſos redintegrat: & ſicut paſtor bonus, qui animam ſuam pro ouibus ſuis poſuit, ab omni nos erigit caſu. Et hactenus quidem ſanctorũ patrum ſuper textu præſenti ſentẽtiam bona fide citauimus, ipſaq; eorũ verba ob oculos lectori propoſuimus expendenda: ne ſi fortè paucis & ſummatim illorum tantum ſententiæ fuiſſent perſtrictæ, minus apud nos eſſet fidei. In qua quidẽ re, licet prolixitate maiore vſi fuerimus, quàm eius propoſito conueniat, qui literales annotatiunculas cõſcribere ſit profeſſus, nobis tamẽ ita viſa eſt expedire, hoc ſanè in loco illa prolixitas. Partim quidem, vt oſtẽderemus, nõn ſine ratione & authoritate ea quæ in hoc textu dicuntur, ad ſacroſanctũ euchariſtiæ ſacramentum exponendo nos retuliſſe. Partim verò & multo magis, vt hæreticorũ noſtri potiſsimum temporis impudẽtiam & inſaniam tantorum virorum authoritate, vel frãgeremus, vel mitigaremus: quibus id perſuaſiſsimũ eſt & cantatiſsimum, in toto hoc capite prorſus nullam fieri ſacramẽtalis cibi aut potus mentionem: nec metuũt egregij homines, viros orthodoxos qui iuxta ſanctorum iſtorum ſententias locũ hunc de ſacramentali cibo interpretãtur, ſcripturæ ſubuerſores & falſarios appellare, ſophi-

ſophiſtasq́; & impoſtores. De iſtis verò,& eruditiõe & ſanctimonia toti Eccleſiæ celebratiſsimis viris, quid dicturi ſunt? Nunquid & hi falſarij fuerint, & impoſtores, & ſophiſtæ, & ſcripturarũ peruerſores, ob id ſolùm ꝙ inſano illorũ cerebro conſona nõ dixerint? Scio tamen quid ad hæc dicturi ſint. Homines,inquient,fuerũt iſti,errare potuerunt. Vos autem,ó egregij,cuiuſmodi tãdem exiſtimabimus? Nunquid nõ etiã vos homines eſtis? An forſitàn diuina quędã numina vos eſſe credemus, vt quæ à ſanctiſsimis & eruditiſsimis viris, quos tot ſeculis Eccleſiæ vniuerſæ Græcorũ atque Latinorum fecere permaximi,fideli traditioue accepimus pręcipua noſtræ fidei myſteria,ad obſcurorùm quorundam hominum(atque vtinam nõ improborum)clamoroſam tantum aſſertionẽ,conuitiis ſolis roboratã, ſine iudicio ſic abiiciamus? Sed hîc rurſum nobis obiiciẽt diui Auguſtini ſententiã, qui totum hunc textum abſque mentione ſacramentalis cibi enarrat, per manducationẽ corporis Chriſti nõ aliud intelligens,ꝙ ſpiritalem ſocietatem ſanctorum: Chriſtique carnem manducare,& ſanguinẽ bibere,non aliud eſſe,quàm Chriſto incorporari, & per fidem cum eo vnum fieri in ſocietate ſanctorũ, ita vt ipſe in Chriſto maneat,& Chriſtus in eo. Vide autem obſecro,hominum iſtorum improbam nimis impudẽtiam, effrontemq́; & omnis honeſtatis expertem inuerecundiam: qui cùm in cæteris Auguſtini verba nec pili faciãt,hîc tamen in illo mirè ſibi placent,& ſerio triumphant,illud libenter inculcãtes. Quid paras dentẽ & ventrẽ? Crede & manducaſti. Verùm hi primùm quidem illud intelligãt,Auguſtini vnius interpretationem,trium illorũ probatiſsimorum atq; vetuſtiſsimorum patrũ authoritati, in eo quod ſecũdum catholicæ fidei normam aſſerunt,nequaquã derogare aut præiudicare: maximè cùm Auguſtinus illorum neque ſententiam refellat,neque damnet interpretationẽ,ſed tantũ ſuam ponit,aliam & ab illorũ interpretatione diſtinctam: id quod paſsim in ſcripturarũ enarratione ſanctis doctoribus vſuuenire cõſtat,vt aliùs ſic, alius ſic interpretetur, alius tamẽ alij nõ præiudicet. Ac proinde manet in ſuo robore firma illorũ authoritas,neque eius hac via pondus eleuatur aut imminuitur, Hoc tantũ aduerſariis præſtat iſta obiectio,quod Auguſtini, hoc ſanè in loco,non grauantur authoritate. Sed quantũ hoc illis eſt leuaminis,ſi hoc tantũ in loco ab Auguſtino nõ refutentur, cùm in aliis plus mille locis eorũ inſanam & ſacrilegam impudentiam apertiſsimè idem ipſe condemnet: id quod nemini non eſt notiſsimum, qui vel de facie Auguſtinũ agnouerit,eiúſque ſcripta vel de limine ſalutauerit. Deniq́;,ſi Auguſtini authoritas tanti illis eſt,vt eam ad erroris ſui

ris ſui

Nõ enim ita iudicanda ſunt, quomodo ea quæ videntur, ſed myſteria omnia interioribus oculis cõſideranda, hoc eſt, ſpiritaliter. Quomodo enim nihil prodeſt caro, ſine qua nemo poteſt viuere? Vide quòd ea particula, *Caro non prodeſt quicquam*, non de ipſa carne, ſed de carnali auditione dicta eſt. Conſentit huic per omnia Theophylactus, & eadẽ prorſus loquitur, carnem dicens nihil prodeſſe, eò quòd carnaliter intelligere Chriſti verba nihil adfert, ſed ſpiritũ prodeſſe, quia ſpiritualis intelligentia cõfert plurimum. Verba quoque ipſius ſpiritũ eſſe, id eſt, ſpiritualiter intelligenda, & vitam, id eſt, viuificãtia, & vitã adferentia ſpiritaliter intelligentibus. Ex his omnibus ſanctorum patrũ interpretationibus, tametſi non per omnia quantum ad ſingulas particulas ſimiliter exponant: illud tamẽ ſummatim colligitur, concordi omniũ ſententia locum iſtum propoſitum prorſus nihil officere orthodoxorum intellectui, qui ſermonẽ Chriſti ſuprà enarratũ de ſacramentali corporis & ſanguinis dominici manducatione dictũ accipiunt: id quod impudẽtiſsimè calũniantur improbi & animales hæretici, clamitantes intellectũ illum cum Chriſti verbis pugnare, quibus dixit carnẽ nihil prodeſſe, ſed ſpiritum eſſe qui viuificat. Verùm nos iam ſatis in his refellendis, quantũ ſanè operis huius tractatus patitur, demorati, ad noſtrum inſtitutum redeamus.

ELVCIDATIO CAP. VII.

P*ſt hac autem ambulabat Ieſus in Galilæam.*

b Non enim volebat in Iudæã ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere

c Erat autem in proximo dies feſtus Iudæorũ, ſcenopegia.

POST ea quæ iam antè deſcripta ſunt, dicta ac facta, perambulabat dominus Ieſus Galilæam, verbis & ſignis patris vbique gloriam quærens. [b] Cauſa verò ob quam in Galilæa diutius commorari voluit, & non aſcendere in Iudæam, inuidia erat principum Iudæorum: quorum odium tantum erat aduerſus Chriſtum, vt mortem ei meditarentur & mollirentur. [c] Contigit itaque, poſt longam illius in Galilæa demorationem, vt ſolennitas quædam Iudæis admodum celebris appropinquaret, quæ Græco vocabulo ſolennitas appellabatur ſcenopegiorum: à figendis tabernaculis, in quibus per dies ſolennitatis illius habitabant, in memoriam antiquæ peregrinationis ſanctorum Patriarcharum, qui in tabernaculis & caſulis morabantur, item & poſteriorum patrum de Aegypto egreſſorum, qui in deſerto per annos quadraginta in tabernaculis fuerant commorati,

priuſquam

priuſquam terram promiſsionis acciperét.[a] Hac itaque ſolennitate imminente,quidam ex iis qui Chriſto ſecundum carnem erant cognati,partim Chriſto diffidentes,partim humanum affectum ſequentes,dixerunt ad eum:Quid nunc imminente ſolennitate in Galilæa latitas?[b] Quin potius tranſi hinc in Iudæam, ad Hieroſolymam Iſraëlitici regni metropolim,quo nunc confluxuri ſunt ad ſolennitatem & templi viſitationem vndequaque plurimi:[c] vt auditores & ſectatores tui,quos illic admodum multos habes, videant opera iſta mirabilia quę tu facis. [d] Nō enim ſolent ij qui ſeipſos manifeſtare,& ſuum nomē mundo notū facere quærunt,opera ſua illa per quæ præcellentiam ſibi & authoritatem conciliare putant:in locis ſecretioribus patrare,vbi à paucis videri aut ſciri poſsint: imò loca maximè publica & plurimis frequentata quęritāt,vt illuſtriorē reddant ſui nominis gloriā, & latius ipſorū fama ſpargatur.[e] Proinde ſi verè iſta facis mirabilia,quę de te narrantur,ſi verè à Deo iſtam habes poteſtatē tanta ſigna patrandi,quanta te poſſe plerique iactitant,relinque humilē & deſertam Galilæam,ac Hieroſolymā cōſcende,vt illic in ciuitate ſplendidiſsima, ac populo pleniſsima, tuam gloriā magnifices,& fiat nomē tuum per orbem manifeſtū.
[f] Hæc autē dicebant quidam ex cognatis Ieſu,nondum affectu ſyncero in eum credentes:ſed vel hæſitantes de veritate doctrinæ & operū eius, vel affectu infideli ex illis mundi huius gloriam ſibi conciliare volentes. [g] Ad hæc dominus Ieſus,vt affectū illorum refelleret,& in ſignis miraculorum patris tantū gloriam non hominum ſe quærere demonſtraret,ita eis durè reſpondit:[h] Tempus à patre mihi conſtitutum, quando ego ad ſolennitatem hanc ſum profecturus, nondum aduenit. Non eſt iuſtum,vt hac in re veſtro ſeruiam carnali affectui,ſed patris tantum voluntati: à quo mihi conſtitutum tempus cùm aduenerit,proficiſcar.[i] Tempus autem veſtrum non eget dilatione, ſemper paratum eſt:iam nūc vobis licet,ſi libet aſcendere, pro animi veſtri affectu. [k] Fieri non poteſt,vt mundani & ambitioſi homines (cuiuſmodi ſunt in

a Dixerunt autem ad eum fratres eius: &
b Tranſi hinc, & vade in Iudæam,
c vt et diſcipuli tui videant opera tua quæ tu facis.
d Nemo quippe in occulto quid facit,& quærit ipſe in palā eſſe.
e Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo.
f Neque enim fratres eius credebant in eum.
g Dixit ergo eis Ieſus:.
h Tempus meū nondū aduenit:
i tempus autē veſtrum ſemper eſt paratum.
k Non poteſt mundus odiſſe vos:

I Iudæa

Iudæa multi, ex iis maximè qui mè perſequuntur) vos odio habeant, aut perſequantur, quandiu illorum eſtis ſimiles, honorem ſimiliter mundi & ambitionẽ quærentes. [a] Me verò illi exoſum habent odio graui vſque ad mortem, propterea quòd eorũ vitia & peccata redarguo, in quibus corrumpunt, & corrumpuntur: Hæc ſcilicet cauſa eſt, quare vobis abſque periculo liceat publicè ad feſtum aſcendere, mihi verò non ita, donec tempus conſtitutum aduenerit. [b] Vos proinde, ſi videbitur, & quando videbitur, fidenter aſcendite ad feſtiuitatem imminentem: nec eſt quod me præſtolemini, aut meam requiratis præſentiam, Ego enim non adhuc aſcendam ad feſtiuitatem iſtã, quoniam tempus meum, quod à patre mihi eſt conſtitutum (cuius conſilio omnia gero) nondum aduenit. Inſidias mihi parant inimici mei, Iudæorum principes: atque ob hoc ad tempus diſpenſatoriè me vult pater latitare in ſolennitatis initio, poſtmodum nihilominus manifeſtandum in gloria. [c] Poſt quæ verba, fratribus aſcendentibus Hieroſolymam, ipſe remanſit ad tempus in Galilæa, nolens affectum carnalem cognatorum ſuorum cum negotio miſcere Euangelico, aut diuinam gloriam humana diluere.

[a] me autem odit, quia ego teſtimoniũ perhibeo de illo, quòd opera eius mala ſunt.

[b] Vos aſcendite ad diem feſtum hunc: ego enim non aſcẽdam ad diem feſtũ iſtũ, quia meum tempus nondum impletum eſt.

[c] Hæc cùm dixiſſet ipſe, manſit in Galilæa.

[d] Poſtquam verò illi priores aſcendiſſent, cùm ſibi tempus videretur opportunum, ipſe dominus poſterior aſcendit ad ſolennitatem: non quaſi in manifeſto, multarum turbarum frequentia comitatus, quẽadmodum aliàs nonnunquam incedere ſolitus erat, ſed quaſi occultè cum paucis ſuis diſcipulis: ne occaſionem dare videretur Iudæis, in ſe amplius furendi. [e] Incipiente igitur feſtiuitate illa, plerique Iudæorum, tùm ex iis qui Iudæam & Hieroſolymam inhabitabant, tum ex iis qui aliunde ad feſtum confluxerant magno ſtudio Ieſum requirebant abſentem: nonnulli quidem ex affectu bono cupientes audire & videre eum, alij verò ex affectu peruerſo quærentes ei nocere. [f] Et admirantes dicebant, alij in contemptum: Vbinam modo latet ſeductor & magus ille? Quare non prodit in publicum? alij in honorem: Vbinam eſt Propheta & magiſter ille, qui in feſtis

[d] Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.

[e] Iudæi ergo quærebant eum in die feſto.

[f] & dicebant, vbi eſt ille?

feſtis ſolet ad[illegible]ſolymis, miraque docere & agere? Proculdubio non ſine cauſa graui nunc abeſt, qui feſtos hos dies diligentiſsimè ſolet obſeruare. Factumq; eſt diſsidium & murmur magnū in turbis populorum qui conuenerant, diuerſis diuerſa vt ſentientibus, ita loquentibus.[b] Nimirum alij erga Chriſtum piè affecti dicebant, ſanctum ipſum eſſe ac iuſtum, & à Deo miſſum Prophetam prædicabant. [c] Alij verò in Chriſtum impij, econtrario aſſerebant, non ipſum ſanctum eſſe & à Deo miſſum Prophetam, ſed magum & ſeductorem populorum, falſam doctrinam prædicantem, atque ex pacto cum dæmonibus miracula facientē. Sic pro ſuo quiſque affectu apud ſeſe, alij bene, alij malè de Chriſto loquebantur. [d] Nemo tamen apertè & palàm audebat pro eo loqui in bonum, propter timorem principum Iudæorum, quos ſciebant aduerſus illum maximo odio furere, ac iam mandata dira dediſſe, vt eum comprehenderent & interficerent. [e] Quum verò ſolennitas illa, quę per dies ſeptem celebrabatur, ad medium vſque proceſsiſſet, in ipſo ſolēnitatis medio, peruenit dominus Ieſus in Hieruſalem: palamque ſe oſtēdere volens mundo, templum eſt ingreſſus, atque illic turbas docere cœpit cum fiducia, nihil Iudæorum pertimeſcens malitiam: vt ſicut antè latens humanæ fragilitatis oſtendit in ſeipſo infirmitatē, ſic modo apertè prodiens diuinæ ſuæ virtutis, cui nemo poſſet nocere, maieſtatem declararet: ſeque pro gloria patris & Euangelij, nullam humanā vim metuere demonſtraret.[f] Audientes verò Iudæi, Chriſtum palàm in templo magna cum authoritate & gloria prædicantem, admirati ſunt vehementer, & dixerunt adinuicem. [g] Qui fieri poteſt, vt homo iſte literas ſciat, ſcripturas calleat, & verba ſapientiæ teneat: quum (vt illi teſtantur, qui ipſum ipſiusq; familiam & conditionem probè nouerunt) nunquam literas didicerit: & ſcholas in quibus docentur literę, nunquā frequentauerit? Hinc enim quidam bene Chriſto fauentes, diuinà colligebant eſſe ſapientiam & doctrinā eius: alij verò, magicam, & ex dæmone collatam. [h] Sciens verò dominus,

a Et murmur multum erat in turba de eo.

b Quidam enim dicebant, quia bonus eſt.

c Alij dicebāt: Non, ſed ſeducit turbas.

d Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.

e Iam autē die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum, & docebat.

f Et mirabantur Iudæi, dicentes:

g Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?

h Reſpōdit eis Ieſus et dixit: Mea doctrina nō eſt mea, ſed eius qui miſit me.

quòd hac de re mirarentur,& conqu[illegible] eis reſpondit:Doctrina quam ex me auditis, non propriè mea eſt,ſic quaſi ego eam habeam à memetipſo, ſed eſt doctrina patris mei cæleſtis:qui ſicut me miſit in mundum,ita mihi dedit atque præcepit quæ debeam loqui & prædicare in mundo.[a] Quòd ſi quis bonæ fuerit voluntatis,qui pio & humili affectu deſideret patris mei obedire voluntati,& propriã ſuam diuinę non opponere,ſed conformẽ & concordem efficere, is demum ſcire poterit de doctrina mea, qualis ſit,ex Deo an ex meipſo,an ex diabolo. Qui bonę & humilis ſunt voluntatis,ipſi ſciunt meã doctrinã verè eſſe diuinam,nõ humanam:quemadmodum econtrario, qui animo ſunt ſuperbi,& obduratæ in malo voluntatis,nequeũt intelligere,quòd à Deo ſit mea doctrina, ſed contemnere malunt,quæ doceo, quaſi ea loquar à memetipſo,[b] In hoc autem qui bonæ ſunt voluntatis,facilè aduertere poſſunt,me nõ loqui à meipſo:quoniam qui ex ſuo capite & ſua inuentione loquitur,quæ à Deo non accepit,is propriam ſuam glóriam quærit,& proprium nomeñ ſuperbè extollere: quod ego ſi facerem,rectè me diceretis loqui ex memetipſo,& non ex Deo.[c] Nunc verò dum ego in omnibus patris tantum gloriam quæro & ſpecto,nõ gloriam propriam,quam vbique(vt ipſi non poteſtis nõ agnoſcere)fugio,per omnia.quod ad meipſum ſpectat,humilitatem & contẽptũ eligens,fateri quoq; debetis,me à memetipſo non loqui,ſed ab illo cuius gloriam quæro:ac proinde,veracem eſſe & iuſtum ac nihil mihi alienum arrogantem,ſed tantum quod mihi traditum eſt officium exequentem,quum non poſſit Deus pater doctor eſſe mendacij, aut approbator iniuſtitiæ.[d] Oſtendam autem vobis,iniuſtum eſſe veſtrum aduerſus me odium, & perſequutionem impiam.Ecce Moſes legem vobis dedit, & promulgauit,quam à Deo accepit:& vos ab illo legem ſuſcepiſtis,eiuſque obſeruationi vltronea volũtate voſipſos deuinxiſtis.[e] Attamen ex vobis qui contra me malum meditamini,nemo eſt qui legem iſtam perfectè obſeruet.[f] Quare enim me quæritis interficere?In hoc

a Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina vtrũ ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.

b Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit.

c Qui autẽ quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt.et iniuſtitia in illo non eſt.

d Nónne Moſes dedit vobis legem?

e & nemo ex vobis facit legẽ.

f Quid me quæritis interficere?

hoc ſanè omnes legem(quę homicidium prohibet,& iuſtum iudicium præcipit) præuaricamini,quod cōtra iuſtitiam mihi innocenti ſine cauſa mortem meditamini? [a] Ad hoc Chriſti verbum, multi ex turba illa principum parti adhęrentes,& diſsimulare volentes quod occultè in animo meditabantur, in contumeliam proruperunt,dicētes:Dæmonio agitatus iſta loqueris,quæ nemo poſsit vera comprobare.Quis enim te quærit interficere?Quis tibi quærit nocumentum inferre?Hactenus nemo vidit tibi vim vllā à nobis inferri.Mendaciter proinde & nequiter in odiū noſtrum iſta confingis,quę nos opere necdum oſtēdimus.[b]Sciens verò dominus Ieſus,quid ipſi animo voluerent,tametſi nondum opere monſtratū,ad plenā ſui expurgationem hac eſt vſus apologia ſiue defenſione,dicens:[c]Vnum opus ego ante aliquantum tempus vobiſcum exiſtens in ſolennitate pentecoſtes operatus ſum,ſignum vnum patraui, hominē infirmū ſanans in ſabbato:& de hoc opere vos omnes admiramini,tanquam de opere inſigniter malo:atque hinc mihi calumniam ſtruitis,hinc mihi malum paratis, quaſi blaſphemo in legem,& violatori ſabbati,& vnicum hóc opus,quaſi præcipuum,prætexitis in odium mei & perſequutionem. [d] Sed reſpondete, obſecro,mihi. Nam veſtrum ipſorum requiro iudicium: Moſes ecce legiſlator in lege vobis conſtituit, circuncidere omne maſculinum:non ita quidem,vt ipſe primus fuerit inſtitutor circunciſionis,quæ multo antè Abrahæ data,& cæteris Patriarchis obſeruata fuit, in ſignum diſtinctionis populi Iſraëlitici,de quo ſēcundum carnē erat naſciturus Meſsias,à cæteris gentibus. [e] Et hanc circunciſionem vos ita obſeruatis, vt nec propter ſabbati reuerentiam omitatis circuncidere pueros,cùm dies octauus à natiuitate cū ſabbato coinciderit. [f] Si igitur accipit homo circunciſionem præputij in die ſabbati, ita vt non ſoluatur lex Moſi, abſque violatione legis:item propter hoc in ſabbato fit circunciſio, vt non violetur lex Moſi, ex ea parte qua præcipit maſculinum omne die octau circuncidi:[g] quæ vobis cauſa iuſta eſſe

a Reſpondit turba,et dixit: Dæmonium habes quis te quærit interficere?

b Reſpondit Ieſus,& dixit eis:

c Vnum opus feci,& omnes miramini.

d Propterea Moſes dedit vobis circunciſionem:non quia ex Moſe eſt,ſed ex patribus:

e & in ſabbato circunciditis hominem.

f Si circunciſionem accipit homo in ſabbato, vt non ſoluatur lex Moſi:

g mihi indignamini, quia totū hominem ſanū feci in ſabbato.

poterit,aduerſum me exercendi odium,ex eo quod non vnam aliquam partem,ſed totum ipſum hominē ſanum feci in ſabbato?Maius enim videtur, totū aliquem hominē ſimul in anima & corpore & mēbris omnibus corporis ſanari,quàm in pręputio circuncidi,atque ita modo quodam velut in vno tantum illo genitali membro ſanari,recteque iuxta legem diſponi.Maior in illo videtur Dei gloria,& hominis commodum amplius. Hoc igitur ſi licet in ſabbato, & nō violat ſabbatum, illud quod per ſe melius eſt, quare in ſabbato non licebit?

a Nolite iudicare ſecundum faciem:

[a] Proinde vos moneo,ne(contra legis pręceptum)ſecundum faciem & perſonā iudicetis,quod in vobis toleratis & cōmendatis,ipſum: imò ipſo aliud melius in me condemnantes:quod eſt ſecundum faciem & perſonam,nō ſecundum rei veritatem iudicare:

b Sed iuſtū iudicium iudicate.

[b] ſed rem ipſam diligēter expendentes,ſtudete quod iuſtum eſt iuſtè iudicare,ne hac quoque ratione legis comprobemini tranſgreſſores,quæ quod iuſtum eſt præcipit iuſte exequi.

c Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymis:

[c] Cùm verò ita conſtanter & intrepidè palàm in templo docentē eum viderent quidam Iudæorum ex Hieroſolymis, principum parti fauentes,& Chriſto aduerſantes,vehementer admirati de Chriſti confidentia,dixerunt:

d Nónne hic eſt quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur & nihil ei dicunt:

[d] Nónne hic eſt quem principes noſtri ex multo iam tempore decreuerunt & quæſierunt interficere?Ecce verò nunc palàm docet in templo multa cū fiducia,& nemo principū aduerſus eum quicquam agit vel loquitur,quod ad eam rē pertineat,ſed docere permittitur,vt antè ſolitus fuerat.

e Nunquid verè cognouerunt principes, quia hic eſt Chriſtus? Sed hūc ſcimus vnde ſit.

[e] An fieri potuit, vt contra id quod hactenus ſenſerūt,iam perſuaſum ſit principibus,hunc verè Meſsiam eſſe promiſſum. Verū id exiſtimare,omnino videtur irrationabile. De hoc enim Ieſu,nos cognouimus vnde ſit, locum nouimus vnde proceſsit, nempe ciuitatem Nazareth, in qua cōceptus fuit & educatus:inſuper & parentes eius,ex quibus eſt progenitus nouimus,vtpote patrē Ioſeph, & matrem Mariam.

f Chriſtus autem cùm venerit, nemo ſcit vnde ſit.

[f] Meſsias autem cùm venerit in mundum,nō poterit ſciri generatio eius, iuxta quod in ſcriptura dicitur:Generationem eius quis enarrabit?Et alibi,Egreſſus eius ab initio,à diebus æternitatis.

taris.[a] Sciens itaque dominus, ſic malignari aduerſum ſe pleroſque Iudæorum, & tam futilia aduerſus veritatem obiicere, ad cõfutandum illorum obiecta, eleuata voce (vt ab omnibus poſſet audiri) clamauit cum fiducia veritatem docens, ac dicens: [b] Vos quidem, ſecundum hanc quam videtis formam humanitatis aſſumptam, me vt hominem vnum aliorũ ſimilem videtis & cognoſcitis: item & locum originis ac conuerſationis, progeniémque ex parte nouiſtis. Verùm ſecundum naturam diuinam, quæ mihi eſt cum patre cõmunis, vos nequaquam me cognoſcitis, neque vnde venerim ſcitis. [c] Ego enim in hunc mundum non veni, humanam aſſumendo naturam, à memetipſo, quaſi iniuſſus, & à nullo miſſus: ſed eſt Deus pater in ſeipſo perfectè verus & veritas ipſa qui me miſit in mundum, volens me in tempore fieri hominem: quem vos non verè cognoſcitis, vt patrem meum & eum qui me miſit: quoniam ſi eum cognoſceretis patrem & mittentem, non me repelleretis filium & miſſum ab eo: atque ita ſecundum hanc naturam, neque me cognoſcitis, neque vnde venerim ſcitis. [d] Ego autem perfecta comprehenſione illum cognoui, vt filius patrem, qui ſum cum eo vna ſubſtantia: & ſi dixero me eum non noſſe, contra veritatem loquar mendacium, efficiárque mentiendo veſtri ſimilis, qui meram falſitatem & mendacia blaſphemantes loquimini. [e] Vtique enim illum ſcio, & perfecta comprehenſione cognoſco: quoniam ab ipſo ſum, ſecundum vtranque naturam: ſecundum diuinam quidem, eſſe æternum ab eo per generationem naturalem accipiens: ſecundum humanam verò, in tempore ex eius voluntate hominis naturam aſſumens, [f] & ab ipſo in hac temporis plenitudine veni in mundum, miſſus ab eo in ſalutem humani generis. [g] His autem Chriſti veriſsimis ſermonibus, excæcati maligno odio peruerſi Iudæi, adeò non ſunt emolliti, vt magis etiam exarſerit eorum furor: eóque veſaniæ proceſſerunt, vt miſsis miniſtris quærerent eum apprehendere ad interficiendum. [h] Verùm diuina virtute impediti, prauũ animi ſui

a Clamabat ergo Ieſus in templo, docens, & dicens:

b Et me ſcitis, & vnde ſim, ſcitis:

c & à meipſo non veni, ſed eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis.

d Ego ſcio eum, & ſi dixero quia neſcio eũ, ero ſimilis vobis mendax.

e Sed ſcio eum, quia ab ipſo ſum

f & ipſe me miſit.

g Quærebant ergo eũ apprehendere:

h & nemo miſit in illum manus,

ſeruis,à quibus maximè amabatur: *Quis det nobis, vt eius carnibus impleremur?* Quod Chriſtus fecit,vt maiori nos charitate aſtringeret,& vt ſuum in nos oſtéderet deſideriũ,non ſe tantum videri permittens deſiderantibus,ſed & tangi,& manducari,& dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri.Ab illa igitur mēſa, tanquam leones ignem ſpirantes, ſurgamus, diabolo formidoloſi, & caput noſtrum intelligamus,& quam in nos præ ſe tulit charitatē.Vbi deinde idem vir ſanctiſsimus,& ſcripturarũ diſertiſsimus,ſimul ac diligētiſsimus enarrator,multò pluribus verbis ſancti huius ſacramēti pretium,elaborata oratione magnificat & extollit:docens etiã, quemadmodum à fidelibus ſumēdum,ne in iudicium fiat indignè ſumentibus.Admiranda ſanè,inquit,Eccleſiæ myſteria,admirandum ſacramētum. Sed ſicut magnum eſt & admirabile,ita ſi purè acceſſeris, ad ſalutem acceſsiſti:ſin praua cōſcientia, ad pœnam & ſuppliciũ.Qui enim manducat & bibit indignè ſanguinē domini,iudiciũ ſibi manducat & bibit.Nam ſi qui regiam purpuram coinquināt, haud ſecus quàm qui ſcindunt puniũtur: quid mirum,ſi ij qui immũda conſcientia Chriſti corpus accipiunt,idem ſupplicium ſubeant,quod illi qui eum clauis cruci affixerunt?Hęc autem omnia, quis niſi deploratæ omnino mentis & irrationabilis iudicij, non aduertat ad viſibilia dominici corporis & ſanguinis pertinere ſacramēta? Non minus verò apertè, imò lōgè diſtinctius ea quæ ad hoc attinēt ſacramentũ, Theophylactus Bulgarienſis epiſcopus ſecundum catholici dogmatis regulam exponit,quum in huius loci explanatione ita ait:Attende autem, ꝙ panis qui à nobis in myſteriis mãducatur, non eſt tantum figuratio quædam carnis domini,ſed ipſa caro domini.Non enim dixit: Panis quem ego dabo, figura eſt carnis, ſed caro mea eſt. Transformatur enim arcanis verbis panis ille,per myſticam benedictionē,& acceſſionem ſancti ſpiritus,in carnem domini.Ac poſt pauca:igitur & nūc panis in carnē domini mutatur.Et quomodo, inquis,nō apparet nobis caro,ſed panis?Vt nō abhorreamus ab eius eſu. Nam ſiquidē caro apparuiſſet,inſuauiter fuiſſemus affecti erga cōmunionem. Nūc autē condeſcendente domino noſtræ infirmitati, talis apparet nobis myſticus cibus, qualibus aliàs aſſueti ſumus. Ad deinde exponens quod ſequitur: *Qui manducat meam carnem, &c.* hoc loco, inquit, diſcimus ſacramentum communionis. Nam qui edit & bibit carnem & ſanguinem domini, in ipſo manet domino, & dominus in ipſo. Contemperatio enim fit noua & ſuper rationē,ita vt ſit Deus in nobis,& nos in Deo,& cętera quæ ſequũtur:in quibus oſtēdit, quomodo ex vnione cũ verbo habeat caro illa Chriſti, vt viuificare poſsit.

Bea

Beatus verò Cyrillus,ſcripturarũ exactiſsimus enarrator,& hæretico rũ validiſsimus oppugnator,non ſolũ à loco illo ſuprà ſignato,panis quem ego dabo,ſacramentum communionis in verbis domini intel ligit,ſed ab initio ſermonis,vbi Iudæis poſtulãtibus, *Domine,ſemper da nobis panem hunc*.ita reſpondet:*Ego ſum panis vitæ.Qui credit in me,nõ eſuriet.*Sic enim in eius verbi enarratione ait:His autẽ verbis ſuboſtẽ dit ſanctiſsimi ſui corporis vitã & gratiã,qua in nobis vnigeniti pro prietas(id eſt,vita)& ingreditur & permanet.Ac poſt pauca:Mannæ (quòd Iudæos Iordanẽ trangreſſos deſiit nutrire)figura latius explicata,concludens ſubiungit:Quando igitur ad regnum cælorum per Chriſtũ vocati ſumus)nõ enim aliud ſignificat Iudæorũ in repromiſ ſionis terrã ingreſſus)tunc & manna ſenſibile deſiit.Nõ enim literali amplius legis ſenſu,ſed cæleſti pane,id eſt,Chriſto, ad vitã æternã nutrimur,& morte deſtructa Dei participes,gratia ſancti ſpiritus & communicatione corporis domini,efficimur. Et rurſum,nonnullis interpoſitis,ſubiungit:Quid igitur Chriſtus pollicetur,quid credentibus adfert?Corruptibile certè nullum,ſed benedictionẽ,quam cõmunicatione corporis & ſanguinis Chriſti aſſequemur,vnde ad eam incorrruptionem integrè reducemur vt cibo corporali & potu non indigeamus:Nequaquã verò tacenda ſunt quæ idem iſte vir ſanctiſſimus aduerſum illos qui à myſtica & ſacramentali hac mẽſa ſe quacunq; occaſione ſubtrahũt,ita ſubiungit:Quæ cũ ita ſe habeant, ſciãt baptizati homines & diuinæ gratiæ participes facti, ſi rarius in Eccleſiã proficiſcantur,& longo temporum ſpatio, propter ſimulatam religionẽ,myſticè communicare Chriſto recuſent, ab æterna ſe vita procul depellere.Quippe recuſatio huiuſmodi quamuis ex religione proficiſci videatur,& ſcandalum facit,& laqueos inſtruit. Quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi iactis fundamentis,manna cum fiducia ad ſumendam vitam concurrere. Sed variæ ſunt diaboli,multiplicéſque ad decipiẽdum inſidiæ. Nam primùm ad viuendũ turpiter inducit. Deinde, cũ malis onerati fuerint,tunc à Chriſti gloria abhorrere perſuadet,qua poſſent à turpitudine voluptatis,quaſi ab ebrietate, reuocari. Poſt quæ omnia, in exhortatione pia ſermonẽ hunc ita abſoluit: Quare demus operam, oro,vt vinculis diaboli abruptis,& iugo ſeruitutis eius excuſſo,in timore domino ſeruiamus:& carnis voluptate per cõtinentiam ſuperata,ad cæleſtem gratiam accedamus, corporiſq; Chriſti participes efficiamur.Sic enim,ſic inquam,& diabolũ fugabimus, & diuinæ na turæ participes,ad vitã & incorruptibilitatem aſcẽdemus. Conſimilẽ omnino exhortationem habet,poſt multa,in huius ferè ſermonis conclu

concluſione,enarrans verbum illud: *Qui manducat meam carnem,&c.* vbi multa efficacia illos qui prætextu ſuæ indignitatis, ſanctæ cõmunionis ſacramentum frequentare negligunt, refellit:inſuper,quæ & quanta ex illius ſumptione nobis bona ſpiritus proueniant,pulcherrimè declarat.Quę quidem exhortatio,quoniam ad pietatem plurimũ valet,& fidei catholicæ regulam de hoc ſacramẽto optimè cõfirmat,ad verbũ eam hic adſcribendã arbitrati ſumus.Nos verò inquit, ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorẽ immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictionẽ (euchariſtiam dicit)libenter cõcurramus:caueamúſq; ne loco laquei damnoſam religionem diabolus nobis prætendat.Rectè,inquit,dicis. Scriptũ tamen eſſe nõ ignoramus,iudicium ſibi comedere & bibere illũ, qui de pane comedit & de calice bibit indignę. Ego igitur probo meipſum,& indignũ inuenio.Quando igitur,quicunq; tu es qui iſta dicis,dignus eris? Quando Chriſto teipſum offeres? Nam ſi peccãdo indignus es,& peccare nõ deſinis.(Quis enim delicta intelligit,ſecũdum Pſalmiſtã) expers omnino eris viuificæ huius ſanctificationis. Quare pias,quæſo,cogitationes ſuſcipias,ſtudioſè ſanctéq; viuas,& benedictione participes:quæ,mihi crede,nõ mortem ſolum,verumetiã morbos omnes depellit.Sedat enim, cùm in nobis manet Chriſtus,ſęuientem membrorum noſtrorũ legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit: nec in quibus ſumus peccatis cõſiderat,ſed ęgrotos curat,colliſos redintegrat:& ſicut paſtor bonus,qui animam ſuam pro ouibus ſuis poſuit,ab omni nos erigit caſu. Et hactenus quidem ſanctorũ patrum ſuper textu præſenti ſentẽtiam bona fide citauimus, ipſaq; eorũ verba ob oculos lectori propoſuimus expendenda:ne ſi fortè paucis & ſummatim illorum tantum ſententiæ fuiſſent perſtrictæ,minus apud nos eſſet fidei.In qua quidẽ re,licet prolixitate maiore vſi fuerimus,quàm eius propoſito conueniat, qui literales annotatiunculas cõſcribere ſit profeſſus, nobis tamẽ ita viſa eſt expedire,hoc ſanè in loco illa prolixitas. Partim quidem, vt oſtẽderemus,nõn ſine ratione & authoritate ea quæ in hoc textu dicuntur,ad ſacroſanctũ euchariſtiæ ſacramentum exponendo nos retuliſſe. Partim verò & multo magis,vt hęreticorũ noſtri potiſſimum temporis impudẽtiam & inſaniam tantorum virorum authoritate, vel frãgeremus,vel mitigaremus:quibus id perſuaſiſſimũ eſt & cantatiſſimum,in toto hoc capite prorſus nullam fieri ſacramẽtalis cibi aut potus mentionem:nec metuũt egregij homines, viros orthodoxos qui iuxta ſanctorum iſtorum ſententias locũ hunc de ſacramentali cibo interpretãtur,ſcripturæ ſubuerſores & falſarios appellare, ſophi-

ſophiſtaſq; & impoſtores. De iſtis verò,& eruditiõe & ſanctimonia toti Eccleſiæ celebratiſsimis viris, quid dicturi ſunt? Nunquid & hi falſarij fuerint, & impoſtores, & ſophiſtæ, & ſcripturarũ peruerſores, ob id ſolùm ꝙ inſano illorũ cerebro conſona nõ dixerint? Scio tamen quid ad hæc dicturi ſint. Homines,inquient,fuerũt iſti,errare potuerunt. Vos autem,ó egregij,cuiuſmodi tãdem exiſtimabimus? Nunquid nõ etiã vos homines eſtis? An forſitàn diuina quędã numina vos eſſe credemus, vt quæ à ſanctiſsimis & eruditiſsimis viris, quos tot ſeculis Eccleſiæ vniuerſæ Græcorũ atque Latinorum fecere permaximi,fideli traditione accepimus pręcipua noſtræ fidei myſteria,ad obſcurorum quorundam hominum(atque vtinam nõ improborum)clamoroſam tantum aſſertionẽ,conuitiis ſolis roboratã, ſine iudicio ſic abiiciamus? Sed hìc rurſum nobis obiiciẽt diui Auguſtini ſententiã, qui totum hunc textum abſque mentione ſacramentalis cibi enarrat, per manducationẽ corporis Chriſti nõ aliud intelligens,q̃ ſpiritalem ſocietatem ſanctorum:Chriſtique carnem manducare,& ſanguinẽ bibere,non aliud eſſe,quàm Chriſto incorporari, & per fidem cum eo vnum fieri in ſocietate ſanctorũ, ita vt ipſe in Chriſto maneat,& Chriſtus in eo. Vide autem obſecro,hominum iſtorum improbam nimis impudẽtiam, effrontemq; & omnis honeſtatis expertem inuerecundiam:qui cùm in cæteris Auguſtini verba nec pili faciãt,hìc tamen in illo mirè ſibi placent,& ſerio triumphant,illud libenter inculcãtes: Quid paras dentẽ & ventrẽ? Crede & manducaſti. Verùm hi primùm quidem illud intelligãt, Auguſtini vnius interpretationem,trium illorũ probatiſsimorum atq; vetuſtiſsimorum patrũ authoritati, in eo quod ſecũdum catholicæ fidei normam aſſerunt,nequaquã derogare aut præiudicare:maximè cùm Auguſtinus illorum neque ſententiam refellat,neque damnet interpretationẽ,ſed tantũ ſuam ponit,aliam & ab illorũ interpretatione diſtinctam:id quod paſsim in ſcripturarũ enarratione ſanctis doctoribus vſu venire cõſtat,vt alius ſic, alius ſic interpretetur, alius tamẽ alij nõ præiudicet. Ac proinde manet in ſuo robore firma illorũ authoritas,neque eius hac via pondus eleuatur aut imminuitur, Hoc tantũ aduerſariis præſtat iſta obiectio,quod Auguſtini, hoc ſanè in loco,non grauantur authoritate. Sed quantũ hoc illis eſt leuaminis,ſi hoc tantũ in loco ab Auguſtino nõ refutentur, cùm in aliis plus mille locis eorũ inſanam & ſacrilegam impudentiam apertiſsimè idem ipſe condemnet: id quod nemini non eſt notiſsimum, qui vel de facie Auguſtinũ agnouerit,eiúſque ſcripta vel de limine ſalutauerit. Deniq;,ſi Auguſtini authoritas tanti illis eſt,vt eam ad erroris ſui

ris ſui patrociniũ trahere conētur illic, vbi nihil eis valet ſuffragari: quare nõ magis ad veritatis eruditionē illũ, quod multo ſanè ipſis fo ret vtilius, recipiũt? ¶ Quoniã verò improbi iſti calũniatores, aduerſum orthodoxos, etiã ex ſcripturæ ipſius cõtextu ſuã improbitatē fir mare conātur, illud quod poſt pauca ſubiũgitur: *Spiritus eſt qui viuificat, caro nõ prodeſt quicquã.* Verba quę ego loquor vobis ſpiritus & vita ſunt: eo referētes ſua perverſã interpretatione, vt dicant, verbis iſtis cauiſſe dominũ, ne de reali aut corporali mãducatione quę dicta ſunt poſſent intelligi, cogit nos neceſsitas ſemel hãc diſputationē ingreſſos, etiã hũc locum ſecundũ patrũ orthodoxorũ ſententiam, & catholicæ fidei normã aliquantulũ latius pertractare, & queadmodũ prædictis nequaquã repugnēt iſta quæ ſubnectuntur, oſtendere. Licet enim nõ per omnia ſimiliter verba iſta ab orthodoxis exponantur, in hoc omniũ enarrationes cõueniũt, vt nulla ſit cũ prædictis repugnãtia, quin optimè & cõmodiſsimè poſsint iuxta ſenſum catholicũ ſuprà à nobis latiſsimè expoſitũ accipi. Et primum quidem Auguſtini ſuper hoc loco ſententiã, quandoquidē illum ſibi videbantur paulo ante habere patronum, audiamus. Caro, inquit, nõ prodeſt quicquã, ſed quomodo illi intellexerũt. Carnē quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur non quomodo ſpiritu vegetatur. Proinde ſic dictũ eſt: Caro non prodeſt quicquam, quomodo dictũ eſt, Sciētia inflat. Iam ergo debemus odiſſe ſcientiã? Abſit. Et quid eſt, ſciētia inflat? Sola ſine charitate. Ideo adiũxit: Charitas verò ædificat. Adde ergo ſciētiæ charitatē, & vtilis erit ſciētia nõ per ſe, ſed per charitatē. Sic etiã nunc caro nõ prodeſt quicquã, ſed ſola caro. Accedat ſpiritus ad carnē, quomodo accedit charitas ad ſciētiã, & prodeſt plurimum. Nã ſi caro nihil prodeſſet, verbum caro nõ fieret. Ac poſt pauca: Sicut illi intellexerunt carnem, nõ ſic ego do ad manducandũ carnem meam. Proinde, Verba, inquit, quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Quid eſt, ſpiritus & vita ſunt? Spiritualiter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritualiter, ſpiritus & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter, etiam ſic illa ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt. In his Auguſtini verbis, quid eſt quod aduerſum orthodoxos faciat, pręmiſſa domini verba de ſacramētali mãducatione corporis & ſanguinis eius interpretãtes. Aliud eſt enim carnaliter mãducare, aliud ſacramētaliter. Carnaliter enim mãducare, eſt ſic mãdu care quomodo ſolent homines carnē mãducare, prius eam mactãdo, deinde in partes cõcidendo, ac deinde dētibus dilacerando, ſicque in ventrē corporalis nutritionis gratia traiiciendo. Qui ita Christi car nē manducandã intelligebant, carnaliter intelligebant: & ſic manducare

ducare nihil profuiſſet ſoli carni intentis,nec altius aliquid de ipſius quã de alterius alicuius animalis carne exiſtimantibus. Nos autem dũ veri corporis & veri ſanguinis Chriſti neceſſariam ſumptionem ex verbis Chriſti intelligimus,non vtiq; ſic carnaliter intelligimus, quomodo illi intelligebãt,ſed modo longè altiori, nempe ſpirituali ſimul & ſacramẽtali,quo carnem ſumimus,nõ ſub carnis ſpecie, nec ſanguinẽ ſub ſpecie ſanguinis,ſed carnem ſub ſpecie panis,& ſanguinem ſub ſpecie vini:neq; mactamus nos carnem,aut coquimus, aut dilaceramus:neque corporalis nutrimenti gratia,vt carnem ouinam aut bouinã ſolemus manducare,cibum illum & potum illum ſumimus. Deniq;,nec ipſam Chriſti carnẽ propter ſemetipſam ſumimus, ſic quaſi ipſam per ſe credamus habere vim viuificantem animã,ſed propter vnionem cum diuinitate & verbo inhabitante carnem,quo paſci optamus noſtram animam. Ne verò ſoli iam Auguſtino inniti videamur, qui vnus aduerſum nos ex antiquioribus pauloante producebatur,audiamus & cæterorum ſuper his verbis interpretationem. Primus quidem Cyrillus ſic ait:Caro ſi ſola intelligitur, nihil prorſus viuificare poteſt:quippe quæ viuificante indigeat. Cùm verò incarnationis myſterium laudabili cura ſcrutati fueritis, & inhabitantem in hac carne cognoueritis,quãuis nihil per ſeipſam caro poſsit,viuificam tamen eſſe credetis,niſi etiam ſpiritum ſanctum non poſſe viuificare contendatis. Nam quoniam cũ viuificante verbo,caro coniuncta eſt,tota eſt effecta viuifica:& cætera quæ in eandem ſententiã prolixius proſequitur. Exponens deinde quod ſequitur:Verba quę ego loquor vobis,ſic ait. Huiuſmodi eſt quod dicitur: Putatis,inquit,me dixiſſe,viuificũ natura ſui terreſtre hoc eſſe corpus?Ego verò de ſpiritu & de vita æterna loquutus ſum. Non enim natura carnis viuificum reddit ſpiritum,ſed ſpiritus virtus viuificam carnem efficit. Verba ergo quæ ego loquutus ſum, ſpiritus, id eſt, ſpiritalia,& de ſpiritu,& vita,id eſt,de viuifica & naturali vita ſunt. Chryſoſtomus aliquanto ſimplicius & facilius locũ iſtum enarrat,dicẽs:Spiritus eſt qui viuificat,caro non prodeſt quicquam: hoc eſt,ſecundũ ſpiritum verba mea audienda ſunt:Qui ſecundum carnem audit nihil lucratur,nihil vtilitatis accipit. Verba quæ ego loquor vobis,ſpiritus & vita ſunt. Spiritus, hoc eſt, ſpiritalia, nihil naturale, nullã naturalem conſequentiam habentia,ſed omni hac terrena neceſsitate & huius vitæ legibus libera. Ac poſt pauca:Quod autẽ caro non prodeſt quicquã,non de ipſa carne dicitur. Abſit, ſed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur. Quid eſt autẽ,carnaliter intelligere?Simpliciter vt res dicuntur,neque aliud quippiam excogitare.

Non

Nō enim ita iudicanda ſunt, quomodo ea quæ videntur, ſed myſteria omnia interioribus oculis cōſideranda, hoc eſt, ſpiritaliter. Quomodo enim nihil prodeſt caro, ſine qua nemo poteſt viuere? Vide quòd ea particula, *Caro non prodeſt quicquam,* non de ipſa carne, ſed de carnali auditione dicta eſt. Conſentit huic per omnia Theophylactus, & eadē prorſus loquitur, carnem dicens nihil prodeſſe, eo quòd carnaliter intelligere Chriſti verba nihil adfert, ſed ſpiritū prodeſſe, quia ſpiritualis intelligentia cōfert plurimum. Verbá quòque ipſius ſpiritū eſſe, id eſt, ſpiritualiter intelligenda, & vitam, id eſt, viuificātia, & vitā adferentia ſpiritaliter intelligentibus. Ex his omnibus ſanctorum patrū interpretationibus, tametſi non per omnia quantum ad ſingulas particulas ſimiliter exponant: illud tamē ſummatim colligitur, concordi omniū ſententia locum iſtum propoſitum prorſus nihil officere orthodoxorum intellectui, qui ſermonē Chriſti ſuprà enarratū de ſacramentali corporis & ſanguinis dominici manducatione dictū accipiunt: id quod impudētiſsimè calūniantur improbi & animales hæretici, clamitantes intellectū illum cum Chriſti verbis pugnare, quibus dixit carnē nihil prodeſſe, ſed ſpiritum eſſe qui viuificat. Verùm nos iam ſatis in his refellendis, quantū ſanè operis huius tractatus patitur, demorati, ad noſtrum inſtitutum redeamus.

ELVCIDATIO CAP. VII.

Poſt hæc autem ambulabat Ieſus in Galilæam.

b Non enim volebat in Iudæā ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere

c Erat autem in proximo dies feſtus Iudæorū, ſcenopegia.

POST ea quæ iam antè deſcripta ſunt, dicta ac facta, perambulabat dominus Ieſus Galilæam, verbis & ſignis patris vbique gloriam quærens. [b] Cauſa verò ob quam in Galilæa diutius commorari voluit, & non aſcendere in Iudæam, inuidia erat principum Iudæorum: quorum odium tantum erat aduerſus Chriſtum, vt mortem ei meditarentur & mollirentur. [c] Contigit itaque, poſt longam illius in Galilæa demorationem, vt ſolennitas quædam Iudęis admodum celebris appropinquaret, quæ Græco vocabulo ſolennitas appellabatur ſcenopegiorum: à figendis tabernaculis, in quibus per dies ſolennitatis illius habitabant, in memoriam antiquæ peregrinationis ſanctorum Patriarcharum, qui in tabernaculis & caſulis morabantur, item & poſteriorum patrum de Aegypto egreſſorum, qui in deſerto per annos quadraginta in tabernaculis fuerant commorati,

priuſquam

priuſquam terram promiſsionis acciperēt.[a] Hac itaque ſolennitate imminente, quidam ex iis qui Chriſto ſecundum carnem erant cognati, partim Chriſto diffidentes, partim humanum affectum ſequentes, dixerunt ad eum: Quid nunc imminente ſolennitate in Galilæa latitas?[b] Quin potius tranſi hinc in Iudæam, ad Hieroſolymam Iſraëlitici regni metropolim, quo nunc confluxuri ſunt ad ſolennitatem & templi viſitationem vndequaque plurimi:[c] vt auditores & ſectatores tui, quos illic admodum multos habes, videant opera iſta mirabilia quę tu facis.[d] Nō enim ſolent ij qui ſeipſos manifeſtare, & ſuum nomē mundo notū facere quærunt, opera ſua illa per quæ præcellentiam ſibi & authoritatem conciliare putant: in locis ſecretioribus patrare, vbi à paucis videri aut ſciri poſsint: imò loca maximè publica & plurimis frequentata quęritāt, vt illuſtriorē reddant ſui nominis gloriā, & latius ipſorū fama ſpargatur.[e] Proinde ſi verè iſta facis mirabilia, quę de te narrantur, ſi verè à Deo iſtam habes poteſtatē tanta ſigna patrandi, quanta te poſſe plerique iactitant, relinque humilē & deſertam Galilæam, ac Hieroſolymā cōſcende, vt illic in ciuitate ſplendidiſsima, ac populo pleniſsima, tuam gloriā magnifices, & fiat nomē tuum per orbem manifeſtū.

[f] Hæc autē dicebant quidam ex cognatis Ieſu, nondum affectu ſyncero in eum credentes: ſed vel hæſitantes de veritate doctrinæ & operū eius, vel affectu infideli ex illis mundi huius gloriam ſibi conciliare volentes.[g] Ad hæc dominus Ieſus, vt affectū illorum refelleret, & in ſignis miraculorum patris tantū gloriam non hominum ſe quærere demonſtraret, ita eis durè reſpondit:[h] Tempus à patre mihi conſtitutum, quando ego ad ſolennitatem hanc ſum profecturus, nondum aduenit. Non eſt iuſtum, vt hac in re veſtro ſeruiam carnali affectui, ſed patris tantum voluntati: à quo mihi conſtitutum tempus cùm aduenerit, proficiſcar.[i] Tempus autem veſtrum non eget dilatione, ſemper pa[illegible]um eſt: iam nūc vobis licet, ſi libet aſcendere, pro[illegible]mi veſtri affectu.[k] Fieri non poteſt, vt mundani & ambitioſi homines (cuiuſmodi ſunt in

a Dixerunt autem ad eum fratres eius: &c.
b Tranſi hinc, & vade in Iudæam,
c vt et diſcipuli tui videant opera tua quæ tu facis.
d Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palā eſſe.
e Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo.
f Neque enim fratres eius credebant in eum.
g Dixit ergo eis Ieſus:
h Tempus meū nondū aduenit:
i tempus autē veſtrum ſemper eſt paratum.
k Non poteſt mundus odiſſe vos:

Iudæa multi, ex iis maximè qui me perſequuntur) vos odio habeant, aut perſequantur, quandiu illorum eſtis ſimiles, honorem ſimiliter mundi & ambitionẽ quærentes. [a] Me verò illi exoſum habent odio graui vſque ad mortem, propterea quòd eorũ vitia & peccata redarguo, in quibus corrumpunt, & corrumpuntur: Hæc ſcilicet cauſa eſt, quare vobis abſque periculo liceat publicè ad feſtum aſcendere, mihi verò non ita, donec tempus conſtitutum aduenerit.

a me autem odit, quia ego teſtimoniũ perhibeo de illo, quòd opera eius mala ſunt.

[b] Vos proinde, ſi videbitur, & quando videbitur, fidenter aſcendite ad feſtiuitatem imminentem: nec eſt quod me præſtolemini, aut meam requiratis præſentiam, Ego enim non adhuc aſcendam ad feſtiuitatem iſtã, quoniam tempus meum, quod à patre mihi eſt conſtitutum (cuius conſilio omnia gero) nondum aduenit. Inſidias mihi parant inimici mei, Iudæorum principes: atque ob hoc ad tempus diſpenſatoriè me vult pater latitare in ſolennitatis initio, poſtmodum nihilominus manifeſtandum in gloria.

b Vos aſcendite ad diem feſtum hunc: ego enim non aſcẽdam ad diem feſtũ iſtũ, quia meum tempus nondum impletum eſt.

[c] Poſt quæ verba, fratribus aſcendentibus Hieroſolymam, ipſe remanſit ad tempus in Galilæa, nolens affectum carnalem cognatorum ſuorum cum negotio miſcere Euangelico, aut diuinam gloriam humana diluere.

c Hæc cùm dixiſſet ipſe, manſit in Galilæa.

[d] Poſtquam verò illi priores aſcendiſſent, cùm ſibi tempus videretur opportunum, ipſe dominus poſterior aſcendit ad ſolennitatem: non quaſi in manifeſto, multarum turbarum frequentia comitatus, quẽadmodum aliàs nonnunquam incedere ſolitus erat, ſed quaſi occultè cum paucis ſuis diſcipulis: ne occaſionem dare videretur Iudæis, in ſe amplius furendi.

d Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.

[e] Incipiente igitur feſtiuitate illa, plerique Iudæorum, tum ex iis qui Iudæam & Hieroſolymam inhabitabant, tum ex iis qui aliunde ad feſtum confluxerant magno ſtudio Ieſum requirebant abſentem: nonnulli quidem ex affectu bono cupientes audire & videre eum, alij verò ex affectu peruerſo quærentes ei nocere.

e Iudæi ergo quærebant eum in die feſto.

[f] Et admirantes dicebant, alij in contemptum: Vbinam modo latet ſeductor & magus ille? Quare non prodit in publicu[illegible]lij in honorem: Vbinam eſt Propheta & magiſter ille, qui in

f & dicebant, vbi eſt ille?

feſtis

feſtis ſolet ad[illegible]mis, miraque docere & agere? Proculdubio non ſine cauſa graui nunc abeſt, qui feſtos hos dies diligentiſsimè ſolet obſeruare. Factumq; eſt diſsidium & murmur magnũ in turbis populorum qui conuenerant, diuerſis diuerſa vt ſentientibus, ita loquentibus.[b] Nimirum alij erga Chriſtum piè affecti dicebant, ſanctum ipſum eſſe ac iuſtum, & à Deo miſſum Prophetam prædicabant. [c] Alij verò in Chriſtum impij, econtrario aſſerebant, non ipſum ſanctum eſſe & à Deo miſſum Prophetam, ſed magum & ſeductorem populorum, falſam doctrinam prædicantem, atque ex pacto cum dæmonibus miracula facientē. Sic pro ſuo quiſque affectu apud ſeſe, alij bene, alij malè de Chriſto loquebantur. [d] Nemo tamen apertè & palàm audebat pro eo loqui in bonum, propter timorem principum Iudæorum, quos ſciebant aduerſus illum maximo odio furere, ac iam mandata dira dediſſe, vt eum comprehenderent & interficerent. [e] Quum verò ſolennitas illa, quę per dies ſeptem celebrabatur, ad medium vſque proceſsiſſet, in ipſo ſolẽnitatis medio, peruenit dominus Ieſus in Hieruſalem: palamque ſe oſtẽdere volens mundo, templum eſt ingreſſus, atque illic turbas docere cœpit cum fiducia, nihil Iudæorum pertimeſcens malitiam: vt ſicut antè latens humanæ fragilitatis oſtendit in ſeipſo infirmitatẽ, ſic modo apertè prodiens diuinæ ſuæ virtutis, cui nemo poſſet nocere, maieſtatem declararet: ſeque pro gloria patris & Euangelij, nullam humanã vim metuere demonſtraret.[f] Audientes verò Iudæi, Chriſtum palàm in templo magna cum authoritate & gloria prædicantem, admirati ſunt vehementer, & dixerunt adinuicem. [g] Qui fieri poteſt, vt homo iſte literas ſciat, ſcripturas calleat, & verba ſapientiæ teneat: quum (vt illi teſtantur, qui ipſum ipſiuſq; familiam & conditionem probè nouerunt) nunquam literas didicerit: & ſcholas in quibus docentur literę, nunquã frequentauerit? Hinc enim quidam bene Chriſto fauentes, diuinã colligebant eſſe ſapientiam & doctrinã eius: alij verò, magicam, & ex dæmone collatam. [h] Sciens verò dominus,

a Et murmur multum erat in turba de eo.

b Quidam enim dicebant, quia bonus eſt.

c Alij dicebãt: Non, ſed ſeducit turbas.

d Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.

e Iam autẽ die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum, & docebat.

f Et mirabantur Iudæi, dicentes:

g Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?

h Reſpõdit eis Ieſus et dixit: Mea doctrina nõ eſt mea, ſed eius qui miſit me.

quòd hac de re mirarentur,& conqu… … re ſpondit:Doctrina quam ex me auditis, non propriè mea eſt,ſic quaſi ego eam habeam à memetipſo, ſed eſt doctrina patris mei cæleſtis:qui ſicut me miſit in mundum,ita mihi dedit atque præcepit quæ debeam loqui & prædicare in mundo.[a] Quòd ſi quis bonæ fuerit voluntatis,qui pio & humili affectu deſideret patris mei obedire voluntati,& propriã ſuam diuinę non opponere,ſed conformẽ & concordem efficere, is demum ſcire poterit de doctrina mea, qualis ſit,ex Deo an ex meipſo,an ex diabolo. Qui bonę & humilis ſunt voluntatis,ipſi ſciunt meã doctrinã verè eſſe diuinam,nõ humanam:quemadmodum econtrario, qui animo ſunt ſuperbi,& obduratæ in malo voluntatis,nequeũt intelligere,quòd à Deo ſit mea doctrina, ſed contemnere malunt,quæ doceo, quaſi ea loquar à memetipſo,[b] In hoc autem qui bonæ ſunt voluntatis,facilè aduertere poſſunt,me nõ loqui à meipſo:quoniam qui ex ſuo capite & ſua inuentione loquitur,quæ à Deo non accepit,is propriam ſuam glóriam quærit,& proprium nomen ſuperbè extollere: quod ego ſi facerem,rectè me diceretis loqui ex memetipſo,& non ex Deo.[c] Nunc verò dum ego in omnibus patris tantum gloriam quæro & ſpecto,nõ gloriam propriam,quam vbique(vt ipſi non poteſtis nõ agnoſcere)fugio,per omnia.quod ad meipſum ſpectat,humilitatem & contemptũ eligens,fateri quoq; debetis,me à memetipſo non loqui,ſed ab illo cuius gloriam quæro:ac proinde,veracem eſſe & iuſtum ac nihil mihi alienum arrogantem,ſed tantum quod mihi traditum eſt officium exequentem,quum non poſſit Deus pater doctor eſſe mendacij, aut approbator iniuſtitiæ.[d] Oſtendam autem vobis,iniuſtum eſſe veſtrum aduerſus me odium, & perſequutionem impiam.Ecce Moſes legem vobis dedit, & promulgauit,quam à Deo accepit:& vos ab illo legem ſuſcepiſtis,eiuſque obſeruationi vltronea volũtate voſipſos deuinxiſtis.[e] Attamen ex vobis qui contra me malum meditamini,nemo eſt qui legem iſtam perfectè obſeruet.[f] Quare enim me quæritis interficere?In hoc

a Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina vtrũ ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.

b Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit.

c Qui autẽ quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt.et iniuſtitia in illo non eſt.

d Nõnne Moſes dedit vobis legem?

e & nemo ex vobis facit legẽ.

f Quid me quæritis interficere?

hoc ſanè omnes legem (quę homicidium prohibet, & iuſtum iudicium præcipit) præuaricamini, quod cõtra iuſtitiam mihi innocenti ſine cauſa mortem meditamini?[a] Ad hoc Chriſti verbum, multi ex turba illa principum parti adhęrentes, & diſsimulare volentes quod occultè in animo meditabantur, in contumeliam proruperunt, dicẽtes: Dæmonio agitatus iſta loqueris, quæ nemo poſsit vera comprobare. Quis enim te quærit interficere? Quis tibi quærit nocumentum inferre? Hactenus nemo vidit tibi vim vllã à nobis inferri. Mendaciter proinde & nequiter in odiũ noſtrum iſta confingis, quę nos opere necdum oſtẽdimus.[b] Sciens verò dominus Ieſus, quid ipſi animo voluerent, tametſi nondum opere monſtratũ, ad plenã ſui expurgationem hac eſt vſus apologia ſiue defenſione, dicens:[c] Vnum opus ego ante aliquantum tempus vobiſcum exiſtens in ſolennitate pentecoſtes operatus ſum, ſignum vnum patraui, hominẽ infirmũ ſanans in ſabbato: & de hoc opere vos omnes admiramini, tanquam de opere inſigniter malo: atque hinc mihi calumniam ſtruitis, hinc mihi malum paratis, quaſi blaſphemo in legem, & violatori ſabbati, & vnicum hoc opus, quaſi præcipuum, prætexitis in odium mei & perſequutionem.[d] Sed reſpondete, obſecro, mihi. Nam veſtrum ipſorum requiro iudicium: Moſes ecce legiſlator in lege vobis conſtituit, circuncidere omne maſculinum: non ita quidem, vt ipſe primus fuerit inſtitutor circunciſionis, quæ multo antè Abrahæ data, & cæteris Patriarchis obſeruata fuit, in ſignum diſtinctionis populi Iſraëlitici, de quo ſecundum carnẽ erat naſciturus Meſsias, à cæteris gentibus.[e] Et hanc circunciſionem vos ita obſeruatis, vt nec propter ſabbati reuerentiam omitatis circuncidere pueros, cùm dies octauus à natiuitate cũ ſabbato coinciderit.[f] Si igitur accipit homo circunciſionem præputij in die ſabbati, ita vt non ſoluatur lex Moſi, abſque violatione legis: item propter hoc in ſabbato fit circunciſio, vt non violetur lex Moſi, ex ea parte qua præcipit maſculinum omne die octau) circuncidi:[g] quæ vobis cauſa iuſta eſſe

a Reſpondit turba, et dixit: Dæmonium habes quis te quærit interficere?

b Reſpondit Ieſus, & dixit eis:

c Vnum opus feci, & omnes miramini.

d Propterea Moſes dedit vobis circunciſionem: non quia ex Moſe eſt, ſed ex patribus:

e & in ſabbato circunciditis hominem.

f Si circunciſionem accipit homo in ſabbato, vt non ſoluatur lex Moſi:

g mihi indignamini, quia totũ hominem ſanũ feci in ſabbato.

poterit,aduerſum me exercendi odium,ex eo quod non vnam aliquam partem,ſed totum ipſum hominē ſanum feci in ſabbato?Maius enim videtur, totū aliquem hominē ſimul in anima & corpore & mēbris omnibus corporis ſanari,quàm in preputio circuncidi,atque ita modo quodam velut in vno tantum illo genitali membro ſanari,recteque iuxta legem diſponi.Maior in illo videtur Dei gloria,& hominis commodum amplius. Hoc igitur ſi licet in ſabbato, & nō violat ſabbatum, illud quod per ſe melius eſt, quare in ſabbato non licebit? [a] Proinde vos moneo,ne(contra legis preceptum)ſecundum faciem & perſonā iudicetis,quod in vobis toleratis & cōmendatis,ipſum: imò ipſo aliud melius in me condemnantes:quod eſt ſecundum faciem & perſonam,nō ſecundum rei veritatem iudicare: [b] ſed rem ipſam diligēter expendentes,ſtudete quod iuſtum eſt iuſtè iudicare,ne hac quoque ratione legis comprobemini tranſgreſſores,quæ quod iuſtum eſt præcipit iuſte exequi. [c] Cùm verò ita conſtanter & intrepidè palàm in templo docentē eum viderent quidam Iudæorum ex Hieroſolymis, principum parti fauentes,& Chriſto aduerſantes,vehementer admirati de Chriſti confidentia,dixerunt: [d] Nónne hic eſt quem principes noſtri ex multo iam tempore decreuerunt & quæſierunt interficere?Ecce verò nunc palàm docet in templo multa cū fiducia,& nemo principū aduerſus eum quicquam agit vel loquitur,quod ad eam rē pertineat,ſed docere permittitur,vt antè ſolitus fuerat. [e] An fieri potuit, vt contra id quod hactenus ſenſerūt,iam perſuaſum ſit principibus,hunc verè Meſsiam eſſe promiſſum. Verū id exiſtimare,omnino videtur irrationabile. De hoc enim Ieſu,nos cognouimus vnde ſit, locum nouimus vnde proceſsit, nempe ciuitatem Nazareth, in qua cōceptus fuit & educatus:inſuper & parentes eius,ex quibus eſt progenitus nouimus,vtpote patrē Ioſeph, & matrem Mariam. [f] Meſsias autem cùm venerit in mundum,nō poterit ſciri generatio eius, iuxta quod in ſcriptura dicitur:Generationem eius quis enarrabit?Et alibi,Egreſſus eius ab initio,à diebus æternitatis.

a Nolite iudicare ſecundum faciem:

b ſed iuſtū iudicium iudicate.

c Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymis:

d Nónne hic eſt quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur & nihil ei dicunt:

e Nunquid verè cognouerunt principes, quia hic eſt Chriſtus? Sed hūc ſcimus vnde ſit.

f Chriſtus autem cùm venerit, nemo ſcit vnde ſit.

ta:is.[a] Sciens itaque dominus, ſic malignari aduerſum ſe pleroſque Iudæorum, & tam futilia aduerſus veritatem obiicere, ad cõfutandum illorum obiecta, eleuata voce (vt ab omnibus poſſet audiri) clamauit cum fiducia veritatem docens, ac dicens: [b] Vos quidem, ſecundum hanc quam videtis formam humanitatis aſſumptam, me vt hominem vnum aliorũ ſimilem videtis & cognoſcitis: item & locum originis ac conuerſationis, progeniémque ex parte nouiſtis. Verùm ſecundum naturam diuinam, quæ mihi eſt cum patre cõmunis, vos nequaquam me cognoſcitis, neque vnde venerim ſcitis. [c] Ego enim in hunc mundum non veni, humanam aſſumendo naturam, à memetipſo, quaſi iniuſſus, & à nullo miſſus: ſed eſt Deus pater in ſeipſo perfectè verus & veritas ipſa qui me miſit in mundum, volens me in tempore fieri hominem: quem vos non verè cognoſcitis, vt patrem meum & eum qui me miſit: quoniam ſi eum cognoſceretis patrem & mittentem, non me repelleretis filium & miſſum ab eo: atque ita ſecundum hanc naturam, neque me cognoſcitis, neque vnde venerim ſcitis. [d] Ego autem perfecta comprehenſione illum cognoui, vt filius patrem, qui ſum cum eo vna ſubſtantia: & ſi dixero me eum non noſſe, contra veritatem loquar mendacium, efficiárque mentiendo veſtri ſimilis, qui meram falſitatem & mendacia blaſphemantes loquimini. [e] Vtique enim illum ſcio, & perfecta comprehenſione cognoſco: quoniam ab ipſo ſum, ſecundum vtranque naturam: ſecundum diuinam quidem, eſſe æternum ab eo per generationem naturalem accipiens: ſecundum humanam verò, in tempore ex eius voluntate hominis naturam aſſumens, [f] & ab ipſo in hac temporis plenitudine veni in mundum, miſſus ab eo in ſalutem humani generis. [g] His autem Chriſti veriſsimis ſermonibus, excæcati maligno odio peruerſi Iudæi, adeò non ſunt emolliti, vt magis etiam exarſerit eorum furor: eòque veſaniæ proceſſerunt, vt miſsis miniſtris quærerent eum apprehendere ad interficiendum. [h] Verùm diuina virtute impediti, prauũ animi

a Clamabat ergo Ieſus in templo, docens, & dicens:

b Et me ſcitis, & vnde ſim, ſcitis:

c & à meipſo non veni, ſed eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis.

d Ego ſcio eum, & ſi dixero quia neſcio eũ, ero ſimilis vobis mendax.

e Sed ſcio eum, quia ab ipſo ſum

f & ipſe me miſit.

g Quærebant ergo eũ apprehendere:

h & nemo miſit in illum manus,

ſui propoſitum & conatum nõ valuerunt in effectum optatum perducere: quoniam nemo permiſſus eſt, vt auderet vel poſſet in eum violentas manus iniicere.

a quia nondum venerat hora eius.

[a] Videlicet quia nondum tempus aduenerat à patre conſtitutũ paſsioni & morti eius, ſed prędicare ipſum adhuc ad tempus aliquantum oportebat, & pluribus miraculis atq; myſteriis plenioribus patris gloriam amplius illuſtrare, Euangeliiq́ue doctrinam firmare. Horam autem illam à patre conſtitutam, ſicuti filij obedientia præſentem effugere nõ voluit, ita Iudæorum improbitas anticipando præuenire non valuit.

b De turba autem multi crediderunt in eũ, & dicebant:

[b] Quamuis verò ex iſta Chriſti prædicatione, Iudęorum primores & his adhærentes, magis in eũ ira exarſerint, alij tamen plerique ſimpliciores ex turba illa, fructum ex ea bonum ſunt cõſequuti, multis in eum deuotione fidei ferũetibus: qui & ſibi inuicẽ his verbis, ad credendum in eum, animum addebant.

c Chriſtus cùm venerit, nũquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit?

[c] Verus (inquiunt) Meſsias cùm aduenerit in mũdum, nõ eſt veriſimile plura ſigna aut màiora æditurum eſſe eum, quàm Ieſus iſte ædiderit, atque etiamnum quotidie non deſinit ædere. Quare igitur non credamus, verum hunc eſſe Meſsiam, & verum mũdi ſaluatorẽ? Quare hunc habentes præſentem, ſine cauſa abiiciemus, & incerti præſtolabimur alium?

d Audierunt Phariſæi turbã murmurantẽ de illo hæc:

[d] Adeóque voces iſtæ in turba tumultuãte inualuerũt, paſsim vnoquoque ad alterum ſibi proximũ huiuſmodi muſsitante, vt ad Phariſæorum notitiam ſtatim perlatum ſit, hanc in turba de Chriſto opinionẽ vulgari.

e & miſerunt principes & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderẽt Ieſum.

[e] Propter quod, velut noua exardeſcẽtes iracundia Iudæorum primores, põtifices & Phariſæi, in conſpiratione aduerſus Chriſtum ſocij, miſerunt miniſtros, vt manus violentas in Ieſum iniicerent, ipſumq́; ex authoritate publica, tanquam reum & punitione dignum apprehenderent: ſed nihil potuerunt efficere.

f Dixit ergo eis Ieſus, Adhuc modicum tẽpus vobiſcũ ſum: & vado ad eum qui me miſit.

[f] Volens itaque eis oſtendere dominus Ieſus, quòd fruſtra laborarẽt, tentantes eũ ante tẽpus apprehẽdere, dixit eis: Adhuc modicũ tẽpus neceſſe eſt, iuxta patris decretũ, me verſari in mũdo, docere & miracula facere, ad patris gloriã: ac deinde, vbi tẽpus ad hoc deputatum aduenerit, per mortẽ tranſiẽs victor redibo ad patrẽ,

qui

qui me miſit, aſcendens in cælum ad dexteram patris. [a] Ac tũc quidẽ vbi abſceſſero, plerique ex vobis qui modo præſentẽ contemnunt, abſentẽ requirent, videréque & audire ſecundũ corporalem præſentiam deſiderabunt: ſed ita me inuenire vltra non valebitis, non dabitur vobis mea frui viſibili præſentia. [b] Et vbi ego ſum, nunc quidem (ſicut ab æterno) ſecundum diuinitatem, tunc autem ero etiam ſecundum humanitatem, in cælo apud patrem, illuc perueniendi nulla vobis ſpes eſſe poteſt, ſi in veſtra infidelitate perſeueraueritis: neque omnino cuiquam poteſtas vlla eſſe poteſt illuc propria ſua virtute perueniẽdi, ſed per me illuc aſſumendi ſunt, quicunque modo per fidem ſe mihi adiungunt. Propter quod, modo vobis conſultum fuerit, dum me præſentem habetis, tempeſtiuè in me credere, & cæcum iſtum furorem ab animo pellere. [c] Audientes verò & minimè intelligentes Chriſti verba Iudæi, malitia ſua excæcati, dixerunt adinuicem: Quonam homo iſte abiturus eſt, ita vt eum non inueniamus? An fortè in gentium populos per orbem vniuerſum longè latéque diſperſos profecturus eſt, à lege & gente ſua diſcedẽs, vt coram eis prædicet & miracula faciat? [d] Aut quid ſibi vult hoc verbi, quo dixit: Quæretis me, & non inuenietis? Ac deinde: Quò ego vado, vos non poteſtis venire? [e] Cùm verò ad finem iam perueniſſet feſti ſolennitas, eius ſeptimo & vltimo die, qui præcipua religione & celebritate, tãquam terminus & clauſula totius ſolennitatis, à Iudæis colebatur, dominus Ieſus captata temporis opportunitate, quaſi valedicturus turbis iamiam poſt feſtum celebratum abituris, paratus ad docendum ſtabat: & voce eleuata, quò facilius ab omnibus poſſet audiri, ea loquẽs quæ vehementer vtilia eſſent omnibus, clamabat, dicens: [f] Ego ſum fons aquarum viuentium. Quiſquis in anima potari, humectari, & refocillari deſiderat, per fidem ad me veniat, credat, & adiungat ſe mihi: ita fiet, vt aquas vitæ de plenitudine mea in gaudio hauriat: quibus arida anima irrigabitur, vt viuat: & fœcundabitur, vt proferat fructum vitæ æternæ.

a Quæretis me, & non inuenietis.

b Et vbi ego ſum, vos nõ poteſtis venire.

c Dixerũt ergo Iudæi ad ſemetipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? Nunquid in diſperſionem gẽtium iturus eſt, & docturus gẽtes?

d Quis eſt hic ſermo quẽ dixit Quæretis me, et non inuenietis: & vbi ſum ego, vos non poteſtis venire?

e In nouiſſimo autẽ die magno feſtiuitatis, ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens:

f Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.

a Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluēt aqua viuæ.

b Hoc autē dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

c Nōdum enim erat ſpiritus datus,

d quia Ieſus nōdum erat glorificatus.

e Ex illa ergo turba cū audiſſent hos ſermones eius, dicebāt: Hic eſt verè Propheta.

f Alij dicebāt: Hic eſt Chriſtus.

[a] Qui enim in me fide ſyncera crediderit, ſecūdū teſtimonia ſcripturarū, quæ de me loquūtur, & mihi præſtandā eſſe fidē teſtantur, ſic in me credens, vt verum Deum, & mundi ſaluatorē, quomodo ſcripturę de me credendum docent, is adeò replebitur cū tempus aduenerit cōſtitutum, aquis iſtis ſpiritualiū gratiarū, & quaſi flumina fluant de ventre eius: aquis iſtis (quæ veræ ſunt aquæ vitæ, vitam veram conferētes animę) ita copioſè replebuntur, qui in me crediderint, ſpiritusſancti videlicet gratia & chariſmatibus, vt de eorū plenitudine & efficacia, nō ipſi ſibi ſolis proficiāt, ſed alij quoque per eos ſint reficiendi, & fructum plurimū conſequuturi. [b] Voluit autem in hoc verbo dominus Ieſus tacitè donū innuere ſpiritusſancti, quem poſt ipſius aſcenſionem in cælum accepturi erant ex eius munere diſcipuli, ac reliqui in eum perfectè credētes, ad tantam plenitudinē, vt poſt illum acceptum, aliis quoq; in fide erudiendis, & ad Chriſtum conuertendis ſufficerēt. [c] Nondùm enim ad talem abundantiam erat ſpiritus datus, eo modo quo pòſt dadus erat in ſignis viſibilibus, neque in ea abundantia & efficacia in qua erat mittendus: [d] quoniam dominus Ieſus nondum per reſurrectionē à mortuis, & aſcenſionem in cælos fuerat glorificatus. Sic enim decretum erat apud patrem, vt non prius ſecundum eam abundantiam, & in viſibilibus ſignis mitteretur ſpiritusſanctus, quàm deuicta morte filius Dei in aſſumpta natura humana ad patris dexteram reſidens, ipſe ſimul cum patre illum de cælo mitteret. Videlicet vt per hoc declararetur, communiter & indifferenter ſpiritum ſanctū à filio, ſicut à patre, procedere: ſicq; innoteſceret, filij cum patre vera æqualitas. [e] His igitur aliisque huiuſmodi tantæ efficaciæ & præcellentiæ verbis, ex benedicto Chriſti ore auditis, ſimpliciores plerique ex turba bonam de eo exiſtimationem concipientes, dicebant eum verè eſſe Prophetam, hominem eſſe magnæ ſanctitatis, à Deo ad populi inſtructionem miſſum. [f] Alij verò plus ei tribuentes, dicebant, nō tantum Prophetam aliquem vulgarem eum eſſe, ſed illum præ omnibus inſignem Meſsiam

de

de quo cæteri omnes Prophetæ, ſicut & lex ipſa, teſtimonium perhibuerāt. [a] Quidam verò principum parti fauentes, ad deſtruendum priorum ſententiam, dicebant: Non debet à Galilæa ignobili loco expecta ri Chiſtus, nec veriſimile eſt inde véturum eſſe Meſſiam: [b] Ex ſcripturis enim apertè cognoſcitur, quòd ex tribu Iudæ, de ſemine regio & linea Dauid, inſuper & de loco in quo natus eſt Dauid, nēpe de Bethleem, Meſsias debeat expectari, ſicque inde venturus in mundum. Hic verò Ieſus ex Galilæa nobis prodiit, vbi & ipſe moratur & parētes eius: nec proinde ex ſemine Dauid ortus videtur, nec in ciuitate Bethleem natus. Nazarenus enim dicitur, non Bethleemita: & Galilæus vocitatur, non Iudæus. [c] Sic itaque diuerſis diuerſa ſentientibus, ac pro ſenſus varietate varia pugnantibus atque loquētibus, facta eſt in turba illa magna diſſenſio, occaſione Chriſti & verborum eius. [d] Quidam verò ex iis qui aderant in fauorem principum Iudæorum, tentauerunt & conati ſunt eum manibus tenere violētis, vt ad principes eum adducerēt puniendum: ſed diuina virtute (quod nondum adueniſſet eius hora) prohibiti, propoſitū nequiuerūt perficere. Vis enim quædam à maieſtate verborum Chriſti egrediens ipſos compeſcebat, ne vel auderent vel poſſent, quod ex ſua malitia deſiderabant. [e] Sicque factum eſt, vt miniſtri qui ad comprehendendum Ieſum ſubornati fuerant, vacuis manibus réque infecta redirent ad eos à quibus miſsi fuerant, pontifices & Phariſæos. [f] Quam ob rem, illi grauiter aduerſus miniſtros indignati, quòd ſpe ſua ſe viderent fruſtratos, expoſtulantes cum eis, dixerunt: Quid cauſæ eſt, quòd hominem illum, cuius cōprehendendi gratia, vos miſimus, non adduxiſtis, iuxta mandatum quod vobis conſtituimus? [g] Interrogati miniſtri ingenuè confitentur veritatem, dicentes: Nos quidem iuxta votum & mandatum veſtrum agere tētauimus: ſed virtus & maieſtas verborum eius nos à propoſito perficiendo cohibuit, vt quod volebamus nō valuerimus efficere. Tanta enim eſt maieſtas & virtus verborum eius, vt nunquam quenquam hominum audierimus ita loquentem

a Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæa venit Chriſtus?

b Nonne ſcriptura dicit: quia ex ſemine Dauid, & de Bethleem caſtello vbi erat Dauid, venit Chriſtus?

c Diſſenſio itaque facta eſt in turba, propter eum.

d Quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum, ſed nemo miſit ſuper eum manus.

e Venerunt ergo miniſtri ad pontifices & Phariſæos.

f Et dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum?

g Reſponderunt miniſtri, Nunquam ſic loquutus eſt homo, ſicut hic homo.

quentem, propter quod, omnium noſtrum nemo vel digitum auſus eſt ei admouere. Sic illi miniſtri, homines alioqui imperiti & improbi, Chriſtũ vi ipſa veritatis coacti glorificant, eiúſq; doctrinam magnificè commendãt, in condemnationem impiorum dominorum ſuorum.[a] Qua reſpõſione à miniſtris accepta fortius iurgantes Phariſæi dixerunt: Quid vos ita loquimini perditi nebulones, perinde quaſi & ipſi creditis in eum, ſic eius prædicationem commendantes? [b] Conſiderate, num ex omnibus iis qui principes ſunt populi, qui legis cognitione & authoritate pollent in populo, vel vnus aliquis in eũ crediderit: aut ex Phariſæis quiſquam, qui religione & ſanctitate præeminent: quorum vos cõuenit exemplum magis imitari, quàm hominum ſimplicium & ignorantiũ. [c] Nam turba iſta imperiti & improbi vulgi, in qua neque legis eſt cognitio quæ eſt in ſacerdotibus, neq; ſanctitatis præcellentia quæ eſt in Phariſæis, à Deo reproba eſt & maledictioni diuinæ ac damnationi obnoxia: propter quod illorum exemplum nequaquam vos debebat mouere, ſed iuxta noſtrum mandatũ illum debuiſtis comprehenſum adducere. [d] Aderat verò in concilio iſto Iudæorũ, princeps quidam nomine Nicodemus, de quo ſuprà circa initium huius deſcriptionis dictum eſt, veniſſe eum aliquando per tempus noctis ad dominum Ieſum, & ab eo ſecreta quædam audiſſe myſteria, qui pro ſuo affectu quem erga Chriſtum ex eo tẽpore gerebat vtcunque bonum, licet adhuc imperfectum, ita pro eo aduerſum alios ſententiã ſuam propoſuit, dicens: [e] Lex quam nobis Moſes tradidit obſeruandam, quæ nobis debet in omni iudicio eſſe prima regula & amuſsis certiſsima, conſtituit neminẽ debere vt reum iudicari, vel ad ſupplicium requiri, niſi prius ille aduerſus quem cauſa agitur, diligenter interrogetur, & examinetur, & niſi locũ acceperit ſe rationabiliter defendẽdi, ac deinde poſt auditam eius defenſionem decretũ fuerit à iudicibus, nũ dignus ſit puniri an nõ. Hunc ſanè ordinem vos in re iſta quã tanto ardore præproperè quæritis perficere, nõ rectè obſeruatis: qui prius comprehendi vt reum iubetis

a Reſponderũt ergo eis Phariſæi: Nunquid & vos ſeducti eſtis?

b Nunquid ex principibus aliquis credidit in eũ, aut ex Phariſæis?

c Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt.

d Dixit Nico*demus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipſis.*

e Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?

iubetis hominem iſtū,nunquam legitimè vel accuſatum vel interrogatū in iudicio. Scilicet hæc dicebat Nicodemus,ſciens Chriſtum facilè Iudæorum obiectionibus reſponſurum. [a] Quibus à Nicodemo ita prolatis,cæteri quorū erat furore excæcatus & accenſus in Chriſtum animus, vt nec rationem vltra nec æquitatem attenderent,in ipſum quoq; Nicodemum ita exarſerūt,quòd pro innocente loqui auſus fuiſſet in iudicio:contumeliámque in eum regerētes, dixerunt: [b] Forſitan & tu ex diſcipulis es hominis iſtius Galilæi,aut à Galilæa,vnde ille proceſsit oriundus,vt idcirco defendendum eum ſuſceperis, aduerſus communem omnium noſtrum ſententiam? [c] Euolue tu diligentius ſcripturas, quarum doctorem officio te profiteris:& inuenies,nūquam inſignem aliquē Prophetā è Galilæa ignobiliſsima penè Iſraëliticæ regionis parte & gētibus finitima,prodiiſſe:peculiariter verò illū inter Prophetas omnes inſignem Meſſiam, à Galilæa nō eſſe expectandum, ſed magis ex Bethleem ciuitate Iudææ, & ex familia Dauid: quæ cùm exactius perpēderis,homini iſti Galilæo deſines patrocinari.[d]Sícque factum eſt, illis inter ſeſe diſsidentibus,vt ſolueretur concilium re infecta ſingulis ad domum ſuam abeuntibus:nihílque aduerſus Chriſtum tale peractum eſt, quale illi exiſtimauerant, eo quòd nondum tempus adueniſſet à patre paſsioni conſtitutum.

a Reſponderūt, & dixerunt ei,
b Nunquid & tu Galilæus es?
c Scrutare ſcripturas,& vide: quia à Galilæa Propheta non ſurgit.
d Et reuerſi sūt vnuſquiſque in domum ſuam.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

Poſt hæc ambulabat Ieſus in Galilæam.) Intelligibilior videretur oratio,ſi diceretur,per ablatiuum:Ambulabat in Galilęa,quomodo in Græco per datiuū dicitur. Interpres Latinus videtur conſideraſſe motum de loco vno ad alterum, vtpote de ciuitate in ciuitatem,atque ideo accuſatiuum iunxiſſe præpoſitioni.Non enim ſenſus eſt,Chriſtum poſt hæc ad Galilæam perrexiſſe:cùm ea quę in priori capite deſcripta ſunt, omnia in Galilæa geſta fuiſſe conſtet. Illud tamen quod ſequitur,in Iudæam,ſine incommodo ſententiæ poſſet accipi,pro ad Iudæam.Quanuis conuenientius videtur,vt ſimili modo quo prior particula intelligatur, maxime cùm in Græcis eadem ſit loquendi ratio: in Galilæa,in Iudæa. ¶ *Non enim volebat*

bat in Iudæam ambulare.) Ex Chryſoſtomo cognoſcimus, variam fuiſſe huius loci lectionem. Legit enim ille, nō volebat, ſed valebat, vel poterat. Non poterat, inquit, in Iudæa ambulare. Sic autem eum legiſſe, ex enarratione ipſa fit clariſsimum: cùm & quæſtionē moueat, quare dictum ſit, Chriſtum non potuiſſe ambulare in Iudæa, qui omnia potuit: eandémque diſſoluit, dicens, illud ab Euangeliſta dictum eſſe, tanquam de homine qui humanè operaretur. Theophylactus nobiſcum legit & interpretatur, noluit. Ex Cyrillo nihil colligitur, cùm particulam iſtam non attingat enarrando. Auguſtinus item iuxta noſtram lectionem legit, & conſentiunt vulgati omnes Græcorum codices. ¶ *Dies feſtus ſcenophegiorū.*) Græcè dicitur ſine aſpiratione, ſcenopegia: Latini plerunque adiiciunt aſpirationem, dicentes, ſcenophegia. Eſt autē dictio cōpoſita ex nomine σκῆνος ſcenos quod tabernaculum ſignificat (vnde dicitur, ars ſcenofactoria, cuius artis in actibus ſcribitur fuiſſe Paulus Apoſtolus, id eſt, ars faciendi tabernacula) & verbo πήγνυμι pegnimi: id eſt, figo. Dicta ſunt igitur ſcenopegia, à figendis tabernaculis. Plurali autem numero ſic appellatur illa feſtiuitas, quēadmodum bachanalia & encœnia dicimus, pro ipſis ſolennitatibus. Cæterum, quo ritu hæc tabernaculorum feſtiuitas fuerit à Iudæis celebrata, nuſquā expreſsius legimus, quàm cap. 8.

2. Eſd. 8. ſecundi libri Eſdræ, vbi hæc ſcripta habentur: *Inuenerunt ſcriptum in lege præcepiſſe dominum in manu Moſi, vt habitent filij Iſraël in tabernaculis, in die ſolenni, menſe ſeptimo: & vt prædicent & diuulgent vocem in vniuerſis vrbibus ſuis, & in Hieruſalem, dicentes: Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, vt fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt: Et egreſſus eſt populus, & attulerunt, effecerúntque ſibi tabernacula, vnuſquiſque in domate ſuo, & in atrijs ſuis, & in atrijs domus Dei, & in platea: & habitauerunt in tabernaculis. Et fecerunt ſolennitatem diebus ſeptem, & in die octauo collectam iuxta ritum.* ¶ *Dixerunt autem ad eum fratres eius.*) Græci authores, Chryſoſtomus & Theophylactus, per fratres apertè intelligūt filios Ioſeph. Quibus & Cyrillus vide-

Hie. 12. tur accedere, qui illud Hieremiæ duodecimo: *Fratres etiam tui, & domus patris tui ſpreuerunt te*, ſecundum allegoriam ad Chriſtum accommodans, ita ſcribit. Diuinitus autē cùm fratres Propheta dixerit, ſtatim ſubiecit: *& domus patris tui*, ne filij virginis fratres eius putarentur. Hìc enim tacitè indicare videtur, filios Ioſeph putatiui patris ſui, fuiſſe iſtos fratres, de quibus hìc habetur ſermo. Id quòd & paulò antè indicare videtur, cùm de iſtis loquēs dicit: qui putabātur fratres ſaluatoris. Si enim fratres pro cognatis acciperet, nō diceret,

qui pu

qui putabātur fratres ſaluatoris,ſed qui verè erāt. Beatus verò Augu ſtinus(quē hac in parte cōmunis ſequitur Latinorū doctorum conſenſus)per fratres domini,nō ipſos filios Ioſeph, ſed conſanguineos matris eius intelligēdos putat,iuxta ſcripturarum conſuetudinem, quæ ſolet cōſanguineos appellare fratres: quēadmodum Geneſis 13. Abrahā & Loth dicti ſunt fratres, cùm tamen Abrahā eſſet patruus ipſius Loth,& frater nimirū Arā patris Loth. Et hæc quidē poſterior Auguſtini opinio magis eſt veriſimilis,& pietati Eccleſiaſticæq; obſeruationi,vt virginis matris honori amplius fauens,magis eſt cōſentanea. Omnino enim virginis matris honor id videtur ſuadere,vt virgo ipſa virgini ſit à Deo patre in cuſtodiam data: & virgineum decuiſſe nutriciū illum,qui virginalis pudicitiæ inſtitutorem & remuneratorē IESVM, ex Dei prouidentia debuit educare. Illam tamen priorē ſententiam non arbitror ego tanquam impiam eſſe condēnandam,cùm per Eccleſiaſticam cenſuram non emanauerit aduerſus eam vlla definitio. Cęterū illorum inſania qui fratres iſtos domini filios Mariæ auſi fuerūt ore temerario aſſerere,quos poſt Chriſtū genuiſſet,nullo modo ferēda eſt,ſed tanquā impia & blaſphema,totiúſque Eccleſiæ vnanimi definitione condemnata, exibilari debet, Nā(vt Diuus ait Auguſtinus)ſicut in ſepulchro vbi poſitū eſt corpus domini, nec antea, nec poſtea mortuus iacuit,ſic vterus Mariæ nec antea, nec poſtea quicquam mortale concepit. ¶*Ego non aſcendam ad diem feſtum iſtum.*)Quærat aliquis,quomodo verè hoc dixerit dominus ſe non aſcenſurū,quum poſt paululū aſcenderit? Facilis eſt ſolutio,intelligēdo,nō adhuc aſcendā:quē ſenſum indicat id quod mox ſequitur:*Quia tēpus meum nondū impletū eſt.* Atq; ita & Chryſoſtomus locū iſtū explicat,& conſentiunt vulgata Græcorum exemplaria, in quibus legitur,nondū aſcendo. Auguſtinus in hoc vim facit, quòd dicitur,*Non aſcendā ad diē feſtum iſtū,*quia non eſſet dominus aſcēſurus in Hieruſalem ad captandam humanā gloriam. Ideo, inquit, ad diē feſtum hunc non aſcēdit dominus,quia non gloriari tēporaliter, ſed docere ſalubriter homines cupiebat. Illos autem dixit ad feſtum diē hunc aſcēdere,quia in feſto illo gloriam requirerēt humanam. Cyrillus aliud in hoc verbo myſteriū intelligit,putās his verbis velle Chriſtū indicare,quòd legales vmbras iā faſtidire inciperet, quas poſt paululum penitus eſſet euacuaturus. Apertiſsimè, inquit,modo nolle ſe vnà cū Iudæis diem feſtum agere,& vmbras cum illis ſequi, dominus affirmat. Nā quod ad paucos & ad fratres dictum eſt,ad totum genus Hebræorum pertrāſit. Et poſt pauca,textus verba ita explanat:Vos,inquit,qui vmbris adhuc inhæretis, qui Iudaicæ affecti

eſtis,aſcendite in hũc feſtũ diem,per vmbras eum celebraturi. Ego verò,cui vmbræ cordi non ſunt,non aſcendo: quia per vmbras celebrare iucundum non eſt. Expecto autem veræ ſolennitatis tempus, quod nondum impletum eſt.Hæc ille. ¶ *Iam autem die feſto mediante.*) Sciendum eſt,vbicunque in hoc capite & aliis aliquot,ſiue ſequentibus,ſiue præcedentibus, Latini habent,diem feſtum, Græcè haberi vnicam dictionem ſimplicem ἑορτὴ heorte, quod Latini vno verbo dicũt feſtum,aut feſtiuitatem.Noſter interpres plerunque, diem feſtũ vertit:nõ quidem vnum aliquẽ diem intelligens, vtpote vel ſabbatum tantum,vel primam poſt ſabbatum, ſed totum illud tempus quo durabat feſtiuitas:id quod etiam Auguſtinus annotauit, dicens, apud Iudæos diẽ feſtum appellari,non vnum diem,ſed plures. Vnde initium diei feſti,intelligitur,primus dies ſolẽnitatis totius.Ita ergo cùm in propoſito dicitur: *Iam autem die feſto mediante*, intellige, cùm iam ageretur dies medius ſolẽnitatis, cùm ad dimidium vſque iam perueniſſet tota feſtiuitas,ita vt quantum iam tranſactum erat eius tantundem adhuc ſupereſſet.Neque verò te debet offendere oratio illa,die feſto mediante.Neceſsitate enim quadam compulſus ita dixit Latinus interpres,ne longa nimium periphraſi vteretur. Græcè enim eſt τῆς ἑορτῆς μεσούσης tis heortis meſuſis: quod nõ poteris cõmodè vertere abſque periphraſi lõga,niſi dicas,feſtiuitate mediãte, aut mediata. Vtrũque enim habet Auguſtinus. Videtur autem hæc dies fuiſſe quarta ab inchoata ſolennitate.Septẽ enim diebus durabit ſolẽnitas,quẽadmodum habes cap.16. Deuteronomij:Dies enim quartus medius inuenitur,qui tres ante ſe dies,& poſt ſe tres item habere cernitur.¶ *Mea doctrina non eſt mea.*)Quomodo in hoc verbo non ſit pugnantia,aut includatur contradictio,ex Elucidatione ſatis potes aduertere.Intelligit enim,doctrinam quam docebat non ſibi eſſe propriam,ſic vt patri eſſet contraria,ſed eandem eſſe cum patris doctrina.Idem vult,cùm poſt ait: *An ego ex meipſo loquar*,id eſt,an alienum aliquid & contrarium patri dicam,vel an ſeparatim & diuiſim ab eo aliquid dicam,quòd videlicet ille mihi non iuſſerit vt dicam? Quo modo Cyrillus,Chryſoſtomus, & Theophylactus interpretantur.¶ *Nolite iudicare ſecundum faciem.*) Auguſtinus hoc loco legit: Nolite iudicare perſonaliter,id eſt, ſecundum perſonam. Sententia eſt eadẽ cùm noſtra lectione.Idem enim eſt,iudicare ſecũdum faciem, quòd ſecundum perſonam:& faciem accipere,idẽ eſt quod accipere perſonã.In Græco hoc loco habetur κατ' ὄψιν cat a opſin, id eſt,ſecundũ aſpectum,vel ſecundum faciem.Aſpectum nanque rei, vulgò ipſius faciem nominamus. ¶ *In nouiſsimo autem die magno feſtiuitatis.*)

Sic intellige:In nouiſsimo die,die inquã magno illo feſtiuitatis.Hic erat ſeptimus dies,vt ſuprà ex capite 16. Deuteronomij oſtendimus: quem Iudæi,quòd finis eſſet & clauſula totius feſti,peculiari ſolenni tate & deuotione colebãt,præ aliis diebus à primo die intermediis. Primum enim diem & nouiſsimum(vt aiunt Chriſoſtomus & Theo phylactus)vt magnum & ſanctum ex lege colebant.Atque ob hoc, in nouiſsimo illo magno feſti die iſta Chriſtus voluit docere,vt fructum maiorẽ ipſius verba progignerent in animis audientiũ,& vt iã profecturis in propria quaſi viaticũ cibum diſtribueret: in quo vegetati proficiſcerentur & proficerent. ¶*Qui credit in me,ſicut dicit ſcriptura,flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*)Difficultas hoc in loco eſt, ex parte illius verbi,ſicut dicit ſcriptura. Vbi enim hoc in ſcriptura poſsit inueniri,quod ſequitur,flumina de ventre eius qui crediderit fluere viuentis aquæ.Non enim in ſcripturis alicubi locus eiuſmodi occurrit,qui id aſſerat.Ad hanc difficultatem ſoluendam Chryſoſto mus & Theophylactus ita diſtinguendum putant hoc verbũ,vt particula illa,ſicut dicit ſcriptura,cum præcedentibus iungatur,ea autẽ quæ ſequuntur ſint libera,tanquam àChriſto prolata,non vt ex ſcripturæ teſtimonio citata:quem ſenſum nos quoque,vt magis facilẽ & ſimplicẽ,in Elucidatione ſequuti ſumus. Quod ſi interroges,quare ita dixerit ſaluator: *Qui in me credit,ſicut dicit ſcriptura,de huius ventre flumina fluent aquæ viuæ*: dicimus admodum opportunè factam eſſe il lam adiectionem.Illi enim qui aduerſus Chriſtũ murmurabant,ſcri pturarum videbantur inniti teſtimonio,dicentes: *Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? Nõnne à Bethleem,&c.* Et iterum.*Chriſtus cùm venerit,nemo ſciet vnde ſit.* In his vtique cõformiter ad ſcripturam Chriſto detrahere ſe exiſtimabant. Vt igitur Chriſtus oſtendat nequaquam ſe ſcripturarũ veritatẽ refugere,nec aduerſum illas quicquã ab eis exigere,dicit: Qui ſic in me credit,quomodo de me ſcriptura loquitur, & iuxta ſcripturas quę teſtimoniũ de me perhibent,me ſuſceperit, de eius ventre fluent aquę viuẽtis flumina.Beatus autẽ Hieronymus in prologo ſuper Pentateuchũ,aliam intellexiſſe videtur diſtinctionem,vt ſcripturæ verbũ ſit illud quod dicitur,flumina de vẽtre eius fluẽt aquę viuę.Quod ipſe quidẽ in æditione 70.dicit nõ haberi,ſed in Hebraicis inueniri:locũ tamen particularẽ vbi id ſcriptũ ſit,non deſignat.Quidam recentiores ob Hieronymi authoritatẽ ſaluandã, putant in Prouerbiis locum poſſe notari:vbi 5.cap.dicitur: *Deriuentur fontes tui foras,& in plateis aquas tuas diuide.* Quod tamen Hieronymi propoſito nõ videtur ſatisfacere:quoniam ille hũc paſſum inter loca illa annotauit,quę in æditione vulgata 70.interpretũ nõ reperiũtur.

Locus autem ille ex Prouerbiis eodem ferè modo eſt apud 70.quo apud nos ex ipſius ſecundum Hæbræum translatione,legitur.Nobis ſimplicius videtur,priorem ſequi ſententiam. Auguſtinus difficultatem iſtam diſsimulans,prorſus non attingit. Priorem tamen ſententiam ſatis videtur comprobare,cùm verba iſta domini exponens,ſic ait: Quid hoc eſt,quando Euangeliſta expoſuit, immorari non debemus. Vnde enim dixerit dominus: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat, & qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: conſequenter expoſuit Euangeliſta,dicens: *Hoc autem dixit de ſpiritu,&c.* Vbi,dum ita abſolutè loquitur,particulam illam omittens,ſicut dicit ſcriptura,videtur verbum illud(*flumina de ventre eius,&c*)non vt verbum ex ſcriptura citatum,ſed vt à Chriſto pronuntiatum,accepiſſe. ¶*Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.*) Græca exemplaria vulgata pro (datus) habent (ſanctus) in hunc modum:Nondum erat ſpirituſſanctus,quia Ieſus nondum erat glorificatus.Atque in hunc modum legiſſe videtur ex enarratione Theophylactus. Cæterùm, in ſenſu prorſus nulla eſt à noſtra lectione diuerſitas. Si enim non exprimant illi participium, datus, neceſſe eſt intelligant. Alioqui ſenſus eſſet impius, ante Chriſti glorificationem ſimpliciter non fuiſſe ſpiritum ſanctum. Et noſtri codices licet ſanctum non exprimant, indubiè tamen non alium ſpiritum loqui volunt, quàm ſpiritum ſanctum. Ita ſenſum per omnia eſſe eundem eſt neceſſarium. ¶*Nunquid & tu Galilæus es?*) Videri poſſent hîc Phariſæi per contemptum Galilæum dixiſſe Chriſti diſcipulum: quemadmodum Iulianus apoſtata in ſuis libris,quos contra Chriſtianam religionem plenos blaſphemia conſcripſit,cõtemptus gratia,Chriſtum Galilæum appellat,& ab eo Chriſtianos Galilæos. Atque id profectò ſententiæ magis conueniret. Alioqui,quæ cõſequentia erat,ob hoc Nicodemum natione Galilæum dicere, quòd pro eo loqueretur?Chriſti autem ex parte aliqua diſcipulum vel auditorem vel fautorem,probabiliter ſatis poterant ex ipſius defenſione colligere.Et ſic intellexiſſe videtur Auguſtinus.Galilæus,inquit, id eſt,ſeductus à Galilæo. Obſtare tamen huic videtur intellectui: quod in Græcis dicitur,cum præpoſitione,ex ipſa Galilæa,quod magis locum originis videtur reſpicere.Cęterùm,in eo quod ſequitur, *Vide quia à Galilæa Propheta non ſurgit.* Græci per præteritum legunt. ſurrexit,neque nomini Prophetæ articulus additur, vnde melius intelligitur hoc verbum in genere,de quolibet Propheta, iuxta ſenſum priori loco in Elucidatione expreſſum,quem & Auguſtinus videtur ſequutus.

Elucidatio

ELVCIDATIO CAP. VIII.

IEſus autem perrexit in montem oliueti.

POſtquam verò diem totum turbis erudiendis inſumpſiſſet dominus Ieſus, appetente veſpera, cùm in Hieroſolymis commodum non haberet locum hoſpitij, perrexit ad montē oliuarum, iuxta quem erat Bethania gratiſsimum ei præbere ſolita hoſpitium, vt corpore ad neceſsitatem modicè refecto peruigil deinde pernoctaret in oratione. [b]Tranſacta autem nocte, primo mane rurſum ad templum properabat, iniuriarum immemor, ſui tantum memor officij, quod opportunè importunè ad patris gloriam exequi aſsiduè ſtudebat. [c] Confluxitq; ad eum omnis populus qui pridie eū audierat, amplius cupiēs ab eo inſtitui in doctrina Dei: & ipſe nihil per timeſcēs iudæorum inuidiam, quaſi ſecurus ſedebat in templo, palàm eos in iis quæ Dei ſunt erudiēs. Audiētes verò Scribę & Phariſęi, ꝙ rurſum veniſſet Ieſus in templum, & doceret turbas, tametſi iam ſæpius ab illo eſſent confutati, præ nimia tamen inuidia quieſcere non valentes, aut certè nō volētes, cùm per vim (quod pridie tentauerant) nihil ſe proficere comprobaſſent, cogitauerunt dolo aliquo, & fraude ſubtili in periculū vitę eū adducere. [d]Adducūt proinde mulierculam quandā in adulterij peccato ſic deprehēſam, vt tergiuerſationi nō eſſet locus, eſſetq; cōmiſsi adulterij certa probatio: eamq; ad Chriſtū adductā in tēplū illic vbi ſedebat docens, ſtatuerunt in medio tanquā mortis ream, vt videretur ab omnibus, & ſententia à Chriſto proferenda ab omnibus item audiretur. Qua ſic coram Chriſto exhibita, quæſtionem ei doloſam proponūt, dicentes: [e]Magiſter, hæc mulier quā coram te exhibemus, iamnunc in adulterio deprehenſa eſt, quemadmodū certo teſtimonio probatū eſt, vt nō ſit repugnandi locus. Lex autē Moſi adulteros cōſtituit lapidibus ab omni populo obruēdos, in deteſtationē & horrorē adulterij. [f]Cupimus igitur de hac re tuam audire ſententiā, nū iuxta Moſi decretū iſta ſit lapidāda, aut fortè aliqd tibi hac in re immutādū videatur.

b Et diluculo iterum venit in tēplum,

c & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos.

d Adducūt autem Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehēſam & ſtatuerunt eam in medio, et dicunt ei:

e Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moſes præcepit huiuſmodi lapidare.

f Tu ergo quid dicis?

a Hoc autem dicebant tētantes eum, vt poſſent accuſare eum.

[a] Hæc autem dicebant, non animo diſcendi veritatem, ſed corde fraudulento, ad deuoluendū in Chriſtum calumniam. Hac enim quæſtione captioſa ita exiſtimabant illum conſtringere, vt quancunque partem elegiſſet, calumniam nō effugeret. Siue mulierē quaſi in arbitrio ſuo poſitā condemnaſſet, apud plebē eum reddidiſſent odioſum, quod miſericordiā & māſuetudinem, quam vbique prædicabat, & qua plurimum animos plebis ad ſe alliciebat, opere non demonſtraret, ſicque ſperabant auerſis ab ipſo vulgi animis facilē ſe poſſe eum interficere. Siue eam abſoluiſſet, apertam habebant calumniam, quòd Moſi legem faceret irritam, atque hinc videbantur habituri cauſam iuſtam eum interficiendi. [b] Sciens verò dominus animum illorum fraudulentum, & doloſa cōſilia non ignorans, in neutram partem definiendo ſententiam protulit: ſed quaſi aliud agens ſe inclinabat verſus terrā, & digito ſcribebat in terrā. Videlicet facto illo enigmaticè deſignans, ad hoc ſe veniſſe in mundū, vt hic in terra legē alteram charitatis & manſuetudinis hominibus daret, legem ſcilicet Euangelicam, qua illam Moſaicæ legis ſeueritatem & rigorē tēperaret, pro lege timoris legē inducturus amoris, & pro lege mortis legem vitæ. [c] Cùm verò ita quaſi nō attendēs diſsimularet dominus, & differret reſpondere interrogantibus, inſtabant illi iterum iterūque interrogantes & ad reſponſionem eum perurgebant, auidè præſtolantes calumniæ occaſionē. Erigēs proinde ſe dominus, dixit ad eos: [d] Si quis eſt veſtrum ab omni peccato immunis, qui nō vel maioribus & pluribus ſit coram Deo peccatis obnoxius, vel certè paribus, aut talibus vt minimū quibus ſecundū iuſtitię rigorem vltio deberetur conſimilis, hic primus lapidē iaceat in mulierē. Nō negat adulteram lapidandam, ſed illos qui aliena peccata perſequebātur ad vltionē, monet in ſeſe deſcendere, & prius ſeipſos expurgare, quam in alium exerceant vindictam. [e] Hiſq; breuiter dictis, rurſum ſe vt antè fecerat inclinabat, & ſcribebat in terra quaſi ipſa corporis poſitione deſignans, debere ſecundum Euangelicam legem vnumquēque magis

b Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terram.

c Cùm ergo perſeuerārēt interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis:

d Qui ſine peccato eſt veſtrū, primus in illam lapidem mittat.

e Et iterum ſe inclinans ſcribebat in terram.

magis ad propriæ vilitatis miſeriam attendere, quàm ad alios ſeuere iudicandos oculum deflectere. [a] Mira bile dictu. Statim vbi verbũ illud breue ex ore Chriſti audiſſent calumniatores, diuinæ virtutis operatione ſic in ſuis conſcientiis ſunt cõturbati, & confuſi in ſemetipſis, vt quaſi erubeſcentes & pertimeſcentes coram illo diutius ſubſiſtere, abſcederent vniuerſi, [b] incipientes à ſenioribus: quorum ſicut erat peccatum in corde, ex gradu & authoritate grauius, ſic & confuſio maior erat: [c] ſicque factum eſt, vt egreſsis omnibus accuſatoribus, ſolus abſq; illis Ieſus remanſerit in tẽplo, muliere coram ſe aſtante in medio turbæ ſimplicis: quæ quia ſpectabat tantum, non accuſabat: eiici cum accuſatoribus conſcientiæ ſuæ rubore non meruit. [d] Illis itaque cum confuſione eiectis, iterum ſe dominus erexit à terra, ad quam inclinatus permanebat donec egrederentur accuſatores, quaſi locum concedens eis egrediendi, tanquam qui egredientes non attenderet: dixitque aſtanti coram ſe mulierculæ. [e] Mulier: vbi nunc ſunt qui te accuſabant, & ad pœnam depoſcebant pro crimine debitam? Nemo (vt video) accuſator modo aduerſum te aſsiſtit. [f] An verò hactenus te nemo condemnauit? An non eſt ab illis in iudicio legitimè aduerſus te prolata ſententia mortis? [g] Illa verò pauens & tremens, in benignitate tamen vultus & verborum eius confidens, dixit ei: De mea condemnatione nuſquam quicquam eſt actum, niſi quòd modo ad te ſum adducta. [h] Dicit ei Ieſus: Poſteaquam nemo te ad mortem condemnauit: nec ego te cõdemnabo: qui non veni iudicare ac perdere, ſed liberare & ſaluare peccatores qui pœnitentiam egerint. [i] Inſuper ex authoritate quæ mihi ex diuinitate competit: liberam te facio ab omni & culpa & pœna, peccatum dimittens, & pœnam peccato debitam relaxans: [k] hoc tamen te moneo, tibique iniungo, ne iterum te peccato tradas, ne tibi deterius aliquid contingat. [l] Iterum ergo dominus Ieſus coram turbis loquutus eſt, vel prædicti negotij, vel alia quolibet occaſione, dicens: Ego ſum vera lux mundi, qui hoc præſto hominibus verè ſecundum

a Audiẽtes autem hæc, vnus poſt vnum exibant.
b incipientes à ſenioribus.
c & remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans.
d Erigẽs autem ſe Ieſus dixit ei:
e Mulier vbi ſunt qui te accuſabant?
f Nemo te condemnauit.
g Quæ dixit, Nemo domine.
h Dixit autem Ieſus, Nec ego te condemnabo.
i Vade,
k & iam amplius noli peccare.
l Iterum ergo loquutus eſt eis Ieſus, dicens: Ego ſum lux mundi.

cundum animam,quod foris ſol iſte viſibilis ſua luce prçſtare videtur corporibus.Sic ego hominibus lumẽ ſpirituale & vitam item ſpirituale dare veni,quomodo Solis corporea lux mũdo lucem vitamq́ue præſtat corporalem. [a] Vnde quiſquis per fidem me ſequitur lucem veram,is non ambulat in tenebris ignorantiæ atque malitiæ,ſed lumẽ ex me accipiet vitæ: ſpiritus ſancti gratia illuminabitur,qua & modò viuat in gratia,& poſt in vitam adducatur ſempiternam. [b] Audientes verò hæc Phariſæi,ſuo more omnia calumniantes dixerunt ad eum:Tu ſolus teipſum commendas,& de propria tantùm laude ac gloria teſtificaris: alium verò neminẽ probatæ fidei audimus eadem affirmantẽ.Cùm itaque in propria cauſa cuiuslibet hominis teſtimonium ſit ſuſpectum & vanum,nos tuũ quoque hanc de teipſo teſtificationem merito reiicimus,vt ſuſpectam & vanam. [c] Horum obiectioni ita dominus reſpondit:Tametſi ego de meipſo teſtimonium perhibeam,non tamen ob hoc debet quaſi ſuſpectũ aut falſum reiici,ſed vt verum & fide dignum potius acceptari:quia noui ego vnde veniam & quò vadam,nempe ꝙ à patre Deo venerim, ab eo miſſus loqui quæ loquor & quæ ago agere, iterumq́ue ad ipſum poſt paululum ſum rediturus,quando deuicta morte aſcendam in cælos ad dexteram eius:atq; ideo meritò debet meo teſtimonio,tametſi de meipſo, fides haberi. [d] Quòd autem vos meo teſtimonio putatis non credendum,ex veſtræ infidelitatis ignorantia procedit:videlicet quia neſcire vultis,vnde venerim, & quò vadam,quod vtiq; ſcire facile poſſetis,ſi mihi velletis credere:atq;hoc ſi ſciretis,nihil dubium,quin meo teſtimonio ſine hæſitatione fidem præſtaretis. [e] Vos enim in iudicio grauiter nimiùm erratis,eo ꝙ ſecundum carnem(id eſt ſecundum externa & ea tantùm quæ foris apparẽt)iudicatis,nolẽtes in me agnoſcere niſi eam quæ foris apparet naturæ humanæ infirmitatem,eam verò quæ intus latet,& in verbis atque operibus ſatis ſe manifeſtat,diuinitatem,credere recuſantes. [f] Ego autem ſecundum carnem & externam tantùm apparentiam neminem iudico,neque

a Qui ſequitur me nõ ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

b Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de teipſo teſtimoniũ perhibes, teſtimoniũ tuũ nõ eſt verũ.

c Reſpondit Ieſus,& dixit eis: Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verũ eſt teſtimonium meum,quia ſcio vnde veni, & quò vado

d Vos autẽ neſcitis vnde venio,aut quò vado.

e Vos ſecundum carnẽ iudicatis,

f ego non iudico quenquam.

modo in hac infirma ſerui forma in quenquam iudicium condemnationis profero. [a] Atque etiám ſi ego iudico nunc diſcretionis iudicio, ſecundum quod olim iudicium exequutionis pronuntiabo, non erroneum eſt iudicium meũ, ſed verum eſt & rectũ: quia in omni quod ego iudico, loquor, aut ago, non ſum ego ſolus, ſed mecum eſt pater meus qui me miſit in mundum, per omnia mecũ conſentiẽs, à quo diſſentire non poſſum, ſicut nec ipſe à me poteſt diſſentire.
[b] Et hoc apertè etiam lex Moſi, in qua vos gloriamini, teſtatur, quòd in ore duorum vel trium teſtiũ ſtare debeat omne verbum, & verum debeat ac ratum haberi duorũ vna in re cõſentientium teſtimonium. Quod ſi verum eſt, iuſtum quoque eſt, vt meo teſtimonio credatis, quod gemina teſtificatione, nõ duorum hominum, ſed duarũ in deitate perſonarũ, confirmatur. [c] Videlicet ego ſum qui de meipſo perhibeo teſtimoniũ, & idem hoc de me teſtificatur pater qui me miſit: qui iampridem & per Ioannis prædicationem, & per ſpiritus in columbæ manifeſtationem, vociſque ſupernæ atteſtationem, quis ſim ego, mundo declarauit, atque etiam nũc per verba & opera quæ ego ex eo loquor & ago, teſtificari nõ deſinit. Non iure igitur, neq; cum rationis vlla veriſimilitudine, meum teſtimonium vt falſum aut ſuſpectũ poteſtis refellere, ſed vt diuinum omni fide debetis excipere. [d] Audientes verò Phariſæi, quòd patris ſui teſtimoniũ adduceret, perinde quaſi ignorarent, quem vellet indicare patrem, interrogauerunt eum, dicentes: [e] Vbinam eſt iſte pater tuus quem iactitas? Procedat in publicum, vt audiamus quod tibi ſit perhibiturus teſtimonium. [f] Reſpondit illis Ieſus: Vos, propter veſtram infidelitatem, neque me cognoſcitis qui ſim, & vnde venerim, neque patrem meũ cognoſcitis, qui me miſit in mundum. Si autem me, quis ſim, velletis credẽtes agnoſcere (id quod frequẽter ſatis vobis indicaui, & efficacibus teſtimoniis comprobaui) procul dubio & patrem meum eadem fidei notitia agnoſceretis, vt eum qui me miſit & genuit. [g] Hæc aliáque plura huiuſmodi verba

a Et ſi iudicó ego, iudiciũ meũ verũ eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me pater.

b Et in lege veſtra ſcriptũ eſt: Quia duorũ hominum teſtimonium verũ eſt.

c Ego ſum qui teſtimoniũ perhibeó de meipſo, & teſtimonium perhibet de me qui miſit me pater.

d Dicebant ergo ei:

e Vbi eſt pater tuus?

f Reſpondit Ieſus: Neq; me ſcitis, neq; patrem meum. Si me ſciretis, forſitan et patrem meum ſciretis.

g Hæc verba loquutus eſt Ieſus in gazophylacio, docens in tẽplo: & nemo apprehendit eum, quia needũ venerat hora eius.

loquutus eſt dominus Ieſus palàm omnibus in tẽplo iuxta locum vbi mittebantur donaria & oblationes templi, vbi ſedebat docens populum: & quanuis ſummo odio eum perſequerentur Phariſæi, nemo tamen in eum auſus eſt vel potuit violentas iniicere manus, quia nondum tempus aduenerat à patre conſtitutum paſsioni: quod nullius humanæ poteſtatis violentia poterat præueniri. [a] Rurſum ergo ad Iudæos incredulos, ſermone increpatorio loquutus eſt, dicẽs: Non quando vobis libebit ego hinc ſum morte violenta inuitè auferẽdus, ſed quando patri mihiq; videbitur, poſt non multũ temporis, ego ſum abiturus per mortem ex hoc mũdo ad patrẽ: ac tunc quidem abſentem nonnulli ex vobis videre & audire deſiderabũt quem præſentem modò contemnunt. [b] Et vos qui obſtinato corde neque præſentem neque abſentem requirere aut ſuſcipere volueritis, in peccatis veſtris morte peribitis æterna. [c] Quo autem ego, per voluntariam mortem, in virtute diuinitatis meæ ſum profecturus, veſtrum nemo propria virtute eò valebit peruenire, niſi per me illuc adducatur, per fidem nũc mihi quaſi corpori membrũ inhærens. [d] Audientes verò Iudæi, iam denuò illum loqui de ſuo abitu, nõ intelligentes myſterium verbi, dixerunt adinuicem: Quid ſibi vult hoc verbũ, quo minatur nobis homo iſte abſceſſum, vt nõ valeamus eum ſubſequi? An fortè ſemetipſum interficiet, vt manus perſequentiũ effugiat, per mortem ſibi vltro inferendam? Nec enim alium videmus modũ quo poſsit euadere: & tamen tale aliquid prætendere videntur hæc eius verba: Quo ego vado, vos non poteſtis venire. [e] Sciens autẽ Ieſus occultas Iudæorum murmurationes, dixit eis: Vos eſtis homines ſuperi, terreni, & de terra generatione carnali ex commixtione maris & fœminæ geniti: ego autem è ſupernis ſum & de ſuper adueni, nõ purus homo, ſed Deus ſimul & homo: ſecundum diuinitatem ab æterno à patre cæleſti genitus, ſecundum humanitatem quodque in tempore, nõ ex operatione viri, ſed per operationem ſuperueniẽtis ſpiritus ſancti generatus. [f] Vos de mundo hoc eſtis, hinc veſtræ natiuitatis trahentes origi

a Dixit ergo iterum eis Ieſus: Ego vado, & quæretis me,

b & in peccato veſtro moriemini.

c Quo ego vado, vos non poteſtis venire.

d Dicebãt ergo Iudæi: Nunquid interficiet ſemet ipſum, quia dicit: Quo ego vado, vos non poteſtis venire?

e Et dicebat eis: Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum.

f Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo.

originem: ego autem non hinc originem duco, qui ab æterno ſecundum diuinitatem apud patrem fui, priuſquam in tempore homo fierem, quique in tempore ſupra mundi & naturæ curſum diuina virtute corpus humanum aſſumpſi. [a] Ob hoc ſcilicet ego vobis iam dixi, quòd in peccatis veſtris moriemini. Si enim nolueritis credere, quòd ego ſim ille quem me prædico, & quẽ me pater eſſe teſtificatur, id eſt, filius Dei, & Saluator mũdi, proculdubio morte peribitis æterna. Cùm enim vos ex vobis non niſi puri homines ſitis, in mundi huius corruptione geniti, nõ poteſtis per voſmetipſos à morte ſaluari, & ad vitam ſempiternam pertingere. Ego verò, quoniam Deus ſimul & homo deſuper in mundum, vt mediator Dei & hominum adueni, eos qui ſe mihi per fidem volunt adiungere, potero à morte ſaluare, atque ad vitam beatam tranſuehere. Vnde ſi in me credere non volueritis, neceſſe eſt in vobiſipſis pereatis. [b] Iudæi igitur, quaſi hactenus nihil de Chriſto vel à Ioanne vel à patre vel ab ipſo audiſſent, ita eum interrogant: [c] Tu quis es, vt credamus in te, aut quem vis te eſſe credamus, poſteaquam ita ſeuerè à nobis fidem exigis? Reſpondit eis dominus Ieſus: Credite me eſſe principiũ, authorémque & creatorem omnium rerum, vnum eundémq; cum Deo patre: qui etiam nunc ſecundum aſſumptam in tẽpore humanam naturam, ſimilis vobis, in medio veſtrum cõſiſtens iſta loquor vobis. Ita ſecundum diuinitatem credite me ſimilẽ & æqualem patri, ſecundum aſſumptam verò naturam hominem verum ſimilem vobis. [d] Cæterùm, ego ex tradita mihi à patre cõmiſsione, multa habeo aliàs pronunciare & iudicare de vobis: veniet tempus, quãdo ego vos aliter conueniam & alloquar in iudicio, ingratitudinem veſtram iſtam & infidelitatem ſeuero examine diſcuſſurus. [d] Iam verò hoc tantum vobis apertè teſtificor, eum qui me miſit patrem cæleſtem, veracem eſſe, qui mentiri non poſsit, aut fallere: & ego quæ ab illo accepi, quæ ille mihi præcepit mundo prædicare, hæc & non alia loquor in mundo. In quo veſtra erit iuſta condemnatio, quod me à patre veraciſsimo

a Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris. Si enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.

b Dicebant ergo ei: Tu quis es?

c Dixit eis Ieſus: Principium, qui & loquor vobis.

d Multa habeo de vobis loqui & iudicare.

e Sed qui me miſit verax eſt: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.

miſſum, nec aliud quàm ille mandauit loquentem, noIueritis recipere. [a] Iudæi verò excæcati malitia, non intelligebant quòd Deum Chriſtus appellaret patrem: ſed patrem aliquem terrenum ſomniabāt, quoniam de cælo illum veniſſe non credebant. [b] Adiecit quoque dominus loqui Iudæis ſermone parabolico, qui non niſi poſt impletionem rei poſſet intelligi. [c] Vos, inquit, modo quis ego ſim non vultis agnoſcere. Veruntamen poſterius, quando ego à vobis fuero exaltatus in ligno crucis, tunc me cognoſcetis quis ſim, tunc viſis miraculis quæ partim me in ligno pendente, partim poſt reſurrectionem meam ædentur in mūdo, ad gloriam nominis mei, multi veſtrum credent, quod verè ego ſim filius Dei & ſaluator mundi. [d] Tunc quoque credentes cognoſcetis, quòd ego à meipſo modo non loquar in mundo, neque à meipſo facio quicquam, quaſi iniuſſus, ſed ſicut me pater docuit, ita loquor, & omnino omnia loquor ac facio ex præſcripto patris: id quod ita fuiſſe tunc manifeſtè ipſe monſtrabit, quādo tam patentibus ſignis me clarificabit in mundo. [e] Et ipſe qui me in mundum miſit pater cæleſtis, mecum ſemper eſt, mecum vnus Deus exiſtens, & vna ſubſtantia: neque ſic me miſit, quaſi à ſe ablegauerit, quaſi me reliquerit ſolum, quoniam ego ſemper quæ illius ſunt voluntati grata & placita perficio, & nihil facio niſi ſecundum eius voluntatem, neque aliud vnquam facere poſſum niſi quod vult ipſe: vt ſicut eſſentiæ eſt perfecta vnitas, ſic & voluntatis plenus declaretur conſenſus. [f] Cùm autem verba iſta dominus Ieſus loqueretur, plerique audientium, aduertentes rationabilia eſſe quæ dicebantur, & tanta conſtantia efficaciáque ſermonis ab illo prolata, cœperunt fide quadam imperfecta & initiatiua ei adhærere, credentes eum vera loqui ex Dei iuſſione, tametſi quid diceret plenè nondum intelligerent. [g] Ad quos in fide iam cœpta confirmandos, tali exhortatione vſus eſt dominus: Si vos, vt modo cœpiſtis, ita fideliter permanſeritis in ſermone meo, perſeuerantes in fide & obedientia eorum quæ ego loquor in mundo, ita demum eritis mihi

a Et nō cognouerunt: quia patrem eius dicebat Deum.

b Dixit ergo eis Ieſus:

c Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum,

d & à meipſo, facio nihil, ſed ſicut docuit me pater hæc loquor.

e Et qui me miſit, mecū eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

f Hæc illo loquēte, multi crediderunt in eū.

g Dicebat ergo Ieſus ad eos qui crediderūt ei Iudæos: Si vos mā ſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem,

mihi veri diſcipuli.Parum enim eſt cœpiſſe credere, ſed perſeuerantia & ſtabilitate eſt opus. Quòd ſi vos mihi fideles diſcipuli permáſeritis,ero ego vobis viciſsim magiſter fidelis,doćturus vos pleniùs omnem veritaté de iis quæ ad ſalutem conſequendam fuerint neceſſaria: [a] & ipſa veritas fidei quam ex me diſcetis, vos reddet verè liberos ab omni ſeruitute peccati, mortis,& diaboli,quibus miſerè ſeruiunt omnes qui hãc ignorant veritaté. [b] Hoc verbũ domini carnales Iudæi,vt cętera omnia,carnaliter intelligẽtes,de ſeruitute temporali ſic ei obiiciẽtes reſponderunt: Nos ab Abraham nobili Patriarcha genus ducimus, & de ipſius ſemine prognati ſumus,liberi:non ſolùm de liberis, ſed & de ingenuis nobilibúſque progenitoribus nati, neq; vnquam cuiquam in ſeruitutẽ fuimus addicti.Quomodo igitur tu nobis libertatem promittis,quaſi eam non habuerimus?[c] Ieſus verò oſtendens ſe de alia loqui ſeruitute ſpirituali, quam illi ignorabant dixit eis: In veritate dico vobis, quòd quiſquis peccatũ facit,hoc ipſo peccati ſeruũ & diaboli mancipium ſe cõſtituit.A quo enim quis vltro ſe ſuperari permittit,& cui volũtariè obedit,huius procul dubio & ſeruus efficitur.Atq; hęc eſt ſeruitus illa, à qua vobis per fidẽ ſermonis mei promitto libertatem. [d] Videmus autem & in ciuilibus rebus, eum qui cõditione ſeruus eſt,nõ habere ius ſtabile in domo, ſic vt nũquam expelli poſsit aut eiici de domo.Ille autem qui filius eſt & hęres legitimus,ius habet ſtabile in patris domo permanendi in æternum, nec eiici poteſt aut priuari hæreditate paterna ſibi iure naturali debita. Sic vos qui ſerui eſtis ſeruitute peccati, nõ filij per fidẽ & gratiam facti,tametſi nunc in mundo iſto commixti bonis,ad tempus feramini:nõ habebitis tamen in domo patris mei mãſionem ſtabilem,ſed hinc eiiciemini ac protrudemini in carcerem ſempiternum. Ego autẽ qui filius ſum, ius habeo in domo & regno patris mei permanẽdi imperpetuum,& per me idem cõſequentur omnes qui per fidem ſe mihi adiungũt, per me in Dei filios adoptati.[e] Proinde,ſi ego Dei filius vos in me credentes liberos fecero per adoptionem

a & veritas liberabit vos.

b Reſponderũt ei: Semẽ Abrahæ ſumus,& nemini ſeruiuimus vnquam: quomodo tu dicis, liberi eritis?

c Reſpõdit eis Ieſus: Amẽ amẽ dico vobis, quia omnis qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati.

d Seruus autem non manet in domo in æternũ: filius manet in æternum.

e Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.

nem

nem fidei & gratiæ, veram eritis libertatẽ cõſequuti, & tanquam veri filij Dei non expellemini vnquam è domo patris veſtri, ſed ab Eccleſia hac militãte ad ſupernam in cælis triumphant emtrãsferemini, vt illic coram patre veſtro gaudeatis imperpetuum. [a] Non equidem ignoro, vos Abrahæ ſecũdum carnem filios aut nepotes eſſe: ſed & illud noui, quòd me ſine cauſa quæritis interficere, nõ propter meum aliquod maleficium, ſed propter veſtram inuidiam, & odium quod aduerſum me geritis in pectore: propterea quod ſermo meus in vobis locum nõ inueniat, quoniam verbo meo non vultis credere. [b] Ego tamen non aliud vobis loquor, quàm id quod à patre didici, quódque ipſe mihi vt loquar cõſtituit: quéadmodum vos ea facere conamini quæ à patre veſtro diabolo (cuius per imitationem vos filios efficitis) didiciſtis & vidiſtis: quæ vobis ipſe prior exẽplo monſtrauit, quæque vobis ipſe ſuggerit, opere perficere quęritis, hoc eſt, ſine cauſa innocentem interficere. [c] Cùm autem in hoc verbo dominus videretur patrem Iudæorum inſimulare malitię, illi cupiẽtes in eum deuoluere calũniam, reſponderunt: Pater noſter eſt Abraham. An ab hoc tu dicis nos didiciſſe quæ bona non ſunt, & quæ ab eo vidimus mala perficere? At ille depellens à ſe calumniam, & alium ſe eis patrem inſinuare voluiſſe declarans, ita Iudæis reſpondit: [d] Veros ſanctorum filios non carnis tantum propagatio efficit, ſed bonorũ factorũ imitatio. Vos proinde, ſi filij veri ſancti Abrahæ apud Deum haberi vultis, curate operibus bonis illius fidẽ & probitatem exprimere. [e] Quod vos certè non facitis, dum me interficere quæritis, hominem nõ ſolum innocentem, aduerſus quem nullam poſſitis cauſam mortis inuenire, verumetiam beneficium & multis modis vtilẽ vobis, vtpote qui veritatis verba quæ mihi pater cęleſtis dedit, vobis fideliter annũtiauerim: quem proinde vos non ſolùm non vexare malis, ſed magis pro gratiarũ actione beneficiis debebatis afficere. [f] Huiuſmodi autem opera longè illis ſunt diſsimilia, quæ Abrahã in ſemetipſo oſtendit: qui nõ ſolum innocentibus nil nocuit, imò non ſolũ erga

a Scio, quia filij Abrahæ eſtis: ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis.

b Ego quod vidi apud patrẽ, loquor: & vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis.

c Reſponderũt & dixerunt ei: Pater noſter Abraham eſt. Dicit eis Ieſus:

d Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.

e Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum, quam audiui à Deo.

f Hoc Abraham non fecit.

erga beneficos gratus extitit, verũetiã erga exteros pius & hoſpitalis, erga impios quoq; peccatores miſericors, & apud dominũ vltionem meditantem pro eis interceſſor. [a] Vos itaque parricidalibus cogitationibus intẽti, non Abrahæ opera facitis, ſed alterius patris veſtri cuius in his eſtis imitatores. [b] Illi volentes ad hoc Chriſtũ adigere, vt apertè cõfiteretur, quẽ diceret ipſorum patrem, rurſum obiiciunt, dicentes: Nos ex fornicatione nõ ſumus nati, ſed ab Abrahã ex Sara libera & legitima vxore, ſumus legitimè progeniti: nec proinde alium tu nobis patrem aſsignare potes ſecundum carnem quàm Abraham. [c] Quòd ſi de patre ſpirituali ſecundum animam fortè loqueris, ita vnicum agnoſcimus patrem ſpirituum vniuerſæ carnis, nempe Deum cæli, quem colimus. Quomodo igitur tu nos dicis in malis patrem noſtrum imitari? Neceſſe eſt enim, hæc contumelia vt vel in Abraham vel in Deum recidat. [d] Reſpondit illis Ieſus: Iam antè patrem veſtrum eſſe dixiſtis Abraham: huius vos non eſſe filios comprobaui. Nunc Deum patrem veſtrum eſſe dicitis, & neq; hoc verum eſſe mõſtrabo. Si enim Deus cęli verè pater veſter eſſet, & vos eius eſſetis legitimi filij, fieri nõ poſſet, quin me quoq; diligeretis & digno ſuſciperetis honore. [e] Ego enim ex Deo patre proceſsi: ſecundũ generationem æternam ſemper ex eius ſubſtantia procedẽs, & nunc in temporis hac plenitudine ab ipſo in mundum miſſus adueni. Non enim ego ex memetipſo iniuſſus veni in mũdum: ſed Deus pater me miſit in mundum, volens me inter homines hominem fieri, vt per me ſalutem cõſequatur genus humanũ. Fieri itaque non poſſet, quin me diligeretis, ſi verè eſſetis filij Dei, qui me ab æterno genuit, & in tempore miſit in mundum. [f] Volo autem indicare vobis, quid cauſæ ſit, quòd me loquentem, quis ſim, non agnoſcitis. [g] Videlicet in promptu eſt ratio, quia propter odium quod in corde geſtatis, & ambitioſum animum quo pleni eſtis, non poteſtis, ita vt æquũ eſt, cũ iudicio & attentione debita, audire verba mea: quæ ſi abiectis paſsionibus malis animi iudicium perturbãtibus, attente in ſilentio audiretis & expen

a Vos facitis opera patris veſtri.

b Dixerunt ita que ei: Nos ex fornicatione nõ ſumus nati.

c Vnum patrẽ habemus Deũ.

d Dixit ergo eis Ieſus: Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me,

e ego enim ex Deo proceſſi, & veni. Neq; enim à meipſo veni, ſed ille me miſit.

f Quare loquelam meam non cognoſcitis?

g Quia non poteſtis audire ſermonem meum.

& expéderetis,nihil dubium, quin facilè me ex ipſa doctrina quam loquor agnoſceretis. Dicam autẽ vobis apertè,quandoquidem id poſtulatis, quem vobis patrem exiſtimem aſsignandum.[a]Vos,inquam,impij homicidæ,diabolum habetis patrem, cuius deſideria mala perficere quæritis, quem vos in conatu & propoſito veſtro malo imitamini.[b]Ille enim à principio, ſtatim vbi conditus eſſet homo, & in paradiſo poſitus, fœlicitati eius inuidens, meditatus eſt homicidiũ,quomodo ſcilicet hominem perderet, & in mortem mitteret eum qui erat alioqui non moriturus, nec ceſſauit, donec animo conceptum homicidium opere perpetraſſet:[c]ipſe quoque ab initio non perſtitit in veritate,ſtatim poſtquam conditus eſſet à Deo vero ſe ſeparando, & vanitati ſeipſum ſubiiciendo, per præſumptionem ſuperbiæ:æſtimans ſe eſſe quod non erat:& vſque nunc veritate contempta, mendacio ſemper & vanitati inhæret. [d] Non eſt enim in eo veritas,ſed ex quo ſemel volũtariæ ſe tradidit vanitati,factus eſt alienus à veritate & plenus vanitate,omnis oſor & perſequutor veritatis:contrà verò, amator & promotor omnis vanitatis, mẽdacij, & iniquitatis. [e] Vnde cùm ille mendaciũ loquitur falſitatis aut vanitatis,& ex iis quæ ipſe genuit & primus adinuenit ex iis quæ ſibi ſunt propria & domeſtica, ex iis quibus plenus eſt & quæ ex animo diligit,loquitur:[f]quia totus ex ſe mendax & vanus eſt,& pater primuſque inuentor mendacij, qui primus omnium mendacium cõfinxit,dum ſe Deo æqualem fieri velle iactauit, & poſſe præſumpſit,ac poſterius hominem per mendacium in peccatum pertraxit. [g] Huius autem mendacis diaboli filios vos eſſe comprobatis,dum mihi certam vobis veritatem ex Deo prædicãti credere recuſatis,& ideo non creditis quia veritatẽ loquor,longè meliùs credituri,ſi pro veritate mendacia vobis enarrẽ;quemadmodum diabolus ſemper falſitatem præeligit veritati.[h] Quòd ſi forſitan quiſpiam ex vobis cauſam aliquam iuſtam habere ſe exiſtimet, ob quã mihi fidẽ deneget,eam proferat quiſquis ille eſt, demonſtret ille peccatum quod mihi velit impingere.

a Vos ex patre diabolo eſtis:& deſideria patris veſtri vultis facere.

b Ille homicida erat ab initio:

c & in veritate non ſtetit.

d quia non eſt veritas in eo.

e Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur,

f quia mendax eſt,et pater eius.

g Ego autem quia veritatem dico,non creditis mihi.

h Quis ex vobis arguet me de peccato?

Quòd

[a] Quòd ſi nemo veſtrum quicquam poſsit aduerſum me adducere:& ego vobis ex Deo loquar veritatem, quid cauſæ eſſe poteſt vobis,vt mihi vera prædicanti denegetis fidem?Videlicet non meus ſermo in cauſa eſt,ſed veſtra peruerſitas eſt in culpa. [b] Nam qui ex Deo ſunt,qui à Deo ſunt prædeſtinati & electi, quiq; Deum ex affectu amant & colunt,ij verba Dei libenter audiunt,fidéque & ea qua decet reuerentia ſuſcipiunt,non tantùm non impugnant:quomodo ſemper boni filij parentum verba libenter audiunt. [c] Atque ob hoc vos non vultis quæ ego loquor Dei verba audire,vt eis credatis & obediatis,quia ex Deo nõ eſtis, quia Dei filij & veri cultores non eſtis,nec ab eo prędeſtinati aut electi eſtis ad vitam. [d] Audientes iſta tã apertè aduerſum ſe dicta Iudæi,cùm deſtituti eſſent rationabili reſponſione, ad conuitia & contumelias (qui mos eſt inſenſatorum hominum)ſe conuertunt, & reſpondẽtes dicunt ei: [e] Nónne bene nos dicimus, te Samaritanum eſſe, id eſt, hominem vilißimum & nullius pretij,dæmonióque malo obſideri, quo agitante nos nobile Abrahæ genus filios diaboli audes aſſerere, & populum Dei peculiarem ex Deo eſſe pernegas? [f] Ad hanc tàm atrocem contumeliam,humili modeſtia ita dominus reſpondit, vt tamen à conuitio(quod alioqui non magno negotio in ipſos potuiſſet regerere)abſtineret.Et primæ quidem cõtumeliæ qua Samaritanum eũ appellabant, nihil duxit reſpondendum,quòd merum illud eſſet conuitiũ impatientis animi reſponſione indignum : aut quia ſecundum myſterium , Samaritanũ (quod cuſtos interpretatur)ſe eſſe tacitè volebat conſentiendo inſinuare. Quòd autem ſecundo loco dixerant eum agitari dæmonio,quoniam contra patris faciebat gloriam , ita modeſtè refellit. [g] Ego , inquiens, non obſideor neque agitor à dæmonio , ſed patrem meum in omnibus honorare & glorificare ſtudeo: ex quo omnia mea ego loquor & ago,non(vt vos dicitis) ex dæmonio. Vos autem me inhonoraſtis & inhonoratis , verba mea quæ ex Deo loquor non ſolùm non ſuſcipientes corde fideli,verumetiam conuitiis

a Si veritatem dico,quare vos non creditis mihi?

b Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.

c Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.

d Reſponderũt ergo Iudæi, & dixerunt ei:

e Nõnne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu,& dæmonium habes?

f Reſpondit Ieſus:

g Ego dæmoniũ non habeo, ſed honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me.

a Ego autẽ non quæro gloriam meam:

b eſt qui quærat & iudicet.

c Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meũ ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.

d Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmoniũ habes.

e Abrahã mortuus eſt, & Propheta: & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum?

f Nunquid tu maior es patre noſtro Abrahã qui mortuus eſt? et Prophetæ mortui ſunt?

g Quẽ teipſum facis?

h Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.

tiis improbis inſectantes. [a] Ego autem in his (quæ loquor,& ago,non humano more propriam meam gloriam quæro, non quæro mihi apud homines vel contra Deum vel extra Deum laudem vel applauſum inanem, ſed gloriam meam ſi quam videar quærere ad patris mei refero gloriam. [b] Eſt tamen in cælis pater meus,qui gloriam meam requiret qui me vult propter ſe honorificari, ſicut & ipſe per me quærit glorificari quique pro mea gloria aliquando iudicabit,aduerſum eos qui modo eam ſupprimunt. [c] Hoc tãtummodo ad præmonitionẽ vobis omnibus cum veritatis certiſsima atteſtatione denũtio, quòd quiſquis verba mea iſta quæ vos modò contemnitis, credẽdo & obediendo cuſtodierit, mortis & damnationis æternæ nunquã experietur miſeriam, quã expe-rientur omnes qui verbis meis animo obfirmato credere recuſauerint.[d]Iterum ex hoc ſermone calũniandi anſam ſumẽtes Iudæi, prius conuitium poſteriori aſſertione cõfirmãt,dicẽtes:Nunc certò cognouimus, verum eſſe quod paulo ante dicebamus & tu inficiari volebas te obſideri & agitari dæmonio.Prorſus enim irrationabilia & inſana ſunt quæ loqueris. [e] Nam Abrahã tãtus Patriarcha mortẽ non potuit effugere, itẽ & Prophetę,ac iuſti omnes morte finiti ſunt, neq; ex eis quiſquã eſt qui mortem non viderit. Et tu dicis:Si quis ſermonem meum ſeruauerit,mortem non experietur in ęternũ?[f]An forte tu maioris es præcellentiæ,maioriſq; apud Deũ æſtimationis aut meriti, quàm fuerit Abraham tãtus Patriarcha,qui mortẽ debuit videre:aut Prophetis omnibus tu vnus es præcellentior, qui omnes morti ſuccubuere?Sic es tu iactabundus & impudens:vt quæ tanti támq; Deo gratiſsimi viri non potuerunt aſſequi, audeas polliceri, imò quod ipſe non habes homo mortalis & miſerabilis,aliis audeas ex tui ſermonis obſeruatione promittere?[g] Quem teipſum,ô infœlix homo, eſſe iactitas? quid de temetipſo nimium inaniter gloriando, præſumis? [h] Dominus autem Ieſus ſolitam patientiã ſeruans,ita modeſte reſpondit:Si ego meam propriam & peculiarem apud homines gloriam quære-

rem,

rem, per oſtentationem aut ambitionem ſuperbiæ, vt moris eſt hominum,& non eſſet Deus me glorificans in veritate,inanis & pro nihilo æſtimanda eſſet gloria mea:quoniam gloria quæ tantum apud homines per oſtentationem comparatur,& nõ à Deo comprobatur, vera non eſt gloria:ſed tantum quædam ſimilitudo & inanis imago veræ gloriæ.[a] Nunc autem non ego tantũ meipſum glorifico,ſed eſt in cælo pater meus,qui me potenter in doctrinæ & ſignorum admirabili efficacia ac ſupernaturali virtute glorificat,de quo patre meo vos gloriamini, dicentes,quòd Deus veſter ſit quem colitis, cùm tamen in veritate eum non cognoſcatis,cuius voluntatem non perficitis,& verba nõ recipitis.[b] Ego verò plenè eum noui, per comprehẽſionem eum perfectiſsimè cognoſcẽs, cum quo vnus ſum Deus,& vna ſubſtantia. Et ſi dicerem,me eum non noſſe,mendacium dicerẽ:ſicut vos mendacium profertis,dum illũ vos noſſe affirmatis. [c] Verè enim ego noui & ſcio illum,eique per omnia obedio,& præcepta eius ſeruo:& quæcunq; mihi loquitur,cuſtodio,vt ea obedienter perficiam,& hominibus fideliter annuntiem. Cæterum,quod ad obiectionem veſtram attinet, quã ex me quæſiſtis, num Abraham patre veſtro maior eſſem,hoc tantũ impręſentiarum (quod ſat eſt) reſpondeo: [d] Abraham ipſe pater veſter olim cùm in carne viueret,ex diuina reuelatione prænoſcens me in tẽporis plenitudine venturum in mundũ,& humanæ ſalutis operaturum myſterium,in iſta fide & ſpe exultabat ac geſtiebat magno affectus deſiderio videre tempus aduẽtus mei in mundum,quod per reuelationẽ futurum præcognoſcebat.[e] Nunc quoq; Abraham cognouit diem illum tandiu expectatum aduenifſe,nouit me in mundo humanam aſſumpſiſſe naturam:ſatisfactum eſt nunc ex parte aliqua eius deſiderio breui ad perfectum complendo: & gauiſus eſt gaudio magno, in ſpe propinquæ liberationis & ſalutis,quam per me ſibi omnique generi humano cognouit eſſe vẽturam.[f] Hoc autem Chriſti verbum, vt hactenus omnia, ſecundum carnalem ſenſum accipientes Iudæi,quaſi omni

a Eſt pater meus qui glorificat me,quem vos dicitis quia Deus noſter eſt:& nõ cognouiſtis eũ.

b Ego autem noui eum. Et ſi dixero, quia non ſcio eum,ero ſimilis vobis mendax.

c Sed ſcio eum & ſermonem eius ſeruo.

d Abraham pater veſter exultauit,vt videret diem meum.

e Vidit,& gauiſus eſt.

f Dixerunt ergo Iudæi ad eũ: Quinquaginta annos nondum habes,& Abraham vidiſti?

ratione & veritatis apparētia carens voce clamoroſa impugnarunt, dicentes: Cùm tu nondum annos habeas quinquaginta, qui fieri potuit, vt Abraham tu videris, aut te viderit Abraham, qui ante tot ſæcula vita defunctus eſſe cognoſcitur? Omnino tuus iſte ſermo, etiam ſenſui apertiſsimè videtur aduerſari.[a] Dominus autem Ieſus, aduerſum criminatores iſtos, tantū humanæ infirmitatis modicam durationem conſiderantes, oſtendere volens eam quam ſecundum diuinitatem habebat æternitatis durationem: ita eis breui verbo reſpondit. Hoc quidē incredibile iudicatis, ꝙ ſimul ego cum Abraham fuerim.[b] Ego verò, quod longè eſt amplius, vobis vt rem certiſsimā, cum proteſtatiõe veritatis, affirmo nimirū ꝙ antequā Abrahā ipſe fieret aut naſceretur, aut in rerum natura ſubſiſteret, ego ſecundum naturam diuinitatis meæ ſum in meo eſſe ſtabilis, ingenerabilis, & incorruptibilis, & omnino immutabilis, idē ipſe exiſtens Deus verus ab æterno ante omne principium, qui nūc vobis in hoc temporis puncto ſecundū carnem præſens aſsiſto.[c] His verò auditis, iam non vltra ſe continere valentes inſani Iudæi, in peius continuò proficientes, tanquam canes furibundi, qui hactenus tantum oblatrarunt, nunc quoque inſultum & morſum parent, conuolantes ad lapides, vt innocentem Ieſum quaſi blaſphemum ſine iudicio præuio, indemnatum lapidibus obruant.[d] Ipſe verò dominus, qui ſe verbis modo Deum declararat, factis hominem quoque infirmum ſe volens demonſtrare, cedens eorum furori, exiuit de templo, eo modo quo nouit ipſe: ſeque ab eis abſcondit, ſic vt nemo ei poſſet nocumenti quicquam inferre.

a *Dixit eis Ieſus:*

b *Amen amen dico vobis: antequam Abrahā fieret, ego ſum.*

c *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.*

d *Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de tēplo.*

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

I*Eſus autem perrexit in montem oliueti, &c.*) Tota iſta hiſtoria de muliere adultera, in Græcis codicibus aliquot non inuenitur, in aliis inuenitur. Chryſoſtomus & Theophylactus, ne verbum quidem ex ea attingunt: ſed quod circa finem præcedentis capitis dictum eſt ad Nicodemum, *Scrutare ſcripturas quia à Galilæa Propheta non ſurgit,* continuè adiungunt illi quod poſt hiſtoriam iſtam ſubditur,

tur, *Iterum ergo loquutus eſt eis Ieſus*: id quod ex ipſorum interpretatione eſt manifeſtum. Beatus Auguſtinus totā hyſtoriam, vt cætera apud Ioannem, legit & exponit. ¶ *Qui ſine peccato eſt veſtrum.*) Græcè vna dictione compoſita dicitur ἀναμάρτητος anamarticos, id eſt, ſine peccato. Poſſet etiam accipi, vt ſignificet idem quod impeccabilis, ſiue qui non poſſet peccare. In eo autem quod ſequitur: *Audientes autem hæc, vnus poſt vnum exibant*, interiicitur in Græcis: & à conſcientiis ſuis redarguti ſiue reprehēſi, quod per modum gloſſematis videtur adiectum. ¶ *Vos deorſum eſtis.*) Quidam codices antiquiores habēt, de deorſum, quod magis cū Græcis quadrat, vbi legitur ἐκ τῶν κάτω, id eſt, ex iis quæ inferne, quod eſt de deorſum. ¶ *Principium, qui & loquor vobis.*) Videtur prima facie hic eſſe ſenſus: Ego ſum principium, & ille ipſe qui vobis nunc loquor. Secundum diuinitatem ſum principium vnum idemq; cum patre, & ſecundum humanitatē nunc vobiſcum in tempore loquor, vt vos doceam & erudiā quid de me credere debeatis. In quem ſenſum locum iſtū Ambroſius aliquoties citat: ex loco iſto probans, quòd Chriſtus verè principiū ſit dicendus. Atque ita principium accipitur in caſu nominatiuo: relatiuum autē qui, non principiū refert, ſed pronomē ego. Verùm huic intellectu i obſtare videtur lectio Græca, quæ per accuſatiuū habet generis fœminei τὴν ἀρχὴν tin archin, id eſt, ipſum principium, in accuſatiuo. Vnde videtur abſurda oratio, ſi dicamus, Ego ſum ipſum principiū, perinde acſi diceretur: Ego ſum veritatem. Hoc incommodū ex Græcorum librorum collatione ſentiens Auguſtinus, & effugere cupiēs verbum credite, putat ex ſenſu ſubaudiendum vt ab eo regatur accuſatiuus principium. Eius in hunc locum iſta ſunt verba: Vt ſcirēt Iudæi quid illum credere deberent, reſpondit, Principiū. Nō tanquam diceret, principium ſum, ſed tanquam diceret, Principiū me credite: quod in ſermone Græco euidēter apparet, vbi fœminini generis eſt principiū. Velut ſi vellet dicere, ſe eſſe veritatē: & dicentibus: *Tu quis es?* reſponderet veritatem, cùm videretur ad id quod dictum eſt: *Tu quis es*, reſpondere debuiſſe, veritas, id eſt, veritas ſum. Sed altius reſpondit, cùm videret eos ita dixiſſe, *tu quis es*, acſi dicerent: Quoniam abs te audiuimus, Niſi credideritis quia ego ſum, quid te eſſe credemus? Ad hoc reſpondit, principium. Tanquam diceret, Principiū me credite. Et addit: *qui et loquor vobis*, id eſt, quia humilis propter vos factus ad iſta verba deſcendi. Nam ſi principium ſicuti eſt ita maneret apud patrem, & non acciperet formā ſerui; & homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile verbum ſine ſenſibili voce audire non poſſent? Ergo, inquit, credite

me eſſe principium:quia vt credatis,nõ ſolum ſum,ſed & loquor vobis.Hæc Auguſtinus.Alij verò putant accuſatiuum illum Græcum accipi hoc loco aduerbialiter,vt idẽ valeat,qđ primo vel principio, quemadmodum apud Græcos ſolet interdum vſurpari : ſicut etiam τέλος nomen ſignificans finem , interdum apud illos aduerbij vice accipitur,vt idem ſit quod denique vel tãdem vel poſtremo:perinde acſi Latinè accuſatiuũ,finem,ponamus pro aduerbio,finaliter. Aſsignantque hunc ſenſum:Principio,ille ego ſum qui & loquor vobis. Nam cætera indigni eſtis audire,qui toties iam audiſtis tã multa , & in nullo profeciſtis,adhuc quęrentes : *Tu quis es?* Perinde quaſi nihil vnquã audieritis.Verumetiam huic intellectui aliquid videtur obſiſtere.Nã Græca lectio habet,nõ ὅς hos relatiuum maſculinum , ſed ὅτι hoti quod eſt relatiuum generis neutri,vel aduerbiũ idem valẽs quod quia.Vnde ſic videtur dicẽdum:Principio,quod loquor vobis, vel quia loquor vobis,vt quædam habent exemplaria Latina,quemadmodum & Beda annotauit,hanc quoque præferens lectionem. Poteſt igitur ſi per relatiuum dicatur neutrũ,hic eſſe ſenſus: Principio hoc ego ſum,quod & loquor vobis & prædico.Tanquam ſi dicat:Imprimis illud ego ſum,quod dico vobis me eſſe , nempe Dei filius & præco,à Deo miſſus in mundum,ad ſalutem hominum,& alia huiuſmodi,quæ iam ſufficienter vobis ſunt per me annuntiata,ſi modò velitis dictis meis habere fidẽ.Si verò ὅτι hoti accipiatur pro quia,poterit commodè iſtud cum ſequentibus continuè legi,in hũc ſenſum: Vos cùm toties iã ex me audieritis , & quis ſim,& ad quid venerim, tamẽ adhuc quaſi nihil audieritis ſic interrogatis : *Tu quis es?* Ego verò illud imprimis vobis reſpondeo,quia ipſe in hunc mũdũ deſcẽdi, & veni loqui vobis,& non deſino vobis prædicare veritatem,ob hoc multa habeo de vobis loqui & iudicare:quoniã erit vobis illud grauiſsimæ condemnationis occaſio,quòd mihi palam ſic loquenti nolueritis credere,quemadmodum alibi dicitur: *Qui non credit,iam iudicatus eſt,quia non credidit in filium* Dei. Chryſoſtomus pauciſsimis verbis locum iſtum pertrãſit,vt vix percipi poſsit qui aut quomodo intellexerit,Sic enim ait:Principium qui & loquor vobis.Hoc eſt:Sanè indigni eſtis qui ſermones meos audiatis,& qui ſim intelligatis.Vos vt me tentetis ſemper loquimini,mihi autẽ non attenditis,& in omnibus nunc vos reprehẽdere non poſſum.Hoc enim ſignificat.Multa habeo de vobis dicere & iudicare,non tantum reprehendere,ſed punire.Nobis in Elucidatione viſum eſt,ſenſum ſequi Latinorũ authorum Auguſtini,atq; Ambroſij,quo Chriſtus ſe appellat rerũ omniũ principium,diuinitatemq; ſimul & humanitatem breuiſsimo verbo inſinuat.

inſinuat. ¶*Sermo meus nõ capit in vobis.*) id eſt, locum non habet in vobis, non comprehenditur à vobis, quemadmodũ pulchrè declarat Auguſtinus: Si ſermo meus, inquiẽs, caperetur, caperet. Sic enim eſt ſermo Dei, & ſic eſſe debet fidelibus, tanquã piſci hamus. Tũc cápit, quãdo capitur: nec fit iniuria illis qui capiuntur. Ad ſalutẽ quippe, nõ ad perniciẽ capiuntur. Similia ferè loquitur Theophylactus, poſt Chryſoſtomum, quod dicitur ad doctrinæ magnitudinem referens: Non, inquit, propter aliud inſanitis contra me, quã propter ſermonẽ meũ, qui ſublimior eſt veſtra cogitatiõe & à vobis capi nequit, quãuis nõ propter hoc oportebat occidere, ſed magis orare vt doceã dogmatũ ſublimitatem, & colere, & obſeruare. ¶*Nos ex fornicatione non ſumus nati*) Nos in Elucidatione id exponimus de fornicatione corporali, quomodo etiam Chryſoſtomus & Theophylactus videntur intellexiſſe. Auguſtinus verò, ad ſpiritualem fornicationẽ refert, id eſt, ad idololatriam, quæ in ſcripturis ſubinde fornicatio ſolet appellari. ¶*Mendax eſt, & pater eius.*) Quemadmodum ex Auguſtino diſcimus, fuerunt hæretici qui hunc locũ ita intelligerẽt, vt putarent diabolũ patrem habere alium à Deo. Sic enim intelligebãt, Diabolus eſt mẽdax, & item ipſius diaboli pater eſt mendax. Sed hic intellectus planè ridiculus eſt, & nimium puerilis. Intelligẽdus eſt autem diabolus & mendax dici, & non ſimpliciter mendax, ſed inſuper mendacij pater: quoniam primus ipſe mẽdaciũ adinuenit, id quod pulcherrimè declarat Auguſtinus his verbis: diabolũ dominus dixit patrẽ mẽdacij. Quid eſt hoc? Audi q̃d ſit, Replica modo ipſa verba, & intellige. Nõ omnis enim qui mentitur, pater ſui mendacij eſt. Si enim ab alio mẽdacium accepiſti, & dixiſti, tu quidem mentitus es proferendo mendaciũ, ſed pater mendacij ipſius non es, quia ab altero accepiſti mẽdacium. Diabolus autem à ſeipſo mendax fuit. Mendacium ſuum ipſe genuit, quod à nemine audiuit. Quomodo Deus pater genuit filiũ veritatẽ, ſic diabolus lapſus genuit quaſi filium mendaciũ. Similia loquuntur Chryſoſtomus & Theophylactus, dicẽtes diabolũ genuiſſe mendacium, & eo primum fuiſſe vſum, ipſumque mendacium prolẽ eſſe diaboli. ¶*Quia non poteſtis audire ſermonem meum*) Non poteſtis, inquit, non quod facultatem eis eſſe neget liberi arbitrij, ſed quia ſecundum ſtatum in quo tunc erant quandiu in odio illo permanebãt, non poterant audire & intelligere ſermonem Chriſti. Vnde & mox ſequitur, quaſi ratio verbi præmiſſi, *Vos ex patre diabolo eſtis, et deſideria patris veſtri vultis perficere.* Ob hoc ſcilicet non poteſtis, quandiu in eo ſtatu diſpoſiti eſtis. Idem fere ſibi vult, quod Chryſoſtomus & Theophylactus dicunt, non poſſe dictum eſſe pro non velle.

¶*Ego autem ſi veritatem dico,non creditis mihi.*) Emendatiora exemplaria Latinorum,conſentientibus Græcis,hoc loco habent quia, non ſi:& eſt ſenſus longè plenior.Quaſi dicat:Vos quia ex patre Diabolo eſtis qui ex ſe eſt amator & pater mẽdacij & oſor veritatis,hinc procedit vt mihi non credatis, propterea quod veritatem loquor: cui,ſi falſitatem loquerer,crederetis.Iuxta id quod ſupra dixit, capite quinto: *Ego veni in nomine patris mei,& non accepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo,illum accipietis.*Quare enim hoc,niſi quia ille loquetur mẽdacium ſuum,ego loquor veritatem Dei. ¶*Quis ex vobis arguet me de peccato?*)In Græcis codicibus,præſens tẽpus eſt,arguit. Sẽſus in idem redit.Vult enim dicere, Quis ex vobis poſsit me arguere? ¶*Mortem non videbit,ac deinde: Mortem non guſtabit.*) Notat hic Auguſtinus loquutionem ſcripturarum dicentium, mortem guſtare, & mortem videre,pro eo quod eſt,mortem experiri. ¶*Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum.*) Notat Auguſtinus, non eſſe dictum: Exultauit quia vidit, ſed exultauit vt videret diem meum: quoniam credens exultauit ſperando, vt videret intelligendo. Incertum autem relinquit, per diem Chriſti quid intelligatur, an dies ille temporalis aduentus Chriſti in mundum, an dies æternitatis in quo cum electis ſuis regnabit in ſecula. Vtrunque autem dicit illum vidiſſe adhuc in carne poſitum, ſecundum reuelationem fidei. Omnino enim putandum eſt, ſanctiſsimum illum Patriarcham non latuiſſe myſterium incarnationis filij Dei, & paſsionis pro ſalute mundi:quarum vtranque in myſterio etiam legitur præfiguraſſe.Hanc quidem, in eo quod filium duxit ad immolandum, & hircum pro eius obtulit redemptione: illam verò (vt ait idem Auguſtinus) in illa ſerui adiuratione, quando mittens ſeruum ſuum ad quærendum vxorem filio ſuo Iſaac, dixit: *Pone manum ſub fœmore meo, & iura mihi per Deum cœli, &c.* In hoc enim ſignificatum eſt, Deum cœli de ipſius fœmore quod tangere ſeruus iubebatur, naſciturũ.Concorditer ferè cum Auguſtino exponunt, Chryſoſtomus & Theophylactus:niſi quod per diem, peculiariter diem paſsionis intelligunt.Hunc,inquiunt,exultauit vt videret,quia optatũ & deſideratum habuit diem illũ & gaudij authorem,ſcilicet eo quod in beneficium cederet,& non parui alicuius commodi, neque vulgaris eſſet dies,ſed magni. Et hunc diem crucis cùm præuidiſſet Abraham,gauiſus eſt, eo quod futurus erat in ſalutem mundi. Nos in elucidatione (ſalua iſtis ſua authoritate)aliã dedimus explanationẽ, videre diem intelligentes,non ſecundum viſionem fidei qua Abraham adhuc in carne poſitus vidit diem domini, id eſt, præuidit, ſed de exhibitione

rei,

rei,quomodo ea nos dicimus vidiſſe quę noſtris tẽporibus acciderũt, etiãſi nũquam rerũ illarum geſtarũ fuerimus ſpectatores. Sic vulgo dicimus.Quàm admiranda vidimus nos qui hoc ſæculo viximus, intra paucorũ annorũ ſpatia,ſignificare volẽtes, multa noſtro æuo miranda eueniſſe.Sic Abraham,cũ per reuelationẽ cognoſceret de ſemine ſuo olim naſciturũ Chriſtum mundi redemptorem,exultando geſtiuit vt videret diem illũ,id eſt,tempus aduentus Chriſti in mundum,quemadmodũ & cæteri omnes Prophetæ diem iſtũ videre deſiderabant.Id quod alibi apertius dominus teſtatur,dicẽs: *Multi reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Donec tamen in carne eſſet Abraham,nõ eſt ei datũ videre quod deſiderabat: quoniam nondũ aduenerat plenitudo tẽporis.In aduentu autẽ Chriſti vbi aduenit plenitudo tẽporis,ſatisfactũ eſt eius exultabili deſiderio:vidit Chriſtũ in carnẽ veniſſe iamiã immolãdum, & gauiſus eſt, gratias agẽs Deo de tam propinqua ſalutis adimpletione,per illũ cuius diẽ tandiu cũ exultatione fuerat præſtolatus. *Quinquaginta annos nondum habes.*) Solet hîc quæri, quamobrẽ dixerunt Iudæi de annis quinquaginta,cũ nimium longè adhuc Chriſtus abeſſet ab ea ætate. Veteres quidã exiſtimauerũt,occaſione huius verbi, Chriſtũ exceſſiſſe annũ quadrageſimũ,cũ iſta diceret,vt videretur ad hanc ætatem annorũ quinquaginta accedere.Verũ hæc ſentẽtia,ab vniuerſali Eccleſiæ cõſenſu reiicitur,& ex Euãgelica hyſtoria ſatis refellit. Quæſtio verò ipſa nullius eſt momẽti, vt propter eã tale aliquid quiſquã opinet.Dici enim poteſt,iccirco,eos tã amplũ ſumpſiſſe annorũ ſpatiũ,vt minus errarẽt,& certius Chriſtũ refellerẽt. Quaſi dicãt: Etiãſi quinquaginta eſſes annorũ,tamẽ adhuc longiſsimè ab Abrahę ætate abeſſes.Nũc verò nec illos te attigiſſe certiſsimũ eſt. Apud Chryſoſtomũ,ꝓ quinquaginta legimus,quadraginta:quod an errore interpretũ aut librariorũ euenerit,an ex ipſius authoris fuerit ſententia, aut ex codicũ errore quibus ille vſus fuit,incertũ eſt.Nihil enim cõmẽtando hac de re diſſerit.Theophylactũ certiſsimũ eſt nobiſcũ legiſſe,quinquaginta.Sic enim & interpretatur. Quęſtionẽ autẽ illam quare Iudæi dixerint quinquaginta,magis quàm triginta, curioſam dicit,putans caſu factũ eſſe,quod eis in mentẽ ſimpliciter venerit ille numerus cõmemorans nihilominus quorundam reſponſionem,dicentium,id factũ eſſe ob honorem anni iubilei,qui quinquageſimo quoque recurrebat anno,tanquam ſi dicant Iudæi:Tu necdum iubileum vnum abſoluiſti,& Abraham te vidiſſe iactitas? Nõnulli ex recentioribus putant. Iudæis ita viſum fuiſſe, quòd fermè annorum quinquaginta eſſet dominus, cùm nondum longè tranſgreſſus eſſet,

annum trigeſimum,ob multum laborem in prędicationibus vigiliis atq; ieiuniis.Qui ſi addant maturitatẽ & grauitatẽ illam vultus tam ſeriam,licet non crudelem aut truculẽtam,quam præ ſe ferebat, cui onus tanti officij incumbebat, ac poſt paululum tantarũ paſsionum pondus imminebat,non omnino videbuntur ſine ratione dicere.Nã id frequẽter vſu venit,vt vultus ipſius magna maturitas & grauitas, de annorum ætate indicantes grauiter fallat.¶ *Antequam Abraham fieret, ego ſum.*) Nota diſtinctum loquendi modũ, de creatura temporali & verbo æterno.De illo nẽpe Abrahã dicit,antequã fieret: de ſe, nõ dicit,ego fiebam,imò nec ego erã,ſed ego ſum:volens hoc verbo præſentis tẽporis ſignificare ſuã immutabilẽ eſſentiam,& infinitam æternitatem,ſecũdum quam nec præſens agnoſcit, nec præteritum, ſed quoddam perpetuum præſens. Propter hoc & paulo antè dixit: *Niſi credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.* Poterántque vel ex hac peculiari ratione loquẽdi meritò aduertere,quòd ille ipſe eſſet,qui olim in rubo Moſi apparens,dixit:*Qui eſt,miſit me ad vos.*

ELVCIDATIO CAP. IX.

ET præteriẽs Ieſus,vidit hominẽ cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum diſcipuli eius.
b Rabbi,quis peccauit,hic aut parentes eius, vt cæc⁹ naſceretur?
c Reſpondit Ieſus: Neque hic peccauit, neque parẽtes eius,ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.
d Me oportet operari opera eiꝰ qui miſit me donec dies eſt.

PRæteriens per viam publicam dominus Ieſus: hominem quendam à natiuitate cæcũ iuxta viam reperit ſedentem:quem cùm gradum ſiſtens, defixis oculis attentius cõſideraſſet,(ad eũ modũ quo artifex vbi materiã videt inſigni alicui operi quod meditatur idoneam,defixis oculis attẽtius eam ſolet contemplari)diſcipuli ex hac occaſione dominũ Ieſum interrogant dicentes: [b] Magiſter,dic nobis,ob cuius peccatum homo iſte cæcus eſt natus,an ex peccato ipſius proprio(quod non videtur veriſimile,cùm nemo poſsit peccare antequã natus fuerit)an ex peccato parentum,qui ſic in filio puniri forſitan meruerunt? [c] Huic quæſtioni ita reſpondit dominus : Neq; ſuo ipſius peccato homo iſte commeruit vt cæcus naſceretur, neque ex parentum peccato hoc ei euenit: ſed Deo diſponente, ex alia qualibet cauſa, naturali caſu aliquo occurrẽte,ſic natus eſt, vt nunc per me in eius curatione manifeſtaretur gloria Dei,per miraculum diuinæ virtutis,quod in eo iam nunc patrandum videbitis. [d] Sic enim decet me operari opera virtutẽ patris qui me miſit teſtificantia, ad confirmationem

doctrinæ

doctrinæ quam ille me miſit prædicare mundo, donec dies eſt,& tempus ad hoc cõmodum, donec ego in hoc mundo ero ſecundum corporalem viſibilémque præſentiam. [a] Adueniet autem poſt diem huius vitæ aliud tempus noctis poſt mortem, in quo nemo poterit opera quæ ſibi ad ſalutem proſint operari:ſed vnuſquiſq; ex iis quæ prius in vita eſt operatus,debitam ſibi mercedem recipiet.Ita & ego quandiu ſecũdum viſibilem præſentiam ſum in mundo, in die vitæ huius,debeo quæ patris mei ſunt viſibiliter operari ad ſalutem credentium. [b] Quandiu enim ego ſum in mundo ſecũdum carnis viſibilem præſentiam, illuminare debeo homines mundum inhabitantes, prædicatione doctrinæ & operatione miraculorũ. [c] Quæ cùm dixiſſet,ex ore ſuo beato ſputum iecit in terram: commiſcénſque cum puluere, ſic lutum fecit ex ſputo:hoc ipſo facto,quaſi veteris operis modum repræſentans,quo ex limo terræ primum hominem condidit: vt eundem ſe eſſe declararet, qui in principio genus humanum de terra formauerat, & qui modo in temporis plenitudine idem ipſum in cæco iſto ſignificatũ reparare debebat. [d] Acceptúmque lutum iſtud, quod ex ſputo fecerat,ſuperunxit oculis cæci,ad eum modum quo ſolent medici vnguentis linire loca vulneris:vt ſe generis humani, ſicut olim ex luto plaſtẽ, ita nunc & medicum declararet. [e] Neque hoc facto ſtatim viſum recepit cæcus, ſed prius illi iuſſit dominus abire ad piſcinam natatoriam, dictã Siloë (quod Hebraici idiomatis vocabulum,Latinis miſſum ſignificat) vt illic oculos aqua ablueret, atque ita demũ viſum reciperet. [f] Fecítq; per omnia promptè obediẽs cæcus,quod iuſſerat dominus: abiit ad piſcinam lutũ habens poſitum ſuper oculos, aqua piſcinæ eos lauit: & viſu recepto, gaudens rediit. Potuerat ſanè dominus ſolo verbo(vt aliàs frequẽter fecerat)miraculum iſtud quoque patrare,ſed ſputum & lotionem piſcinę adhiberi voluit,vt in miraculo ſimul myſteriũ ſignificaret reparationis humanæ.Cæcus enim iſte,genus humanum ignorantiæ cæcitate ab origine ſua miſerum ſignat.Sputum ex ore Chriſti,ſpiritum ſanctum deſi-

a Venit nox, quando nemo poteſt operari.

b Quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi.

c Hoc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo,

d & liniuit lutum ſuper oculos eius,

e & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur miſſus.

f Abijt ergo et lauit, & venit videns.

deſignat,qui ex patre per filium,quaſi ex corde per os procedit.Hoc ſputum in terram proiectum eſt, quãdo in vterum virginis deſuper miſſus ſpiritus ſanctus aduenit: & tunc maſſa luti ex ſputo facta eſt,quando per virtutẽ ſpiritus ſancti verbum caro factum eſt,ex virgine matre.Hoc ſputum ſuperlitum eſt oculis cæci, quando Chriſtus homo docendo & operando mirabilia, quaſi illuminantem medicinam admouit cordibus.Sed non fuit plenè cæcus curatus, donec in piſcina Siloë lauaretur:quoniam non plene potuit ſanari genus humanum,donec lauaretur in baptiſmali lauacro aquæ & ſanguinis Ieſu ,qui verè miſſus dicitur.[a] Hoc itaque ſic patrato miraculo,vicini qui circa locum illum commorabantur, & qui eum viderãt prius ac probè nouerant, (erat enim médicus ad eleemoſynam à tranſeũtibus poſtulandam illic ſedere ſolitus)admirantes quod factum fuerat, dicebant adinuicem, de modo geſtæ rei perquirentes: Nónne hic eſt cæcus ille,qui hoc in loco ſedere ſolet ad poſtulandam à tranſeuntibus eleemoſynam? Et cùm alij eundem eſſe hominem dicerẽt,alij propter mutationem nimiam & ſecundum naturam planè impoſsibilem, negarent eundem eſſe,ſed alium aliquem illius ſimilem eſſe aſſererent,ille conſtanter veritati perhibuit teſtimonium, dicens, ſe eundem eſſe hominem qui vſque tunc cæcus à natiuitate fuerat,& mendicare illic ſolitus erat. Quo audito, admirantes nimium rei nouitatem,modum eum interrogant ſuæ curationis: illéque fideliter modum omnem & ordinẽ rei geſtæ eis narrat,dicẽs, hominem illum qui vulgato nomine Ieſus dicitur,luto vnxiſſe oculos ſuos,ac deinde ad natatoriam Siloë lauandum miſiſſe, lotúmque quantotius viſum integrum recepiſſe.[b] Cupientes autem huius facti authorem cognoſcere, interrogauerunt, quiſnam aut vbinam eſſet ille qui id fecerat. Verũ cæcus neſciens quò abiiſſet dominus,reſpondit,ignorare ſe vbinam ille eſſet.[c] Audiẽtes hæc quidam ex iis qui aderant, adduxerunt cæcum illum ad Phariſæos: vel quod eorũ partibus fauebant, vt ex facto aut facti circũſtantia aliquid quærerent calũniæ,quo,priuſquã

latius

a Itaque vicini & qui viderant eũ prius, quia mendicus erat, dicebant: Nõne hic eſt qui ſedebat & mendicabat? Alij dicebãt, Quia hic eſt. Alij autẽ, Nequaquam ſed ſimilis eſt ei. Ille verò dicebat Quia ego ſum. Dicebãt ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi? Reſpondit. Ille homo qui dicitur Ieſus, lutũ fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriã Siloë, & laua. Et abij, & laui, & video.

b Et dixerũt ei: Vbi eſt ille? Ait, neſcio.

c Adducũt ad Phariſæos eum qui cæcus fuerat.

latius ſpargeretur, obfuſcaretur miarculi gloria: vel propter admirationem, vt audirẽt quid hac de re illi iudicarent. [a] Erat autem dies ſabbati, in quo lutum fecerat, & luto cæcum ſanauerat domiuus, vnde calumniæ anſam veriſimiliter acceptura erat Phariſæorum impia cæcitas. [b] Exhibitus itaque homo ille ante Phariſæos, iterum interrogatur ab eis, quonam pacto à ſua cæcitate curatus viſum recepiſſet. [c] Interrogatus verò, ingenuè confeſſus eſt in publico concilio veritatem, nihil illorum perſonam vel authoritatem reueritus, dixitq; eis per omnia, vt iam antè interrogãtibus reſponderat, hominem illum, qui vulgo Ieſus dicitur, ſibi lutũ poſuiſſe ſuper oculos, ad deinde poſt ablutionẽ in aqua Siloë viſum integrum ſe recepiſſe. [d] Quidam itaque ex Phariſæis, quorũ erat erga Chriſtũ irreconciliabile odium, & animus in cæcitate obduratus, ne tãto quidem támque euidẽtiſsimo ſigno quicquam emolliti, ad calũniam detorſerunt illud in quo Deum patrẽ & eius filium Ieſum collaudare debuerunt: dicentes, fieri non poſſe, vt homo iſte à Deo miſſus eſſet, qui ſabbatum violaret, in ſabbato curans hominẽ. [e] Alij verò, quorum erat mens ſanior, & minus corruptum animi iudicium, ſigni claritate permoti, velut refellẽtes priorum calumniam, dicebant: Si peccator eſſet homo iſte, & ex Deo non eſſet, nunquã per eum tot ac tanta ſigna Deus operaretur. Factaque eſt inter eos diſſenſio, aliis in bonam, aliis in malam partem de Chriſto loquentibus. [f] Ipſum itaq; hominem qui ſanatus fuerat, callidè interrogãt aſtuti Phariſæi, vt ſuam ipſe de Ieſu proferret ſententiã. Tu, inquiunt, quid ſentis de eo, qui tibi viſum reddidit? Scilicet hoc quærebant impij, vt ſi quidem cæcus ipſe qui beneficiũ à Chriſto acceperat de eo malè loqueretur, aut vt minimum benè loqui non auderet (quòd futurum ſperabant) refellerẽt illos qui in miraculo Chriſti gloriam prædicabat, cùm ad ipſos nihil attineret. [g] At ille curatori ſuo non ingratus, aut beneficij immemor, nihil pertimeſcens Iudæorum poteſtatẽ, ingenuè confeſſus eſt veritatem, palàm omnibus affirmans, Chriſtum eſſe virum ſanctum & magnum

a Erat autem ſabbatum, quãdo lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius.

b Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi quomodo vidiſſet.

c Ille autem dixit eis: Lutum mihi poſuit ſuper oculos & laui, & video.

d Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo à Deo qui ſabbatũ non cuſtodit.

e Alij autẽ dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter eos.

f Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos?

g Ille autem dixit: Quia Propheta eſt.

gnum

gnum coram Deo, miſſum ab eo ad erudiẽdos homines in viam ſalutis. [a] Cùm autem hunc audirent non loqui ſibi placentia, ac præter opinionẽ ſuam reſponſum aliud ab eo accepiſſent, nihil facientes cæci teſtimonium, necdum credere voluerũt veritatem patrati miraculi. Et cùm non haberent cauſam honeſtam tergiuerſandi, ipſo in quo miraculum oſtenſum erat præſente ac teſtimonium perhibente veritati, quaſi tempus redimere cupiẽtes, negauerunt hominem illum verè cæcum fuiſſe, & à cæcitate curatum: [b] atq; huius rei probandæ gratia, parẽtes eius in concilium aduocari iuſſerũt. Quos, cùm aduenißent, ita interrogant: Perhibete teſtimonium de homine iſto, num filius veſter ſit, & num verè à natiuitate (vt aſſerit ipſe) cæcus fuerit. Quòd ſi ita eſſe dixeritis, modum quoq; nobis ſimul exponite, quo viſum receperit. Ad hoc enim vos huc modo aduocauimus, vt rei huius ex vobis certam diſcamus veritatẽ. Sic illi rem eandem, & multorũ efficaci teſtimonio ſatis comprobatam, iterum iterúmque interrogant, alicũde aliquid inuenire ſperantes, quod traherẽt in calumniam, & quo obſcurarẽt miraculi gloriam. [c] Interrogati verò parentes homines cæci, Iudæorum inſidias metuẽtes, cautè reſponderũt, dicẽtes: Quòd hic filius ſit noſter, negare nequaquam poſſumus: itẽ & quòd cæcus natus ſit, neq; hactenus vnquam viderit, ſcimus: duo hæc, ſicut certo nouimus, ita conſtanter teſtificamur. [d] Cæterũ de eo quod poſterius nos interrogaſtis, nẽpe de modo quo à cęcitate ſua curatus viſum receperit, nos certum nihil habemus, neq; item quis ſit qui eum curauit nouimus: propter quod, his de rebus teſtimonium perhibere nõ valemus. [e] Hæc ſi ſcire deſideratis, ab ipſo melius diſcere poteritis, ipſum interrogate. Non enim puer eſt, aut minoris ętatis quàm vt teſtimonio perhibendo ſufficiat: ipſe de ſe & iis quæ ſibi acciderunt loquatur. [f] Hæc autem ita cautè dixerunt parentes cæci illius, iram metuẽtes Iudæorum: qui conſpiratione facta, ex conſenſu plurium decreuerant, vt ſi quis Ieſum palàm cõfiteretur eſſe Meſsiam, tanquã mendax & blaſphemus extra ſynagogam eiiceretur,

&

a Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuiſſet & vidiſſet,

b donec vocauerunt parentes eius qui viderat, & interrogauerũt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter, quẽ vos dicitis, quia cæcus natus eſt: quomodo ergo nunc videt?

c Reſponderũt eis parẽtes eius, & dixerũt: Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt.

d Quomodo autem nūc videat, neſcimus, aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus.

e Ipſum interrogate, ætatem habet, ipſe de ſe loquatur.

f Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iã enim cõſpirauerãt Iudæi, vt ſi

& à communi Iudæorum commercio abſcinderetur, tanquam indignus qui cũ populo Dei connumeraretur, quæ apud Iudæos extremæ erat ignominiæ nota. [a] Ob hoc videlicet ſibi metuentes parentes cæci illius dixerũt: Filius noſter ex ætate ſufficiés eſt perhibere de iis quę ſibi acciderunt teſtimonium, ipſe de eis interrogatus loquatur, non opus eſt vt pro eo nos loquamur. Nõ enim id dicebant parentes, quaſi filio malè volentes, aut in periculũ eum volentes adducere: ſed quia vtilius exiſtimabãt, ſolum ipſum, quàm ſe cum eo pariter venire in periculum. [b] Cùm ergo neque hac via quicquã inuenire potuiſſent rationabile, quo detraheretur miraculo, dimiſsis parentibus, rurſum vocari ad ſe iubẽt illum qui fuerat cæcus: ac iam maiori quàm antè ſeueritate illum aggredientes, vt metu perterritum contra veritatem & conſcientiam loqui compellerent, ita dixerunt ei: [c] Nos authoritate noſtra qua fungimur vice Dei, hoc à te exigimus, vt per cõfeſsionem veritatis, quam hactenus extorquere à te nõ potuimus, Deum glorifices: vt miraculi huius gloriã, non peccatori homini, ſed Deo ipſi aſſcribas. [d] Nos enim certò ſcimus, hominem iſtum à quo te dixiſti curatum, peccatorem eſſe, atque à Deo alienum: & ob hoc à te noſtra authoritate exigimus, vt neges quod prius affirmaſti, illum eſſe ſanationis tuæ authorem, ſed Deo ipſi quicquid id eſt aſſcribas, acceptumq́ue referas. [e] Sic adiuratus homo ille qui cæcus fuerat, videns ſibi parari malum, ſi apertius aliquid in Chriſti commendationem loqueretur, ita temperauit reſponſum, vt nec apertè Chriſtum commendaret, nec illorum ſententiam iniquam approbaret, dixítq; eis: [f] Quòd is qui me ſanauit homo peccator ſit, & à Deo alienus, non ſcio: & ſi vos, vt dicitis, certò id ſcitis, ego non item compertum habeo: neq; mea refert, ea de re diſputare aut definire, quæ ſoli Deo certò poteſt eſſe cognita. [g] Vnum hoc ſcio, quòd in meipſo expertus didici: illudq́ue vt ſcio, ita & confiteor, quòd cũ à natiuitate cæcus fuerim, modo viſum habeam. [h] Necdum verò quieſcentes illi improbi, rem iam ſæpe narratam, quaſi nunquam auditam, denuò

quis eum cõfiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogã fieret.

a Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatẽ habet ipſum interrogate.

b Vocauerunt ergo rurſum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei:

c Da gloriam Deo.

d Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt.

e Dixit ergo eis ille:

f Si peccator eſt, neſcio.

g Vnum ſcio, quia cæcus cùm eſſem, modo video.

h Dixerunt ergo illi: Quid tibi fecit? quomodo aperuit tibi oculos? Reſpõdit eis:

interrogãt, dicentes: Quonam modo te ſanauit homo ille, aut quid fecit tibi quo viſum reſtituit? Ille videns non aliud quàm calumniam ſtruere inuidos, totiéſque iam eadem repetere, iuſta quadã indignatione aduerſus illorum improbitatem commotus dixit eis: [a] Iam ſępe dixi vobis, & quis me curauerit, & quonam modo curauerit: & vos iam iſta non ſemel, tam ex aliis, quam ex me, audiſtis. Quorſum attinet, iterũ eadẽ de re interrogare, perinde quaſi hactenus nihil audieritis? [b] An ideo fortè iterum audire iſta deſideratis, vt in eum credẽtes, eius efficiamini diſcipuli? Si credere vultis in eũ, dilucidè ſatis miraculum vobis iam expoſui: ſi non vultis, ſuperuacaneũ fuerit eadem repetere. Qui enim ſecundo & tertio narranti nõ credidiſtis, nec ſi quarto narrauero, credetis. [c] Hoc autẽ verbo cæci paulo ſtomachoſius prolato, vehementer aduerſus eum indignati Phariſæi, quaſi probrum & cõuitium inſigne in eum iacientes, dixerunt: Tu ſi voles, homo ſceleſtus & miſer, magi illius & ſeductoris efficiaris diſcipulus. Abſit autem, vt nos illius vnquam efficiamur diſcipuli: ſed Moſi permanebimus diſcipuli, qui nobis legem dedit, cuius & profeſſores ſumus. [d] Nos certò ſcimus, Diuinarum ſcripturarum authoritate edocti, Moſem fuiſſe cum Deo familiariter colloquutũ, quomodo loqui ſolet amicus ad amicũ, & ab eius ore legem quã profitemur accepiſſe. [e] De hoc autẽ homine, certum nihil nouimus, quis ſit, vel vnde venerit: eamque doctrinam, quam loquitur, vnde acceperit, neſcimus. Nos igitur certa incertis pręeligẽtes, & ſecura dubiis, Moſi adhęremus, illũ refugimus. Sic impij illi verè iudicio cæci, cui ſe exiſtimãt maledicere, optima benedictione benedicũt: in ſe verò maledictionem impiiſsimã proferũt, quæ & in hodiernum vſque diem in eis iuſto Dei iudicio operatur. [f] Quantò autem impij illi Phariſæi aduerſus Chriſtum magis ſæuiebant, & blaſphemabãt, tanto cæcus ille ad Chriſti defenſionem magis animabatur. Vnde cõſtantior iam factus, ita illis aperta confeſsione reſpondit: [g] Eſt id profectò admirabile, vos necdum ſcire de Ieſu vnde ſit, & vnde venerit, poſtea quam

a Dixi vobis iã, & audiſtis, quid iterum vultis audire?

b Nunquid & vos vultis diſcipuli eius fieri?

c Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis: nos autem Moſi diſcipuli ſumus.

d Nos ſcimus quia Moſi loquutus eſt Deus.

e Hunc autem neſcimus vnde ſit.

f Reſpondit ille homo, & dixit eis,

g In hoc enim mirabile eſt: quia vos neſcitis vnde ſit, & aperuit meos oculos.

quam tam euidens & magnum in apertione oculorũ meorum vidiſtis miraculum. Nam ex hoc meritò cognoſcere debebatis, verè ipſum à Deo veniſſe. [a] Illud enim pro comperto habemus, quòd Deus homines peccatores nõ ſolet in eiuſmodi exaudire: vt eis concedat in nomine ſuo facere diuinę virtutis miracula, ſed homines Deum vera pietate colentes, eiuſq; voluntatem diligentiſsimè perficiẽtes (cuiuſmodi fuerunt olim ſancti Patriarchæ atque Prophetæ, aliique plurimi iuſti) huiuſmodi Deus ſolet audire nomẽ ſuũ inuocantes: & per hos in nomine ſuo mirabilia huiuſmodi ſigna ſolet operari. [b] Neque verò vulgare eſt ſignũ iſtud, quòd in me patratum videtis, ſed admodum ſingulare & rarum, quale ab initio mũdi vix legitur factum eſſe, nempe vt homini in cæcitate nato quiſquam vnquam viſum cõtulerit à natura denegatum. Proinde ex tam euidenti ſigno omnem naturæ virtutem tranſcẽdente, ſatis cognoſcere poterũt qui æquo ſunt iudicio, quòd à Deo venerit Ieſus. [c] Nam ſi (vt vos dicitis) peccator & à Deo alienus eſſet homo iſte, nõ tam præclarum ſignum æderet per illũ Deus: imò nec alia illa multo minora, quæ paſsim operari cognoſcitur, ad confirmationẽ doctrinæ ſuæ. Quum verò ita apertè pro Chriſti gloria ille loqueretur, non ferentes id Phariſæi, exprobrauerunt ei, dicentes: [d] Quid tu miſer & infœlix homo, qui totus natus es in peccatis (id quod vltio diuina in tua cæcitate teſtatur) nos docere præſumis, qui ſumus legis profeſſores, & ex profeſsione noſtra populi doctores? Sic per iræ impatientiam, cæco ſuæ cæcitatis irrationabiliter exprobrant miſeriam: cùm ab iis quæ à natura inſunt, nemo verè fit laudandus aut vituperandus. [e] Neque hoc contenti conuitio, addunt excommunicationis pœnam eiicientes eum à ſynagoga Iudęorum, & à communione Iudaicæ gentis, quaſi gentilẽ & alienum à Deo, ſeparant, non ob aliud, niſi quod Chriſti gloriam liberius prædicaſſet. [f] Statimque perlata ſunt ad dominum Ieſum quę cæco huic acciderant, quod tã fortiter pro ſua gloria egiſſet, quòdq; pro ipſius cõfeſsione eiectus eſſet extra ſynagogam: & miſe

a Scimus autẽ, quia peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

b A ſeculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.

c Niſi eſſet hic à Deo, nõ poterat facere quicquam. Reſponderunt, & dixerunt ei:

d In peccatis natus es totus, & tu doces nos?

e Et eiecerunt eum foras.

f Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum foras.

& miſericordia motus(vt ſolet erga eos miſericordia affici magis,qui ab hominibus conculcantur propter iuſtitiam)diligẽter eum quæ ſunt,vt conſolaretur, & amplius erudiret:[a] Quúmque eum inueniſſet, vt fidẽ eius notam faceret,& amplius firmaret, interrogauit eum,dicens:Credis tu in verum filium Dei,illum qui te per miraculum ſanauit?[b] Ille tametſi iam crederet, tamẽ quia perſonam non agnoſcebat eius qui ſe ſanauerat,reſpondens dixit:Optarem mihi demonſtrari hũc filium Dei qui me ſanauit, vt videndo credam in eum,eique debitas pro mea ſanatione gratias agã, & dignũ Dei filio honorem impendam.[c] Dixit ei Ieſus:Iam tu illum bene vidiſti per fidem,quẽ tam conſtanter ad tantam vſque inuidiam confeſſus es:& ego qui tecũ nũc loquor,ego ipſe ſum,quem oculis quoq; corporis videre deſideras,curator tuus.[d] Quo audito, ſtatim ille de corde bono bonam confeſsionem elicuit, dicens: Credo domine, te verè eſſe filium Dei, qui per diuinam virtutem me à cęcitate mea curaſti. [e] Nec verbo ſimplici contentus,etiam operis adiecit proteſtationem,coram illo ſe proſternens in terram, eúmq; ex toto cordis affectu,vt verum Dei filium, & à Deo in mundum deſtinatum adorans:vt per omnia pateret,cæcum iſtum ſicut in corpore viſus lumẽ corporeum acceperat,ſic & in anima ſpiritale lumen fidei à Chriſto accepiſſe.[f] Volens autem conſolari eũ dominus Ieſus,dixit ei: Per meum hunc in mundum aduẽtum,admirabile fiet inter homines diſcretionis iudicium:tale nimirum,vt qui ante cæci fuerant, per me fiant videntes:contra verò,qui prius videntes fuerant,iam cæci fiant. Talis in meo aduentu fiet viciſſitudo & commutatio rerum,vt qui antè ignorantes fuerant meam doctrinam audientes & videntes miracula,per fidẽ illuminentur in cognitione veritatis, id quod in tua ſanatione, quaſi in myſterio, volui oſtenſum:ij verò qui ſe iactant legis ſcientiam & veritatis cognitionem habere, per infidelitatem nolentes neque dictis neque factis meis habere fidem, mentis cæcitate replebuntur: id quod in Phariſæorum obſtinata incredulitate apparet euidentiſsime.

a Et cùm inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei?

b Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt domine, vt credam in eum?

c Et dixit ei Ieſus: et vidiſti eum, et qui loquitur tecum ipſe eſt.

d At ille ait: Credo domine.

e Et procidens, adorauit eum.

f Et dixit ei Ieſus: In iudicium ego in hunc mũdum veni, vt qui non vident, videant: et qui vidẽt, cæci fiant.

Audierunt

[a] Audierunt autem verba hæc quidam ex Phariſæis, qui illic cum ipſo aderant:& ſuſpicantes verbum hoc in ſe dici à Chriſto interrogauerunt eum, dicentes: Nunquid etiam nos cæci ſumus. Nunquid tu nos cæcos dicis,qui legis ſcientia eminemus?Reſpondit eis Ieſus:Si quidem in oculis veſtris cæci eſſetis,ſi veſtrã cæcitatem agnoſceretis,nõ haberetis culpam permanentem in vobis:medicum enim quæreretis,per quẽ à veſtra miſeria facilè curaremini. Nũc verò,quia nõ vultis cæcitatem veſtram agnoſcere, ſed gloriamini tanquam vidẽtes,in legis & veritatis cognitione:propter hoc videlicet permanebitis in peccato veſtro, quoniam morbi vitium ignorantes & ſanitatẽ vobis perſuadẽtes,medicum nec requiritis,nec admittitis.

a Et audierunt quidam ex Phariſæis,qui cũ ipſo erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci ſumus? Dixit eis Ieſus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis,q̃a videmus, peccatum ergo veſtrũ manet.

ANNOTATIONES CAP. IX.

V*Idit hominem cæcum à natiuitate.*)Quod in verbo illo(vidit)non ſimplex intelligendus ſit aſpectus, ſed cum attentione peculiari & defixione oculorum in eum,iuxta modum in Elucidatione à nobis expreſſum, annotarunt etiam Auguſtinus, Chryſoſtomus,& Theophylactus,addentes, diſcipulos hinc ſumpſiſſe occaſionem interrogandi. ¶*Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius?*) Videtur quæſtio hæc Apoſtolorum prima facie eſſe ridicula, quatenus innuere videntur,dubitare ſe,an propter peccatum propriũ homo ille natus eſſet cæcus:cùm per ſe euidens ſit,neminem poſſe peccare antequam ſit natùs.Verũ ſi rectè intelligamus quod dicitur, nõ apparebit ridiculum.Audierant,paralytico quem apud probaticam piſcinã dominus curauerat,poſt ſanationem dictum:*Vade,& iam noli peccare.*Vnde intellexerant,illum propter ſua peccata morbum illum contraxiſſe.Illius igitur memores,dum hunc à natiuitate cæcum vident præceptorem interrogant,num & huic iſta cæcitatis miſeria ſimiliter euenerit:& quia non videtur vllam apparentiæ habere veriſimilitudinem,quod propter ſuum peccatum cęcus factus eſſet,ſtatim adiiciunt,aut apparentes eius? Quaſi poſteaquam primũ nõ videtur rationi cõſentaneũ,vt ipſe ſuo id peccato meruerit,ad id quod proximè videri poſſit tranſeant:id eſt,ad parentum peccata.Vel vtrunque quaſi inconueniens proponũt,prius quidem ratione repugnãte,alterum verò lege declarãte,quòd filius non portabit iniquitatẽ patris. Atque ita enarrant Chryſoſtomus & Theophylactus, dicentes, diſcipulos potius loqui dubitando,quàm interrogando vel percunctãdo.

¶ *Neque hic peccauit, neque parentes eius.*) Ex quæſtione repetendum eſt illud, vt cæcus naſceretur. Non enim ſimpliciter iſtud verum eſt, niſi illud adiicias, in hunc ſenſum: Neque hic peccauit, neq; parẽtes eius peccauerunt, vt iſte cæcus naſceretur. ¶ *In natatoria Siloë.*) Natatoria, idem hîc dicitur, quod ſuprà cap. 4. piſcina. Idem enim eſt in vtroque loco Græcũ vocabulum κολυμβήθρα kolymbithra, quod nomẽ à natando formatur. ¶ *Itaque vicini et qui viderant eum prius.*) Quidam codices Latini non habẽt coniunctionẽ. Vetuſtiores & emẽdatiores habent conſentientibus & Græcis, Auguſtinus quoq;, & in textu, & in commentario, coniunctionem habet. In eo autem quod ſequitur: *Quia mendicus erat*, Græci codices habent: *Quia cæcus erat.* Verùm id non tam aptè loco quadrat. Non enim ita notus erat multis quia cæcus, ſed quia mendicus. Auguſtinus nobiſcum legit, itẽ & Theophylactus; quod non ſolum ex textu, verum etiã ex interpretatione liquet. Sic enim ait: Non temere autem hoc annotauit Euangeliſtà, quòd mendicus fuerit, ſed vt oſtendat ineffabilẽm miſericordiã domini, qua ſe ad infimos vſque demittat, ita vt & mendicum ſumma diligentia curaret. Et vt inde etiam diſceremus, ne contẽnamus minimos. ¶ *Extra ſynagogam fieret.*) Græcæ per nomen vnũ dicitur ἀποσυνάγωγος apoſynagogos, id eſt, eiectus, aut ſeparatus, aut alienus à ſynagoga, ſiue congregatione. Idémque erat apud illos eſſe apoſynagogum, quod Chriſtianis eſt eſſe excõmunicatũ: id eſt Eccleſiaſtica communione priuatum. ¶ *Si peccator eſt, neſcio.*) Quemadmodum annotarunt Chryſoſtomus & Theophylactus, nõ id per dubitationem profert cæcus iſte, vel per metũ, ſed vt ad euidentiam eos facti à verbis abducat. Quaſi diceret: nihil de hoc impræſentiarum dico, nihil pronũtio, nolo ſuper hoc modo verbis contẽdere. Certè factũ ipſum manifeſtum eſt, & negari non poteſt ad illius conſiderationem vos mitto, illud manifeſtè noui, & affirmare poſſum. Vnde illud: *Si peccator eſt, neſcio*, ſecundum dicentis intentionem tantundem valet, ac ſi dixiſſet: Quòd vos vt certum ſcire vos dicitis, eum eſſe peccatorem, id ego nequaquam approbo, hac in re, ego lõge ſecus ac vos iudico. ¶ *Nunquid & vos vultis diſcipuli eius fieri?*) Annotarunt ſancti doctores Auguſtinus & Chryſoſtomus, emphaſim particulæ, & qua ſemetipſum iam inter diſcipulos Chriſti annumerare cæcus iſte ſignificauit, quaſi dicat: Iã ego diſcipulus illius ſum. Nunquid etiã vos vultis fieri quod ſum ego? ¶ *Scimus, quoniam peccatores Deus non audit.*) Auguſtinus verbũ iſtud tanquam ab eo qui adhuc inunctus & cathecuminus, necdum plenè inſtructus in rebus diuinis, prolatum, nõ putat habere veritatem, adducens exẽplum humilis illius publicani, quẽ

Deus orantem audiuit. Poteſt tamen verbum illud cæci nō malè intelligi, de peccatoribus qui in propoſito perſeuerant peccandi. Quādo enim propoſitum mutant peccandi, & remiſsionem quærunt peccati, iam deſinunt eſſe & nominari peccatores, quemadmodū de publicano illo legitur, quòd deſcenderit iuſtificatus in domum ſuam. Atq; ita ſaluat à falſitate hoc verbū Theophylactus, addens & alterā ſententiam Deum non exaudire peccatores, ad operationem ſignorum, pro ipſis glorificandis, Chryſoſtomus cæcum iſta dicentē putat inniti ſententiæ illi, quam ſuprà quidam dixerant ex Phariſæis: *Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* Quaſi dicat: Opinio mea cum veſtra conſentit, verbo illi inhæreo, & vos in eo permanete. *Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* Si ergo confitemini Deum non exaudire peccatores, & iſte miraculū tam inſigne in me patrauit, quod omnem ſuperat virtutem humanā, & ex ſola diuina fieri potuit virtute, non poteſt homo ille (quod vos aſſeritis) eſſe peccator, ſed verus cultor Dei. ¶ *In peccatis natus es totus*) Secundū Auguſtinum & Chryſoſtomum, exprobrare hoc verbo illi voluerunt cæcitatem, perinde quaſi propter peccata cæcus eſſet. Inſipienter omnino, ait Theophylactus, cæcitatem ei obiiciunt, exiſtimātes, quòd quaſi maledictus & condemnatus eſſet ante natiuitatem, vt cæcus naſceretur, id quod ratione carebat. ¶ *Et procidens, adorauit eum.*) In hac adoratione cæcum agnouiſſe & profeſſum eſſe Chriſti veram diuinitatē, vt in Elucidatione indicauimus, teſtātur Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Theophylactus. ¶ *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc verò, &c.*) Iuxta ſententiam quam in Elucidatione poſuimus, pulchrè & Auguſtinus exponit, his verbis: Si cæci eſſetis, id eſt, ſi cæcos vos aduerteretis, ſi vos cæcos diceretis, & ad medicū curreretis: ſi ergo ita cæci eſſetis, nō haberetis peccatum, quia ego veni auferre peccatum. Nunc verò, quia dicendo videmus, medicū non quæritis, in veſtra cæcitate permanetis. Theophylactus aliam ponit duplicē intelligentiā, alteram de cæcitate corporali, alterā de ſpirituali cæcitate. Prior hæc eſt: Si per neceſsitatē naturæ excæcati eſſetis, venia vtcunque daretur vobis incredulitate laborantibus. Nunc autem, quia dicitis vos videre, & plane etiā ſpectatores facti eſtis miraculi huius in cæco, & adhuc incredulitate laborātes non digni eſtis venia, ſed peccatum veſtrū indelebile manet. Poſterior hæc eſt: Si eſſetis cæci, id eſt, imperiti ſcripturarū, non haberetis tale peccatum: id eſt, tam graue, quia per ignorantiā peccaretis. Nunc autem dicitis quòd videatis, & prudentes voſipſos & legiſperitos facitis, & ita per voſipſos condemnati eſtis, & maius habetis peccatum, quia ſcienter peccatis.

M 2 Elucida

ELVCIDATIO CAP. X.

Amen amē dico vobis: qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliūde: ille fur eſt & latro. b Qui autē intrat per oſtiū, paſtor eſt ouiū. c Huic oſtiarius aperit, et oues vocem eius audiunt. d Et proprias oues vocat nominatim, et educit eas. Et cū proprias oues emiſerit, ante eas vadit: et oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. e Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocē eius.

VT autem per ſimilitudinem voſipſos vobis depingam, illud in veritate vobis affirmo, quòd quiſquis in ſtabulum ouium non intrat per oſtium (qui eſt introitus regius) ſed per alium introitum ſuſpectum, vtpote per feneſtram aut occultum alium aditum aſcendendo ingreditur, is non paſtor eſt ouium, ſed fur potius & latro, qui non venit ad oues niſi vt furetur aut mactet.[b] Qui verò per oſtium, per rectum & apertū introitum ingreditur in ouile, is vel ex hoc ipſo cognoſcitur eſſe paſtor ouiū. [c]Nimirum huic ipſe ianitor & ſtabuli cuſtos oſtium aperit, atque in ſtabulum ipſum inducit. Nec tantum oſtiarius illum agnoſcit, verum etiam oues eundē ſuſcipiunt, vocem eius audiendo agnoſcentes.[d] Ipſe verò viciſsim ita pernouit ſingularum ouium vultus & conditiones, vt vocare eas poſsit nominatim, atq; ita vocando nominatim ſingulas, educit eas de caulis, ad ſalutaria paſcua. Cùm autem viſum ei fuerit, illas foras emittere, ſiue educere ad paſcua, non ipſe domi otioſus deſidet, ſed cum grege exiens totum gregē antecedit, vt ſuo ducatu viam illis commonſtret, pedum quoq; tenens paſtorale, vt aberrantes ſequi ſe cōpellat: & ſimplices ouiculæ nihil formidātes aut ſuſpicātes mali, paſtorem antecedentē ſequuntur cū fiducia, eò ꝙ vocem eius agnouerīt, ex qua paſtorē bonum à noxio lupo aut fure diſcernere norunt.[e] Eum verò qui non eſt ipſarū proprius paſtor nō ſequuntur, licet præcedentem & vocantem, ſed magis fugiunt ab eo, eo ꝙ non agnouerunt vocem extraneorū & ignotorum: propter quod, meritò formidātes malum, aufugiunt. Videlicet ouile iſtud Eccleſia eſt, oues ſunt populus domini. Qui non per oſtium intrant, ſed aliūde aſcendunt, fures & latrones, illi ſunt, qui non propter Dei gloriā recta intētione populi dominici regimen & curam ſuſcipiunt, ſed propter ambitionē aut quæſtum, aut aliquid huiuſmodi. Qui per oſtiū intrāt, paſtores veri, ij ſunt qui populū domini curant, non niſi propter

propter gloriam Dei,& animarum ſalutem,intētione ſyncera.His oſtiarius aperit, quia ſpiritus ſanctus (qui cuſtos eſt ouilis huius) vel pater ipſe cœleſtis,vel ipſe etiam filius,ad ſubditorũ curam adminiſtrandã tales excitat & inducit. Et huiuſmodi veros paſtores oues,id eſt,electi Chriſti audiũt,credendo & obediēdo ſanctis eorũ monitis.Hi nominatim vocant oues: quia ſigillatim ſingulorum curam gerentes,ad bonũ exhortantur ſingulos.Præcedũt quoq; oues quas educunt ad paſcua,quia per viam ſalutis ambulantes exēplum conuerſationis bonæ ſe præbent ſubditis. Illos autē qui non ſunt veri paſtores,non audiũt oues:quonia electi domini,hæreticos & ambitioſos homines praua docentes non ſuſcipiunt,ſed reiiciunt.[a] Hanc parabolam peruerſis illis,Scribis atq; Phariſæis Chriſtus propoſuit,volens ſic illos ſibi ante oculos ponere,& qui eſſent craſſa ſimilitudine declarare. Verùm illi propoſitam parabolam nō ſatis intelligebant,tametſi in genere nōnihil ſuſpicarētur iſta aduerſum ſe dici. [b]Explicare itaq; volens dominus Ieſus obſcurã parabolam,dixit eis manifeſtè:Ego ſum oſtiũ iſtud ouiũ, cuius pauloante memini.Per me,vt per oſtiũ,introire debet in Eccleſiã fideliũ,quiſquis velvt paſtor oues curare,vel vt ouis in ſtabulo iſto curari voluerit.Nemo niſi per fidē nominis mei rectè introire poterit in ouile Eccleſiæ,ſiue tanquam paſtor vt regat,ſiue tanquam ouis vt paſcatur & regatur.[c]Et multi quidē in præteritis ſæculis ſe ingeſſerũt ad regimē & gubernationem populorũ:ſed quotquot ante me venerunt, quicunque ſine me abſq; fide & amore nominis mei acceſſerunt ad populi gubernationē,qui non ex intētione recta,nō ex fide & amore erga Deũ ſe ingeſſerũt prælationi & gubernationi populorũ (cuiuſmodi olim extiterũt ſenſu carnis ſuæ inflati Philoſophi,& idolorũ pontifices,& cuiuſmodi etiãnũ vos eſtis,qui gloriam Dei nō quæritis) nō merentur paſtorũ titulo inſigniri:[d] ſed fures magis & latrones dici debēt,qui non per oſtiũ propter fidem & amorē Dei introierũt intentione recta vt proſint ouibus,ſed per feneſtram aſcenderũt aliunde intētione ſiniſtra, non vt proſint,

a Hoc prouerbiũ dixit eis Ieſus: Illi autem non cognouerũt, quid loqueretur eis.

b Dixit ergo eis iterum Ieſus: Amē amē dico vobis, quia ego ſum oſtiũ ouiũ.

c Omnes quotquot venerunt,

d fures ſunt & latrones.

a Sed non audierunt eos oues. ſed vt præſint:non vt paſcant,ſed vt paſcantur. [a] Verùm qui ad vitam æternam ſunt prædeſtinati, electi Dei,non obedierunt illis praua & inania docentibus: ſed diuinam magis inſtructionem ſequuti,ab illorũ ſunt ſeductione præſeruati.Iterum dico: [b] Ego verè ſum illud oſtium,per quod oues dominicæ intrare debent in ſtabulum & caulas eccleſiæ. [c] Quiſquis in me pura deuotione credẽdo,ſic per me introierit in vnitatem eccleſiæ,veram ille conſequetur ſalutẽ animæ & corporis.Eritque eorũ qui ſic mihi ſe adiunxerint tanta libertas & ſecuritas, vt quocunque ſe vertant, ſiue ingrediantur ad vitæ contemplatiuæ officia,ſiue egrediantur ad vitæ actiuæ opera,ſiue ingrediantur ad ſemetipſos,ſiue egrediantur ad proximos,nuſquã defectum patientur:ſed paſcua vbique inuenient,vbique eis aderit gratia mea,quæ eos ingredientes & egredientes deducet,custododiet, nutriet,& mali nihil vſquã pati ſuſtinebit. [d] Qui in ouili hoc furem agit & latronẽ nõ ad aliud ingreditur ouile,niſi vt furetur oues legitimo ſuo domino:eaſque furto abductas mactet,& laniãdo interficiat.Sic qui per ambitionẽ aut auaritiã ſe ingerũt in prælationẽ populi,non prodeſſe quærunt,ſed ſua tantum lucra cum ſubditorũ grauiſsimo damno ſpectant. [e] Ego verò non ſic veni in mundum vt perdam,ſed vt ſaluem:non vt vitam auferam:ſed vt vitã conferam fidelibus ouiculis meis, vtque in vita vera confirmentur, & creſcendo proficiant magis ſemper ac magis abundantes,donec à vita iſta gratiæ ad perfectum transferantur gloriæ ſtatum. [f] Non ſolum autem oſtium ego ſum, ſed paſtor etiam ouium,& paſtor verus ac bonus, paſtoris rectè adimplens officium. Bonus enim paſtor meritò ille cenſeri debet,qui pro ſalute ſibi creditarum ouium paratus eſt vitam iſtam corporalem impendere,mortemque ſuſcipere:vbi Dei gloria & ouium ſalus poſcerit:cuius ego poſt paululum in memetipſo perfectum exemplum demonſtrabo. [g] Non ſic autẽ mercenarius,qui non ex Dei amore aut zelo ſalutis animarum gratis oues curat, ſed ex ambitione tantum vel auaritia,quaſi ob mercedem temporalis honoris aut

b Ego ſum oſtium.

c Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, et paſcua inueniet.

d Fur non venit, niſi vt furetur, et mactet, et perdat.

e Ego veni vt vitam habeant, et abundantius habeant.

f Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.

g Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ.

aut quęſtus, qui verè paſtor dici non meretur, vtpote cuius non ſunt propriæ oues illę quas videtur curare, cùm non ex animo illarum curam gerat, nec eas in viſceribus habeat, vt habere eas debet paſtor verus.

[a] Hic, inquam, mox vbi videt periculum aliquod imminere, vbi quempiam ſentit in gregem ſuum deſæuire, timens pelli ſuæ non gregi, ſubducit ſeſe à cura gregis, ac fuga ſuæ vitæ corporali conſulit: nihil interim conſiderans, quanta per eius abſentiam damna in grege cōtingant, modo ipſe alicubi extra periculum tutus latitet. [b] Sicque abſente paſtore, perſequutor Diabolus aut malignus quiſpiam ſeductor, ſiue oppreſſor, in morem lupi abſque reſiſtentia pro ſuo libito ſæuit in gregem, quaſdam ex ouibus rapiendo & deglutiendo, alias diſpergendo per deuia. [c] Idcirco, inquam, fugit imminéte periculo mercenarius, quoniam non verus paſtor eſt ex animo, ſed mercenarius tantum, non niſi amore temporalis mercedis & lucri quod ex grege quærit, populum regēs: [d] & quia vel nulla omnino vel nimis exigua eſt ei cura de ſalute ouium, pluris faciens ſuam vnius corporalem vitam, quàm ſuarum omnium ouium ſalutem, ſiue corporalem ſiue ſpiritualem. [e] Ego (vt quod veriſſimum eſt atque certiſſimum, frequenti replicatione vobis volentibus nolentibus inculcem) verè paſtor ſum bonus, [f] nimirum oues meas & ipſe probè cognoſcens, & ab eis viciſſim cognitus. Ego enim ſecundum approbationis notitiam noui eos, qui ſunt ad vitam prædeſtinati: & iidem me agnoſcunt paſtorem ſuum, voci meæ credentes & obedientes.

[g] Quemadmodum pater meus me cognouit, quis ſim, méque gratum habet & diligit filium ſuum, & ego viciſſim patrem meum cognoſco & diligo: ſic ego Dei & hominum mediator, & paſtor bonus humani generis, oues meas electos meos cognoſco, & diligo, & viciſſim ab eis ego cognoſcor, diligor, & audior. [h] Et tanta eſt illa, qua meas oues proſequor dilectio, vt pro earū ſalute volenti animo daturus ſim in mortē animā meam, pro eis à morte redimēdis mortē in memetipſo, cuius nō ſum debitor ſuſcepturus.

a videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit:
b & lupus rapit, & diſpergit oues.
c Mercenarius autē fugit, quia mercenarius eſt,
d & non pertinet ad eum de ouibus.
e Ego ſum paſtor bonus:
f & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ.
g Sicut nouit me pater, et ego agnoſco patrē.
h Et animam meam pono pro ouibus meis.

a Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili,

[a] Neque verò ſolæ oues iſtæ domus Iſraël ad ouile meum ſpectant, tametſi primas ipſæ obtineāt: ſed inſuper & alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, ex hac generatione Iſraëlitica, nempe prædeſtinatos ex populo gentium per orbem vniuerſum diſperſarum.

b & illas oportet me adducere:

[b] Quas oues poſterius, vbi à mortuis reſurrexero, atque ad cælos aſcendero, per Apoſtolos meos (quos mittam in mundum vniuerſum) ex diſperſione errorum & vitiorum cōgregabo, iuxta patris decretum, in ſtabilitatem Eccleſiæ, & veræ fidei vnitatem:

c & vocē meā audient:

[c] & ipſi vocantem me per Apoſtolos meos auidiſsimè audient, animóque promptiſsimo voci meæ credent & obedient, toto corde excepturi eam quæ ipſis offeretur ſalutem.

d & fiet vnū ouile & vnus paſtor.

[d] Atque ita fiet, poſt meam in cælos aſcenſionem, ex duobus populis nempe Iudæorum & Gentium, vnum ouile, vna ſancta Eccleſia: cuius vnus paſtor, & caput vnum, ego ero, Ieſus Chriſtus, duos populos mihi adiuncturus in vno corpore.

e Propterea me diligit pater, qa ego pono animā meam,

[e] Et hæc eſt meo patri peculiaris ratio me diligendi quòd pro ſalute ouium, quas ipſe mihi dedit regēdas, ex obedientia erga ipſum & charitate erga illas, animo volenti ſim daturus in mortem animam meam:

f vt iterum ſumam eam.

[f] non ſic tamen vt omnino in morte permaneam, ſed iterum eam poſt triduū reſumam, rediturus poſt tridui tempus ad vitam, anima reducta in corpus, eique reunita, vt antè fuerat. Quod enim pro meis ouibus ſum moriturus ad tempus diſpenſatorie hoc agetur mea voluntate, non ſimplici & abſoluta neceſsitate.

g Nemo tollit eam à me.

[g] Nemo ſi quidem violenter à me, tanquam inuito & nolente, poſsit auferre animam meam, cuiuſcūque tandem potentiæ fuerit, vel poteſtatis: ita vt me nolente mortem ſuſcipere, mortem mihi poſsit nolenti inferre.

h ſed ego pono eam à meipſo.

[h] Sed ego pro mea voluntate vltrò animam meam patiar à corpore ſeparari, hāc permiſſurus (vbi mihi viſum fuerit) hoſtibus poteſtatem ſiue licentiā.

i Poteſtatē habeo ponendi eā:

[i] Ego enim vt verus Deus, ſimul & verus homo, poteſtatem habeo plenam & liberrimam (quā nullus poſſit cogere vel impedire) vt cùm mihi viſum fuerit, & quandiu mihi viſum fuerit, animam meam patiar à corpore ſeparari:

k & poteſtatē habeo iterū ſumendi eam,

[k] ac deinde, cùm mihi viſum fuerit,

rit,iterum animam aliquandiu diſpenſatoriè ſeparatam,poteſtatiuè in corpus reducam,rurſumq; corpori vniam : ſicque poteſtatē habeo & mortem ſuſcipere,vt verus homo , & à morte pro meo placito reſurgere,vt verus Deus:cui ſoli id propriè cōpetit habere mortis & vitæ plena cum poteſtate dominium. [a] Atque vt ita faciam, nempe vt prius animam meam ponam pro ſalute ouium,ac deinde eam reſumam,mihi mandauit pater meus,qui me miſit in mūdum: ipſius voluntas & decretum me ad voluntariè moriendum inducit,non vlla neceſsitas aut humana poteſtas compellit. [b] Quibus verbis ita à Chriſto magno affectus ardore prolatis, rurſum in turba audientium ortum eſt diſsidium,diuerſis diuerſa de Chriſto , vt ſentiētibus,ita & pronūtiantibus. [c] Multi enim ex ipſis,Phariſæorum atque Scribarū errori fauētes , nihil emendati verbis Chriſti,dicebāt cum execratione aliis qui videbantur eum audire attentius: [d] Dæmonio obſidetur homo iſte,& ex dæmonio quæ dicit loquitur, prorſus irrationabilia,& à cōmuni ſenſu aliena.Quorſum attinet , huic dæmoniaco ſic attentum præbere auditum? [e] Nonnulli verò, quorum erat erga Chriſtum non malus animi affectus, ad cōfutandum priorum illorum maledictas calumnias,dicebant : Profectò verba iſta,ſi attentè audiantur, & expendantur cū iudicio,manifeſtè arguunt non agitari dæmonio illū qui ea pronūtiauit:neq; vanū videri debet, tā prudētibus,tā efficacibus,tā cohærentibus & rationabilibus ſermonibus,aurem vtrāq; & totū animi affectū apponere. [f] Quod ſi quem non moueant verba,opera illē conſideret,quibus verba comprobantur , vtpote cæci nati illuminationem,& alia huiuſmodi pleraque:quę non dæmonis,ſed diuinæ virtutis efficacia videntur eſſe teſtimonia. [g] Factum eſt autem poſt aliquantum temporis,vt celebraretur apud Iudæos Hieroſolymis feſtum innouationis & dedicationis templi , quod à Iuda Machabæo inſtitutū fuerat celebrari,in memoriam emundationis & ſanctificationis templi à gentibus prophanati , & ab ipſo effectu feſtum dicebatur encœniorum,id eſt, innouationis:eo quòd tunc quaſi

a Hoc mandatum accepi à patre meo.

b Diſſentio iterum facta eſt inter Iudæos propter ſermones hos.

c Dicebant autem multi ex ipſis:

d Dæmonium habet, & inſanit,quid eū audítis?

e Alij dicebāt Hæc verba non ſunt dæmonium habentis.

f Nunquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?

g Facta ſunt autem encœnia in Hieroſolymis,

1.Mac. 4.

a & hyems erat.

innouata fuerũt templum & ſancta. [a] Celebrabatur autem hoc feſtum in hyeme, iuxta tẽpus illud in quo à Iuda Machabęo facta fuit templi ſanctificatio, nempe quinta & viceſima die menſis noni, qui Casleu dicebatur, & reſpondet ex parte decembri.

b Et ambulabat Ieſus in templo; in porticu Salomonis.

[b] In hac feſtiuitate ambulabat Ieſus palàm in tẽplo, quaſi paratum ſe offerens ad docendum & benefaciendũ: non quidem in ipſis templi interioribus, vbi quieta eſſe omnia debebant, ambulabat, ſed in anteriori parte, in porticu Salomonis.

c Circundederunt ergo eũ Iudæi, & dicebãt.

[c] Hic itaque deambulantem dominum Ieſum, improbi Iudæi quieſcere non valentes præ inuidia, ex omni parte circuncinxerunt: partim ne effugere poſſet ab eorum manibus, partim præ auiditate calumniandi & rapiendi aliquid ex ore eius: & quaſi edoceri ſe velle ſimulantes, ac de veritate fieri certiores, dixerunt ad eum:

d Quouſq; animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm.

[d] Quandiu tandem animos noſtros ita dubios & ſuſpenſos tenebis, & quaſi perdi moleſta dubitatione ſines, vt neſciamus quid de te ſentire aut agere debeamus? Si verè tu es ille Meſsias nobis in lege & Prophetis promiſſus, palàm id nobis & clarè lucidéque, ſine verborum ambagibus, aut parabolarũ inuolucris (quibus tua ferè ſoles inuoluere) expone: vt ſi quidẽ vera cõprobentur quæ dicis, credamus tibi: ſin aliter ex authoritate refutare poſsimus ſigmẽti mẽdaciũ.

e Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis, & non creditis.

[e] Sciẽs verò dominus, quod nõ diſcẽdi animo quærerẽt, ſed tantũ ſtudio calumniandi, ita eis reſpõdit: De eo quod vos nũc ex me interrogatis, iam ſæpe dixi vobis, clarè vtique ſatis & lucide, & quis ſim, & à quo venerim, & quorſum miſſus ſim in mundum. Sed vos meis ſermonibus fidẽ præſtare pertinacibus animis recuſatis, neque aliud, quam calumniam & contradictionem aduerſus ſermones meos meditamini, de credẽdo ne minima quidem cogitatiuncula agentes.

f Opera quæ ego facio in nomine patris mei hæc teſtimoniũ perhibẽt de me.

[f] Neque verbis ſolum veritatem vobis expono, ſed inſuper & operibus miraculoſis naturæ virtutem tranſcendentibus, quæ ego in nomine patris cæleſtis, ſecundum virtutem diuinitatis quam ab illo habeo, operor in mundo: quæ profectò efficax & validum ſatis perhibẽt teſtimonium veritati quam prædico, & quis ego ſim, aut vnde venerim,

nerim, ſatis euidenter vel me tacente clamant. [a] Sed vos neque verbis neque operibus ad fidem induci vultis, pertinaci animo omnia contemnentes & nihili facientes, imò ad blaſphemiam vniuerſa detorquẽtes. [b] Nimirum quia non eſtis de numero eorum qui ad fidem & ſalutem ſunt prædeſtinati: cuiuſmodi ſi eſſetis, me vtique paſtorem & ſaluatorẽ à Deo patre edocti agnoſceretis. [c] Siquidem oues meæ, electi mei, ad vitam prædeſtinati & mihi ab æterno dati à patre, vocem meam audiunt, & ſermonibus meis quos à patre in mundo loquor, ſimpliciter credunt, fideliterque obediunt. [d] Et ego viciſsim oues meas illas cognoſco, approbo, & diligo, tanquam paſtor bonus; & ipſæ me ſequuntur credendo & obediendo, omnia quæ credenda propono credentes, quæ fieri præcipio ſolicite obſeruantes, quæ in vitæ meæ ſpeculo exempla demonſtro diligenter in ſemetipſis per imitationem exprimentes. [e] Et ego tanquã paſtor bonus ouibus meis benefaciã, daturus eis, propter fidem qua in me credũt, vitam ſine fine duraturam: modo quidem initium accipientem in gratia, ac deinde perfectè implendam in gloria. [f] Et licet ſecundũ corpus videantur mori æque ac cæteri increduli, nõ tamen peribũt; non permanebũt in morte, neq; ſecundum animam, neq; ſecũdum corpus, quod etiam in ſuo tempore ad vitam glorioſam & immortalẽ reſuſcitabitur. [g] Neque poterit cuiuſcunq; violentia fieri, vt vel vna aliqua ex ouibus meis, ex iis qui ad vitam ſunt prædeſtinati, mihi depereat aut rapiatur de manu mea, ſic vt per me non aſſequatur prædeſtinatã vitã & gloriam. [h] Quòd enim pater meus mihi dedit, ab ęterno ſecundũ prędeſtinationẽ, & in tẽpore ſecundũ vocationẽ & electionẽ, id ego omniũ maximi facio: quicquid mihi ab illo datur, non poteſt mihi nõ eſſe chariſsimum, & præ omnibus eximiè dilectũ: [i] & nulla violẽtia poterit illud de manu patris mei rapere, ſic vt nõ ad ſalutẽ prædeſtinatam poſsit adducere eos quos per me ſaluare prædeſtinauit. Quòd ſi de manu patris mei nemo illos poſsit rapere, cõſequẽs eſt, vt neq; de manu mea. [k] Nimirũ ego & pater vnũ ſumus, vna ſubſtãtia, vnus

Deus

a Sed vos non creditis,

b quia non eſtis ex ouibus meis.

c Oues meæ vocem meam audiunt:

d & ego cognoſco eas, & ſequũtur me.

e Et ego vitam æternam do eis:

f & non peribunt in æternũ:

g & non rapiet eas quiſquã de manu mea.

h Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt:

i & nemo poteſt rapere de manu patris mei.

k Ego et pater vnũ ſumus.

Deus, vnius eiuſdémque potentiæ & virtutis, vnius quoque & eiuſdem per omnia volũtatis, vt non aliud poſsim velle ego, quàm quòd vult ipſe, nec aliud ipſe quàm velim ego.[a] His verbis vſqueadeo ad impatiẽtiam ſunt adacti inuidi & furibundi Iudæorum animi, vt ſine iudicio mox ad lapides conuolarent, Chriſtum quaſi blaſphemum intercempturi & obruturi lapidibus, licet nec legitimè de blaſphemia cõuictum, nec pœnæ mortis legitimè adiudicatum.[b] Quorum malignum conatum, & peruerſum nimis propoſitũ videns dominus Ieſus, ita ſe reſponſo rationabili aduerſus illorum furorem defendit, dicens:[c] En ego vobis ex eo tempore quo inter vos docui, & conuerſatus ſum, multa bona opera vobis veſtriſque admodum commoda exhibui, ex virtute diuinitatis meæ quã habeo à patre: plurimis profui, nemini quicquã vnquam nocui.[d] Dicite igitur mihi, cuius operis gratia ex omnibus iis quæ erga vos veſtróſque exhibui, me lapidibus nũc obruendum decernitis? Non enim beneficiis, ſed malefactis, ex lege competit lapidatio.[e] Iudæi volentes videri legis zelatores, reſpondent: Nos inquiẽtes, non te volumus lapidare ob vlla opera bona quæ exhibuiſti in populo, ſed propter verba blaſphemiæ, quæ nobis audientibus palam es loquutus, te cẽſemus dignum lapidibus obrui, iuxta decretum legis, quę blaſphemum iubet lapidari:[f] videlicet quoniam tu, qui nõ aliud es quam homo vilis & miſer, ſicut vnus quilibet de infima fece hominum, tibiipſi attribuis diuinitatem quam nõ habes, incredibili & intolerabili arrogantia falſo te iactitans eſſe Deum, cùm dicis te vnum eſſe cum patre Deo.[g] Quã Iudæorũ reſponſionem ita Ieſus confutauit, vt oſtenderet, non ob hoc ſe lapidari dignum, quòd Deum ſe eſſe dixiſſet: Scriptum eſt, inquit, in veteris teſtamẽti libro in Pſalmis, ex perſona Dei loquentis ad homines, iudices & præpoſitos populi:[h] Ego dixi, dij eſtis vos, ratione excellẽtiæ & poteſtatis vobis traditæ ſecũdum quam diuinum aliquid participatis.[i] Si itaq; ſcriptura ac per ſcripturam Deus illos appellat nomine Dei, ad quos tãtum ſermo Dei factus eſt, & qui ſecundum

a Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.

b Reſpondit eis Ieſus:

c Multa bona opera oſtẽdi vobis ex patre meo.

d Propter quod eorum opus me lapidatis?

e Reſponderũt ei Iudæi, De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia:

f & quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deũ.

g Reſpondit eis Ieſus: Nõne ſcriptum eſt in lege veſtra:

h Ego dixi dij eſtis?

i Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt,

cundum participationem tantum aliquam diuinum aliquid habent,[a] & non poteſt mendacij aut blaſphemiæ argui ſcriptura,ſed verum & latũ haberi debet quicquid illa loquitur: [b] quomodo ergo ex hoc mihi poteſtis crimen impingere blaſphemiæ, ꝙ meipſum quem pater cæleſtis ſanctificauit,id eſt,ſecundum diuinitatẽ ab æterno ſanctum genuit, & ſecundum humanitatẽ plenitudine ſancti ſpiritus vnxit,ac in mundum miſit,ad operãdum quæ mihi præcepit, qui tam ſingularis eſt cũ patre familiaritas & vnitas,dixerim eſſe filiũ Dei, aut etiam Deum? Si illi qui participationem tantum aliquam diuinitatis habent ſine blaſphemia dij appellãtur,quomodo ego dicar iure blaſphemus,qui ſecundum naturam Deus ſum, & totius diuinitatis habeo in me inhabitãtem plenitudinem, eò quod filium Dei me eſſe dixerim?[c] Videlicet ſi nõ per me vidiſtis fieri in nomine patris opera mirabilia diuinam virtutem manifeſtè atteſtantia, non exigo à vobis in me fidem. [d] Poſtea verò quam opera eiuſmodi,neq; pauca,neque mediocria, coram vobis exhibui,meritò ſanè & omni iure hoc à vobis exigo & requiro:vt ſi quidẽ meis verbis ſolis fidem præſtare nolueritis,vel propter opera iſta quibus verba confirmẽtur,credatis: [e] ita vt credentes cognoſcatis, me verè vnum eſſe cum patre,ex quo eiuſmodi opera facio,vtpote quod in me ſit ipſe pater, & ego in eo,ſicut filius & pater vnius eiuſdẽmque ſubſtantiæ, ſicut perſonæ diſtinctæ in vna indiuiſa ſubſtantia. Nam id ex operibus iſtis,quę veſtris oculis cernitis per me fieri,manifeſtè,ſi velitis,valebitis cognoſcere. [f] Ne ſic verò placati impiorum Iudæorum animi, ſuæ malitiæ propoſitum exequi pergebant laborantes eũ tanquam blaſphemum & ſupplicio dignum apprehẽdere.[g] Verùm quia nondum aduenit hora paſsioni cõſtituta,dominus Ieſus non ſe teneri permiſit ab eis, ſed abſque nocumento vel obſtaculo vllo, relictis illis,abiit ipſe liberè quò voluit. [h] Abiit verò rurſum in locum quẽdam ſolitarium,vbi prius aliquantiſper fuerat demoratus,in locum videlicet quendam trans Iordanem vbi Ioannes Baptiſta prius baptizauerat:

a & non poteſt ſolui ſcriptura:

b quem pater ſanctificauit & miſit in mundũ, vos dicitis,Quia blaſphemas, quia dixi: filius Dei ſum?

c Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi:

d Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite.

e vt cognoſcatis, & credatis, quia pater in me eſt, & ego in patre.

f Quærebant ergo eum apprehendere,

g et exiuit de manibus eorũ.

h Et abijt iterũ trãs Iordanem, in eum locũ vbi erat Ioannes baptizans primũ, et manſit illic.

illícq; ad tempus demoratus eſt cùm diſcipulis ſuis, cedere volẽs Iudæorum furori ſua abſentia atque in ſolitudine extra turbarum tumultum ad paſsionem imminentẽ ſeſe præparare, in gratam & acceptam patri hoſtiam. [a] Ipſo verò illic agente, multi ex iis qui cũ audierant docentem, & miracula viderant facientem, ad eum venerũt, ob deuotionem fidei qua erga eum afficiebantur: qui in proteſtationem ſuæ fidei, Chriſtum Ioanni comparantes, ſed præferẽtes, dicebant: [b] Ioannem quidem ſigna nulla feciſſe, cuiuſmodi & multa & magna à Chriſto fieri viderant: [c] cæterũ omnia Ioannis verba quæ de Chriſto teſtificando prædixerat, exactè ia impleta eſſe, vtpote, quòd Chriſtus poſt ipſum eſſet veturus, ac longè maior ſe futurus, quódque ſe imminuto ipſe eſſet augmentum ſumpturus, & alia complura. [d] Atque ita factum eſt, ex comparatione eorum quæ Ioannes vaticinando prædixerat, cum iis quæ in Chriſto impleri cernebant, vt multi ad credendum in Chriſtum ſint inducti, vt crederent ipſum verè à Deo miſſum eſſe in mundum ad ſalutem populi.

a Et multi venerunt ad eum, et dicebant.

b Quia Ioannes quidem ſignum fecit nullum.

c Omnia autem quæcunq; dixit Ioannes de hoc, vera erânt.

d Et multi crediderunt in eũ.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

Q*Vi non intrat per oſtium, &c.*) Obſerua quemadmodũ diſtinctè loquitur dominus, de bono paſtore & de malo. Illũ dicit intrare, & per oſtium intrare: hunc aſcendere, & non per oſtiũ, ſed aliunde, quod eſt furum officium. Cęterum, hanc totam parabolã quanuis ex parte aliqua dominus ipſe poſterius exponat, nos tamen in Elucidatione præueniendo eã paucis explanauimus, vt melius ſigillatim ſingula intelligerentur. Concordat autẽ noſtra expoſitio magna ex parte, cũ iis quæ Auguſtinus, idem agens (id eſt, parabolã iſtam exponens) ſcripſit. Per oſtium enim intelligit Chriſtum, per ouile Eccleſiam. Per oſtiarium ſpiritũ ſanctum intelligit, qui omnẽ nobis reuelat veritatẽ, vel ipſummet Chriſtum dominum, qui nobis dignatur manifeſtare ſeipſum Chryſoſtomus verò & Theophylactus, per oſtiũ intelligunt ſcripturam, per quam Chriſtus intrauit, quia ab ea teſtimoniũ habuit. Oſtiarium verò, vel Moſem vel ſpiritum ſanctum, noſtri non eſt officij, neque annotatiunculas tantum ſcribẽtis anguſtia ſinit, latius iſta exponere, quæ ſi ſigillatim eſſent perſequenda, in nimiam excreſcerent latitudinem, cui vix iuſti

ſufficeret

ſufficeret amplitudo cõmentarij. Tam ſunt quæ hîc dicũtur, omnia ſacramẽtis grauida, & ſpiritalibus ſenſibus fœcunda. *Hoc prouerbium dixit eis Ieſus.*) Græcè eſt παροιμία parœmia, quòd propriè prouerbiũ interpretatur. Dixit autẽ Euangeliſta prouerbiũ pro parabola, quãquam ſecundum proprietatẽ ſignificationis ab inuicẽ differãt. ¶ *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt et latrones.*) In vulgatis Græcorum codicibus additur πρὸ ἐμοῦ pro emu, id eſt, ante me. Verùm id ad complendam ſententiã videtur adiectũ, cùm nec à Græcis authoribus inueniatur ſuper eo quicquam annotatũ, ſed faciunt illi vim in verbo venerunt, videlicet quia dixerit dominus, *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt et latrones; non autem qui miſſi ſunt.* Atque hinc dicunt non eſſe illud dictũ in iniuriam Prophetarũ, quaſi & ipſi fures fuerũt & latrones. Prophetæ enim veri, miſſi ſunt à Deo: ſed pſeudoprophetæ à nullo miſſi fuerunt, ſed à ſeipſis venerũt: quẽadmodum dominus ait Hieremiæ vigeſimotertio & 27. *Ego non mittebam eos, et ipſi currebant.* Beatus Auguſtinus non legit quidẽ in textu, niſi quòd habet cõmunis lectio Latinorũ: exponendo tamẽ adiecit, præter me, atq; per hoc Prophetas excipit à generali illa ſententia, dicens, eos nõ præter dominũ veniſſe, qui cũ eo veniebant, & ab eo venturo vt præcones & prænũtij mittebãtur. ¶ *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, etc.* Ad pleniorẽ capitis huius intelligẽtiam, diligẽter aduerte, bis dictũ eſſe à domino de introitu per oſtiũ, & bis ab eo dictũ eſſe: *Ego ſum oſtium.* Diuerſum enim modum ingrediendi per oſtium voluit proponere. Quidã enim per oſtium ipſum intrãt, vt paſtores & curatores ouiũ: alij, vt ouiculæ intrant, vt paſcantur cũ reliquo grege. De prioribus loquitur in principio, cùm ait: *Qui non intrat per oſtium in ouile ouiũ, etc.* Et item in initio explicationis parabolæ, quum ait: *Ego ſum oſtium. Omnes quotquot venerunt, etc.* De poſteriori autem ingreſſu, quo ouiculæ intrant per hoc idem oſtium, ſermo habetur, cum ſecundo dicitur: *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Annotauit hoc ipſum diuus Auguſtinus, cùm locum iſtum tractans ait: In hoc euidenter dominus oſtendit, non ſolum paſtorem, ſed etiam oues, intrare per oſtium. ¶ *Ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.*) Secundum literalem ſenſum, videtur hoc modo loquendi ſignificari magna ſecuritas, libertas, & fiducia eorum qui in Chriſtũ fideliter credunt, ita vt in omnibus ſint ſecuri, & quocunque ſe verterint, bene eis omnia cedant ad ſalutem. Sic enim conſuetum eſt in ſcripturis, per introitum & exitum ſignificari omnem actionem cui ſe homo applicuerit. Propter quòd, in Pſalmo dicitur: *Dominus cuſtodiat introitũ tuum, & exitum tuum,* id eſt, in omnibus ad quæ miſeris manum ſine

domi ſiue foris. Sic Dauid ſcribitur fuiſſe ingrediés & egrediés ante filios Iſraël, & in omnibus geſsiſſe proſperè. Atq; hęc eſt Chryſoſtomi & Theophylacti ſententia, quam nos in Elucidatione attigimus, Diuus Auguſtinus, prius quidem ingreſſum & egreſſum ita diſtinguit, vt ingreſſus referatur ad exercitium hominis interioris, & egreſſus ad exercitiũ exterioris hominis. Vtrunque enim conuenit ei qui in Chriſtũ credit, nempe vt per fidem interius quæ Dei ſunt cogitet, & per eandé foris etiam proximis in exemplum operetur ſalutaria opera. Etiã hanc intelligentiã in noſtra Elucidatione expreſſimus. Secundo autem loco, idem Auguſtinus aliam ponit intelligétiam, in qua magis ſe dicit oblectari. Nimirũ ingreſſum intelligens, introitũ in eccleſiam per fidem Chriſti, egreſſum auté diſceſsionem ex hoc mundo ad patriã cæleſtem. Paſcua verò vtrobiq; inueniũtur: vera tamé & perfecta illic inuenięťur paſcua, vbi plena erit bonorũ omnium ſatietas, quod erit in gloria paradiſi. ¶ *Vt vitam habeant, et abundantius habeant.*) Auguſtinus prius refert ad vitã fidei & gratiæ ſpiritualis, qua viuunt fideles in præſenti tépore, poſterius autem ad vitam gloriæ, quæ eſt in futuro. Conſimiliter intelligunt Chryſoſtomus & Theophylactus. Poſſet tamen illud abũdatius habere, ſic intelligi, quomodo apud Paulũ dicitur, abundare magis. Nos in Elucidatione ſimul iſta, quaſi in vnum ſenſum conuoluimus. Ex abundãtia enim quotidiani profectus in hoc tempore, pertingunt fideles ad illam plenam perfectámque abundantiã, quæ eſt in cælis. ¶ *Mercenarius autem fugit.*) Quis verè ſit mercenarius cenſendus, paucis verbis bene expreſsit Auguſtinus, dicens: Sunt quidam Eccleſię præpoſiti, quibus Paulus Apoſtolus dicit: *Sua quærentes, non quæ Ieſu Chriſti.* Quid eſt, *ſua quærentes?* Non Chriſtum gratis diligentes, non Deum propter Deũ quærentes: temporalia commoda ſectantes lucris inhiãtes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur à pręposito, & propter hæc ſeruitur Deo, quiſquis eſt talis, mercenarius eſt, inter filios ſe non computet. ¶ *Non pertinet ad eum de ouibus.*) Græcè eſt. ού μέλει αὐτῷ: Hoc eſt, Non eſt cura de ouibus, vel oues non ſunt ei curæ, aut cordi. Atq; in eundem ſenſum accipi debet noſtra lectio: *Non pertinet ad eum de ouibus.* Alioqui, re ipſa verè ad illum de ouibus pertinet, & iure vtique deberet adeo cordi habere gregem, vt etiã mortem pro eo ſuſciperet. Sed non pertinet ad eũ, quia ipſe non curat nec cordi habet, nec ad ſe pertinere putat ouium curam. ¶ *Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam.*) Videtur prima facie abſurditatem ſermo iſte continere. Quid enim? An ideo pater filium diligit, quia paſſurus eſt pro hominibus? An igitur non ſemper

per dilexit filium pater,aut non diligeret,ſi non pateretur pro homí ne.Sed nihil videbitur abſurdi,ſi rectè intelligatur. Quemadmodũ enim filius aliquis ſciens ſe patri à pueritia ſemper fuiſſe,atq; etiam nũ eſſe chariſsimũ,ſi nũc opus aliquod faciat,quod ſciat patri ſuo fore gratiſsimũ,rectè & verè dicere poterit:Propterea me diligit aut diliget pater,quia opus hoc,aut illud perfeci,nõ quaſi ſignificare volẽs iam patris erga ſe dilectionẽ incipere,quũſciat vnicè ſemp à patre ſe fuiſſe dilectũ,ſed qa in opere illo peculiarẽ rationẽ amoris patri ſe prębere nouit,propter quã ſibi in eo cõplaceat:ſic & propoſitus ſermo accipiendus eſt. Quaſi dicat filius patris Chriſtus:In hoc erga me peculiarẽ rationẽ amoris & cõplacẽtię habet pater,vel hoc ei in me ſummè cõplacet & ea ex parte me habet gratiſsimũ,qđ ſic ei in amore & dilectione,erga homines cõſentiã,vt etiã mori pro eis velim.Atq; hũc ſenſum indicare videtur Theophylactus,cũpoſt multa ait:Hoc igitur ſignificat,cũ dicit:Pater diligit me, eo ꝙ morior pro vobis,quaſi exultet & gaudeat pater,ꝙ filius ſibi ſimilis ſit,& ſeruet ſimilitudinẽ ſuæ erga homines dilectionis.Cæterũ,in eo ꝙ additur: *Vt iterum ſumam eam*,quidam codices habent,&,pro,vt, Alij habẽt,vt: quibus conſentiunt Græca exemplaria.Videtur autem, vt,accipiendum eo pacto, vt dicat conditionem & modum eius quod dicitur,in hunc ſenſum:Ponã quidẽ animam meam:ſed ita vt iterũ eam ſumã, nõ prorſus eam perdam,vel ea lege vt iterũ ſumam.Quanquã poteſt & finaliter accipi.Ad tẽpus enim mori voluit Chriſtus, vt glorioſè reſurgeret,& tam ſibi quàm omnibus in ſe credẽtibus vitam morte deuicta cõpararet. ¶ *Facta ſunt autem encœnia in Hieroſolymis.*) Encœnia Græcum vocabulũ eſt, compoſitum à nomine καινόν cœnon,id eſt,nouum.Vnde encœniorum feſtum dicitur,feſtum innouationis vel dedicationis tẽpli.Cuiuſmodi autem iſta fuerit ſolennitas,ex capite 4.primi lib.Machabæorum apertè cognoſci poteſt:vbi poſt debellatos à Iuda Gorgiã & Lyſiã de purificatione templi ſcribitur,in hunc modum. *Et ante matutinum ſurrexerunt quinta et viceſima die mẽſis noni (hic eſt menſis Casleu) centeſimi quadrageſimi anni, et obtulerunt ſacrificium ſecundum legem,ſuper altare holocauſtorum nouum,quod fecerant. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo,et obtulerunt holocauſta cum lætitia, et ſalutaria laudis.Et ornauerunt faciem templi coronis aureis,et ſcutulis,et dedicauerunt portas et paſtophoria , et impoſuerunt eis ianuas. Et facta eſt lætitia in populo magna valde,et auerſum eſt opprobrium gentium. Et ſtatuit Iudas,et fratres eius,et vniuerſa Eccleſia Iſraël, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis,ab anno in annũ per dies octo:à quinta et viceſima die menſis Casleu,cum lætitia et gaudio.* Hæc ibi. Quòd autem hanc

ſolennitatem voluerit Euangeliſta, manifeſtè ſatis indicauit, cùm adiecit: *Et hyems erat.* Optimè enim tẽpus cõſentit. Nonus enim iſte menſis Casleu, apud nos ex parte cũ Decembri concurrit. Quidã verò exiſtimauerunt, hæc encœnia celebrata fuiſſe in memoriã primę dedicationis factæ ſub Salomone. Verùm hi nõ ſatis aduerterũt tẽporis cõſonãtiã. Illa enim (vt tertij Reg. 8. legimus) in mẽſe Bethanim, id eſt, in menſe ſeptimo, fuit celebrata, quando nondũ hyems agitur, ſed autumnus vix ſumit initium. Concurrit enim ex parte cũ noſtro Septembri. Alij exiſtimauerunt, cõmemorationem agi poſterioris dedicationis factæ poſt templi reædificationem, ab his qui de captiuitate redierũt Babylonica. Et his quidẽ tẽpus nõ omnino repugnat, cũ facta fuerit in menſe Adar, qui eſt mẽſis vltimus, apud nos correſpondẽs ex parte Februario, & ex parte Martio, quaſi abſcedẽte hyeme, & adueniẽte veris tẽpore, nõ longè à paſcha: queadmodũ patet primi Eſdræ 6. & 3. Eſd. 7. vbi quaſi coniunctim deſcribuntur, celebritas dedicationis templi, & ſolennitas paſchæ. Videtur tamen id quod primo loco dictum eſt veriſimilius, quod nuſquã legatur anniuerſarius dies conſtitutus illi dedicationi poſt captiuitatem Babylonicã factæ: quod de altera illa facta ſub Machabæis legitur. Et potuiſſet Euangeliſta à propinquitate paſchalis ſolẽnitatis tempus deſcribere, quomodo alibi fecit dicens: *Et proximum erat paſcha dies feſtus Iudæorum,* ſi huius dedicationis tempus voluiſſet ſignificare. ¶*In porticu Salomonis.*) De hac porticu legitur 3. Reg. 6. in hunc modum: *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta menſuram latitudinis templi, et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.* Fieri autem potuit, vt porticus iſta, templo à Chaldæis combuſto, eadem remanſerit. Vel ſi & ipſa ſimul cum templo periit alteram reædificauerint ad illius ſimilitudinẽ filij captiuitatis, quemadmodum & templum ad prioris ſimilitudinẽ reædificauerunt, vt merito porticus Salomonis potuerit appellari. Vel fortè alia ratione Salomonis dicta eſt, eo ꝙ in ea vel ſtare ad loquendũ populo cõſuetus ſit, vel demorari pro ſacrificiis peragẽdis. Certam nullam rationẽ hoc in loco aſsignant cõmentatores. ¶*Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt.*) Hic locus aliter in Græcis exemplaribus legitur, in hũc modũ: Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus eſt. Atq; ita Chryſoſtomus & Theophylactus interpretantur. Eſtq; iuxta hãc lectionem ſenſus admodũ facilis, neminẽ poſſe oues Chriſti diripere, ꝙ nemo inueniatur maior aut potẽtior patre, à quo illas dono accepit. Auguſtinus legit ad eũ modũ quo noſtra habet lectio: Pater qđ dedit mihi maius omnibus eſt, exponẽs de diuinitate, quã à patre ab æterno accepit,

&

& quæ omnia ſuperat. Nos in Elueidatione, per id quod pater dedit filio, intelligimus electos & prædeſtinatos, quomodo & ſuprà capite ſexto. *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet.* Maius autem, ſecundum æſtimationem & appretiationem interpretamur. Quod enim paruũ eſt nobis, & parui facimus, id facilè perire ſinimus, maximè ſi qs vim inferre velit. Quod autẽ magnum eſt, & magnifit à nobis, id nõ niſi coacti ſuperiore aliqua poteſtate aut virtute dimittimus. Poteſt & tertia addi expoſitio, ſecundum quam ipſi electi intelligantur maiores omnibus aduerſariis poteſtatibus, non quidẽ in ſemetipſis, ſed in Chriſto cui credunt. Iuxta id quod alibi ſuis diſcipulis idem ait: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Et iterum: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* ¶ *Nõnne ſcriptum eſt in lege veſtra*) Per legem hic intelligit dominus omnẽ ſcripturã veteris teſtamenti, cùm etiam Pſalmos ſub lege comprehendit. Alibi verò legẽ accipit ſpecialius vt contra Prophetas diſtinguat, cùm ait: *Lex et Prophetæ vſque ad Ioannem.* Et iterũ: *In his duobus mandatis, tota lex pendet & Prophetæ.* Alibi verò totam ſcripturam in tres partes diuidit, cùm apud Lucam ait: *Oportet impleri quæ ſcripta ſunt in lege, & Prophetis, et Pſalmis, de me.*

ELVCIDATIO CAP. XI.

INterim verò dum ſic latitaret dominus trans Iordanem, contingit quendam ex peculiaribus eius amicis grauiſsimo ad mortem vſque languore corripi, Lazarum ſcilicet à Bethania, ex caſtello ſiue vico illo ſic nominato oriundũ: qui vicus erat poſſeſſio Mariæ & Marthæ ſororis ipſius Mariæ, quæ ambę ſorores erant ægrotãtis Lazari. [b] Hæc autem de qua modo loquimur Maria, ea erat quę (vt paulo pòſt prolixiori narratione declarabitur) dominũ paſsioni & morti proximũ, in myſterio mortis & ſepulturæ ſuæ, vnguento pretioſo perfudit, atq; etiã præ humilitate & dilectione nimia, pedes eius capillis capitis ſui exterſit. Huius, inquam, Mariæ frater, nominę Lazarus, vir nobilis & ſororum ſimilis, id eſt, Chriſto deuotus, graui ad mortem vſq; infirmitate eſt correptus.[c] Cũ itaq; ſorores pro fratris ſalute naturail affectu ſolicitæ, humanum ſibi viderent deficere ſubſidium, ad

ERat autẽ quidã languẽs Lazarus, à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororum eius.

b Maria autem erat quæ vnxit dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis ſuis: cuius frater Lazarus infirmabatur.

c Miſerunt ergo ſorores eius ad eum, dicentes:

Chriſtum tunc abſentem(quem omnia poſſe credebant)nuntios miſerunt, qui ex ipſarum nomine ad Chriſtū huiuſmodi nuntia perferrent,dicentes:[a] Domine,frater noſter quem tu peculiari ſoles proſequi amore,ſicut & ipſe te viciſsim diligebat,hic nunc infirmitate laborat graui,& humana via incurabili. Sic videlicet à Chriſto tacitè poſtulantes,ſi ita ei videretur expedire ad gloriam Dei,vt illum dignaretur vel verbo abſentē(quod olim fecerat ſeruo Centurionis & Reguli)curare.[b] Accepto verò huiuſmodi nuntio dominus,reſpondit iis qui nuntiū attulerāt,ac per eos ſororibus illis à quibus miſsi fuerant.[c]Infirmitas iſta qua modo Lazarū dicitis laborare,non eum ad mortē ſtabilē perducet,ſic vt per eam abſorbeatur & mortuus maneat mortuus,ſed propter gloriam Dei diſpēſatoriè permittitur in eum graſſari, nimirum vt per eius occaſionē virtus diuinitatis meæ, qui ſum filius Dei manifeſtetur,illum à mortuis reſuſcitādo,poſtq̄ vita defunctus fuerit.[d] Amabat verò dominus Ieſus amore peculiari,piam & deuotā iſtam familiā, Martham in frequenti miniſterio pro ſe ſolicitam,Mariā in contemplationis & deuotionis vnitate ſibi inhærentem,& Lazarum fratrem piarum ſororum bona exempla ſedulò imitantem.[e] Poſtquam igitur audiſſet dominus ex nuntiis,Lazari infirmitatem,non ſtatim ad iter ſe accinxit,ſed in eodem loco in quo nuntium acceperat,permanſit adhuc duos dies poſt acceptum nuntium,vt per mortis moram longiorem glorioſior poſtmodum ſequutura appareret reſuſcitatio. Poſt duos autem dies,cùm iam ad Lazarum reſuſcitandum decreuiſſet proficiſci, dixit ad diſcipulos:[f]Surgite,redeamus in Iudæam. Diſcipuli verò memores iræ & odij Iudæorum in dominum, quaſi cupientes eius vitæ conſulere dixerunt ad eum:[g] Bone magiſter,non diu eſt quod te ad mortem requirebant Iudæi,& lapides iam paratos habebant vt te lapidarent, ita vt effugere debueris manus eorum. Et nunc quid ſibi vult quod illuc præter vllam neceſsitatē redire velis,vbi certò noſti te habere hoſtes & multos & graues, qui tibi machinantur malum. Domi-

a Domine,ecce quem amas infirmatur.

b Audiēs autē Ieſus,dixit eis:

c Infirmitas hæc non eſt ad mortem,ſed vt glorificetur filius Dei per eam.

d Diligebat autem Ieſus Martham, et ſororē eius Mariam et Lazarum.

e Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidē manſit in eodē loco duob[us] diebus, deinde poſt hæc, dicit diſcipulis ſuis.

f Eamus in Iudæam iterū.Dicunt ei diſcipuli:

g Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare:et iterum vadis illuc?

ᵃ Dominus autem diſcipulorum huic obiectioni ita reſpōdet:In horas duodecim dies totus diuiditur, nec ſemper eadem perſeuerat hora, ſed ſuccedit alij alia, poſterior priori:atq; per hanc ſucceſsionem frequenter euenit, vt quod vna hora velit homo, alia nō velit. Mutatur quippe cū tempore homo. Sic & Iudæorum animi, qui ante paululum in me erant furore accenſi, nunc forſitan poſt aliquantulum tēporis præteritum, erunt in me mitiores. ᵇ Et hoc docet experiētia, eum qui ambulat in die, nihil habere periculi, vt impingat alicubi & corruat, eo quòd lumen hoc corporale videns, per illud dirigitur, & ſibi à periculo cauet. ᶜ Qui autem in tenebris noctis ambulare tentauerit, facilè alicubi impinget & corruet: quoniam lucem non habet in oculis, quā dirigatur greſſus ambulantis. Sic & ſpiritualiter, qui in veritate (quæ eſt lux animæ) opera ſua agit, quemadmodum ego meá omnia agó in veritate, is non ſibi debet metuere à malo: qui verò malè agens in tenebris ambulat peccatorū, illi meritò timendum eſt, nec euadet ille pericula mortis. Vn-& ſi perſeueret aduerſum me ira Iudæorum, ego nihilominus cōfidenter ibo quò decreui, & quę pro gloria Dei erūt, operabor. ᵈ Atq; his dictis, tunc cauſam eis cœpit aperire, ob quā decreuiſſet proficiſci in Iudęam, dixitq; ad eos: Lazarus communis noſter, id eſt, meus & veſtrum omnium amicus, cuius nos tam ſępe humanitatē ſumus experti, is nūc morte ſopitus dormit, & huius cauſa diſpono proficiſci in Iudæam, nimirum vt à ſomno mortis eum ſuſcitādo, ſimul & patris mei gloriam manifeſtem, & beneficiū beneficio compenſem. ᵉ Diſcipuli verò rudes, de dormitione corporis exiſtimātes eum loqui & de excitatione corporali, ſimul & à Iudæa ob periculū abhorrētes, quaſi contrà reſpondentem, dixerunt illi: ᶠ Domine, ſi dormit amicus noſter Lazarus, ſignum bonum eſt illud recuperandæ ſanitatis. Nam id in ægrotātibus docet quotidiana experientia, ſæpe poſt ſomnum quietum ipſos habere melius. Nec proinde neceſſarium eſt, vt illius cauſa tu redeas in Iudæam, vbi tam multi tam malè tibi volūt. ᵍ Volebat autē Ieſus illo ſuo ſermone

a Reſpondit Ieſus: Nónne duodecim ſunt horæ diei?

b Si quis ambulauerit in die, nō offendit, quia lucem huius mūdi videt.

c Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo.

d Hæc ait, & poſt hæc dicit eis, Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado vt à ſomno exuſcitem eum.

e Dixerūt ergo diſcipuli eius:

f Domine, ſi dormit, ſaluus erit.

g Dixerat autē Ieſus, de morte eius, illi autem putauerūt, quia de dormitione ſomni diceret.

Lazari mortem ſignificare,vſitata ſcripturæ conſuetudine mortem appellans dormitionem,& mori dormire,propter ſpem reſurrectionis.Diſcipuli autē pro ſua ruditate,corporaliter omnia intelligentes,exiſtimabant dominum loqui de ſomno ſiue dormitione corporali, animalibus naturaliter cōpetente, ad virium ſenſitiuarum(quæ in ſuis operationibus nimia vigilia fatigantur)reparationem.[a] Videns igitur dominus diſcipulorum ruditatē, tunc illis dixit verbis apertiſsimis:Dormitio iſta de qua loquutus ſum vobis,non dormitio corporalis ſomni, ſed mortis dormitio debet intelligi.[b] Iam enim ē vita iſta exceſsit amicus noſter Lazarus:& in hoc gaudeo,propter veſtram vtilitatem,vt in fide erga me cōfirmemini:gaudeo,inquam,me illic nō adfuiſſe cùm ille moreretur. Si enim illic pręſens adfuiſſem cùm infirmaretur,pręcibus ſororum deuictus illum debuiſſem curare, qui paſsim omnibus ſoleo,etiam nunquam bene meritis, ſubuenire:ex qua infirmi curatione,non tanta vobis vtilitas proueniſſet,quanta ex mortui reſuſcitatione, quam breui videbitis:neque tātum ex illo veſtra fuiſſet fides firmata,quantum ex hoc firmabitur.[c] Surgite ergo,& locum ſepulturæ eius adeamus,vt pro gloria Dei vobis videntibus eum reſuſcitem à mortuis.[d] Hæc audiēs Thomas cognomento Didymus,vt potè quod omnino definito cōſilio decreuiſſet dominus proficiſci in Iudæam cauſa reſuſcitandi Lazari,vehementia quadam accenſus,dixit ad cōdiſcipulos.Poſtea quā ita ſeriò id poſtulat præceptor,ſequamur fidēter,& moriamur cum eo.Si nos velit in mortis periculum adducere,proſequamur eum. Non eſt enim ſeruus domino maior,aut diſcipulus præceptore pretioſior.[e] Veniens itaque cū ſuis diſcipulis dominus de loco in quo latuerat,ad Bethaniam vbi mortuus fuerat Lazarus,inuenit eius cadauer iam quatuor dies iacuiſſe in monumento.Iam enim à ſepultura quartus erat dies.[f] Bethania verò,locus erat non multum diſtās à ciuitate Hieruſalē,nimirū ſtadiis tantū quindecim,quę ſanè p modica eſt diſtātia. Atq; hæc propinquitas ex parte aliqua cauſam dedit,vt multi Iudęorū

a Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſtè:
b Lazarus mortuus eſt,et gaudeo propter vos, vt credatis quoniam non eram ibi.
c Sed eamus ad eum.
d Dixit ergo Thomas,qui dicitur Didymus, ad cōdiſcipulos. Eamus & nos: et moriamur cum eo.
e Venit itaque Ieſus,et inuenit eum quatuor dies in monumento habentem.
f Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Marthā & Mariam,vt cōſolarentur eas de fratre ſuo.

ex ciuitate veniſſent ad Marthā & Mariā,gratia conſolandi eas ſuper morte fratris ſui : quēadmodum ſolēt amici & noti,vbi triſtior aliquis caſus obuenerit, ſe inuicē inuiſere, ad dolentiū triſtitiam (partim ſua præſentia,partim conſolatoriis verbis,partim opportunis auxiliis)mitigandam, ne modum iuſtum excedat.Maximè verò ad eos qui ſunt in pretio plures ſolent confluere:qui plures aliis videntur amicos habere,cuiuſmodi iſtę erāt mulieres inſignes & honorabiles. [a] Domino autem caſtello Marthæ & Mariæ iam appropinquāte,Martha ſtatim vt audiuit ex præcurrente fama, aduenire Chriſtū, non illū putauit domi expectādū : ſed vt honeſtius exciperet ſibi gratiſsimū hoſpitē , proceſsit de domo in occurſum eius. [b] Soror autē eius Maria ſuo more contemplationi ſedulò intēta,in interioribus domus quieta reſidebat,adhuc ignara aduentus domini. Occurrens itaque domino Martha,nō cum illo iracundè expoſtulauit,quod fratrem non curaſſet,cùm infirmitatem per nūtium cognouiſſet,& curare ſolo verbo eum potuiſſet:ſed multa cum humilitate tantū deſiderium ſuū ei intimauit, dicens: [c] Domine,ſi tu præſens hîc adfuiſſes cū adhuc infirmaretur frater meus Lazarus , non hæſito de tua benignitate, quin noſtris deuictus precib⁹ libēter eū curaſſes atque à morte ſeruaſſes. [d] Neque tamen adhuc res prorſus deſperata eſt.Firma enim fide teneo, quod etiam nunc poſtquam ille defunctus eſt , ſi tibi placuerit,excitare illum poteris,inuocato nomine patris tui cęleſtis,qui te ſemper audit,& tibi donat quęcunque ab eo poſtulaueris:ex cuius virtute , & in cuius nomine,tu ſemper omnia tua agis. [e] Quibus magnæ proculdubio fidei verbis , ita dominus generali ſermone quaſi annuendo,reſpōdit:Mortuus quidē eſt tuus frater quem diligebas,ſed iterum ipſe à mortuis reuocabitur,atque in vitam redibit. [f] Quoniam autem ſermo iſte generalis erat,neq; exprimebat quicquā de peculiari fratris reſuſcitatiōe, icirco Martha amplius aliquid volēs cognoſcere, ita domino reſpōdit: [g] Verè dicis , & hoc indubitata fide à te edocta credo, fratrē meū à mortuis reſuſcitandū in generali

a Martha ergo vt audiuit quia Ieſus venit, occurrit illi.

b Maria autem domi ſedebat. Dixit ergo Martha ad Ieſum:

c Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus.

d Sed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus.

e Dicit illi Ieſus : Reſurget frater tuus.

f Dicit ei Martha:

g Scio,quia reſurget in reſurrectione in nouiſsimo die.

mortuorum reſurrectione,quæ fiet in nouiſsimo magni iudicij die:quãdo omnes boni atque mali de monumentis prodibunt, vt recipiãnt ſecundũ opera ſua.

a Dixit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio & vita. Qui credit in me, etiã ſi mortuus fuerit, viuet.

[a] Volens autem Chriſtus eius fidem ampliùs probare,priuſquam poſtulatiõi ſatisfaceret, rem magnam & intellectu difficilem ei propoſuit dicens: Ego ſum is per quem reſurgẽt omnes electi, & per quẽ omnes item electi vita viuent æterna. Vnde quiſquis in me veram vitam credit,per fidem charitate viuẽtem mihi inhærẽs,hic etiam ſi mortuus fuerit corporis morte, mori tamen non poterit in anima:quæ ſemper in me manet viuẽs,quãdiu in me,qui ſum vita, permanſerit, & ego viciſsim in ea permanſero.

b Et omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

[b] Et omnis qui vera vita animæ ſic ex me & in me viuit,& in me ſic,vt oportet,credit,non morietur morte damnationis æternę,quam per fidem mei nominis effugiet:ſed vita viuet ſempiterna,modo quidem viuere incipiẽs per gratiam, poſtmodum victurus in æternitate per gloriam.

c Credis hoc?

[c] Credis tu Martha his quæ ego tibi propono?Pronuntia fidei tuæ cõfeſsionem, vt deſiderij tui merearis accipere adimpletionem.

d Ait illi: Vtique Domine, ego credidi:

[d] Statim illa ex corde pleno fidei proteſtationem eructat veritatis,dicens: Vtique domine, fide certiſsima credo omnibus quæ à te dicuntur.Et hoc tanquam omnium de te credendorum caput & ſummarium,ſicut per fidem perſuaſiſsimum habeo, ita & ore conſtanter confiteor:

e quia tu es Chriſtus, filius Dei viui, qui in hũc mũdum veniſti.

[e] quòd tu verè ſis Meſsias ille in lege promiſſus, & Prophetis,ac patribus diu expectatus, à Deo plenitudine ſpiritus ſancti non ad menſuram vnctus, Dei veri & viui naturalis & conſubſtantialis filius,qui de ſinu patris dignatus es in aſſumpta hominis forma ad homines deſcendere,ad operandum humani generis ſalutem.

f Et cùm hæc dixiſſet, abijt, et vocauit Mariã ſororem ſuam ſilentio, dicens:

[f] Hiſque dictis,feſtina abiit domum.& ſororem ſuam Mariam,quam ſciebat à Chriſto peculiariter dilectam,clanculũ vocauit, vt etiam ipſa dominum digno ſuſciperet obſequio,& propoſitam poſtulationem confirmaret.Dixit itaque ad eam Martha, quaſi in aurem ei loquens, propter multorum præſentiam:

g Magiſter adeſt, & vocat te.

[g] Surge citò Maria, ecce dominus huc ad nos venit, & ipſe te vocat: ſcio tuum occurſum illi fore

gra

gratiſsimum, & meritò expoſcit illius reuerentia, vt alacri occurſu (quemadmodum ego iam prior feci) honeſte eum excipias. [a] Quæ, ſtatim vbi domini audiſſet præſentiam, nuntium haud dubiè lætiſsimum, feſtina ſurrexit de loco in quo reſidebat, abiitque in occurſum eius. [b] Nondum enim dominus vſque in vicum ipſum peruenerat, ſed aberat adhuc in aliquanta diſtãtia, circa locum in quo ei Martha occurrerat. [c] Iudæi verò qui ex Hieroſolymis venerant, & cum Maria (quæ amplius forſitan propter affectus teneritudinem, afflicta videbatur) in domo ſedebat, ad eam conſolandam de morte fratris, cùm vidiſſent eam ita ſubitò ſurrexiſſe, & domum exiiſſe, cauſam ignorantes huius rei (Nam in aurem ſorori ſuæ Martha de Chriſti aduentu loquuta fuerat vt cæteri quid eſſet ignorarẽt) ſequuti ſunt illam exeuntẽ, putantes eam ex impatientia aut vehemẽtia doloris properare velle ad monumentum fratris, vt ibi largius plorãdo dolorem ſuum lachrymis (vt ſolent ſupra modũ afflicti) mitigaret. Proter quod, fideliter eam ſunt comitati: vel ne mulier ſolitaria & abſque conſolatore ſeipſam nimis affligeret, vt ſolent non rarò qui dolori ſuo plenas laxant habenas: vel vt multorum ſimul plangentium præſentia, melius illa ſuo dolori ſatisfaceret. [d] Cùm itaque Maria ad locum perueniſſet in quo erat dominus Ieſus, mox vbi eum vidit, ex plena fide & deuotione qua erga eum ardebat, ad pedes eius humiliter procidit, eum ſicut corde, ſic & operis ſigno, vt verum Deum adorãdo: ſtatimque cordis ſui dolorem, coram illo qui ſuccurrere poſſet aperiẽs, ad eum ferè modum quo prius Martha, dominum alloquuta eſt, dicens: [e] Mi domine, ſi tu præſens adfuiſſes tunc cùm infirmaretur frater meus, non dubito, quin tu eũ tua benignitate ſolita, ex diuinitatis virtute, à morbo curaſſes, ac præſeruaſſes, à morte. Tu verò etiam nũc quod tibi bonum videtur facies. [f] Piiſsimus Ieſus cũ eam videret amarè flentem, item & illos qui cum ea erant Iudæos, propter compaſsionem erga illam, ſimpliciter plorantes, lachrymas humilium volens cõſolari, & deuotarũ ſororum deſiderio ſatisfacere, quaſi

a Illa vt audiuit ſurgit citò, & venit ad eũ.

b Nondũ enim venerat Ieſus in caſtellũ, ſed erat adhuc in illo loco vbi occurrerat ei Martha.

c Iudæi ergo qui erãt cum ea in domo, & cõſolabãtur eam, cũ vidiſſent Mariam quia citò ſurrexit, & exijt, ſequuti ſunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentũ vt ploret ibi.

d Maria ergo cũ veniſſet vbi erat Ieſus, videns eũ, cecidit ad pedes eius, et dicit ei:

e Domine, ſi fuiſſes hîc, non eſſet mortuus frater meus.

f Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes,

a Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum.
b & dixit ei, vbi poſuiſtis eū?
c Dicunt ei: Domine, veni, & vide.
d Et lachrymatus eſt Ieſus.
e Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum.
f Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati facere vt hic non moreretur?
g Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo venit ad monumentū.
h Erat autem ſpelūca, & lapis ſuperpoſitus erat ei.
i Ait Ieſus: Tollite lapidem.

ad opus ſe præparans, [a] aſſumpſit in ſemetipſo voluntariè turbationē quandam vehemētis indignationis, quā & fremitu externo demōſtrauit. [b] Iuſsitq; demōſtrati ſibi locū monumenti, vbi defuncti corpus recōditum fuerat:non quòd locum ignoraret, ſed vt miraculum ſubſequens glorificaret. [c] Quibus auditis,ſanctæ ſorores ſpe bona cōcepta dominū ad monumentum deducere paratæ,dixerunt ei:Veni domine,& vide locum,nos te libentiſsimè deducemus.[d] Inter eundum verò, cùm omnes videret ac præ cæteris ipſas ſorores amarè flentes, compaſsione humana permotus,& ipſe lachrymas fudit, tum vt amorē erga ſe diligētes tenerrimum oſtenderet,tum vt diuinæ virtutis opus in teſtimonium ſuæ diuinitatis exhibiturus, veræ humanitatis indicium præmitteret. [e] Iudæorum verò nonnulli, qui illic aderant, Chriſtum videntes compaſsionis affectu lachrymas profundere, dixerunt ad ſe inuicem : Videte, quomodo Lazarum defunctum vir iſte diligebat. Profectò non vulgaris amoris lachrymæ iſtæ in viro tanto ſunt indicia. [f] Quidam verò, vel calumniantes, vel dubitantes de Chriſti virtute dicebant:Nonne iſte eſt de quo fama vagatur, quòd hominem à natiuitate cæcum à ſua cæcitate liberauerit, viſumque ei donauerit? Quòd ſi verum eſt, quomodo non potuit hunc quem tantum dilexiſſe probatur, a ſua infirmitate curare atque à morte ſeruare? Minus enim videtur, hominem ab ęgritudine naturali curare,quàm(quod prorſus ſupra naturam eſt) cæco nato viſum donare. [g] Dominus autem Ieſus, poſtquam compatiendo humanis neceſsitatibus lachrymatus eſſet, aduerſus Diabolum omnis quæ eſt in humana natura miſeriæ authorem, quē iamiam erat expugnaturus, iterum indignationem aſſumpſit,quam & fremitu vt antè monſtrauit:atque in hoc fremitu & indignatione, ad monumentum vſque peruenit, magna populi turba comitatus. [h] Monumentum autem in quo reconditum erat Lazari corpus, in ſpelunca erat, cui ex more erat ſuperpoſitus magnus lapis, quaſi occludens os ſepulchri. [i] Iuſsit itaque dominus, vel diſci-

diſcipulis,vel aliis qui aſtabant, vt lapidem illum reuoluendo amouerent ab oſtio monumenti:nõ quòd clauſo eo nõ poſſet reſuſcitare defunctum, ſed vt clarius appareret miraculum,cùm aſtãtes viderẽt, prius quidẽ defunctum ac fœtidum cadauer interius latitans,ac deinde hominem viuentem ſubitò prodeuntem. [a] Martha verò ſoror Lazari defuncti,erubeſcẽs tam honorabili domino ſepulchri fœtorem in nares benedictas ingerere,quaſi prohibere id cupiens, dixit ad eum:[b]Mi domine,iam credo fœtorem cadauer defuncti fratris mei exhalabit, qui ne te offendat, vereor.Iam enim quartus eſt dies,quòd cũ in hoc ſepulchro cõdidimus.Si itaque tibi videbitur, lapidem ita dimittes,& quòd voles nihilominus facies.[c] Quę verba quoniam ſecundũ ſpeciem videbãtur dubitatiõné quandam ſonare, tanquam ſi deſperaret iam ipſa de fratris tandiu defuncti reſuſcitatione, item inobediẽtiam aliquam videbantur & cunctationem in adimplẽda iuſsione domini pretendere,quaſi per increpationem eam alloquutus eſt, dicens: [d] Nonne iam ex me ante audiſti, quod ſi firma fide, abſque hæſitatione & diffidentia credideris me id poſſe quod deſideras,videbis in eius circa fratrem tuum adimpletione glorificari Deum?Noli igitur ſic quaſi hæſitãs aut parum fidẽs,quæ dubitationem præ ſe ferant proloqui: ſed quæ mando, obedienter ſine contradictione & cunctatione, vt fidelem decet diſcipulam perfice. [e] Mox verò per eos qui aderant lapis reuolutus eſt ab oſtio monumẽti,& intus latẽs mortui cadauer introſpicientibus apparuit. [f] Tunc dominus Ieſus diuinæ virtutis opus grãde patraturus,prius oculos in cælos leuauit, quaſi ad patrem ſuum omnipotentem reſpiciẽs:per hunc modum proteſtans,eam qua opus illud erat patraturus virtutem,ſicut & omnia ſua ab illo ſe habere,& gloriam omnẽ ad illum referre: inſuper & voce illum eſt alloquutus,dicens: [g] Mi pater,gratias ago tibi,quoniam hac in re quam modo à te poſtulo, & quã ex tuo nomine iã nunc opere monſtrabo,ſicut & aliàs ſemper in omnibus quę à te poſtulaui, me exaudiſti:ac proinde,ad te pater, à quo mea omnia habeo,

a Dicit ei Martha ſoror eius qui mortuus fuerat:

b Domine,iam fœtet, quatriduanus eſt enim.

c Dicit ei Ieſus.

d Nõnne dixi tibi,quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?

e Tulerunt ergo lapidem.

f Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis,dixit:

g Pater,gratias ago tibi,quoniam audiſti me.

beo, omnem refero gloriam & gratiarum actionem. [a] Et ego quidem ſciebam, quòd me ſemper exaudias in omnibus quæcunque à te ſecundum ſpiritus dictamen poſtulo cùm noſtra voluntas vna ſit & diſſona eſſe non poſsit. [b] Veruntamen propter populum qui circunſtat, ſic te voce rogaui, tibique etiam voce gratias egi, vt ipſi per hæc intelligant, quòd tu me miſeris in mundum, quódque omnia quæ in mundo loquor, vel ago, ex tuo nomine & tua virtute loquar & agam, nō ex nomine Beelzebub vel aliorum dæmoniorum virtute, vt quidam calumniari non metuunt. Id enim apertè ſatis ex his poſſunt intelligere quę iā dixi, me ſcilicet poſtulare à te & à te exaudiri, atq; in omnibus tibi gratiâs agere. [c] His dictis, voce clara & valida quę ab omnibus poterat audiri, clamauit, dicēs: Surge qui dormis Lazare, & de ſepulchro viuus prodiēs, teipſum ante omnium oculos viſendum exhibe, vt in te manifeſtetur gloria Dei. [d] Nec mora. Statim vt verbū illud diuinæ virtutis ex ore diuino proceſſit, is qui plures iam dies mortuus fuerat: ante omniū oculos prodiit viuus manus habēs & pedes inſtitis ſiue faſciolis lineis, vinculiſque & ligaminibus ſepulchralibus iuxta cōſuetudinem Iudæorum ligatos, & faciem habens obuolutam ſudario. In quo vno opere plura ſimul conſiderantur miracula. Primùm, quòd mortuus & tam diu mortuus, ſola vocis virtute vitam recepit. Deinde, quòd abſq; humano adminiculo, citius quàm quiſquam poſſet hominū, è ſepulchro prodiit. Poſtremò, quòd manus & pedes ligatos habens prodiit, & faciem ſudario tectam, quòd etiam ſanum hominem prodire vetaret. [e] Dixit autem Ieſus, vel diſcipulis, vel aliis iuxta aſtantibus: Vos iſtum (vt cernitis) adhuc ligatū propius attingite, vt quòd oculis videtis, etiam tactu ſi videbitur comprobetis: & ligamina pedum manuúmque illi diſſoluite, vt diſſolutis vinculis liber poſsit in pedes conſiſtere, & tanquam vnus aliquis cæterorum vobis hîc ſpectantibus ambulare: vt nulla ſuperſit calumniæ occaſio, & manifeſta reluceat ſine contradictione veritas ad gloriam Dei. [f] Ex hoc autem tam euidenti, támque inuincibili

a Ego autem ſcieba, quia ſemper me audis: b ſed propter populū qui circunſtat dixi, vt credant quia tu me miſiſti.

c Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamauit: Lazare, veni foras.

d Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis, & facies eius ſudario erat ligata.

e Dixit eis Ieſus: Soluite eum & ſinite abire.

f Multi ergo ex Iudæis qui venerāt ad Mariam & Martham, & viderāt quæ fecit, crediderūt in eum.

cibili & irrefragabili miraculo, multi Iudæorum qui ad Martham & Mariam cõuenerant,& miraculi ſpe-ctatores,ipſi fuerant ac teſtes,permoti ſunt ad credẽdum in dominum Ieſum,tanquam in eum qui à Deo miſſus eſſet ad ſalutem hominum, in cuius nomine eum viderant tantũ ædidiſſe miraculũ. [a] Quidam verò ex illis redeuntes in ciuitatem, vel propter obfirmatum odium cõtra dominum,vel propter fauorem principum captandum,vel propter rei nouitatem,ad Phariſæos quæ viderant referre feſtinant: modũmq; & ordinem totius negotij,& facti euidẽtiam, illis ſigillatim exponunt. [b] His itaque plurium fide digna relatione auditis,nõ mediocriter conturbati, ſed nihil(propter radicatum in corde odij fomitem)emolliti aut emendati Iudæorum primores ſacerdotes & Phariſæi,concilium coëgerunt, vt inter ſe quid facto opus eſſet,decernerent:atque in cõcilio iam congregati,dixerunt adinuicem: [c] Quid faciemus viri fratres,quo vtemur hac in re tã perplexa & periculi plena cõſilio?Homo enim iſte qui dicitur Ieſus à Nazareth,plura indies & maiora ſigna facere nõ ceſſat:ita vt in errorem incipiant induci,etiam qui in lege videntur eruditi.[d] Quod ſi ad hunc modum pergat homo iſte, & nos eum vt hactenus liberè quæ voluerit agere permiſerimus, neque authoritate aut vi illum prohibuerimus,quãtum ex ipſis initiis & multo magis ex rei proceſſu licet cõiicere,futurum eſt breui,vt omnes Iudæi ipſius doctrinam ſuſcipiant, ipſiq; fide & fauore adhæreãt,& vix quiſquam in doctrina noſtra & fide nobiſcum permaneat. Quo ſi rẽ deuenire cõtingat,mala proculdubio grauiſsima nobis obuenient,[e]Scilicet Romani, quorum poteſtati nosipſos ſubdidimus,cùm audierint Iudæos nouum quendam regem abſq; ſua authoritate ſuſcepiſſe, & illi populũ omnem adhęrere,nihil dubium,quin in vltionem infidelitatis huius,tanquã ad rebelles Cæſari, ſint cum exercitu multo & poteſtate magna venturi, [f] auferéntque à nobis & locum & populum, ciuitates omnes Iudææ in ſuum ius violenter vſurpaturi, & populum gentis noſtræ vel interfecturi gladio, vel ablegaturi

a Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos,& dixerũt eis quæ fecit Ieſus.

b Collegerunt ergo pontifices & Phariſæi cõcilium, & dicebant:

c Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit.

d Si dimittimus eum ſic,omnes credent in eum.

e Et venient Romani,

f & tollent noſtrum locum,& gentem.

a Vnus autem ex ipſis Cayphas nomine, cùm eſſet pontifex anni illius, dixit eis:

b Vos neſcitis quicquam nec cogitatis, quia expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

c Hoc autem à ſemetipſo nō dixit, ſed cum eſſet pontifex anni illius prophetauit:

d quòd Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum.

e Ab illo ergo die cogitauerūt, vt interficerent eum.

turi exilio. [a] Cùm autem ſic adinuicem conſultarent,& hinc inde à diuerſis diuerſa proponerentur,is qui cōcilio præſidebat,& cæteris tum tēporis authoritate prior videbatur, nomine Cayphas, qui anno illo ſummo fungebatur ſacerdotio, cū magno ſuper cilio cæteris imponens ſilentiū; huiuſmodi in concilio protulit ſententiam,dicens:[b]Vos quidem in re nō admodum perplexa vehementer laboratis,& in quęſtione non ita difficili difficultatem magnam confingitis,propter quam non audetis diffinitiuam pronūtiare ſententiam,ſed quaſi in dubio perplexi hæretis. Miror vobis i lud non venire in mentem,quòd expediens ſit, hunc vnum hominem morte afficere, potius,quàm vt tota gens Iudaica in periculum veniat mortis aut diſperſionis. Mihi ſanè ita videtur, & ſine vlla dubitatione ſic ego cenſeo, neque puto, quin & vos vniuerſi facilè hanc ſententiam comprobabitis. [c]Hoc autem verbum,ſecundū ſenſum veritatis quem ſpiritus ſanctus fidelibus in eo voluit ſignificare,non ex eo intellectu proloquebatur iſte Cayphas: ſed ratione pontificalis officij, eo tanquam organo vti volēs ſpiritus ſanctus,ad hoc eum permouit,vt verbum iſtud Propheticū pronuntiaret, in quo occultum humanæ ſalutis myſterium in Chriſto complendum ſecūdum ſenſum veritatis quē intendebat ſpiritus ſanctus,ſignificabatur: [d] nimirum quòd vnus homo Ieſus Chriſtus pro ſalute gentis Iudaicæ erat mortē ſubiturus,& non tantum pro gente vna Iudæorum, ſed generaliter pro ſalute omnium, vt per mortem eius omnes electi ad filiorum adoptionem & ad vitam ab ęterno prędeſtinati,qui antè per varios errores & vitia diuerſa diſperſi iacuerāt,ſub miſera diaboli captiuitate ſeruientes ad prædicationem Apoſtolorū virtutē mortis Chriſti vbique terrarum annūtiantium, ad omnimodam vnitatem congregarentur, in vnum videlicet ouile,in vnum corpus, in vnam ſanctam & catholicam Eccleſiam,in vnitate fide,iſpei & charitatis,in vno ſpiritu ſub vno paſtore & capite Chriſto Ieſu.[e] Hæc autem Cayphæ ſententia tanto plauſu & aſſenſu ab omnibus qui aderant in concilio ſuſcepta eſt,vt

eſt,vt extunc definita ſententia concluſerint, ſine vlla hæſitatione,ad hoc eſſe laborãdum, vt homo ille Ieſus à Nazareth extingueretur:& omnem ſcrupulum qui fortè conſcientiam poſſet ab eius interfectione prohibere,eſſe remouendum.Omnino enim videbatur,bonum commune,ſalus totius gentis, bono proprio vitæ vnius hominis Ieſu eſſe præferẽdum.[a] Piiſſimus autem dominus,quem illorum maligna concilia latere nequaquam poterant,ſciens nondum adeſſe horam paſsioni deputatam,furori Iudæorum cedere voluit:propter quod,in illo tempore ſtatim poſt iſtud celebratum concilium,non ambulabat in locis publicis apud Iudæos:ſed in regionem quandam deſerto Iudææ vicinam ſeceſsit, in ciuitatulam quandam humilem & parum notam, cui nomen Ephrem ſiue Ephraim:[b] ibique ad tempus aliquantum moram trahebat cum diſcipulis ſuis latitans, donec tempus adueniret paſsioni deputatum. [c] Inſtabat autem in proximo tunc illa Iudæis celeberrima ſolennitas paſchalis, & multi ex diuerſis partibus Iudææ locorũmque adiacentium paſsim aſcendebant verſus Hieroſolymam, quòd omnes Iudæos ad feſtum illud ritè celebrandum ex legis præſcripto neceſſe erat conuenire:tempus quoque neceſſarium diligenter præuenientes,vt ſeipſos expiationibus & oblationibus in templo domini ſanctificarent, mundóſque redderent, & idoneos ad paſchalem agnum in tempore & die conſtituto immolandum & manducandum.[d] Inter hos igitur,ſimul & inter alios qui in Hieroſolymis commorabantur, frequens quæſtio tractata eſt de Ieſu à Nazareth: qui dum eum quærentes nuſquam inuenirẽt,ſtantes in templo vbi eum inuenire ſolebant de eo inter ſeſe cõquirebant, quidnam eſſet cauſæ,quòd ille iuxta cõſuetudinem ad feſtum nondum aſcẽdiſſet,maximè cùm aliàs ſoleret huiuſmodi ſolennitates præcipuas multo antè præuenire, ad fructum copioſiorem in multitudine cõquirendum. [e] Pontifices autem & Phariſæi, Iudæorum primates, ſententiam ſuam in concilio definitam exequutioni mandare cupientes, iam publicauerant edictum

a Ieſus ergo iã non in palam ambulabat apud Iudæos, ſed abijt in regionẽ iuxta deſertum, in ciuitatẽ quæ dicitur Ephrem:
b & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.
c Proximum autem erat paſcha Iudæorum, et aſcenderunt multi Hieroſolymam de regione ante paſcha, vt ſanctificarẽt ſeipſos.
d Quærebant ergo Ieſum, et colloquebantur adinuicem in tẽplo ſtãtes: Quid putatis, quia nõ venit ad diem feſtum iſtum?
e Dederant autem pontifices et Phariſæi mandatũ, vt ſi quis cognouerit vbi ſit, indicet, vt apprehendãt eũ.

edictum:vt quiſquis de Ieſu noſſet, vbinam lateret, ſibi eum quantotius proderet. Videlicet ad eum finem hoc dederunt mandatum, vt cognito vbinam eſſet,miſsis miniſtris eum apprehenderent, ac deinde ad mortem pertraherent.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

D*E caſtello Mariæ & Marthæ ſororum eius.*)Græci codices habent τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς.id eſt,ſororis ipſius,nempe Mariæ.¶ *Domine ecce quem amas infirmatur.*) Micrologia eſt, parũ dicunt & amplius poſtulant,nempe fratris ſanationẽ,ſi ſic videatur expedire. Pro magnitudine ſi quidem fidei ſuæ, pauca credebant verba ſufficere multum amanti,& affectum poſtulantium etiam abſq; verbis pernoſcenti.Cæterum,nuntium miſerunt mulieres non ipſæ Chriſtum adierunt,vt fecerat Regulus atque Centurio:partim, quia fœminæ erant,& ipſarum ſexum non decebat facile domum egredi, ad loca potiſsimum diſtantia:partim, quia fratrem periculosè laborantem nõ erat honeſtum à ſororibus deſeri.¶*Nónne duodecim ſunt horæ diei?*) Præter ſenſum in Elucidatione expoſitum, varias aſsignant diuerſi intelligentias.Auguſtinus ſpiritualiter intelligit,per diem Chriſtũ, per horas duodecim,Apoſtolos duodecim: volens in hoc verbo redargui Apoſtolos, quòd quaſi conſilium dare voluerint magiſtro euadẽdi mortem,qui ab ipſo potius conſilium debuerant quærere, & ipſius conſilium atque exemplum ſequi. Quaſi dicat:Nónne ego dies ſum,& vos quaſi duodecim diei iſtius horæ ad lucendum in hac die electæ?Si ergo ego dies & vos horæ,quare mihi conſilium datis? Nunquid ſequitur dies horas,& non potius horæ diem ſequuntur? Nolite ergo mihi dare conſilium quomodo mortem effugiam, ſed ipſi potius me ſequimini:quia qui ambulat in me,& mecũ aut ſecũdũ conſilium meum,qui ſum dies vera,non offendit, quia lucem videt, &c. Chryſoſtomus & Theophylactus illud quidem quod additur,*Si quis ambulat in die non offendit,&c.*bifariam exponunt,aut nihil eſſe timendum illis qui in luce bonorum operũ agunt nullius flagitij ſibi conſcij, aut is qui in luce corporali ambulant, multo etiam magis qui in luce ſpirituali cũ Chriſto agunt non eſſe formidandũ. Illud tamen verbum præcedens, *Nónne duodecim ſunt horæ diei,* quaſi diſsimulando præterire videntur,nihil ſuper eo cõmentantes peculiare.Quidam ſic accipiunt verbum iſtud quaſi voluerit ſignificare Chriſtus,nondũ adeſſe tempus mortis ſuæ, ſecundum id quod alibi dixit,hodie & cras oportet me operari, & tertio die conſummari. Quaſi dicat Saluator:Dies habet ſuas horas, neq; arbitrio noſtro fit breuior

breuior aut longior,ſic & ego tempus habeo præſcriptum, quo debeam negotium meum peragere,quodq; nullius malitia poteſt anticipari,ac proinde nõ eſt quod mihi metuatis. Theophylactus,quoſdã dicit per diẽ intellexiſſe tẽpus ante paſsionẽ,per noctẽ ecõtrario tempus paſsionis:qui ſenſus,cũ eo qui ſtatim expoſitus eſt,ex parte conſentit. Nos in Elucidatione nihil horum ſequuti ſumus, quantũ ad primã particulam:ſed quaſi prouerbiũ commune interpretati ſumus,ad ſignificandum mutabilitatẽ humani animi ſecundum temporis diuerſitatem,ad quod propoſitum ſolet verbum eiuſmodi etiã vulgò applicari,quoniam quod vna hora placet alia diſplicet. Sed & aliàs prouerbiis ex vſu vulgato ſumptis vſum fuiſſe Chriſtũ conſtat. Veluti ſupra cap.4. *Alius eſt qui ſeminat. & alius qui metit.* Et iterum: *Nónne vos dicitis,quoniam adhuc quatuor menſes ſunt,et meſſis venit? &c.* Secũdum autem hunc ſenſum,quaſi gemina ratione ſatiſfacit trepidantibus diſcipulis dominus. Primùm quidẽ oſtendẽs fieri potuiſſe, vt Iudæorum animi iam mitigati fuerint per ipſius abſentiam,quẽadmodum aliàs crebrius vſuuenit,quando volebant quidẽ illum vel præcipitare vel lapidare,poſt tamẽ diſceſſum & aliquãtam abſentiã reuerſi,nihil tale tentabant inferre. Deinde,per rationẽ oſtendẽs, ꝙ nihil illis eſſet formidandũ,qui ſecura eſſent conſcientia, & cauſam in ſe nullam mali agnoſcerent. ¶ *Gaudeo propter vos,vt credatis.*) Non hoc dicit,quia diſcipuli antè non crediderant. Poſt enim primum ſignum in nuptiis viſũ,ſcriptum eſt: *Et crediderunt in eum diſcipuli eius:* ſed quia per hoc tam inſigne patrandum miraculum,valdè erant cõfirmandi,& prouehendi in firmitate fidei pridem conceptæ. Annotauit hoc & Auguſtinus,dicens: Meminiſſe debemus,quòd adhuc etiã ipſorum diſcipulorum qui in eum credebant miraculis ædificabatur fides:non vt ea quæ non erat eſſe inciperet,ſed vt ea quæ iam eſſe cœperat creſceret,quanuis tali verbo vſus ſit,quaſi tunc credere inciperent. Non enim ait: Gaudeo propter vos,vt fides veſtra augeatur ſiue firmetur,ſed ait,vt credatis. Quod intelligendum eſt: Vt amplius robuſtiuſq; credatis. ¶ *Eamus et nos,et moriamur cum eo.*) Chryſoſtomus & Theophylactus ex metu & triſtitia & incredulitate verbum iſtud proceſsiſſe affirmant,quaſi per ipſum cũ diſcipulos deterrere voluerit,ne dominũ facilè ſequerẽtur ad tantũ periculum. Quaſi dixerit: Eamus & nos ſtulti & inſipientes,& nõ curantes propriam vitam,vt moriamur cum eo. Poſſet tamen non minus cõmodè in melius verbum idem interpretari,tanquam ex vehementia quadã feruoris prolatum,quaſi exhortando alios cõdiſcipulos,in hoc ſenſu: Quare animam noſtram pluris faciemus nos,quàm ſuam facit præceptor no-

ſter? An eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, & ſeruus ſuper dominũ? Poſteaquam igitur ipſi placet & ſic decretum eſt ire in Iudæam, eamus fidenter cum eo, etiam ſi mori nos oporteret cum eo. Melius ſiquidé eſt nobis cum eo mori, quàm ſine eo viuere, iuſtumq; eſt tam bonũ præceptorem vel in mortem vſque comitari. Quem ſenſum, etiã veterum quoſdam accepiſſe, ex Chryſoſtomo & Theophylacto deprehendimus. Beda quoque venerabilis expreſſe hanc ponit ſententiã, his verbis: Caſtigati diſcipuli ſuperioribus verbis domini, non auſi ſunt vltra cõtradicere. Sed Thomas præ omnibus ſocios hortatur, vt irent, & morerentur cum eo: In quo magna eius videtur eſſe cõſtantia. Sic enim loquebatur, quaſi facere poſſet quę alios hortabatur, im memor ſuę fragilitatis ſicut Petrus. Qué ſenſum, nos in Elucidatione priori nõ præiudicantes, expreſsimus, tanquã Apoſtolico magis honori conſonũ: maximè quod nulla hic apponatur correctio vel increpatio, quod veriſimiliter fieret, ſi quaſi obmurmurãdo & aliqs remorãdo iſta à Thoma dicta fuiſſent. Aduertendum quoque, ꝙ iuxta Græcorũ codices, vt legendum ſit, non, &: *Eamus et nos, vt moriamur cum illo.* ¶*Vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens, Magiſter adeſt, et vocat te.*) Duobus modis id poteſt intelligi. Primo de vocatione per vocem. Secundo, de vocatione per præſentiam. Fortè enim poſt colloquium pręmiſſum, dixit ad Martham dominus: Voca ſororé tuam, ſicut illi Samaritanæ dixit mulierculæ: *Vade, voca virum tuum.* Quòd ſi etiam vocaliter Mariam non vocauerit dominus, poteſt nihilominus verè dixiſſe ad ipſam ſoror Martha, *Magiſter adeſt, et vocat te.* Nimirum per ſuam præſentiam, quoniam tanti magiſtri præſentia id expoſcebat, vt ſtatim ad illum accederet. Priorem modũ ſolum tangit Auguſtinus, dicens, in verbis Marthæ narrationis breuitate inſinuari, vbi vel quando vel quomodo vocarit Mariam dominus, licet aliàs illud Euãgeliſta nõ expreſſerit. Theophylactus verò vtrũq; modum ponit, cuius hæc ſunt verba: Quomodo auté Martha ait ad Mariam: *Magiſter vocat te,* cùm Euangeliſta hoc non aſsignarit, quod vocauerit eam dominus? Hoc ſcilicet latenter inſinuat, mandatum Marthæ à domino, vt vocet ſororem. Vel aduentum Chriſti vocis loco habebat. Dicit igitur: *Vocat te magiſter.* Quomodo enim Chriſto præſente non debebat ad ipſum etiam illa venire? Itaque aduentum domini qui neceſſario illam petebat vt occurreret ei, vocem dicit Euangeliſta: Magiſter enim, inquit, adeſt, Iſtuc ipſum adeſſe, pro voce factum eſt ad te. Detractare enim non potes, quin illum præſentem & tu accedas. ¶*Infremuit ſpiritu, et turbauit ſeipſum.*) Quoniam opus magnum valde & eximium miraculum erat oſtenſurus dominus,

dominus,pluribus ſignis veritatē in ſe voluit demonſtrare humanæ infirmitatis,coniunctā cum poteſtate diuinitatis. Propter hoc,ante miraculum fremit ſpiritu,& turbatur, & lachrymatur, quæ omnia humanæ naturæ teſtantur veritatem.Signanter verò dictum eſt, *Infremuit ſpiritu,et turbauit ſeipſum:* quoniam non ex paſsione mera fremitum illum ſuſtinuit atque turbationē,ſed voluntariè illas humanæ conditionis infirmitates aſſumpſit,quando & ſicut & quantū voluit,plenam illarum habens ad aſſumendum vel fugandū vel moderandum poteſtatem. Turbatus eſt enim Chriſtus(vt Auguſtinus ait) quia voluit,& quia voluit contriſtatus eſt,ſicut quia voluit eſuriuit, & quia voluit dormiuit quoniam in ipſius erat poteſtate, ſic vel ſic affici vel non affici. Vbi enim ſumma poteſtas eſt, ſecundum ipſius nutum tractatur infirmitas. Significatur autē in hoc fremitu & conturbatione & lachrymatione Chriſti,eodem Auguſtino annotante, quemadmodum & nos fremere & turbari & lachrymari debeamus, cùm in peccata grauia nos incidiſſe,ac moras contraxiſſe longiores, inſtar quatriduani huius in monumento fœtentis,agnoſcimus. Tūc enim quaſi in nobis fremit & turbatur Chriſtus,cùm per fidē contra noipſos & vitia noſtra fremimus & conturbamur. Poteſt etiā fremitus iſte & conturbatio aliter accipi,vt intelligatur aduerſus eū cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarū,voluntariè ab illo aſſumpta, qui mortem erat ſuperaturus,nunc quidem ex parte aliqua in reſuſcitatione Lazari,perfectius autem poſt paululū in ſuaipſius reſurrectione. Nam & illa reſuſcitatio Lazari,typus quidā erat futurę reſurrectionis omniū, & quaſi præoſtenſio quædā victoriæ plenæ qua ſuo tempore perfectè de morte triumphabit:& iſta Chriſti reſurrectio, certā ſpem præbet omnibus credentibus veræ reſurrectionis & euaſionis à morte æterna,cui per inuidiā diaboli fueramus addicti. Aſſumpſit(inquam)homo Chriſtus fremitum iſtum & indignationem ſiue conturbationē aduerſus diabolū,ad eum modū quo ingreſſurus prælium fortis armatus aduerſus hoſtem quem parat oppugnare & ſperat expugnare, ſemetipſum conturbare atque ad iracundiam (quæ animum adiiciat,& quaſi vires præbeat pugnanti)excitare ſolet. Præterea,vt his indiciis demonſtraret,per hominem in quo iſta humana oſtendebat,diabolum authorem mortis eſſe vincēdū. Quaſi ipſo facto dicat aduerſus diabolum: O nequiſsime homicida,humani generis proditor & perditor, mortis & omnium miſeriarum annexarum adinuentor?quomodo te ego poſt paululum,per infirmam iſtam(in qua modo hæc humana monſtro) naturā,traducā?quomodo te expugnabo validè?quomodo tuum caput conterā,& poteſtatē

O 2 tuam

tuam omnē confringam?quomodo te cōdemnabo,foras te eiiciam, ac perimam?quomodo ó mors tua mors ero,& quomodo de te trium phabo princeps mortis,qui nunc in poteſtatę tua aduerſus humanā naturam gloriaris?Ecce in ſignum futuræ cōſummatæ victorię,hoc tibi volo præmittere meæ gloriæ & confuſionis tuæ præludium,vt quatriduanum iſtum mortuum à morte reſuſcitem. Chryſoſtomus & Theophylactus videntur aliam ab ea quam Latina noſtra lectio prętendit,habuiſſe loci huius intelligentiam.Pro eo enim quod nos habemus,*infremuit ſpiritu*, vidētur ipſi intellexiſſe,increpauit ſpiritū, vel arguit ſpiritum:per ſpiritum videlicet affectionem intelligēdo, eo quòd affectionem huiuſmodi humanæ conturbationis per virtutē diuinitatis moderatus eſt,ne nimium excreſceret,ne cum eiulatu vocem emitteret,quod indecorùm eſſet magiſtro.Id indicare videntur manifeſtè verba iſta Chryſoſtomi.Primum humanā perfert(ſiue profert)naturā,lachrymatur & perturbatur. Norat enim lachrymas excitare,& affectum arguere.Illa enim particula (*Et infremuit ſpiritu*) motum illū cohibuiſſe ſignat,ne flendo interrogaret.*Vbi poſuiſtis eū?* Hæc ille.In quibus videtur ſpiritū pro affectione humana accepiſſe. Theophylacti autem verba (ſi modo bene translata à nobis habentur)in ſententia ferè conſonant,quoniam eandem indicant increpationem& moderationem affectus humani,ne nimium excreſceret: ſed in hoc differre videtur,ꝙ per ſpiritū intelligit ſpiritū ſanctū.Eius verba,vt habentur,in parte aliqua ſatis obſcura,hæc ſunt:Ad lachrymas quidē natura mota eſt,& cohibebatur propter Martham flentē: & illam,& eos qui aderant. Dominus autē infremit in affectionem ſpiritu,hoc eſt:increpat per ſpiritū confuſionem, & cohibet illam, & ſic rogat:*Vbi poſuiſtis illum?* vt non cum vlulatu eſſet interrogatio.Quia enim contriſtatus fuit,homo enim erat verè,& vt credibilis eſſet humana natura,permiſit illi proprium operari,& aſperè tractat carnem,increpatque illam ſpiritus ſancti virtute.Itaq; caro non ferēs increpationē,turbatur & fremit,& cum mœrore pugnat. Hæc autem omnia dominus naturam pati permittit, & vt cōfirmet quod verè & non apparenter tantum ſit homo,& vt doceat nos terminos & modū triſtitię meroris ponere.Nam abſq; compaſsione & lachrymis eſſe,beſtiarum eſt.Multum autem plorare lachrymari & contriſtari,mulierum. Igitur cùm noſtræ carnis & ſanguinis particeps eſſet,particeps quoque fuit humanarum & naturalium affectionum, Hæc ille.Videtur autem intelligētiarum iſta diuerſitas,ex ambiguitate ſermonis Græci proceſsiſſe. Gręca enim lectio habet ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, Vbi ſi datiuus pneumati,accipiatur ꝓ ablatiuo inſtrumenti

ſtrumenti,ſenſus eſt,Infremuit per ſpiritum : & poteſt intelligi per ſpiritum ſanctũ,vt dicit Theophylactus,vel etiam per ſpiritum ſuũ humanum,eo quòd à ſeipſo fremitum illũ voluntariè & ex electione aſſumpſit.Si verò pro ablatiuo deſignãte partem in qua vel ſecũdum quam fremitus & cõturbatio facta eſt,ſenſus erit,Infremuit in ſpiritu & animo ſuo,ita tamen vt fremitum ipſum & conturbationẽ ab animo etiam ad exteriora corporis mẽbra permiſerit peruenire, & ſignis ſe aliquibus prodere.In ſpiritu enim initium fuit fremitus & conturbationis,quoniam(vt dictũ eſt)voluntariè eam ipſe aſſumpſit,nõ paſsio mera iniecit,vel impreſsit.Si verò datiuus ille accipiatur,non pro ablatiuo,ſed vt terminũ ſignet vel obiectũ ipſum in qđ fremitus ille ferebatur,ſenſus habetur,quem apud Chriſoſtomũ & partim apud Theophylactum eius aſſeclã audiuimus:Increpauit vel arguit vel cohibuit ſpiritũ,id eſt,affectum ſuum,ne ſcilicet immoderata triſtitia fieret & conturbatio pro amico,ne cũ eiulatu(quod turpe eſſet tam graui viro)loqueretur interrogans. ¶*Non potuit hic qui aperuit oculos cæci nati,&c.*) Chryſoſtomus & Theophylactus inimicorum & calumniantium hęc eſſe verba exiſtimãt,quaſi miraculo præterito in cæco nato derogare Iudæi illi voluerint,& ex morte Lazari permiſſa,illud quoq; nõ eſſe factũ arguere. Veruntamẽ poteſt leuius aliquanto idem verbũ legi & accipi,vt ſolum dubitationẽ & admirationem ſignificet.*Domine,iam fœtet.*) Chryſoſtomus & Theophylactus verbum iſtud ex incredulitate dicũt Marthæ procedere,quaſi exiſtimarit ipſa impoſsibile,vt quatriduanus & iã præ corruptione fœtorem exhalans poſsit reſuſcitari ad vitã.Pro qua ſententia videtur facere increpatio,quæ adiungitur: *Nónne tibi dixi,quia ſi credideris, videbis gloriam Dei?* Beda verò ſub diſiunctione dicit, vel diffidentis vel admirantis verbũ eſſe.Atque id quidẽ ſatis eſt veriſimile,Marthã non omnino diffiſam,quæ iam antè confeſſa fuerat,poſſe illum omnia quæ popoſcerit à patre tacitè inſinuans,etiam nũc in ipſius eſſe poteſtate vt mortuũ reſuſcitet.Vnde poteſt accipi verbũ iſtud Marthæ,vt ſit admirantis,& nimiam reuerentiam erga præceptorẽ & dominum mouſtrare volentis.cuius verebatur nares benedictas odore graui offendere:& forſitan tacitè hoc verbo poſtulare volebat,vt lapide ſic manẽte & ſepulchro operto reſuſcitetaretur frater,qđ æquè ſciebat illi poſsibile eſſe,ac poſt remotũ lapidem de aperto cũ reſuſcitare ſepulchro.Sicq; illa quæ videtur ſubiungi increpatio,in tarditatem & morã ad obediendũ ferenda eſt:vel ad infidelitatis & inobedientiæ cuiuſdam apparentiã,quam ipſa verba in ſuperficie prætendebant,etiamſi reipſa nec incredula nec inobediens ſiue inuolũtaria

O 3 ipſa

ipſa extiterit. ¶*Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me.*) Notant Chryſoſtomus & Theophylactus, Chriſtum non indiguiſſe oratione ad faciendum miracula, qui & aliàs frequenter abſq; forma orandi miracula fecit, voce potius iubentis vel imperantis quàm deprecãtis vtẽs. Veluti cùm dixit dæmonio, *Obmuteſce & exi de homine.* Item cum dixit læproſo, *Volo, mundare.* Ac rurſum, quando imperauit vento & mari, & facta eſt tranquillitas, aliáſq; frequenter. Videlicet quoniam in ſe diuinam habebat virtutẽ, per quã miracula facere poterat, cùm vellet, æquè ac pater, cui erat conſubſtantialis & virtute coæqualis. Propter hoc, etiam modo tam grande patraturus miraculũ, orationis formã non præmittit, & in operãdo voce vtitur imperatiua, dicẽs: *Lazare, veni foras*, nõ deprecatoria, vt dicat: Pater reſuſcita Lazarũ. Videlicet, ne fortè exiſtimẽt homines, non fuiſſe intrinſecã ipſi virtutẽ qua hæc fiebant ſtupenda. Voluit nihilominus patri gratias agere, vt mõſtraret ſuam erga patrem gratitudinẽ, ꝙ agnoſceret ſe omnia habere à patre. ¶*Ab illo ergo die cogitauerunt Iudæi interficere eum.*) Græcè eſt συνεβουλεύσαντο ſynebuleuſanto, id eſt eſt, ſimul conſultabant, & cõſiliũ inibant, de modo videlicet tractantes, quo illũ ad mortem adducerent. Iam enim definita ſententia erat & cõcluſa, ꝙ morti eſſet tradendus. Id quod pulchrè etiam Theophylactus indicauit. Manifeſtum, inquiens, quod ab illo die ſententiam confirmarũt: & antea quidem cædem illius meditabantur ſed remiſsius, & quæſtio magis erat quàm ſententia. Nũc autem, poſtremum iudicium & firma ſententia. Simile quiddã paucis & Chryſoſtomus indicat. ¶*In ciuitatem quæ dicitur Ephrem.*) Græci codices pro Ephrem, habent Ephraim.

ELVCIDATIO CAP. XII.

IEſus ergo ante ſex dies paſcha venit Bethaniã vbi Lazarus fuerat mortuus quem ſuſcitauit Ieſus.
b Fecerunt autẽ ei cœnã ibi: & Martha miniſtrabat.
c Lazarus verò vnus erat ex

POSTEA verò quàm latuiſſet aliquandiu dominus Ieſus, iam proximè imminente paſsionis tempore, ſexto die ante paſchalẽ ſolennitatẽ, prodiit, venítque in Bethaniã locũ ciuitati Hieruſalem vicinũ, vbi paulo antè ſtupendũ illud miraculum reſuſcitationis Lazari patrauerat. [b] Apparauerũt autẽ ei illo in loco conuiuium magnificum, quo eum vt hoſpitem gratiſsimum amicè exciperẽt: erátq; Martha quæ vnicè Chriſtum diligebat, & circa ipſius miniſterium ſolita erat occupari, in illo conuiuio miniſtra, propter hoſpitis præcellentem reuerentiã, & nimiã ſuã erga illũ charitatem. [c] Lazarus autem frater

ter eius, quē à mortuis quatriduanū dominus ſuſcitauerat, vnus de numero conuiuarū menſæ accūbebat. [a] At verò Maria ſoror Marthæ & Lazari, quæ erga dominū ardētiori deuotionis flagrabat amore, ſorore in miniſterio occupata, fratre verò ad mēſam cum domino accūbente, tota intēta quomodo eximij honoris ſignū aliquod poſſet exhibere, accepit librā pretioſi vnguēti, quod ex nardo piſtico, id eſt fideli, germano puro, probato & nō vitiato confectum fuerat? [b] accedénſq; ad pedes eius, quos ſciebat lōgo itineris làbore fatigatos, cœpit vnguēto illo eos inūgere, atq; capillis capitis ſui poſtquam abluiſſet, abſtergere: ad hūc modū non modo externa ſua bona, verūetiā ipſa ſui corporis mēbra, in obſequiū Chriſti impendēs ob maximā quā erga illū gerebat in corde reuerentiam. [c] Atq; hinc tāta fragrātia odoris emanauit, vt domus vniuerſa odore huius vnguēti impleret: ita vt nullus eſſet angulus, ad quem nō huius vnguēti bonus odor pertingerer. [d] Quod factū vidēs vnus quidā ex diſcipulis Chriſti, Iudas à Scariot, qui poſt nō multū temporis futurus erat domini ſui traditor, magna indignatione cōmotus, dixit ad cōdiſcipulos: [e] Cui tandē cōmodabit iſta tā pretioſi vnguenti tā inutilis profuſio? Nōne prǽſtitiſſet vnguentū iſtud tricētis denariis vēdi, atq; in pauperū neceſſitates pretiū illud tam ingēs erogari? [f] Dixit autē hoc ille, nō ꝙ pauperū ex miſericordia curā gereret, ſed quia auaritię malo vexatus, furtū meditabat: & officio ſibi cōmiſſo geſtādi cōmune marſupiū (in quo ſeruabātur ea quæ dabant in ſuſtentationē familiæ Chriſti) per auaritiā abutēs, ex iis quę in loculos ad cōmunē neceſſitatē inferebātur, ipſe ad priuatā vtilitatē furto aliquā portionē ſubtrahebat propria ſua, non domini, aut cōmunis collegij, aut pauperū, cōmoda quærēs. [g] Sciens autē Ieſus doloſum & auarū illius animū, ꝓ Maria tacente, & cauſam ſuā ei cōmittēte, ita reſpōdit: [h] Nō eſt tibi, ò Iuda, iuſta ratio ob quā huic mulieri debeas eſſe moleſtus, vel aduerſus eā iure indignari: ſed permitte eā cū pace & abſq; murmure ꝑagere qđ cœpit. vt cū aduenerit qi ꝓximo eſt dies ſepulturę meę, ſeruet vnguē-

diſcumbentibus cum eo.

a Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi,

b & vnxit pedes Ieſu, & extersit pedes eius capillis ſuis.

c Et domus impleta eſt ex odore vnguenti.

d Dixit ergo vnus ex diſcipulis ei⁹ Iudas Scariotis qui erat eū traditurus:

e Quare hoc vnguentū non veniit trecentis denariis, & datū eſt egenis?

f Dixit autem hoc, nō quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat & loculos habēs ea quæ mittebātur portabat.

g Dixit ergo Ieſus:

h Sine illā, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.

tum ſuum quod in me tunc deſiderabit expēdere, ſed ob reſurrectionis meæ nimiam accelerationem non poterit. Aeſtimate nūc eam dum tempus habet, illud mea permiſsione quaſi præueniendo facere, quod mihi ſepulto facere volet, & non ei dabitur. Quod enim nunc videtur ante tempus effundere, tunc ſeruabit, quando effundendi tempus videbitur. [a] Nam quod de pauperibus paulo antè obiectum eſt, nihil operis bonitati detrahit, neque mulieris factum exponit calumniæ. Donec enim in hoc curſu mundus perſtabit, nunquā pauperes & inopes deerunt, quibus quoties & quantū licuerit atq; libuerit, poteritis etiam poſt meum à vobis abſceſſum benefacere. [b] Me vero ſecundum corporalem hanc & viſibilem præſentiam non ſemper, imo non diu, vobiſcum habebitis, neque diu mihi poterunt huiuſmodi humanitatis obſequia impendi. Propter quod, nequaquam eſt hæc arguenda, ſi interim dum tempus habet, liberalius erga me agat: neq; prodigalitas debet æſtimari, hæc eius erga me liberalis & munifica deuotio. [c] Plurimi itaque ex Iudæis (quoniam vicinus erat ciuitati locus) ſtatim reſciuerunt Chriſtum veniſſe Bethaniam: properantésque de ciuitate, exierūt illuc, vt tanti miraculi de Lazari reſuſcitatione (quod iam per omnes certiſsimo rumore ſpargebatur) cernerēt patratorē: neq; ipſum ſolum, ſed cum eo pariter & Lazarum, in quo miraculum illud tam glorioſum patratum audierant. Propterea magis Bethaniam cōfluebant, vt viderent reſuſcitatorem & reſuſcitatum ſimul aſsidere cōuiuio, ſimul frui colloquio. [d] Atque hac de cauſa ipſe quoque Lazarus in odium iam venerat principum ſacerdotum, ita vt agerent inter ſe etiam de illo ſimul cum Chriſto interficiendo: videlicet quoniam videbant multos quotidie Iudæos, fama miraculi huius certo relatu inualeſcēte, infidelitate & perfidia Iudaica abnegata, Chriſto ſe per fidem adiungere: eiusque doctrinæ fauorē & fidem præſtare. Videlicet ita gloriæ Chriſti inuidebant illi impij, vt pro ea ſupprimenda, etiam nobilem hominem & prorſus innocentem cogitarēt interimere. [e] Poſtridie vero eius diei, quo in Betha-

a Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum: b me autem nō ſemper habetis. c Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic eſt: et venerūt, non propter Ieſum tantum, ſed vt Lazarū viderent, quem ſuſcitauit à mortuis. d Cogitauerūt autē principes ſacerdotū, vt & Lazarū interficerēt, quia multi propter illū abibant ex Iudæis & credebāt in Ieſum. e Incraſtinum autē turba multa quæ venerat ad diem feſtum cùm audiſſent quia venit Ieſus Hieroſolymā, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiā ei, et clamabant Oſanna.

Bethania exceptus fuerat, plurimi ex eis qui cauſa feſtiuitatis paſchalis celebrandæ ex variis habitationis ſuæ locis Hieroſolymã confluxerant, cùm relatu præcurrentium nũtiorum audiſſent Ieſum illum glorioſum Prophetã, de quo tã multa iã audierant, à Bethania aduenire Hieroſolymã, acceptis in manibus ſuis ramis palmarũ, in ſignũ honoris & lætitiæ, cũ gaudio & exultatione obuiam ei proceſſerunt de ciuitate, vt cũ gloria & triumpho quodã eũ deducerẽt, atq; in ciuitatem inducerẽt, tanquã omni honore verè dignũ. Inſuper & triumphales voces addebant, clamantes & dicẽtes: Salua nos obſecro, Meſsia Saluator: p re quæſumus, veniat nobis diu optata & repromiſſa ſalus. [a] Tibi laus, honor, gloria, & omnis benedictio, qui ad nos venis in nomine domini, miſſus nobis à Deo, vt regnes ſuper Iſraël, & regnãdo illã nobis præſtes quã hactenus tantum promiſerunt Prophetæ, ſalutem. Videlicet ita ſpiritu ſancto diſponẽte, iſta geſta dictáq; fuerũt, vt ante imminentis paſsionis ignominiã, tam ſignis quàm vocibus proteſtarentur populi ſimplices futuram Chriſti de morte victoriam, vérumq; eius in electis regnũ, & cõferendã prædeſtinatis omnibus veram ſalutẽ. [b] Nactus quoq; eſt dominus Ieſus, Apoſtolis adducẽtibus ex caſtello propinquo, vilem aſellum, pullum aſinæ, qui cũ matre fuit adductus: ſeditq; ſuper eum dominus, atque ita in humili hac magnificentia per viã proceſsit Hieroſolymã. [c] Id quod tanquam inſigne aliquid & multa cõſideratione dignũ, olim fuerat per Prophetã Zachariã prænuntiatum in hanc ſententiã: [d] Noli timere popule qui habitas in Hieruſalem, imò exulta & gloriare in domino Deo tuo: quonia ecce rex tuus ille diu deſideratus, in tẽporis plenitudine veniet ad te, vt viſitet, regat, ac ſaluet populum ſuum: in magna vtique humilitate & manſuetudine ſe tibi oſtentans, nimirum humili vectus aſello, pullo inſidens aſinæ ſubiugalis. [e] Huius autem proceſsionis myſterium, nec ipſi quidem eius diſcipuli & Apoſtoli tunc cùm gereretur, antequã paſſus eſſet & reſurrexiſſet dominus: intelligebant: neque hoc ita à Propheta prædictum aduertebant. Verùm

a Benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſraël.

b Et inuenit Ieſus aſellum & ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt:

d Noli timere filia Syon, ecce rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſinæ.

e Hæc non cognouerũt diſcipuli eius primũ ſed quãdo glorificatus eſt Ieſus, tũc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei.

rũm poſt ipſius domini glorificationem, poſtquam à mortuis ſuſcitatus aperuit eis ſenſum, vt ſcripturas intelligerẽt, ac deinde ad cælos aſſumptus ſpiritũ ſanctum miſiſſet ad illos, qui eos de omnibus inſtrueret, tunc aduerterunt & cognouerũt, quod prius non aduerterant, proceſsionis huius myſterium, & quod ſic per Prophetam fuiſſet prænuntiatum, & quod iuxta Propheticum vaticinium iſta ſic in eo adimpleſſent.

a Teſtimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarus voca- uit de monumẽto & ſuſcitauit eum à mortuis.

a Cauſa verò quæ populum ad hunc tam inſolitum triumphũ Chriſto exhibẽdum, quantum ex ipſorum parte mouebat, hinc erat, quoniã multitudo magna eorum qui ſimul aderãt ſpectatores, quãdo Lazarum iam quatuor dies defunctum de ſepulchro voce magna euocauit, ſicque in oculis omnium à morte ad vitam reduxit: hæc (inquam) ſpectatorum multitudo teſtimoniũ veritati perhibebat, rem quam oculis viderant nec valentes nec volẽtes celare, ſed palam omnibus enarrantes, tam aduenis quàm indigenis.

b Propterea & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.

b Hinc videlicet factum eſt, vt turba populi obuiam illi cum gaudio & exultatione procederet, propter tanti ſigni quod fide digno relatu ab eo patratum eſſe audierant, claritatem: ob quod merito, omni honore eum iudicabant digniſsimum.

c Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis quia nihil proficimus.

c Videntes autem & audientes iſta Phariſæi, quibus nihil erat æquè inuiſum atque gloria Chriſti, indignatione commoti, coacto concilio, dixerunt adinuicem: Res ipſa & experientia quotidiana hoc monſtrat, nos aduerſus Chriſtũ hunc nihil proficere, quanquã tot iam conſultationibus ſuper ea re habitis, toties illi poſitis inſidiis, tot viis, & modis à nobis iã ſæpe tẽtatis.

d Ecce mundus poſt eum abijt.

d Siquidem his omnibus nihil obſtãtibus, videmus plures in dies à nobis abſcedere, atq; illi ſe per fauorem & fidẽ adiũgere: & i.i penè omnes eũ ſequuntur, fauentes & credentes ei. Omnino igitur alio nobis eſt conſilio opus: nec differẽda eſt mors eius, vbi primũ ſe cõmoda occaſio obtulerit.

e Erant autem quidam gentiles ex his qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto.

e In illo autem tempore, aderãt gẽtiles quidam ex eorũ numero, qui ex deuotione erga Deum Iſraël (qui etiã in gentibus tũ noſci & ex parte aliqua coli cœperat, appropinquante tempore conuerſionis gentiũ) aſcenderant Hieroſolymã, vt in

ſolen

ſolennitate illa paſchali Deum Iſraël adorarent. [a] Hi auditis iis quæ de Chriſto paſsim ferebantur, & quæ iam fortè viderant circa ipſum fieri, magno deſiderio tenebãtur videndi illum de quo tanta audierant, vt eo certius rem omnem aliis quoque enarrare poſſent cùm ad ſuos peruenirẽt. Sed cùm per ſemetipſos non auderẽt, præ humilitate & verecũdia Chriſtum conuenire, acceſſerũt ad quendam ex diſcipulis eius: Philippũ ſcilicet, qui erat à Bethſaida ciuitate Galilææ: rogauerúntque eum, dicentes: [b] Domine nos magno tenemur deſiderio magiſtrum veſtrũ Ieſum, de quo tanta nobis narrata ſunt, videndi. Oramus tuam humanitatem, vt per eam nobis detur ad eius conſpectũ pertingere. [c] Philippus verò ſic ab his interpellatus, & ipſe præ humilitate non eſt auſus per ſemetipſum accedere præceptorẽ: ſed Andream vt prudentiorem, hac in re, quid facto ſit opus, conſulit. [d] Simul autem hi duo Andreas & Philippus, dominum cum reuerẽtia debita accedunt, indicantes ei deſideriũ & poſtulationem hominum illorum gentilium. [e] Tum Ieſus exultans in ſpiritu, propter aduẽtum gentilium iſtorũ (qui ſignum erat futuræ in proximo conuerſionis omniũ gẽtium) ita loquutus eſt illis qui aderant tam Apoſtolis, quàm aliis audientibus: [f] Iam in proximo eſt tempus à patre definitum, quãdo ego in tempore factus homo ſecundũ aſſumptam humanitatem glorificabor: quando & humanitas mea nunc inter homines deſpecta, apud patrem in dextera eius exaltabitur: & gloria nominis mei, quæ iam ſolis Iudæis, & iis quidẽ paucisſimis eſt cognita, toti orbi & omnibus gentibus fiet manifeſta. [g] Veruntamen, vt modum cognoſcatis quo ad hanc glorificationẽ poſterius ſim peruẽturus, illud in veritate dico vobis, quòd niſi granum tritici, aut aliud quodlibet in terram cadens, illic mortuum fuerit, & quaſi corruptum ac putrefactum, non multiplicabitur in grana plura. [h] Si vero poſtquam ceciderit in terram, in ea diu abſconditũ corrumpatur & quaſi putrefiat, vt in ſe videatur prorſus inutile, ita demum multiplicabitur in grana plurima, quæ in ſpicis ex ipſa enaſcentibus ſupernè prodibunt

a Hi ergo acceſſerunt ad Philippũ, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabãt eum, dicentes.

b Domine, volumus Ieſum videre.

c Venit Philippus, & dixit Andreæ,

d Andreas rurſum & Philippus dixerunt Ieſu.

e Ieſus autem reſpondit eis, dicens:

f Venit hora, vt clarificetur filius hominis.

g Amen amen dico vobis: niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.

h Si autem mortuũ fuerit, multum fructum affert.

bunt opportuno tẽpore. Ita & ego, donec per paſſionem & mortem totus reddar cõtemptibilis, atque in ſepulchro tanquam mortuus & prorſus inutilis recondar, nõ multiplicabuntur fideles in me credẽtes. Poſt paſſionem verò & mortem reſuſcitatus fructum plurimũ proferam in omnibus gentibus & populis, vbique habiturus fideles credentes in nomine meo: ſicq; per abiectiſsimam humilitatẽ, ad ſummã exaltationem prouehetur mei nominis gloria. [a] Et nunc meo exemplo vos omnes mihi credẽtes inuitans & exhortans, dico vobis: Quiſquis animam ſuam inordinato diligit affectu, ſic vt temporalẽ iſtam vitã mihi præponat, aut me abnegare malit, quàm illã perdere, itẽ vt prauis vitæ huius deſideriis velit magis obſequi, quàm meis obtemperare mãdatis, is ſibi peſsimè cõſulit, & animã quã videtur velle ſeruare, miſerè perdit: dum vitam temporalem & carnalem ſupra Deum diligendo, mortis æternæ reus efficitur. [b] Contrà verò, qui propter amorem meum in hoc tẽpore exoſam habet animam ſuam, ſic vt vitam iſtam temporalem qua in hoc mundo viuitur pro meo nomine libenter expendere ſit paratus, propriæ quoque carnis deſideria propter me ſit paratus mortificare, is ſibi optimè conſulit: quoniam in vitam æternam animam ſuam cuſtodit, dum fideli hac & ordinata dilectione, qua Deum plus quàm ſe diligit, vitam promeretur æternam, omnibus Deum fideliter diligentibus repromiſſam. [c] Et generaliter, quiſquis mihi rectè & fideliter ſeruire velit, ita ſe paret, animumque inſtituat, vt per eaſdem vias quibus ego prior inceſsi, & ipſe poſterior incedat, vt humilitatis, manſuetudinis, obediẽtiæ, patientiæ, cæterarùmq; virtutum exempla, quæ ego inter homines agens in memetipſo demõſtraui, ſedulò obſeruet & fideliter inſequatur. [d] Qui autem mihi fidelis miniſter comprobatus fuerit, hunc ego tali remuneratiõe dignabor, vt vbi ego ſum (modo quidem & ſemper, ſecundũ diuinitatem: poſt paululum verò, etiam ſecundum humanitatem) illic & ipſe peracto curſu vitæ huius, futurus ſit mecum: nempe in gloria patris mei, in beatitudine cęleſti, vbi ſine fine mecum exulta

a Qui amat animam ſuam, perdet eam.

b Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternã cuſtodit eã.

c Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.

d Et vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.

exultabunt fideles omnes miniſtri mei.[a] Neque ego tãtum magnificiam eos qui mihi miniſtrant, ſed & pater meus cęleſtis eodem eos affectu diliget,& eodẽ dignabitur honore,habiturus eos vt filios domus ſuę & cõuiuas menſæ ſuæ, propter fidem & dilectionem qua mihi adhæſerunt dum viuerent in hoc mundo. [b] Ne verò me exiſtimetis, tanquam impaſsibilem & humanarum affectionũ expertem ,facilè de contemnenda vita præſenti velut philoſophando tantum & cõtemplando diſputare, ecce ex conſideratione imminentiũ mihi de proximo paſsionum turbatur nũc intra me naturalis animæ affectio,propter naturalem vitæ amorem & mortis hoorrorẽ, volũtariè ſic in me ipſo ſuſceptis naturę humanę neceſsitatibus,vt vobis in meipſo formam patientiæ & contemptus præſentiam demonſtrem. [c] Et quid in tanta hac conturbatione naturali poſitus dicam? Putatis quòd ob hanc cõturbationem fugere velim quæ mihi ex patris volũtate ſunt perferenda crucis mortiſque ſupplicia, vt poſtulẽ à patre,& dicam finali reſolutione ſecundum rationis iudicium: [d] Pater ſaluifica me ex hora iſta paſsionũ imminentium,vt ſuper me illæ nõ veniant? Nũquid hoc pacto adueniẽte paſsionis hora & morte imminẽte,quærere vellem ſubterfugium & euaſionem? Abſit.[e] Imò verò ad hunc finem in horam iſtam & neceſsitatem quandam vltro & ſponte mea veni, propterea homo factus ſum & fini iã factus vicinus, vt calicem amarę paſsionis pro humani generis ſalute ſuſtineam. Vnde licet naturalis affectio vitam diligat,ac mortem abhorreat, nolo tamen ab eo quod à patre decretum eſt,& à me vltro ſuſceptum eſt duro mãdato, ſubterfugium quærere, aut petere euaſionẽ. [f] Sed hoc vnum concludens à patre meo ſecundum ſpiritum finali reſolutione poſtulo, vt illud de me & in me faciat, in quo ſuum maximè nomen glorificetur, quicquid illud fuerit, quãtumuis carni durum, aut animæ ſecundũ naturalem affectionem exoſum non reſpiciẽs ad meæ infirmæ carnis imbecillitatẽ, quandoquidem ad omnia quę ipſe voluerit pro ſui nominis gloria de me fieri, ſpiritus eſt prõptus atque paratus

a Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eũ pater meus.

b Nunc anima mea turbata eſt.

c Et quid dicã?

d Pater, ſaluifica me ex hac hora.

e Sed propterea veni in horam hanc.

f Pater clarifica nomen tuũ.

tus

a Venit ergo vox de cælo, dicens:

tus. [a] Cùm autem hæc ita orando diceret dominus Ieſus, vox interim audita eſt de cælo adueniēs, à patre ad filij gloriam formata, quæ in hūc ſonabat modum:

b Et clarificaui, & iterū clarificabo.

[b] Iam ego ex parte aliqua nomen meum ac tuū clarificaui, & amplius illud clarificabo. Per te iam cœpi nomē meum manifeſtare mundo, ac poſt paululū te glorificato, amplius ipſum manifeſtabo, per orbem vniuerſum.

c Turba ergo quæ ſtabat vt audierat, dicebat tonitruum eſſe factum.

[c] Turba autem rudis & malè capax rerum cœleſtium, quæ Chriſto aſtabat, audita hac voce terribiliter in aures omniū inſonante, dicebant, tonitrui ſonitum eſſe quod audierant, quibus præter ſonum nihil auribus fuiſſe videtur illapſum, cùm vox eſſet articulari verborum diſtinctione formata.

d Alij autem dicebant: Angelus ei loquutus eſt.

[d] Alij verò, quibus plus inerat iudicij, quíque articulatā diſtinctionem vocis illius auribus corporis aliquatenus deprehenderant, tametſi intellectū verbi non apprehēdebant, dicebant, angeli Chriſtum alloquentis vocem eſſe quæ audita fuerat.

e Reſpondit Ieſus, & dixit:

f Non propter me hæc vox venit ſed propter vos.

[e] Ieſus autem, illis incerta & diuerſa loquentibus, ita ſubintulit: [f] Vox iſta quam modo audiſtis, non propter me venit: vt mihi per eā aliquid ſignificetur, quòd ſine ea non noſſem: ſed propter vos veſtrámque ædificationem & vtilitatem de cælo facta eſt, vt hoc indicio cognoſcentes me à patre miſſum (qui me ſemper audit) credatis ſermonibus meis.

g Nūc iudiciū eſt mundi.

[g] Iam enim tempus aduenit, quo mundi fiet iudicium: quando pro hominibus in hoc mundo ſub tyrannide diaboli in tenebris & vmbra mortis habitantibus, fiet iudicium, contra oppreſſorem diabolū: ipſe verò qui hactenus per tyrannidem in mundo eſt principatus.

h Nūc princeps huius mundi eiicietur foras,

[h] Diuina ſententia & iuſto iudicio cōdemnatus, foras eiicietur & expelletur, à domino ſuo, quòd ſibi hactenus iniuſtè vſurpauerat. Iam enim in proximo genus humanū, per meam mortē de poteſtate diaboli liberabitur: vt ita in neminē vltra quicquā ſit iuris habiturus vel imperij, qui in me credere illúmq; abnegare voluerit. Perficietur autē, hæc generis humani liberatio, per meæ paſsionis humilitatem.

i Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.

[i] Ego enim cùm ligno crucis fuero affixus, atque ita in aërē à terra fuero ſubleuatus, ſic pendens & moriens in cruce, totum ipſum hominem ſe-

cundum

cūdum omne quod ipſe eſt, & vniuerſum humanum genus,ſiue omnes homines, quantum ex mea parte erit,redimam de poteſtate diaboli:perſolutóque illic ſanguinis mei pretio ad omnium redemptionem ſufficiētiſsimo,vniuerſos mihi comparabo,& meos eſſe faciam, ſicque ad me traham omnia. [a] In hoc autem verbo præſignabat dominus modū paſsionis & mortis ſuæ,per quam ad patrem erat tranſiturus, ac humanū genus de manu diaboli redépturus.In exaltatione enim illa à terra, manifeſtè ſatis indicauit ſuppliciū crucis. [b] Reſponderunt autem ei quidam Iudæorum in turba circunaſtantium,dicentes:Nos ex ſcripturis ſanctis legis atq; Prophetarum didicimus, Chriſtum victurum & regnaturum in æternum, vitæq; eius & regni nullum fore terminū.Quomodo igitur tu, qui Meſsias haberi vis,& à pleriſq; æſtimaris, ſalua veritate aſſerere potes,te in cruce exaltādum eſſe,& in ea moriturum? [c] Aut quis iſte eſt filius hominis,de quo loqueris,& quem tu dicis exaltandum, vt ad ſe trahat omnia?An teipſum putas, an fortè alium aliquē quē nos ignoramus? [d] Reſpōdit illis dominus: Adhuc aliquantulū temporis apud vos ego permaneo, qui ſum verū lumē mundi:nō diu lumē iſtud quod modo vobis offertur apud vos demorabitur.Modicū quoq; luminis & bonæ cognitionis in vobis adhuc eſſe demōſtratis:hoc teſtificātes,quòd in æternum Chriſtus permaneat. [e] In hoc igitur lumine quod adhuc vobiſcū eſt,proficiēdo ambulare ſatagite, donec vobis offertur:ne ſi oblatam gratiam modo reſpuatis,digni efficiamini quos tenebræ cōprehendant:nūc quidem tenebræ praui erroris,vnde vobis nunquā cōtingat reditus,poſt verò tenebræ ſempiterni horroris. [f] Is autē qui ambulat ſine lumine, in tenebris, incertis greſſibus,neſcit quò vadat:neque viam noſcens per quam ambulat qualis ſit,neque ipſum terminum ſiue exitū viæ qualis futurus ſit:atque ita in periculo eſt offenſionis & perditionis. [g] Proinde dum apud vos lucem habetis me, (qui ſum lux mundi) meámque doctrinam(quæ lumē eſt mundi)videte vt lucē propoſitam nō abiiciatis,nec ab ea vos auertatis, per infidelitatis malitiam

a Hoc autem dicebat ſignificans qua morte eſſet moriturus.

b Reſpondit ei turba:Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum:& quomodo tu dicis:Oportet exaltari filium hominis:

c Et quis eſt iſte filius hominis?

d Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum lumē in vobis eſt.

e Ambulate dū lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.

f Et qui ambulat in tenebris: neſcit quò vadat.

g. Dum lucem habetis, credite in lucem.

malitiam:ſed ad ipſam potius vos conuertite, & toto corde in eam credite: [a] vt filij lucis ac Dei eſſe & appellari mereamini, nõ filij tenebrarum & diaboli: cuiuſmodi ſunt omnes qui in propoſitam lucem nolunt attẽdere vt liberẽtur, ſed in tenebris ſuis ſub antiqua Diaboli tyrannide magis eligunt permanere. [b] Hæc atque alia plura his ſimilia ſalutis æternæ verba audientibus turbis loquutus eſt dominus Ieſus: ſermonéq; finitò, cognoſcens plurium, qui illic aderãt malitiã & machinationes iniquas, ábſceſsit inde, & abſcondit ſe ab eis, cedere volens furori inſano Iudæorum, eo quòd noudum adueniſſet paſsionis hora, tametſi non lõgè iam abeſſet. [c] Et hactenus quidẽ multa & magna diuinæ virtutis ſigna, clara deſcriptione narrauimus, per Chriſtum Ieſum ad ſuæ doctrinæ cõfirmationẽ ex patre facta & exhibita, ante òculos omnium. Veruntamen hæc omnia ſigna, tã multa, tam magna, tam apertè exhibita, permodicum in populo Iudæorum fructũ fecerunt, bona parte eorum in ſua infidelitate perſeuerante, & paucisſimis verè atq; ex animo àd Chriſtũ conuerſis. [d] Atque ita adimpleta eſt Prophetia Eſaiæ, quã ex perſona prædicatorũ veritatis, & potiſsimũ eorum qui in plenitudine temporis gloriã Chriſti prædicaturi erãt protulit, dicens: [e] Domine, perpaucos inuenimus in populo tuo, qui noſtris ſermonibus quos à te audiuimus, & aliis prædicandos ſuſcepimus, fidem habere voluerint: [f] & qui brachium tuum illud glorioſum, benedictum filium tuum (ad cuius prædicationem nos deſtinaſti) per fidem cognoſcant, nimium rari ſunt. Obſtinato enim animo, penè omnes in illum credere recuſant: & quã de illo prædicandam nobis tradidiſti doctrinam, ſuſcipere pertinaciſsimè renuunt. [g] Ac rurſum per hanc illorum obſtinatam infidelitatem, qua credere pertinaciſsimè omnino recuſabant, alia quoq; Prophetia eiuſdem Eſaiæ impleta eſt, qua de infidelitate iſta in hanc ſententiã loquutus eſt: Permiſit Deus iuſto ſuo iudicio mẽtales Iudaici populi oculos excæcari, atq; ita eorũ corda peruerſæ malitiæ propoſito obdurari & obfirmari: vt neque mentis oculis videre poſsint,

aut

a Vt filij lucis ſitis.

b Hæc loquutus eſt Ieſus, & abijt, & abſcondit ſe ab eis.

c Cùm autem tanta ſigna ſeciſſet coram eis non credebant in eum.

d Vt ſermo Eſaiæ impleretur, quem dixit.

e Domine, quis credidit auditui noſtro?

f & brachium domini cui reuelatum eſt?

g Propterea nõ poterant credere, quia iterum dixit Eſaias:

h Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos.

aut velint veritatem,tametſi luce clarius propoſitam, neq; affectum voluntatis ad intelligendum illã inflectere,ex quibus deinde conſequitur, vt nec conuerti poſsint à ſua malitia,nec ſanari à ſuis miſeriis.Qui enim ea obſtinatiſsimis animis repellunt:per quæ ſola conuerti poſſent & ſanari,his nulla ſpes conuerſionis atq; ſanationis videtur eſſe relicta.[a] In hãc ſententiã multo ante Chriſti aduentũ loquutus eſt Eſaias,poſtquam vidiſſet maieſtatẽ Dei in templo ſuper thronũ reſidentis,in medio Seraphim Deum laudantium:& hęc de Chriſto loquutus eſt.Tametſi enim tunc viſus fuerit illa tantum protuliſſe ad populum ſui tẽporis, Prophetarum ex ore domini loquentium verba ſpernentem:potiſsimum tamẽ notare voluit hæc ſcribẽs, illam quam in temporis plenitudine aduerſus ipſum Prophetarum dominum illorum poſteri erant monſtraturi infidelitatem.[b]Attamen & ex præcipuis Iudæorũ,qui inter cæteros maiore authoritate pollere videbãtur,nõ pauci de Chriſti doctrina aliqua ex parte rectè ſentiebãt,cognoſcẽtes eũ recta dicere,& vera atq; vtilia docere.[c] Sed imperfecta fuit & inſufficiens iſtorum fides,charitate ſufficienti nõ formata: quoniam propter timorẽ Phariſæorum implacabili odio Chriſtum & qui ei fauebant pertinaciſsimè perſequentium,non auſi ſunt confiteri quod credebant: [d]vt non à ſynagoga eiicerentur,& à cõmuni Iudæorum conſortio ſepararentur cũ ignominia:quę pœna iam antè per Phariſæos erat conſtituta,iis qui cõfiterentur Chriſtum.[e]Videlicet gloriam mundi huius,& honorem quæ eſt apud homines, ſtulti illi præponebant gloriæ verę,quæ eſt apud Deũ,& glorię illi qua glorificatur ipſe Deus:dum propter temporalem confuſionem euitandam,neglexerunt id quo Deus maximè glorificatur:id eſt,confeſsionem veritatis,& quo apud Deum vera ac ſolida gloria comparatur.[f] Dominus autem Ieſus, vt infidelitatẽ Iudæorum magis argueret,& ſuos diſcipulos in recta fide amplius firmaret,in loco publico palã omnibus,exaltata voce,velut concluſionem quandam & epilogum totius prædicationis ſuæ, ex magno affectu protulit, dicens:

a Hæc dixit Eſaias,quando vidit gloriã eius, & locutus eſt de eo.

b Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum:
c ſed propter Phariſæos non confitebantur,

d vt è ſynagoga non eiicerentur.

e Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.

f Ieſus autẽ clamauit, et dixit:

a Qui credit in me, non credit in me, ſed in eũ qui miſit me.

[a] Si quis in me credit, non putet ille ſe tantum in purum aliquem hominem credere, iſtum videlicet quẽ oculis corporis videt, ſed in me credẽdo, ſi rectè credit, ſimul quoq; credere debet in patrem meũ qui me miſit. Nam qui in me rectè credit, tanquam in filium Dei patris & miſſum à patre credat, neceſſe eſt. [b] Sic item qui me videt per fidem rectam, videt eadẽ fide & patrem qui me miſit: quoniam per fidẽ me cognoſcit vt filiũ patris, & ab eo miſſum. [c] Ego qui ab ęterno à patre ſicut lux coæterna de luce æterna procedo, in temporis hac plenitudine per aſſumptam humanã naturam veni in mundum, tanquam mundi lux vera, ad illuminandum vniuerſos: vt quiſquis per fidem voluerit ad me conuerti, non maneat in tenebris ignorantiæ atq; peccati, neq; ad tenebras perueniat dãnationis æternæ: ſed per meam doctrinam, de tenebris mortis, ad lucem & vitam reſtituetur. [d] Quòd ſi quis meos ſermones audierit quidẽ auribus corporis, ſed non auditu mentis dignè exceperit, nec fideliter credendo & obediendo eos cuſtodierit, ille tametſi propter contemptum doctrinæ meæ dignus ſit condemnatione, ego tamẽ in hoc tempore, in hoc meo aduẽtu primo (qui eſt humilitatis & miſericordiæ) illũ nõ condemnabo. [e] Non enim ad hoc ego humanam aſſumendo naturam in mundũ veni, vt homines iudicem & condemnem: ſed magis vt ad ſalutem & vitã æternam perducam eos. Non veni vt iudex, ſed vt aduocatus & magiſter nõ tanquam vltor, ſed tanquam recõciliator: non perditor, ſed ſaluator. [f] Attamen qui nunc me in humilitate pro ſalute mundi apparẽtem contemnit & abiicit, quiq́ue ſermones meos quos ego loquor ex patris voluntate non recipit, fidem eis aut obedientiam denegando, non ſperet ille ſe impunè euaſurum, ſed habebit opportuno tẽpore vnde iudicetur & condemnetur, quum ad examen productus fuerit. [g] Ipſe enim ſermo quẽ in mundo prædicaui ex iuſsione patris, & quem tam multis efficaciſsimis ſignis cõfirmaui, ipſe in nouiſsimo die generalis retributionis, quaſi accuſator erit incredulorum hominum: & iudicio ac condemnatione dignos eos eſſe

b Et qui videt me, videt eum qui miſit me.

c Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

d Et ſi quis audierit verba mea, et non cuſtodierit, ego nõ iudico eum.

e Non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum.

f Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum.

g Sermo quem loquutus ſum, ille iudicabit eũ in nouiſsimo die.

mon-

monſtrabit:atque coram iuſtitia Dei ad pœnam debitam tantæ infidelitati depoſcet & pertrahet illos. [a]Idcirco autem meritò damnabuntur,non credentes verbis meis: quoniam ego quæ in mundo loquutus ſum,non dixi à meipſo,abſque patris iuſsione,eo modo quo nonnunquam homines ex vanitate ſenſus ſui vana commentantur:[b]ſed pater meus cęleſtis,qui me mundo miſit doctorem & ſaluatorem,ipſe mihi quaſi ex præſcripto mandauit quæ in mundo debeam loqui & prædicare: ipſe mihi præſcripſit quæ debeam hominibus proponere præmia, quæ dare præcepta, quas pœnas denũtiare tranſgreſſoribus,ad quæ item exhortari,à quibus debeam homines deterrere:deni que,quæ loqui & quę celare,atque ita in çæteris omnibus. [c] Et hoc ègo certiſsimò noui,quò patris mei mandatum vita æterna eſt, quòd quiſquis mandatis & dictis patris mei attendit,vitam per ea conſequetur æternam. [d] Ego itaq; quæ in mundo loquor,non ex meipſo,quaſi vanus homo proprij ſenſus figmenta loquor:ſed ex iuſsione patris omnia loquor non tanquam mea,ſed eius:in nomine ipſius nõ meo. Atq; hinc iudicium eſt,& iuſta condemnationis ratio incredulis hominibus, qui mea verba repellunt: quoniam videlicet non puri hominis(vt ipſi falsò exiſtimant)ſed veri & æterni Dei verbum contemnunt,& oblatam ſibi à Deo tantam gratiam impiè reſpuunt.

a Quia ego ex meipſo non ſum loquutus.

b ſed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatũ dedit, quid dicam,& quid loquar.

c Et ſcio, quia mandatum eius vita æterna eſt.

d Quæ ergo ego loquor,ſicut dixit mihi pater, ſic loquor.

ANNOTATIONES CAP. XII.

M*Aria ergo accepit libram vnguenti piſtici pretioſi.*) Genitiuus, pretioſi, rectius ad vnguentum iungitur, quàm ad nardum piſticum. Eſt enim ſenſus:Accepit libram pretioſi vnguenti, ex nardo piſtico: quanquam & ad nardum poſsit referri. Vtranque enim coniunctionem videtur indicare Auguſtinus, dicens: Nunc vnguentum pretioſum nardi piſtici, nunc vnguentum nardi piſtici pretioſi. Imprudenter verò quidam lectionem hic vulgatam redarguunt quòd nardi piſtici dicat, exiſtimantes neceſſariò dicendum per fœmininum genus, nardi piſticæ. Siquidem & in neutro genere, nardum apud probatos authores legitur:quemadmodum apud Plinium eſt videre, qui nardum ruſticum dicit, Dicitur autem, piſticum nardum, id eſt, fidele, germanum, ſyncerum,

P 2

ſyncerum,probatum,& minimè vitiatum.Siquidē piſtis Grecè,fides Latinè dicitur,vnde piſticum,fidele, ſyncerum,purum, germanū, & ínuitiatū.Ita interpretatur Alcuinus, dicens:piſtici,id eſt,fidelis,nec extraneis ſpeciebus adulterati.Auguſtinus verò,à loco aliquovnguētum illud piſticum dictū putat.Sic enim ait: Quòd autē piſtici dicit Euangeliſta,locum aliquē credere debemus,vnde erat hoc vnguentum pretioſum.Cuius ſententiam viderit lector prudens,an iuſtè recentiores quidam ſubſannent atq; irrideant:quandoquidē & Theophylactus Grecus author & recentior,non multum diſsimilem ſententiam priori loco aſtruat,dicens,ſpeciem quandam nardi eſſe,quę piſtica dicatur.Solent autem ſpecierum nomina, frequenter à locis ſumi:quemadmodū vinorum ſpecies ſecundum loca diſtinguimus, appellantes vina renenſia,remenſia, belnentia , eretica,corſica, &c. Quanquā poſteriori loco idē author & alterā ſententiā adiungat.Sic enim habet,in Marci ſcribēs Euāgeliū : De nardo piſtica ſcias,quòd eſt ſpecies quædā nardi,quæ piſtica dicatur:Vel quòd ſyncera ſit & non adulterata, vel cum fide confecta. ¶*Non quia de egenis pertinebat ad eum.*) Hoc eſt,non quia pauperes cordi haberet,& pauperum verè curam gereret,vel cauſam ageret. Quemadmodum ſuprà cap.10.de mercenario dictum eſt: *Non pertinet ad eum de ouibus* . pro eo quod eſt: *Non ſunt ei curæ vel cordi oues.* Alioqui ſicut ad hunc verè pertinet de ouibus,id eſt,iuſtè cura ſiue neceſsitas curandi ei incūbit de ouibus, ſic ad Iudam pertinebat de pauperibus,quoniam ex officio hoc ei cōpetebat,eo quòd loculos geſtaret , vt de communibus eleemoſynis egenis ſubueniret.Vnde & illud fuit,quòd cū in cœna nouiſsima dixiſſet ei dominus:*Quod facis, fac citius,* quidā diſcipulorum exiſtimabant dixiſſe dominum,vt egenis aliquid daret. ¶*Sine eam,vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.*)Sententiam quam in Elucidatione expreſsimus,apertè indicat Alcuinus,his verbis: Significat ſe moriturum,& ad ſepeliendū aromatibus eſſe vngendum:vt [illegible]eo Mariæ,cui ad vnctionem mortui corporis multū deſideranti peruenire non liceret, donatum ſit viuenti adhuc impendere obſequium,quod poſt mortē celeri reſurrectione præuenta nequiret.Idem ferè aliis verbis dixit Marcus:*Quod habuit* (id eſt,potuit) *hæc fecit,præuenit vngere corpus meū, in ſepulturam.* Et apud Matthæum dicitur: *Mittens enim vnguentum hoc in corpus meum,ad ſepeliendū me fecit.* Chryſoſtomus verò & Theophylactus,ad perſtringendū occultè proditorē,ſepulturæ hîc dicunt fieri mentionem.Rurſus,inquit,Chryſoſtomus,etiam propter proditorē: rememoratus eſt ſepulturę,ac ſi dicat: Grauis ſum tibi, & oneroſus ſed expecta parū,& abibo. Et hoc oſtendit,cū ſubdit: *Pauperes ſemper habetis*

habetis vobiſcum,me autem non ſemper habebitis. ¶*Videtis, quia nihil proficimus.*) Poteſt hoc accipi,tãquam ex inuidia prolatum,ab iis qui in Chriſti mortem coniurauerant Phariſæis,ad eum modũ quo in Elu cidatione ſuprà expoſitũ eſt.In quem ſenſum videtur accipere diuus Auguſtinus.Chryſoſtomus verò & Theophylactus,magis putant di ctum ab iis qui fauebant occultè,non tamen apertè audebant Chriſtum defendere.Sic enim Theophylactus habet:Phariſæi autẽ dicen tes:Videtis quia non proficitis quicquã,non ex malitia hæc loquuntur.Non enim erant ex his qui mortem meditati erãt Ieſu,ſed beniuoli quidam eſſe videntur,nondum tamen liberè audẽtes loqui,eo ꝙ nõ manifeſte audebant reſiſtere his qui contra dominũ ſæuiebãt. Et per occaſionẽ tentant reprimere illos. Quaſi dicant, Quæ veſtra vtilitas,ex multis contra hominem iſtum inſidiis? Quantũ enim inſi diamini,tantũ hic creſcit,& augetur gloria eius.Nã mũdus, hoc eſt, omnis multitudo,poſt eũ abit:atq; ita,quia nihil efficitis, ceſſate ab inſidiis,vt ne fruſtra iniuſtitiã faciatis. Notandũ quoque,ꝙ in Græcorum codicibus tantum mundus ponitur,& nõ totus mundus,quomodo etiam legiſſe videtur diuus Auguſtinus,eo ꝙ in cõmẽtario ſic dicat:Quid autem inuides cæca turba,quia poſt eum vadit mundus, per quem factus eſt mundus? ¶*Ieſus autem reſpondit eis,dicens:Venit hora,&c.*Videtur hîc tacite indicari,quod non exprimitur:videlicet gẽ tiles illos qui Chriſtum videre cupiebãt,ad Ieſum perductos eſſe,& admiſſos vt eum viderent:quo facto,iſta deinde quę ſequũtur verba, coram illis & aliis aſtantibus diſcipulis atq;turbis hominum,proloquutus eſt.Non ſolitarium non fuiſſe Chriſtum cùm iſta diceret,ſed turbis magis immixtum,illud ſatis declarat quod non multo pòſt di citur:*Turba ergo quæ ſtabat,& audierat vocem de cælo factam,dicebat tonitruum eſſe factum. Alij autem dicebant: Angelus ei loquutus eſt,&c.* Intelliguntur itaque iſta, poſt admiſſos & adductos ante conſpectũ Chriſti gentiles illos, in auribus diſcipulorum ſimul atque turbæ vniuerſæ aſtantis prolata.¶*Qui amat animam ſuam, perdet eam.*) Beatus Auguſtinus dupliciter id exponit.Primo,ad hunc modum: Qui amat,perdet:id eſt,ſi amas,perdes:ſi cupis vitã tenere in Chriſto,noli timere mori pro Chriſto.Item altero modo: Noli amare animam tuam,ne perdas eam:noli amare in hac vita,ne perdas in ęterna vita. Verùm poſteriorem ſenſum hunc,dicit magis Euãgelicum habere ſermonẽ,quem & nos ſolũ in Elucidatione expreſsimus. Nã priori non videtur reſpondere,quod ſubditur de odio animæ, *Et quia odit animam ſuam in hoc mundo,in vitam æternam cuſtodit eam.* Eſſet enim ſenſus correſpondenter ex contrario. Si odis aniam tuam, cuſtodies

animam tuam.Si odis,& non vis habere vitam cum Chriſto,cuſtodi animam tuam in vitam æternã.Omnino enim repugnant particulæ illæ adiectæ,in hoc mundo,& in vitam æternam,ne per contrarium poſsit accipi ſenſus partis poſterioris:quas quidem particulas,nõ dubium eſt ad partem priorem quoque referendas eſſe,in hunc modũ: Qui amat animam ſuam in hoc mundo, in vita æterna perdet eam: id eſt,non eam ſeruabit,neque cuſtodiet ad vitam æternam. Quare prior ille ſenſus non videtur eſſe de mente Euangelicæ loquutionis, Neque alium quàm poſteriorẽ ponunt Græci cõmentatores, Chryſoſtomus & Theophylactus. Omnis homo,inquit iſte,qui præſentẽ vitam dilig t,& animã ſuam amat,hoc eſt,ſua deſideria abſurda facit,& permittit ei quod non oportet,nec contemnit mortem,perdet eam.Qui autem odit illam,hoc eſt,nõ indulget ei neque ab ea flecti tur,hic eam cuſtodit. Qui etiam hoc ſignanter annotauit in verbo, odit,magnam indicari auerſationem,quam habere debeamus erga concupiſcentias animę,ſic vt extremo odio erga inordinatos animę affectus ſimus diſpoſiti:ſicut,quos odimus,eorũ nec faciem videre, nec vocem audire omnino volumus. ¶*Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.*) Poteſt hoc verbum dupliciter intelligi.Primo ad hunc modum:Quiſquis mihi vult miniſtrare,debebit in iiſdẽ verſari exercitiis virtutũ,& in iiſdẽ occupari ſtudiis pietatis, ad implendũ patris voluntatẽ,in quibus me videt præceſsiſſe:ita ſcilicet vacare pietati, mãſuetudini,humilitati,patiẽtię,orationi,& cæteris virtutibus. Atque ita ferè idẽ valet hæc particula,cum præcedẽti:Si quis mihi miniſtrat,me ſequatur.Alter ſenſus,præmiũ ſpectat futuræ remunerationis,hoc modo:Qui mihi modò fideliter miniſtrauerit in terris, erit mecũ in gloria in cælis,&c. Queadmodũ in Elucidatione ſuprà expoſitum eſt prolixius.Atque hunc poſteriorem ſenſum ſolum ponunt Auguſtinus,Chryſoſtomus,& Theophylactus:propter quod in Elucidatione nos quoque alium,quãuis pulchrum ſatis & iucundũ, non expreſsimus.Exponit autẽ clarius hunc ſenſum, quod in textu ſubiungitur: *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus.* ¶*Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater, ſaluifica me ex hac hora,&c.*) Paſſus iſte ſatis clarè in Elucidatione expoſitus eſt,cõcorditer ad ſententiam Auguſtini, Chryſoſtomi,atque Theophylacti. Illud autẽ notandũ,quod ſecundum modũ expoſitionis noſtræ,illud: *Pater ſaluifica me,* quaſi in interrogatione implicatur,ad hũc ſenſum: In hac cõturbatione poſitus,quid dicam? Nunquid illud dicã, Pater ſaluifica me ex hac hora? Quaſi dicat:An precabor patrem,vt auferat à me mortem & calicẽ? Illud quod ſequitur: *Sed propterea veni in ho-*

ram

ram hanc. Pater, clarifica nomen tuum, quaſi correctio eſt præcedentis, & finalis reſolutionis concluſio, ad patris gloriã. Quaſi dicat: Nõ dicam, Pater libera me ex iſta hora, ſed potius dicã: Ex quo pater propterea in iſtã horam veni, vt patiar & moriar, age tu quod ꝓ tua eſt gloria, quod ab æterno decretũ eſt liberè perfice, nihil meæ naturæ humanæ pertimeſcens infirmitatẽ, vitam naturaliter adamantẽ, atq; à morte & paſsionibus abhorrentẽ, ſed tuam ſolã attẽdens gloriam, quã omnibus ſemper volo præponere meis cõmodis, & propter quã omnia libenter expẽdam & ſuperimpendã. Hanc ſententiam & partium connexionem aperte ſatis indicat Theophylactus, cùm ait: Docet nos Chriſtus, vt etiamſi mœreamus & turbemur, non fugiamus mortẽ, quia & ego, inquit, cùm turbor (homo enim verè ſum, & permitto naturæ vt ſua oſtẽdat) attamen nõ dico ad patrẽ, vt ſaluet me ex hora hac. Sed quid dico? Clarifica nomẽ tuũ. Hoc eſt, probet tibi vt ego ſuſcipiã crucem, & periculũ pro ſalute omnium. Poſſet tamen prædictorũ verborũ alia accipi diuiſio, vt quaſi per ordinẽ duas poſtulationes proponeret, quarũ prior ſit ſecundũ naturæ infirmitatẽ, poſterior ſecundum rationis iudiciũ & ſpiritus finalẽ reſolutionem, quæ etiam priorẽ velut corrigat, quẽadmodum in agonia illa horti nouiſsima & grauiſsima, prius quidẽ ſecũdum naturæ infirmitatem orabat: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Et iterum: *Abba pater, omnia tibi poſsibilia ſunt, trãsfer calicem hunc à me.* Poſterius autem dicit: *Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Et: *Si fieri non poteſt niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Cui quidem poſteriori petitioni ſic inhæret firmiter, relicta priore, vt paulopoſt Petro volente agere ad ipſius liberationem, dixerit: *Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* Poterit autem ſecundum iſtum modũ propoſitus Euangelij locus ſic paraphraſticè expoui: Nunc, inquit dominus, intra me conturbatur anima mea, hinc quidem glorificationis & conuerſionis gentiũ (de quo iam verba feci) fructum deſiderabilem cõtemplans, illinc verò ex oppoſito mortis & paſsionis, quaſi de vicino imminentis horrorẽ conſpiciens. In horum medio conſtituta anima mea, quaſi hæſitabunda & perplexa conturbatur, quæ ex cõditione naturali dura carni ac triſtia refugit, læta verò & mollia eligit: ex rationis nihilominus iudicio & ſpiritus ductu, ea omnibus pręponit quę diuinæ nouerit eſſe voluntatis. Et quid in hac tã perplexa cõturbatione poſitus dicam? Quid eligam? Quid finaliter petam? Ecce tibi, pater, petitiones duas, eáſque velut cõtrarias ſecũdum duplicem portionem animę, & ſecũdum geminã quæ eſt in me affectionẽ, proponam, vt quod optimum tuo iudicio videbitur eligas, & adimpleas. Equidem ſecũdum

infirmæ carnis ſenſualem effectum,& ſecundũ naturale animę ipſius deſiderium,hoc à te poſtularem,vt ſi fieri poſſet,tranſiret à me hora illa tantæ amaritudinis,quã de proximo imminere mihi video:optarem calicẽ hunc,ſi nõ eſſet neceſſe illum bibere,à me auferri,& non venire in hanc horam,in hãc neceſsitatem,tam naturali ſenſu horribilem paſsionem atq; mortem perferendi.Sed quid ita fruſtra poſtulo? Ego enim noui, quòd propterea in hanc horã venerim, quod ob hoc factus ſum homo, & iam ad finem vſque temporalis huius vitæ peruenerim,vt in aſſumpta & adulta iam carne humana iſta patiar. quæ ſunt ab æterno decreta. Quare concludens, & quaſi contra memetipſum ſententiam ferens,priorémq; deprecationem ſubſequenti corrigens ac reuocans,hoc finaliter & concluſiuè te rogo pater,ſecũdum electionem ſpiritus,& iudicium rectæ rationis tibi ſubditiſſimè, vt illud de me & in me facias liberrimè, quod maximè ſit ad gloriam nominis tui,quódq; tibi omniũ maximè ſit placitum, nihil naturæ aſſumptæ attẽdens infirmitatem vel querimonias,ſed tuã ſolius gloriam & voluntatem ſpectans, vt illam in me & de me adimpleas,per quæcunque tandem aut quantumcunque carni dura vel naturæ horribilia:quoniã ad hæc omnia,ſpiritus in te cõfortatus ſe offert paratiſsimum. Hanc autem verborum cõſequentiam & connexionem ſententiæ, ſatis videtur indicare Auguſtinus,qui illud quod priori loco dicitur: *Pater,ſaluifica me*, comparat cum eo quod poſt in horto dicturus erat: *Transfer calicem iſtum à me:* quod autem ſequitur. *Clarifica nomen tuum,* cum illo: *Veruntamen non quod ego volo, ſed quod tu.* Obſcurius quoq; idipſum ex Chryſoſtomi verbis poteſt deprehẽdi,cùm ait: Ne dicerent Chriſtum humanis carere doloribus, facilè de ſubeunda morte philoſophari,& in tuto nobis perſuadere, oſtendit,quod licet eam formidet, cùm tamẽ vſus poſcat nõ eam recuſet. Hæc autem diſpenſationis ſunt, non diuinitatis. Ideo inquit, *Nunc anima mea turbata eſt.* Neque enim aliter hoc procederet. Et dicẽdo: *Pater,ſaluifica me ex hac hora,* ita perturbatus eſt,vt etiam à morte abſolui cuperet,ſi licuiſſet.Et quid dicam,inquit,cùm mortẽ deprecer? Propterea veni in horã hanc.Quaſi diceret,Licet moueamur & perturbemur, non tamen mortem fugimus. Nam ita nunc perturbatus nõ recuſo. Ferendum eſt quod inſtat. Non dico enim (ſcilicet finali reſolutione)libera me ex hac hora,ſed: *Pater, clarifica nomen tuum.* Et licet perturbatio illud me dicere cogat, contrarium tamen dico, *clarifica nomen tuum:* hoc eſt,duc me iam ad crucem. ¶*Omnia traham ad meipſum.*) Græci codices vulgati habent *πάντας* pantas, id eſt,omnes.Atq; ita legiſſe Chryſoſtomum & Theophylactũ,ex ipſorum

enar-

enarratione ſatis cõſtat. Interpretantur enim omnes homines, etiam gentiles. Auguſtinus verò (omnia) legit & interpretatur. Ait enim: Nõ omnes traham, dixit, ſed omnia. Non enim omniũ eſt fides. Non itaq; hæc ad vniuerſitatem hominũ retulit, ſed ad creaturæ integritatẽ. Id eſt, ſpiritũ, & animam & corpus. Omnia enim trahit poſt ſe. Oſtendit nihilominus ſenſum aliũ congruũ, quo, omnia, pro, omnes, dictũ accipi poteſt, cùm ſubiungit: Aut ſi omnia ipſi homines intelligendi ſint, omnia prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere, ex quibus omnibus nihil ait eſſe periturũ, cùm ſuprà de ſuis ouibus loqueretur. Aut certè omnium hominũ genera, ſecũdum innumerabiles differentias, quibus inter ſe præter ſola peccata diſtant homines, ab excelſiſsimis vſque ad humillimos, omnia, inquit, traham poſt me, vt ſim caput eorũ, & illi mẽbra mea. Nos in Elucidatione vniuerſaliter omnes homines, ꝑ Chriſti paſsionẽ in ligno crucis ad ipſum tractos indicauimus, quãtum ex parte ipſius Chriſti fuit: quoniã abunde ſatisfecit pro omnium redemptione à captiuitate, qua detinebãtur, ne ad eũ poſſent libere accedere: ſicq; quantũ in ipſo fuit, omnes traxit, ſicut pro omnibus paſſus & mortuus fuit, & pro omnibus ſaluãdis ſatis egit, ratione ſufficiẽtiſsimè ſufficiẽtiæ mortis eius. ¶ *Adhuc modicum lumẽ in vobis eſt.*) Duplicem huius verbi ſenſum in Elucidatione indicauimus, propter authorum veterũ diuerſitatem. Nam ſi (modicum) accipiatur vt adiectiuũ, determinans nomen, lumen, eſt ſenſus: Adhuc modicũ luminis in vobis eſt. Quem ſenſum videtur accepiſſe Auguſtinus, dicẽs: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt.* Hinc ergo eſt quod intelligitis, quia Chriſtus manet in æternũ. Quod enim vel hoc credebant æternũ fore Chriſtum, ſignũ erat luminis aliquanti, quod adhuc in eis vigebat & ſplendebat. Alter eſt ſenſus, ſi modicum accipiatur pro modico tẽpore, ad hũc modum: Adhuc modico tẽpore, vel modicũ tempus, lumẽ in vobis eſt, ſiue vobiſcũ: id eſt, ego qui ſum lumen mũdi, adhuc aliquantũ temporis vobiſcũ tranſigã. Quem ſenſum expreſſe indicant exemplaria Græca, quæ habẽtur in manibus, quæ habent μικρὸν χρόνον, micron chronõ, id eſt, modicũ tẽpus: quanquã aliqui ſuſpicantur nomẽ chronon, tẽpus eſſe ab aliquo adiectum, propter tollendam ambiguitatẽ. Atque ita manifeſtè enarrant Chryſoſtomus & Theophylactus. Qui etiam hoc verbo reſponderi putant obiectioni propoſitæ Iudæorũ: quaſi exẽplo oſtẽdat Chriſtus, quomodo paſsio & mors nihil obſtet ipſius æternitati. Sicut enim lux ſolaris, inquiunt, quãdo occidit, nõ omnino perit, ſed iterũ exoritur & rurſum apparet, neq; vnquam deficit: ita & mors Chriſti non eſt corruptio, ſed occaſus & tranſlatio, iterúmque exorietur per

reſurrectionem,atq; ita nihil prohibet paſsio & mors, quin ſit æternus.Neque prohibet ipſum eſſe Chriſtum, quod ſit exaltandus in ligno.Conſimiliter & illud quod ſequitur: *Ambulate dum lucem habetis.* Et deinde: *Dum lucem habetis,credite in lucē,* variè accipitur, ſecundum proportionem ad id quod præceſsit. Vnde Auguſtinus id quod vltimo loco dictū eſt,ſic interpretatur:Dum aliquid veri auditu habetis, credite in veritatem,vt renaſcamini in veritatem.Alij verò interpretantur:Dum me habetis,in me credite,& in me ambulate.¶ *Propterea non poterant credere.*) Non poterant, id eſt,non volebant. Non poſſe enim (vt ait Chryſoſtomus)frequēter pro non velle vſurpatur, ſicut poſſe,pro velle,veluti cùm dicitur: *Qui poteſt capere, capiat:* id eſt,qui velit.Sed & in cōmuni ſermone id vſurpari nōnunquā videmus,veluti cùm quis dicit:Non poſſum diligere illū, vehementiam voluntatis,poteſtatem appellans.Idē ferè dicit Aguſtinus, cuius hæc ex multis pauca ſunt verba:Sic autem dictū eſt,nō poterant: vbi intelligendum eſt,quod nolebant:quemadmodum dictum eſt de domino Deo noſtro: *Si non credimus,ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.* Sicut ergo quod dominus negare ſeipſum non poteſt,laus eſt voluntatis diuinæ,ita ꝙ illi non poterant credere, culpa eſt volūtatis humanæ.Theophylactus quoque conſentit,dicens: Hoc autē quod dicit, non potuerunt credere,ſignificat,noluerunt intelligere. Nam malus & improbus homo nō poteſt credere,quandiu talis fuerit, mala ſcilicet eligens ac volens.Cæterùm, quod dicitur: *Propterea non poterant credere,quia iterum prædixit Eſaias, &c.* non ſic intelligendum eſt,quaſi propheticum vaticinium neceſsitatem peccādi impoſuerit,& libertatem non peccandi abſtulerit ipſis Iudæis. Nō enim hic cauſam aſſignare vult incredulitatis Iudæorum,ſed veritatem tantum ſcripturæ & adimpletionē propheticorū verborū vult exprimere. Debētq; id quod hic dicitur ſecundū eundē accipi ſenſum, in quo illud ſuprà acceptū eſt. *Nō credebant in eum,vt ſermo Eſaiæ impleretur, &c.* Vbi particula,vt,nō cauſæ ſed euētus eſt nota,quod craſsius dicere ſolemus, cōſequutiuè nō cauſaliter accipi. Eſſet autē ſine quęſtiōe ſermo propoſitus,ſi abſq; particula cauſali,loco eius qđ dicitur: *Propterea non poterant credere,quia iterū prædixit Eſaias,* dictū eſſet:Nō poterāt credere, iuxta qđ iterū prędixit Eſaias.Vnde potius in ſermone,quā in re difficultas videt̃. Tractat vero hāc quæſtionē prolixius Chryſoſtomus, his verbis:Vide particulam,quia,nō cauſalem eſſe,ſed euentus.Neq; enim quia dixiſſet Eſaias, nō crediderunt, ſed quia non erant credituri, ideo dixit. Sed quare non ita dixit Euangeliſta, ſed incredulitatem à Prophetia,non autē Prophetiam ab incredulitate eſſe dixit,

& ſu-

& ſuperius hoc idem vehemētius. Propterea non poterant credere, quia dixit Eſaias: Hinc magnam vult ſcripturæ certitudinē demonſtrare,& quòd nō aliter quam prophetatū ſit, euenit. Et poſt pauca, Quæ prædixit Propheta,tanquā omnino futura prædixit. Niſi enim omnino futura nouiſſet,non ſanè prædixiſſet. Ac rurſum poſt pauca, Quod autem hoc in loco dicit Euāgeliſta,ita intelligitur, quod impoſsibile erat Prophetam mentiri:nō tamen propterea impoſsibile erat vt crederēt. Licebat enim, illis etiam credentibus, verum eſſe Prophetam. Non enim prædixiſſet,ſi fuiſſent crediturі. Quid ergo, inquies,nō ita dixit? Quoniā proprietates quaſdam habet ſcriptura, cuius legibus eſt cōcedendū. Hactenus ille. Quomodo autē Deus dicatur excęcare oculos incredulorum,& indurare corda, apud Auguſtinum in commentario prolixius tractatum lector videre poterit.

ELVCIDATIO CAP. XIII.

ANte diem feſtū paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mūdo ad patrem, *b cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo,* *c in finem dilexit eos.* *d Et cœna facta, cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Scariotis,* *e ſciens quia omnia dedit ei pater in manus,* *f & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit,*

ANTE illam Iudæis celeberrimam paſchalem ſolennitatem, cognoſcens dominus Ieſus iam tempus adeſſe à patre definitum, quo poſt laborioſum vitæ ſuæ curſum peractum: mundum relicturus erat ſecundum viſibilem iſtam corporis mortalis præſentiam,atque ad patris dexteram poſt mortem deuictam aſſumendus, vt poſt laborem acciperet requiem,ac poſt opus, operis præmiū. [b] Poſtquā ſuos diſcipulos,& fideles quos per omne tempus vitæ in hoc mundo habebat, amore verè paterno ſemper dilexiſſet,(id quòd & per omnem vitam ſuam patentiſsimè demonſtrauerat) [c] voluit item in finem vſq; eos diligere,ac circa vitæ ſuę terminum peculiaribus quibuſdam,tum operū, tum ſermonum indiciis,præcipuum ſuum erga illos amorem demonſtrare. [d] Parata itaque ex ipſius iuſsione cœna nouiſsima,in qua paſchalem agnum cū ſuis Apoſtolis māducaret,cù m diabolo inſtigatus Iudas filius Simonis à Scarioth, vnus de Apoſtolorum numero, firmo iam propoſito decreuiſſet,pactóque cum Iudæorum principibus inito ſpopōdiſſet, præceptorem ſuum per opportunitatem tradere in manus eorum, [e] cognoſcens dominus Ieſus, quòd omnium rerū ipſe plenam haberet eandémque cum patre poteſtatem, [f] quódque ab æterno

à patre

à patre vt filius vnigenitus proceſſerit, & in tempore ab eo ſecũdum aſſumpram ſerui formam miſſus fuerit in mũdum, quódque ad ipſum vnde exierat, iamiam eſſet rediturus: vt exẽplo ſemper memorabili diſcipulorũ animis infigeret illam quã in ſe ipſe prior oſtenderat humilitatem, [a] ſurgit à loco ſuo vbi inter cœnandũ conſederat: atque vt expeditior eſſet ad opus quod habebat in animo veſtimentum ſuperius exuit: allatóq; præcinctorio lineo, in modum miniſtrorum ſiue ancillarum ſe illo præcinxit. [c] De hinc aqua miſſa in peluim, diſcipulis reſidere iuſsis, magnóque ſtupore rei exitum præſtolantibus, [c] ipſe ſe patris vnigenitus, angelorum dominus, princeps regum terræ, ante viliſsimorum hominum pedes in genua dedit: procũbẽſque in terram, cœpit lutulentos & ſordidos illorum pedes aqua diligenter abluere ablutóſq; præcinctorio lineo magno affectu extergere, ita videlicet viliſsimæ ancillulæ in ſe perſonam & officium transferens, vt diſcipulos ſuos humilitatem veram efficaci exemplo edoceret. [d] Vbi verò ad Simonem Petrum veniſſet dominus, vellétq; eius lauare pedes, ré indignam ille exiſtimãs, vt tam infimum miniſterium ſibi permitteret ab eo quẽ tanti faciebat exhiberi, cœpit obluctari primum & contradicere. [e] Quid hoc, inquit, eſt domine, quod agis? Tu ne præceptor & dominus, mihi viliſsimo ſeruulo pedes lauabis? Aequũ ne eſt vt hoc ego patiar? Ego multo magis, ſi modo tu dignaberis meũ ſuſcipere miniſterium, tibi debeo præceptori diſcipulus, domino ſeruus pedes abluere. [f] Reſpondit magna vultus maturitate & vocis authoritate dominus. [g] Sine Petre agere me quod volo, ſuſcipe humiliter quod tibi impencdo obſequium. Et ſi modo non intelligas quid ſibi velit hoc meum tam nouum miniſterium, cognoſces tamen poſt paululum mea eruditione inſtructus. [h] Petrus verò in ſuo propoſito feruore illo qui ferè in eo ſe prodere ſolet perſiſtens. Domine, inquit, rem tam indignã in æternum ego non feram. Non poſſum neque te tam vilem æſtimare, neque me tanti facere, vt tam adiectũ miniſterium à te ſuſcipiam. Et ſi tua humilitas

a Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua: & cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe.

b Deinde miſit aquam in peluim,

c & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.

d Venit ergo ad Simonẽ Petrum, & dicit ei Petrus:

e Domine, tu mihi lauas pedes?

f Reſpondit Ieſus, & dixit ei:

g Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.

h Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum.

militas tibi vt hoc agas ſuadeat, mea econtrario fides ne à te mihi id fieri patiar prohibet. Quæſo itaq; hac de re verbum vltra non facias. [a] Videns autem dominus Petrum ita obfirmato animo ſibi reluctantem, vt ad obedientiam eum cogeret, verbum ſeueræ cōminationis protulit, dicens: [b] Si non hac in re quā ego vt præceptor & dominus à te poſtulo, mihi acquieueris, ſi iſtam quoque humilitatis diſciplinam, quam in lotione pedum exemplo docere volo: ſuſcipere nolueris, illud tibi comminando denuntio quòd in pœnam tuæ inobediētiæ, de meo collegio ſis eiiciendus, partémq; illam beatæ retributionis & fœlicitatis æternæ, quam ego vnà cum meis accipiā in regno patris, non ſis accepturus. [c] Qua comminatione tam graui ita apertè propoſita, velut fulmine quodā perterritus Petrus, ſtatim victus dedit manus: omnique contradictione omiſſa, ſanctæ obediētiæ iuſsioni ſe ſubmiſit, dicens: [d] Si ita res tibi cordi eſt, ſi tam ſeriò id à me poſtulas, nequaquā tibi vltra contradicam: imò verò nō pedes tantum quos tu poſtulas, abluendos offero, verūetiam & manus & caput, & ſingula corporis mēbra antè patiar à te lauari, quàm à te velim ſeparari. Nihil enim eſt mihi tua ſocietate iucūdius, nihil tua parte deſideratius. [e] Reſpondit illi dominus, [f] Non ita neceſſe eſt cæteras corporis partes abluere, vt pedes. Qui enim ſemel lotus eſt, & in reliquis mundatus, ad plenam munditiam non eget niſi pedum ablutione: qui ſicut plus aliis membris luto aſpergūtur & puluere, propter immediatum terræ contactū, ita frequentiori ablutione indigent. Sic & in anima qui baptiſmo ſemel ablutus eſt in remiſsionem peccatorū, hic nō opus habet iterum caput lauari, aut baptizari iterum: erit tamē neceſſarium, vt pedes animæ, id eſt, affectus, qui ex cōtactu terrenarum rerū ſæpe immunditiam cōtrahunt, per pœnitentiam frequēter abluere & emūdare ſatagat. In huius videlicet ſignum, non caput abluo vobis, ſed pedes tantum. [g] Et vos quidē, quod ad plures veſtrum attinet, mundi eſtis, nihil habētes in animo mortalis immunditiæ, à qua ſitis mūdandi. [h] Veruntamen non vniuerſi ſic mundi eſtis, qui

a Reſpondit ei Ieſus:

b Si non lauero te, non habebis partē mecū.

c Dicit ei Simō Petrus:

d Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus & caput.

e Dicit ei Ieſus,

f Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.

g Et vos mundi eſtis,

h ſed nō omnes.

hic

hîc adeſtis. Eſt enim inter vos, qui malo & peruerſo corde totus immũdus inter mũdos,ſolo numero non merito ſociatus,verſatur. [a] Sciebat enim per omniſciētiam ſuam,quam nihil poteſt latere , quiſnam eſſet qui ipſum erat traditurus :ſciebat Iudã Apoſtolico collegio dũ hæc agerentur atque dicerentur præſentem,& iam in corde peſsimo traditionis modum inquirentem. [b] Hunc videlicet notare volens,& ſibi manifeſtũ facere,dixit:Non eſtis mũdi omnes. [c] Poſtquam igitur per ordinem ſingulorum pedes lauiſſet, depoſito lineo præcinctorio , reſumpſit quod antè exuerat veſtimentum ſuperius:eòque indutus iterum ad menſam reſedit,vnà cum diſcipulis, vt quæ adhuc dicenda agendáque erant abſolueret.[d] Tunc verò facti ſui rationem reddere volens:dixit illis: Vos quidē cum ſtupore magno rei geſtæ nouitatem admiramini.Verùm ego vobis qua ratione & quo animo id fecerim,nũc verbis explicabo. [e] Ecce vos quoties me alloquimini,pro veſtri cordis pura ſimplicitate , & fidei veſtræ humili deuotione:honorifica appellatione dominum & præceptorem me nominatis: atque hoc faciētes,quòd æquum & iuſtum eſt,facitis Ego enim verè ſum & dominus & magiſter veſter : neque tantum veſter,ſed omnium,qui omnium rerum plenum habeo dominum,quiq; ſolus hominem doceo ſalutarem ſapientiam. [f] Itaque ſi ego qui dominus ſum & magiſter, dignatus ſum veſtros, id eſt, ſeruulorum & diſcipulorum pedes lauare, vos multo magis debetis vobis inuicem,cõſerui cõſeruis,abluere pedes,etiam ſi aliqua forſitã excellentia alius alij præeminere videatur : [g] Propter hoc enim exemplum iſtud ſummæ humilitatis & familiariſsimæ charitatis vobis coram oculis propoſui,vt eò vos ad ſimilia,non ſolũ (inquã) ad pedes abluendos , verumetiam ad alia huiuſmodi humilitatis & fraternæ charitatis obſequia,proximis etiam inferioribus,libēter & ſtudioſè exhibenda,efficacius commouerem.[h] Et ne fortè durum vobis videatur,iſta imitari quorum vobis in meipſo exemplũ mõſtraui,illud ſemper habete ante oculos, quòd non eſt ſeruus domino ſuo pretioſior, neque legatus eo à

a Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eũ.

b Propterea dixit,non eſtis mũdi omnes.

c Poſtquam ergo lauit pedes eorum , accepit veſtimenta ſua: & cùm recubuiſſet iterum, dixit eis:

d Scitis quid fecerim vobis.

e Vos vocatis me,magiſter & domine,& bene dicitis: ſum etenim.

f Si ergo ego laui pedes veſtros dominus et magiſter,et vos debetis alter alterius lauare pedes.

g Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

h Amen amen dico vobis · non eſt ſeruus maior domino ſuo,neque Apoſtolus maior eo qui miſit illum.

quo miſſus eſt maior. Non enim debet ſeruus pretioſiorem ſe æſtimare, quàm dominus ipſe ſe æſtimet: vt quæ dominus agere aut ferre dignatur, ipſe quoq; non dedignetur agere aut pati. Vnde & vos mei ſerui & Apoſtoli, non debetis illa dedignari humilitatis exercitia, tanquam vobis indigna, poſteaquam ego dominus prior ea exibui. [a] Poſtea verò quàm hæc modo ex mea inſtructione cognoſcitis, & intelligitis, non ſatis vobis eſſe exiſtimetis, ea audiuiſſe, aut vidiſſe, aut etiam intellexiſſe: eritis autem in ſpe beati, ſi quæ audiſtis & intellexiſtis, opere adimplere ſatagatis, ſedulò vos exercitantes in huiuſmodi humilitatis & charitatis obſequiis. [b] Quòd autē dico, beatos vos fore, non ad omnes qui hunc meum auditis ſermonem pertinet, quoniam non omnes audita cuſtodient. [c] Ego enim ſcio, qui ex vobis à me firma ſtabilique electione ſint electi, atque ad vitam prædeſtinati: ex aduerſo itē illum noui, qui inter vos ſecundū numerum manens eſt reprobus atque ad damnaionem præſcitus. [d] Sed quid multa? Neceſſe eſt impleri ſcripturam, qua proditoris mei impietatem, ſub mea perſona loquens Pſalmiſta deſcribit, in hunc modū: [e] Homo mihi domeſticus & familiaris, quem ego in familiam meā aſciui, meæq; menſæ conuiuam poſui, cui nūquam ego niſi magna & multa amoris indicia demonſtraui, hic omnibus meis beneficiis ingratus, mala pro bonis mihi retribuet, ſceleratiſsimáq; proditione me ſupplantabit, & in mortem tradet. [f] Hæc autem nunc priuſquam eueniant vobis prænuntio, vt cùm poſtea hæc ita vt dixi euenire compereritis, [g] credatis, me verè illum eſſe, quem me eſſe prædicaui, ſignísque comprobaui: id eſt, Deum verum, & Dei filium, cuius ſolius eſt omnia noſſe, etiam quæ futura ſunt & occulta cordium. [h] Ne verò de meo abſceſſu nimium contriſtemini, neque ſoliciti nimium ſitis, quid de vobis agendum ſit poſt mortem meam, illud vobis in vera aſſertione ad conſolationem affirmo: [i] Quiſquis vos in mundum à me Euangelij prædicandi gratia mittendos, benignè exceperit, veſtræ prædicationi credendo vobíſque charitatis & hoſpi

a Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi fe ceritis ea.

b Non de omnibus vobis dico.

c Ego ſcio quos elegerim.

d Sed vt adimpleatur ſcriptura:

e Qui manducat mecum panem, leuabit cōtra me calcaneū ſuum.

f Amodo dico vobis, priuſquā fiat, vt cùm factum fuerit,

g credatis, quia ego ſum.

h Amē amen dico vobis.

i qui accipit ſi quem miſero, me accipit.

& hoſpitalitatis obſequia exhibendo, hic mihi rē faciet tam gratā, quàm ſi memetipſum ita ſuſcepiſſet. [a] Qui autem me, vel in meipſo donec in hoc mundo ago, vel poſt in mēbris meis, receperit, pater meus, id ſibi factum reputabit, præmio optimo beneficium illud compenſaturus in tempore ſuo. Atque hinc vobis me abſente poſtea ad Euangelij prædicationē exituris, à piis & fidelibus hominibus honor & opportuna exhibebuntur miniſteria propter nomen meum, & propter ſpem retributionis æternæ. [b] Cùm autē iſta dixiſſet dominus Ieſus, dolens ſuper malitia & infidelitate Iudæ diſcipuli, in ſpiritu ſuo conturbatus, & animo commotus eſt, quemadmodum ſolent homines iuſti, conſiderantes rem indignam, ſpiritu conturbari: ex miſericordia & compaſsione ad delinquentes & indignatione ſancta contra peccatum. Simul quoque cum graui aſſertione, quaſi rem indubitatam teſtificatus eſt, dicens: [c] In veritate dico vobis, quod veſtrum qui mecum huic menſæ adſidetis, quos ego ex omnibus hominibus ſingulariter in meos Apoſtolos elegi, vnus quidam, ante non multum temporis me eſt in manus hoſtium meorum traditurus. [d] Quod verbum piorum diſcipulorum cordibus hauddubiè amariſsimum, ſic eos in ſtuporem conuertit, vt quaſi extra ſe facti nouo modo in ſe inuicem vultus defigerēt, velut in perplexitate hæſitantes, quiſnam ille eſſet de quo verbum iſtud tam durū præceptor tam ſeria aſſertione proteſtatus fuerat. Vno enim Iuda excepto, cæteri omnes bene ſibi conſcij erāt & propter mutuam charitatē, de ſe inuicem tam malè ſuſpicari nō poterant: verbum tamen præceptoris verum eſſe abſq; vlla hæſitatione credebant: quæ ſanè cauſa, merito illorum animos perplexos & hæſitabundos reddebat, vnoquoque ſibi ne fortè in tantum ſcelus labi poſſet metuente. [e] Erat autem vnus quidam diſcipulorum illic præſentium, ſuper pectus domini Ieſu recumbens, [f] ille videlicet adoleſcens Ioannes, quem ipſe peculiari quadā familiaritate, ob virgineam puritatem, & eximiam morum lenitatem, vitæq; innocētiam, prę cęteris quodam teneritudinis affectu diligebat

a Qui autē me accipit, accipit eū qui me miſit.

b Cùm hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit:

c Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.

d Aſpiciebant ergo adinuicem diſcipuli hæſitātes de quo diceret.

e Erat ergo recumbēs vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu,

f quem diligebat Ieſus.

ligebat:qui cùm proximus aſsideret præceptori,verbum ab eo tam triſte audiens,quaſi præ dolore & cõpaſsione ſeipſum non ferens,in pectus eius caput leniter reclinauit,vt ſolẽt ſuper matrũ vbera dulces nati quieſcere.[a] Huic itaq; Simon Petrus,qui longius à domino diſtabat,per nutũ indicauit,vt dominũ ipſe interrogaret,quiſnã ille eſſet quem generalis iã ſermo perſtrinxerat.Propter enim reuerentiã erga præceptorẽ,nõ autẽ auſus eſt ipſe per ſe interrogare rem odioſam:ſed per illum cui non ſolebat indignari dominus:quiq; peculiarius ab ipſo diligebatur,commodius id fieri poſſe cenſebat.[b] Statimq; diſcipulus ille ſupra pectus Ieſu recũbens,viſo nutu & cognito deſiderio coapoſtoli, præceptorem confidenter interrogat,dicens:[c] Quæſumus domine,manifeſtum nobis illum facere digneris qui te eſt traditurus,vt qui innocẽtes ſunt,metu liberentur tanti criminis.[d] Cõpatiens dominus innocentum dolori,ſimul & Iudæ impiam mentem tacitè ferire volens, non nomine quidem,ſed indicio,proditorem prodidit,dicens:[e] Ille me eſt traditurus,cui ego panis bucellam iuri intinctam porrexero.[f] Statimq; panis bucellam in ius intinxit,tinctamq; porrexit Iudæ filio Simonis à. Scariot.[g] Qua accepta,nihil ille melior factus,ſed longè magis peruerſus, eo ꝙ animo malo & corde impio beneficia domini ſuſciperet indignè,ex tunc magis q̃ antè in eo cœpit dæmon impius habitare, eumq; ad patrandum opere ſcelus mente conceptum, ardẽtius vehementiusque inſtigare.[h] Quod videns dominus, quem nullum latet cordis ſecretum,Iudam videlicet in malitia cordis obſtiuatũ, propoſitoq; ſuo peſsimo pertinaciſsimè inhęrentẽ,ita vt iam nec benignitate nec aſperitate ad ſanam mentẽ ſe pateretur reuocari, dixit illi:[i] Quod facis,fac citius.Hoc eſt,Poſteaquam ita tecum res habet, poſteaquam ſic apud te decretũ eſt,ſtatq; irreuocabilis in animo tuo ſententia,vt pręceptorem tuum tradas in manus hoſtiũ,age fac otius quod meditaris,permitto tibi liberam poteſtatem faciendi hac in re quod velis:nõ ego te prohibebo,nõ impediam modum paſsionis meæ,poſteaquã à patre

a Innuit ergo huic Simõ Petrus, et dixit ei: Quis eſt de quo dicit?

b Itaq; cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dixit ei,

c Domine,quis eſt?

d Reſpondit Ieſus:

e Ille eſt,cui ego intinctum panẽ porrexero.

f Et cùm intinxiſſet panem,dedit Iudæ Simonis Scariotis.

g Et poſt bucellam,introiuit in eum Satanas,

h Dicit ei Ieſus.

i Quod facis, fac citius.

a Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerit ei.

ad hoc deſtinata aduenit hora.[a] Illo autem verbo: Quod facis, fac citius, tam occultè tamque ciuiliter & honeſtè Iudam dominus arguit, vt nemo tamen cęte rorũ planè intelligeret, quid ſibi verbũ illud voluiſſet. Non enim poterant tam prauè de quoquam facilè ſuſpicari, donec apertius rẽ protuliſſet dominus: & erat ratio, quare in aliam ſententiam dictũ poſſent exiſtimare.[b]

b Quidã enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Ieſus, eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum,

c aut egenis vt aliquid daret.

d Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit cõtinuò.

Quidam enim, propterea quòd Iudæ officium erat cõmunes geſtare loculos, ac de rebus neceſſariis comparandis cũram gerere, ſuſpicabantur huc eſſe referendum verbum domini, vt tempeſtiuè ſibi proſpiceret Iudas, de comparandis iis quæ per inſtantem ſolennitatem forent neceſſaria:[c] aut vt aliquid ex communibus eleemoſynis diſtribueret in pauperes, quémadmodũ ſolitus erat interdũ dominus ſuperabundãti pietatis affectu, quæ ſibi donata fuerant, aliis pauperibus & egenis communicare.[d] Iudas ergo poſtquam buccellam illã de manu domini accepiſſet, ac deinde ex addito verbo ſe ac ſuum propoſitum non latere didiciſſet, vehemẽtiſsimè à diabolo agitatus, & propria conſcientia vulneratus, non potuit vltra tam ſancti ſodalitij ferre præſentiam: ſed cõtinuò exiuit, factus apoſtata peſsimus, filius Belial, veluti taurus excuſſo iugo inſaniens, vt parricidiũ mente conceptum, opere perficeret.[e]

e Erat autem nox.

f Cũ ergo exiſſet, dixit Ieſus.

g Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo.

h Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo.

Erat ſub noctẽ, cùm exiret Iudas: quod tempus ad peragendum malitiæ ſuæ deſiderium, erat accommodum.[f] Cùm ergo ille exiſſet, ſeparata palea à tritico, dixit dominus Ieſus ad eos qui remanſerant vndecim diſcipulos:[g] Nunc ecce ego filius hòminis, per verba efficaciſsimæ doctrinæ & ſigna potentiſsimæ virtutis glorificatus ſum in mundo: & Deus pater à quo omnia mea ſunt, & quæ doceo, & quæ ago, in me glorificatus eſt, quoniam eius gloriam in omnibus ſemper ſpectaui.[h] Si autem Deus pater in me iam glorificatus eſt, ipſe quoque me glorificabit per ſemetipſum, poſt paululum in mea paſsione magna oſtenſurus ad meam gloriam prodigia, ac deinde à mortuis me ſuſcitaturus ad vitam immortalẽ, aſſumpturus quoq; me ad dexteram ſuam, & iudicẽ conſtituturus viuorum atque mortuorum, atque

etiam

etiam per orbem vniuerſum meum nomen ſignis admirandis clarificaturus. [a] Neque in longum iſta mea differenda eſt gloria,ſed iam in proximo imminet.Iam enim recta ad paſsionem pergo, poſt quam eueſtigio ſubſequetur hæc gloria. [b] O mei dilecti diſcipuli, quos præ amoris teneritudine filiolos iuuat appellare, modicum tempus & modicum valde eſt, quo ſecundum corporalem hanc & viſibilem præſentiam permanebo vobiſcum. Citius enim quã exiſtimetis,auferar à vobis. [c] Ac tunc meam requiretis præſentiam,mea dulci ſocietate (vt antè ſoletis) perfrui deſiderabitis. [d] Sed quomodo nuper me audiſtis dicentem malignantibus Iudæis: Quo ego vado, vos non poteſtis venire: ſic & vobis idem illud verbum nunc dico,nimirum quod illuc quo ego per paſsionem & mortem pergo,nemo veſtrum ſua virtute poteſt peruenire:Ad patris enim dexteram quo ego poſt paſsionem & reſurrectionem meam aſcendam,nemo hominum propria virtute poteſt aſcendere,niſi per me illuc aſſumptus ſiue attractus fuerit.Potiſsimum verò,iſto nunc tempore quo ego paſſurus ſum, vos non poteritis venire quo ego vado: quoniam nondũ tempus aduenit paſsionis & mortis veſtræ. Vobis enim adhuc in corpore iſto permanendum eſt,ad prædicandum gentibus gloriam meam. [e] Nunc itaque abſcedens à vobis, non onera multa & grandia alligabo in humeros veſtros: ſed hoc vnũ mandatum ſuaue & leue,quaſi ex mea præceptione iam innouatum,do vobis,vt voſinuicem in veritate diligatis,iuxta exemplum dilectionis meæ, qua ego dilexi vos,vt & vos ſic meo exemplo inſtituti ad hãc formam proximos veſtros diligatis.Videlicet,vt quo modo ego vos nihil de me bene meritos,propter patris mei amorem,dilexi,beneficiiſque plurimis affeci,atque in viam ſalutis direxi, nunc etiam mortem pro vobis ſubire paratus:ſic & vos, ob amorem mei erga proximos veſtros etiam incognitos & extraneos, & omnino erga omnes, veram dilectionẽ habeatis,omnibus prodeſſe quibus poteritis modis & mediis laboretis,etiã vitã pro ſalute proximorum

a & continuo clarificabit eũ.

b Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum.

c Quæretis me, & ſicut dixi Iudæis:

d Quò ego vado, vos non poteſtis venire, & vobis dico modo,

e Mandatũ nouum do vobis vt diligatis inuicẽ, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.

rum libenter ſuperimpendere parati. [a] Per hoc enim quaſi certiſsimum ſignum , dignoſci poterit ab omnibus,quòd verè mei diſcipuli ſitis,ſi fraternam charitatem erga proximos veſtros habueritis,eamq; nō verbo tantum aut lingua,ſed opere & veritate oſtenderitis.Nec enim aliud eſt ſignum certius,nec alia diſtinctionis nota manifeſtior.[b] His ex ore domini ſuauiſsimo auditis,Simon Petrus vltra ſe continere non valens,dominū interpellauit,dicens:[c] Quid ſibi vult domine verbum iſtud. Quo ego vado,vos non poteſtis venire?Dic nobis,obſecramus quonam pergas. Si enim ſcire hoc tantum poſsim,quo pergas,non dubitabo,quin & ſequi te potero. [d] Reſpondit ei dominus:Quo ego nūc vado Petre,neq; tu,neq; aliquis aliorū me ſequi modo poteritis.[e] Veruntamē poſterius,vbi tempus tuum aduenerit,ſicut venit nunc hora mea tunc me ſequeris poſterior quo prior ego præceſsi. [f] Petrus verò necdum capiens myſterium verbi,iterum dixit. [g] Gaudeo profectò , quòd vel tandem ſequar. Sed quid obſtabit mi domine,quo minus,te iam nunc ſequi valeam? Non enim poterit quicquam mihi tam horrendum occurrere, propter quod te velim dominum meum,& pręceptorem optimum derelinquere,aut à te ſeparari. [h] Paratus enim ſum pro tuo amore , vitam iſtam corporis perdere: magiſque patiar animam hanc à corpore ſeparari, quàm me à tua ſocietate diſiungi. Iſta quidem Petrus,non fictus nec ſimulatus,corde ſyncero , ex magno erga præceptorem zelo,tametſi præſumptuoſius aliquantulum,proferebat. Verùm dominus,cui notum erat imperfectum diſcipuli,& quod in proximo imminebat periculum non erat occultum, ita illi reſpondit: [i] Quid tu Petre ita nunc confidenter loqueris?Audi magis quid ego tibi dicturus ſum.Illud ego tibi in veritate,vt certo euenturum aſſero, quòd hac ipſa nocte,antequam gallus bis vocē cantus ſui emiſerit, tu me trina negatione abnegaueris. Obſerua quod dico:& cōſidera,quàm iſtud cum tuis tam ſplendidis promiſsis conueniat.

a In hoc cognoſcēt omnes,quia diſcipuli mei eſtis,ſi dilectionē habueritis adinuicem.

b Dicit ei Simon Petrus:

c Domine, quo vadis.

d Reſpondit Ieſus,quo ego vado,non potes me modo ſequi.

e ſequeris autē poſtea.

f Dicit ei Petrus:

g Quare nō poſſum te ſequi modo?

h Animam meam pro te ponam. Reſpondit ei Ieſus:

i Animam tuā pro me pones? Amē amen dico tibi,non cantabit gallus,donec ter me neges.

ANN

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

IN *finem dixit eos.*) Auguſtinus in finẽ interpretatur, in Chriſtum, iuxta illud: *Finis legis Chriſtus.* Ad hoc enim nos dilexit, inquit, vt nos ad ſe perduceret, faceretq; eo trãſire quo ipſe præceſsit: id eſt, ad patrẽ. Alteram quoq; intelligẽtiam reiicit, tanquã humanam, non diuinam, qua ſignificari videretur, Chriſtũ vſq; in finem ſiue vſq; ad mortẽ (excluſiuè videlicet, vt dici ſolet) ſuos dilexiſſe, quaſi morte finita ſit eius erga ſuos dilectio. Illam tamẽ admittit qua ſignificetur Chriſtũ adeo dilexiſſe ſuos, vt in finẽ vſq; ſiue ad mortẽ vſq; eos dilẽxerit: id eſt, vt mori pro eis dignatus fuerit. Chryſoſtomus, in finẽ dilexit, exponit ſemper dilexit, cuius ſignũ ſubſequẽter ponitur. Theophylactus ſic enarrat: In finẽ dilexit, id eſt, nihil omiſit eorũ quæ facere decet eũ qui multũ diligit perfectámq; charitatẽ erga illos declarauit. Vnde id quod dicitur Grecè εἰς τέλος, id eſt, in finem, tantundẽ valere putat, quantũ perfectè, plenè & cõſummatè, ſic videlicet vt nihil deſit. Poteſt & ſimpliciter ſic intelligi: Cùm per omne tempus quo cũ ſuis in hoc mundo cõuerſatus fuerat dominus, dilectionẽ erga eos magnam oſtendiſſet, voluit tamen circiter finẽ inſtante iam paſsionis hora, ſingularia quædam erga ipſos veræ dilectionis monſtrare indicia: vt ex hoc notũ fieret omnibus, quòd ex mera charitate, quæ erat perlaturus ſupplicia, vltro ſuſciperet, pro ſuorum ſalute, nõ ex neceſsitate, propter ineuaſibilem Iudæorũ aſtutiam, vel inſuperabilem eorundẽ potentiam. Hunc ſenſum in Elucidatione ſolum explicauimus, quod facilior videatur, & magis obuius, videturq; illũ accepiſſe in verbis propoſitis diuus Cyrillus. ¶*Cœna facta.*) Intellige, nõ cœna cõſummata & abſoluta, ſed cœna apparata, vel cùm cœna iam fieret, aut intercœnandũ. Nondũ enim abſoluta erat cœna, quũ ad lauandũ pedes diſcipulorũ ſe Chriſtus componeret, quandoquidẽ paulopoſt bucellam Iudę tradidit, intinctã paropſidi. Annotauit hoc ipſum & Auguſtinus: Cœna facta, dictũ eſt, inquit, iam parata & ad cõuiuantiũ menſam vſumq; perducta. ¶*Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas, &c.*) in Græcis codicibus, aliquantulũ mutato ordine, ſic legitur: *Cũ diabolus iã miſiſſet in cor Iudæ Simonis Scariotis, vt traderet eũ.* In ſententia nõ eſt differẽtia. ¶*Sciẽs quia omnia dedit ei pater in manus, &c.*) Ad exẽpli huius quod Saluator in memoriã ſempiternã exhibere voluit amplificationẽ, breuiter hic Euãgeliſta cõmemorat Chriſti poteſtatẽ & gloriã. Quaſi dicat: Cũ non ignoraret Chriſtus, omniũ ſe habere poteſtatẽ, & patri ſe eſſe cõſubſtantialẽ, atq; ad patris dexterã paulopoſt ſeſſurũ in maieſtate & gloria vſq; adeo tamẽ ſe humiliauit, vt linteo pręcinctus pedes diſcipulorũ, ſerui

ui inſtar vilißimi,ablueret & extergeret.Sic intelligunt Cyrillus & Auguſt.Theophylactus verò ſic intelligit,Cùm ſciret Chriſtus ꝙ omnia ei pater dediſſet in manus,&c.nō timebat exinde ſuā gloriam minui,ſi humilitatis officiū ageret,ſicut dedignātur humilia facere officia,qui gloriā ſibi rapiūt apud homines,ne ex hoc videātur ignobiles.¶*Venit ergo ad Simonē Petrū.*) Ex hoc loco,ſimul & eo qđ paulo-ante dicitur:*Cœpit lauare pedes diſcipulorū*,colligit Chryſoſto.& poſt eū Theophylactus,Chriſtum nō primū lauiſſe pedes Petri,eo ꝙ dicitur prius: *Cœpit lauare pedes diſcipulorum.* Et deinde, *Venit ergo ad Simonem Petrum*. Quaſi prius ab alio vel aliis inceperit dominus,ac poſtmodum ad Petrum peruenerit.Suſpicantur autem,Iudā proditorē propter impudentiā Petro ſe præpoſuiſſe,vt eius prius lauarētur pedes, aliorum autem diſcipulorum nullum putant ante Petrum lotum,eo quòd præ humilitate non ſuſtinuiſſent ante illum lauari dicturique fuerant cæteri hoc ipſum quod legitur dixiſſe Petrus: *Domine tu mihi lauas pedes?* Vnde colligit,nec primum lotum eſſe Petrum., nec aliū quenquam præter proditorem priorem ablutum. Auguſtinus verò contrariū exiſtimat,videlicet à Petro primū omniū incœpiſſe Chriſtum.Non inquit,intelligendū eſt,quòd poſt aliquos ad Petrum venerit,ſed quòd ab illo cœperit. Quando ergo pedes diſcipulorum lauare cœpit ad illum venit à quo cœpit,id eſt,ad Petrum.Et tunc Petrus,quod etiam quilibet eorum expauiſſet,expauit,atq; ait: *Domine tu mihi lauas pedes?* Diuus Cyrillus hanc quæſtionem non attingit. ¶*Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet,&c.*) Senſum in Elucidatione expoſitum,prolixius habet diuus Auguſtinus in commētario. Cyrillus,Chryſoſtomus,& Theophylactus,difficultatē apparentem verbi huius,ex eo quod dicitur: *Niſi vt lauet pedes,* & deinde additur, *Eſt mundus totus*,diſſimulaſſe videntur:illud tamen diſſoluentes,quomodo diſcipuli mundi dicti ſint,quando nondum per Chriſtū erant in cruce ablata peccata mundi. ¶*Non de omnibus vobis dico.*) Diuus Cyrillus duplicē huius loci ſenſum aßignat. Priorem quidē illū qui in Elucidatiōe expoſitus eſt,vt Iudas notetur beatitudine indignus. Poſteriorem verò,in hunc modum exponit:Quoniam dicturus ſecūdum ſcripturam erat,*Qui manducat meum panem,&c.* cùm omnes diſcipuli panem ſuum manducarent vnà cum eo viuentes , ideo ne de omnib⁹ id dicere videretur,mitigauit prius,dicēs:*Non de omnibus vobis dico.Ego ſcio quos elegerim.*¶*Quod facis,fac citius.*) Verbum illud,quēadmodum ſacri interpretes annotarunt, non eſt iubentis, cōſulentis aut præcipientis,ſed permittentis,imò arguentis tantū & exprobrātis,& oſtendentis ꝙ voluntariè mortē ſuſciperet pro ſua voluntate,

non

non ex neceſsitate: vt oſtenderet verum eſſe quod antè dixerat: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam. Et nemo tollit eam à me, ſed à meipſo eam pono.* Cyrillus verbum iſtud ad diabolũ(de quo paulo ante dixit Euangeliſta,ꝙ intraſſet in Iudam) dirigi putat, orationemq́; minantis potius quam exhortantis eſſe, quemadmodum apud illũ prolixius videre licet. ¶*Cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ.*) Arguit diuus Auguſtinus illos negligentiæ in legendo & intelligendo,qui putant hoc in loco Chriſtũ corpus ſuum dediſſe Iudæ, quod eum iam antè accepiſſe cum cæteris ſecundũ Lucæ Euangeliũ aſſerit. ¶*Mandatum nouum do vobis.*) Quomodo nouum poteſt dicere mãdatum Saluator, quod etiam in lege veteri antiquis fuit traditũ,dicente Moſe,*Diliges proximum tuum ſicut teipſum?* Soluunt hanc quæſtionem Cyrillus, Auguſtinus,Chryſoſtomus,& Theophylactus,per id quod additum eſt, *Sicut dilexi vos.* Id enim in mandato veteris legis adiectum non erat, quãdo Chriſti tam ſpecialis iſta dilectio quam iamiam erat mõſtraturus nondum innotuerat mundo. Poſſet & ſic ſimpliciter accipi,vt abſcedẽs Chriſtus illud vetus de mutua dilectione mandatum,ſua authoritate & quaſi noua commendatione ſeu præceptione, voluerit innouare,videlicet vt tanto magis cordi haberetur à fidelibus.

ELVCIDATIO CAP. XIIII.

ET ait diſcipulis ſuis:

TVNC piiſsimus Ieſus videns ex verbis iſtis diſcipulorum animos vehementer contriſtatos, ad conſolationem dixit eis: [b] Quanuis hæc iam audieritis de morte mea,nõ eſt tamẽ quare adeò cõturbari debeatis animo,aut formidine nimia deiici.

b Nõ turbetur cor veſtrum.

[c] Sicut creditis in Deũ patrẽ,ſic fide eadẽ ipſa in me, vt filiũ eius verũ, & cõſubſtantialẽ vnúmque cum eo Deũ credite:vt ſit fides veſtra perfecta, qualis non eſt in Iudęis:qui cũ in patrẽ dicãt ſe credere, filiũ tamen negant.Hæc fides perfecta, ab omni metu ſecuros, & omni periculo ſuperiores vos conſtituet, etiam tunc cũ ego per mortẽ à vobis abſceſſero. Nec dubitetis, quin ſuo tẽpore me ſcitis facilè ſequuturi, rurſumq́; in meã familiam admittendi.

c Creditis in Deum,et in me credite.

[d] Domus enim patris mei cæleſtis, habitatio ad quam pergo, ampliſsima omnino & capaciſsima eſt, habens manſiones multas valde,cubicula plurima pulchro ordine diſtincta, in quibus pro gradibus meritorum variè excipiẽtur & oblectabuntur electi mei, cùm hinc poſt beneactam

d In domo patris mei manſiones multa ſunt.

vitam abſceſſerint, omnes autẽ plena & perfecta potietur requie. Hæ manſiones iam ſunt in domo patris mei, ab origine mundi præparatæ & prædeſtinatæ ſunt in regno cælorum: vt cùm tẽpus aduenerit, exultent in eis ſancti in gloria. [a] Quòd ſi aliter res haberet, ſi nullas pro vobis ſuſcipiendis patris mei domus haberet manſiones, nõ ego vana ſpe vos lactarem ſed apertè & nudè iam olim aperuiſſem vobis. Nõ enim is ſum ego, qui mẽdacibus promiſsis hominũ animos mihi vel opus habeam vel optem conciliare. [b] Ecce enim in veritate, ꝓpter hoc ego nũc à vobis per mortem ſum ex hoc mundo tranſiturus, vt apud patrem vobis locum parem, in quo mecũ ſuſcipiamini: quod fieri non poterit, niſi ego præceſſero, quaſi viam ſternens nõdum calcatam, & quaſi manſiones cubiliáque aperiẽs hactenus occluſa mortalibus. Nam licet iam ſint manſiones in domo patris, nondũ tamen apertæ ſunt hominibus, nõdum patefacta eſt via ad illas: ſed per mortem meam portæ aperiantur, via innoteſcat me aſcendente, neceſſe eſt. [c] Et ſi modo ego abiero ad tempus à vobis, vobíſque locum apud patrem præparauero, iterum ad vos veniã ego, in nouiſsimi examinis die ad vniuerſos, atq; ad ſingulos ſigillatim in hora mortis temporalis, [d] & accipiam vos, omnéſq; meo nomini credẽtes mecum, quaſi in ſinum meum colligẽdo eos, vt in eadem gloria qua ego ſum apud patrem, & ipſi ſint mecum, eadem fœlicitatis plenitudine perfruentes. [e] Nec vobis vſqueadeo noua videatur, quæ dico de meo abitu. Iam enim vos noſtis, & terminum ad quem pergo, & viã ipſam per quam pergendum eſt ad hunc terminum. Videlicet id dixit dominus, ſignificans illos patrem iam cognouiſſe per fidem, qui erat profectionis ſuæ terminus, & ſemetipſum filiũ, qui eſt via ad patrem. Verùm illi ſenſum verbi huius non capiebant. [f] Vnde vnus quidam ex eis, Thomas nomine, ait ad Ieſum: Domine, quid hoc eſt, quod dicis, nos & viam noſſe & terminum? Nos ſanè vtrunque nobis ignorare videmur. Primum enim neſcimus, quis ſit tuæ profectionis huius terminus: qui ſi nos latet, quomodo poterimus viam cognoſcere

a Si quo minus dixiſſem vobis:

b Quia vado parare vobis locum.

c Et ſi abiero et præparauero vobis locum, iterum venio,

d & accipiam, vos ad meipſum vt vbi ſum ego, & vos ſitis.

e Et quò ego vado ſcitis, & viã ſcitis.

f Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò vadis: & quomodo poſſumus viam ſcire? Dicit ei Ieſus:

re qua ſit proficiſcendum? Qui enim quo pergatur ignorat, neque qua pergẽdum ſcire poteſt. Reſpondit illi Ieſus: [a] Imo vtrunq; iam noſtis. Nam quantum ad viam attinet, me omnes iam probè noſtis, & quis ſim creditis. Ego autem ſum via, per quam ad patrem pergitur: nec via ſolum, ſed veritas etiam ipſa erudiens, & vita viuificans animas hominum. [b] Nemo quippe hominũ ad patrem poteſt accedere, niſi per me filium eius, quẽ ipſe mediatorẽ, & quaſi viam quandam mediam cõſtituit, inter ſe & genus hominum. Ipſe verò terminus eſt, ad quem & ego nũc pergo, & vos poſterius opportuno tẽpore proficiſcemini. Cùm itaq; Thoma negas te pariter & viam noſſe & terminũ, videris neq; me neq; patrem agnoſcere. [c] Quòd ſi me cognoueritis fide recta & vera vt filiũ, patrem quoque meũ cognoſcere debetis, qui mecum eſt vna ſubſtantia. [d] Et ex nunc illum cognoſcitis cognoſcetiſq; amplius poſt reſurrectionem meam, cùm per ſpiritũ plenius eritis inſtructi de omnibus: & iam illum vidiſtis per fidem, atque etiam inſenſibili voce audiſtis, omnes quidem ante aliquot dies, dicentem: Et clarificaui, & iterum clarificabo: nõnulli peculiariter etiam aliàs in mõte tonantẽ: Hoc eſt filius meus dilectus. [e] Audiens hæc alius quidã ex diſcipulis, Philippus nomine, nimium craſſe verba Chriſti intelligẽs, dixit ei: Ego, quòd equidem ſciam patrem tuum nũquam vidi oculis. Tantum ſemel illũ nobis oſtende viſendum oculis, & erit noſtro deſiderio abunde ſatisfactum. [f] Hanc petitionem tam craſſam audiens præceptor Ieſus, quaſi per modũ increpationis diſcipulum alloquitur: Quid tu, inquiens, Philippe, loqueris? Tot ego dies & menſes, imò & annos aliquot vobiſcum egi, vobiſque familiariſsimè ſum vſus, vt domeſticis meis: & nõdũ me quis ſim cognoſcitis? Nam id tua verba videntur indicare, quibus tibi poſtulas patrem oſtendi, quaſi hactenus tibi nunquam oſtenſus aut viſus fuerit. [g] Philippe, qui me in recta fide videt, patris verbum & imaginem eiuſdem naturæ, videt ſimul & patrem meum, qui mecum eſt vna ſubſtantia. [h] Quomodo igitur ſic tu loqueris, dicens:

a Ego ſum via veritas & vita.
b Nemo venit ad patrem, niſi per me.
c Si cognouiſſetis me, & patrẽ meum vtique cognouiſſetis:
d & amodo cognoſcetis eum, et vidiſtis eum.
e Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.
f Dicit ei Ieſus Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me?
g Philippe, qui videt me, videt & patrem.
h Quomodo tu dicis: oſtende nobis patrem?

Oſtende nobis patrem, perinde ac ſi nunquã illum vi deris? [a] An nõ credis, ꝙ ego ſum in patre, ſicut & pater viciſsim in me eſt, tanquã duæ perſonæ in vna ſubſtantia, ſicut gignens cõſubſtantiale in cõſubſtantiali genito, & ſicut genitũ conſubſtantiale in conſubſtantiali gignẽte? Omnino autẽ illud credatis neceſſe eſt. [b] Nam verba quæ ego in mundo exiſtẽs coram vobis loquutus ſum, atque etiam nunc loquor, nõ ea loquor à memetipſo primario, ſicut nec ſum à memetipſo: itẽ & opera quæ ego in mundo facio, à meipſo nõ facio: ſed à patre meo, vnde habeo eſſe, ab eo & verba & opera habeo, ipſe in me manẽs vnus mecum Deus, & mecũ loquitur, & mecũ operatur: ego ab eo loquor ipſe per me loquitur: ego ab eo operor, ipſe per me operatur. [c] Cùm igitur tanta ſit inter me & patrẽ ſocietas, tã indiuiſibilis vnitas, an nõ credetis me eſſe in patre, & patrẽ in me? [d] Quòd ſi fortè abſq; probãtibus ſenſibilibus teſtimoniis illud videatur difficile creditu, opera illa tã multa, tam magna, tam excedentia omnẽ naturæ virtutẽ, quæ me vidiſtis in patris nomine operantẽ, ipſa vos cõmouere debent, ad credendũ, rem ita ſe habere. [e] Et ſi nondũ hæc ſufficiant, ad ampliorẽ confirmationem illùd in veritate dico vobis, ꝙ etiam ij qui in me credunt vt patri conſubſtantiale & vnũ cum eo Deũ, ex virtute huius fidei atq; in cõprobationẽ veritatis eius, opera eiuſmodi miraculoſa qualia me vidiſtis operari, imò & his maiora (vbi res popoſcerit, aut ſe obtulerit occaſio) facient: [f] quoniam ego iam non vltra conuerſabor ſecundum viſibilem præſentiam in mundo, vt hactenus, ſed ad patrẽ redeo vnde exiui: atq; ob hoc vbi ego aſſumptus fuero à vobis, relinquam poteſtatem faciẽdi neceſſaria miracula fidelibus meo loco ſubſtituendi, ad prędicationem Euãgelij, & conuerſionẽ gentiũ. [g] Inſuper, in teſtimoniũ huius inſeparabilis vnitatis, quicqd à patre meo petieritis in fide nominis mei credendo in me tanquã in filiũ patri cõſubſtantialẽ, hoc vobis, nõ dico, pater præſtabit, ſed ego pręſtabo, ex poteſtate mihi à patre tanquam conſubſtantiali filio ſuo concesſa: [h] vt ſic pater in filio, & per filium glorificetur,

a Non credis, quia ego in patre, & pater in me eſt?

b Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo nõ loquor, pater autem in me manens ipſe facit opera.

c Non creditis, quia ego in patre, & pater in me eſt?

d Alioquin, propter opera ipſa credite.

e Amen amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet:

f quia ego ad patrem vado.

g Et quodcunq; petieritis patrẽ in nomine meo, hoc faciam:

h Vt glorificetur pater in filio.

cetur, dum & in nomine filij ipſe rogatur, & per filiũ ipſe exaudit rogantes. Vtrobique enim glorificatur pater in filio, dum in vtroq;, ſimul & patri & filio vna & communis aſſcribitur gloria.[a] Et ne fortè malè intelligentes quod dictum eſt, falsò exiſtimetis, non licere vobis me rogare, ſed patrem tantum in nomine meo, hoc quoque adiicio: Si quid me petieritis, in me credẽtes & fiduciam habentes, tanquam in eum qui ex virtute diuina mihi à patre data hoc poſſim, ego præſtabo vobis, vel hoc ipſum dando quod poſtulatur, vel aliud magis vtile. Et ego quidem, quòd ad meum attinet affectum atq; officium, nunquam vobis deero. [b] Vos autem, ſi me vultis vera dilectione amare, curate obſeruatores eſſe, non tantum auditores, mandatorum meorum. [c] Quòd ſi feceritis, etiam cum à vobis abſceſſero, non ero immemor veſtri, ſed patrẽ meum pro vobis deprecabor: & ille per meam interceſsionẽ mittet ad vos, loco mei iam aſſumpti, aliũ qui vos conſolabitur, nempe ipſum ſpiritum veritatis, ſpiritum ſanctum à patre, & à me cõmuniter procedentẽ: qui eos quibus illabitur, ſua vnctione interna, & magnificè conſolatur, & perfectè omnẽ edocet veritatem.[d] Et hũc ſic dabit pater, vt non ad tempus tãtum modicum vobiſcum ſit, quomodo ego ſecundum carnis præſentiam pauculum tempus egi in mũdo, ſed vt vobiſcum & cum iis qui per vos in me ſunt credituri, in æternũ vſque ad conſummationem ſæculi permaneat, vt ſanctæ Eccleſiæ meæ doctor & gubernator perpetuus: quo dirigẽte, in veritate ſalutis ſolida & immobilis ſemper perſtabit.[e] Quem quidem ſpiritũ veritatis, homines mundi huius, qui obſtinato corde in iis quæ mundi ſunt, (nẽpe in concupiſcẽtia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ) eligunt permanere: non poſſunt, donec eiuſmodi ſunt, recipere: quoniam in cæcitate cordis ſui illum, nec videre per fidem poſſunt, nec ſcire per experientiam, quam dulcis, & ſuauis ſit vnctio eius. [f] Vos autem quos ego de mundo impuro elegi, qui mũdana iam olim reliquiſtis deſideria, vos illum cognoſcetis, per fidem & experientiam dulcedinis eius: quoniam

a Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

b Si diligitis me, mandata mea ſeruate.

c Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis,

d vt maneat vobiſcũ in æternum, ſpiritum veritatis:

e quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum.

f Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.

quoniã ex munere patris apud vos permanebit, & in vobis inhabitabit, vos cõſolans, vos erudiens, vos lætificans, vos corroborans, denique per omnia abundantes vos conſtituens. [a] Ita non relinquam ego vos patre orbatos, quaſi ſine capite corpus, quaſi ſine gubernatore familiam. Tametſi enim nunc per mortẽ abſcedens ad tempus videbor abeſſe, [b] breui tamen ad vos redibo, & poſt reſurrectionem iterum me vobis oſtẽſurus, & poſt aſcenſionem in cælos tali munere vos inuiſurus. [c] Poſt paululum temporis, homines mũdi huius qui non niſi corporaliter præſentia videre ſciũt, me non vltra videbunt, quando per mortem auferar ab oculis eorum. [d] Vos autẽ qui non eſtis de mundo, me ſemper videbitis, licet non oculis corporis, ſed oculis mẽtis per fidem, quæ eſt rerum ſenſibus corporeis abſentium. [e] Ego enim ſicut viuo ſemper apud patrem, & viuam etiam tunc cùm me exiſtimabit mundus mortuum, ſic & vos in fide mea viuetis, per quam & me videbitis. [f] In illo tempore, cùm hũc ſpiritum veritatis poſt meam aſſumptionem in cęlos acceperitis in vobis, tũc intelligetis per illius eruditionem, quòd modo nõ ita captu facile vobis exiſtimatur, quòd ego ſum in patre, vt vnum cum ipſo, vt cõſubſtantialis filius inconſubſtantiali patre, ſicut viciſsim pater in me eſt vt mecum vnum. [g] Et non ſolũ intelligetis, quòd ego & pater vnũ ſimus per eſſentiã, verùm hoc inſuper cognoſcetis, quomodo vos in me ſitis tanquam vnum mecum, & ego viciſsim in vobis vt vnum vobiſcum, non quidem per naturam, ſed per gratiam, qui eſt ſupremus modus vnctionis creaturæ cum creatore. Nam vnitas ſecundum naturam creaturæ, in creatore eſſe non poteſt. [h] Hoc autem dico vobis: quiſquis mandata mea poſtquam audierit, nõ obliuiſcitur, ſed fideliter ea tenet in corde, & obſeruat in operatione, vitam ſecundum illa ducendo immaculatã ab hoc ego verè & ſeriò diligi me cenſeo: nõ autem ab iis, qui verborũ meorum ſunt obliuioſi aut pigri tantum auditores. [i] Qui verò me ſic diligit meritò gaudeat, & bene actum ſecum putet: quoniã viciſsim ipſe diligetur à patre meo, qui diligit

a Non relinquã vos orphanos:

b veniam ad vos.

c Adhuc modi cum, & mũdus me iam non videt.

d Vos autem videbitis me,

e quia ego viuo, & vos viuetis.

f In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in patre meo.

g & vos in me, & ego in vobis.

h Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.

i Qui autẽ diligit me, diligetur à patre meo: & ego

git omnes me diligẽtes:[a] item & à me diligetur, quo niam ego diligẽtes me diligo, & in ſignum meæ dile ctionis ego me illi familiariter manifeſtabo, dabo illi per vnctionem ſpiritus, per fidem me cognoſcere, hominem verum & Deum verum. [b] Huius autẽ verbi occaſione, quidam ex diſcipulis nomine Iudas, non quidem ille à Scariot qui iam Apoſtolorum collegium apoſtata factus reliquerat, prodendóque præceptori iam intendebat, ſed alter cognomento Thaddęus frater Iacobi minoris, cõſobrinus domini, quæſtionem ipſi propoſuit, dicens:[c] Quid cauſæ eſt mi domine, quòd peculiariter nobis te dicis manifeſtandũ, & non mundo potius vniuerſo? Quare non etiam toti mundo vis teipſum facere manifeſtum, vt ſit amplior tua gloria? Reſpõdit illi dominus:[d] Quiſquis verè me diligit, doctrinam meam & mandata mea fideliter & tenebit in corde, & obſeruabit in opere, omnibus quæ ex patris mei volũtate in mundo prædicaui firma fide inhærendo, vitámque immaculatam iuxta exemplum conuerſationis meæ, in illis agendo. [e] Hunc autem pater meus mutuo proſequetur amore, qui nõ poteſt non diligere me diligentes. De me verò, multo minus dubium eſſe poteſt, quin & ego illum diligam me diligẽtem. [f] Neque verò inanis erit aut ſine fructu hæc noſtra, id eſt, mea patriſque dilectio. Veniemus enim ego & pater ad illum, & ſtabilẽ in anima illius manſionem conſtituemus. Spiritum ſanctum mittemus in cor illius, atq; per hunc animã eius in templum nobis cõſecrabimus, in quo per gratiam permanenter inhabitabimus, ipſúmque omni gloria & ornatu ſpiritualium gratiarum adimplebimus.[g] Qui autem non verè me diligunt, illi ſunt, qui mandata mea cordi non habent neque obſeruant, iis quæ ego loquor nõ credentes, aut iis quæ mãdo contraria operantes: quòd vtique nõ facerent, ſi me diligerẽt. Quibus quid ex illa ſua inobedientia eueniet, per cõtrarium ſenſum facile patet. Huiuſmodi enim ego & pater viciſsim gratuita dilectione non diligemus, neque ad huiuſmodi veniemus, aut apud huiuſmodi demorabimur, ſed lõgè ab illis fugiemus, & bo norum

a diligam eũ, & manifeſtabo ei meipſum.

b Dicit ei Iudas, non ille Scariotis:

c Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo? Reſpõdit Ieſus, & dixit ei:

d Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit:

e & pater meus diliget eum,

f & ad eũ veniemus, & mãſionẽ apud eum faciemus.

g Qui non diligit me, ſermones meos nõ ſeruat.

a Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me, patris.

norum omnium patientur egeſtatem.[a] Verba autem illa quæ ex me audiſtis, non propriè mea verba ſunt, nõ ex me ſolo illa loquutus ſum, neq; primario à me- procedũt quaſi iniuſſus ego loquar: ſed verba ſunt patris, quę mihi ille dedit & mãdauit, vt loquerer mundo: propter quod, ſicut meritò à patre diliguntur qui ea ſeruant, ita meritò repelluntur qui ea non cuſtodiũt. Ecce in manifeſto eſt ratio, ob quam me vobis, non mundo, dixi demonſtraturum meipſum.

b Hæc loquutus ſum vobis, apud vos manens.

[b] Hæc autẽ quæ hactenus ex me audiſtis, ab eo tempore quo mecum eſtis conuerſati loquutus ſum vobis, corporis viſibili præſentia apud vos habitans.

c Paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo,

d ille vos docebit omnia, quæcunq; dixero vobis.

[c] Cæterùm, vbi ego à vobis poſt paululum abſceſſero, per mortem & aſcenſionem ad cælos, tunc conſolator ille alius cuius paulo antè memini, nempe ſpiritus ſanctus, quem poſt meam aſcẽſionem pater ad vos & in vos mittet, me intercedẽte & rogante pro vobis, item & propter fidem quæ in vobis eſt nominis mei:[d] tunc ille, inquã, longè alio modo, id eſt, inſpiratione interna erudiet vos de omnibus ad veſtram aliorumque ſalutem neceſſariis, & per hunc ego tum abſens corpore, ſuggeram inſpirabóque vobis omnia quæcunque mihi viſum fuerit ſignificare vobis: & qui nunc per flatum oris ſenſibilem, modicè vos erudio in paucis, tunc per flatum ſpiritus inuiſibilem, de omnibus plenè vos inſtruam, ita vt nullius ad ſalutẽ vtilis ac neceſſariæ rei vobis veſtriſque vſque ad ſæculi conſummationem ſucceſſoribus, patiar deeſſe cognitionem.

e Pacem relinquo vobis, pacẽ meam do vobis

[e] Abſcedens autem à vobis, pacem ego pro teſtamento & dono magno relinquo vobis, pacem, inquam, meam, pacem ſpiritualem, pacem cæleſtem & ſanctam ego do vobis, pacem cordis, ſolam veram pacem, quam nemo vobis auferre poterit. Ad hãc pacem ego vos vocaui, in hac mea eruditione vos inſtitui in hac per ſpiritũ meum ego vos in æternum firmabo.

f Non quomodo mundus dat, ego do vobis.

[f] Non illam autem pacem loquor, quam deceptor mundus ſuis dat amatoribus, pacẽ malam, pacem impuram, pacem turbulentem, pacem inſtabilem, & poſt paululum exitu peſsimo terminandam.

g Non turbetur cor veſtrũ, neque formidet.

[g] Nec eſt, ô filioli mei, quòd immoderata triſtitia cõturbari aut formidine nimia anxiari

anxiari debeant corda veſtra, de abſceſſu meo.[a] Iam enim me audiſtis dicentem: Vado ad patrem, & iterum venio ad vos. In quo verbo, potius vobis eſt materia gaudij, quàm triſtitiæ.[b] Si enim diligatis me, ſicut vtique diligitis, modis omnibus in hoc vobis gaudendum eſt meo nomine: quoniam ego (vt dixi) ad patrem meum pergo,[c] qui me ſecundum humanitatem nunc angelis quoque inferiore, maior eſt, qui meã humilitatem exaltabit & glorificabit, humanitatẽ meam in qua nunc deſpectus appareo, locaturus ad dexteram ſuam. Ita omni iure, ſi me diligitis, meo nomine vobis gaudendũ eſt, in eo quod dixi, me iturum ad patrem. Vt interim taceam, quanta vobis ſit occaſio gaudij etiam veſtro nomine, ex eo quod adiunxi: venio ad vos. [d] Et nunc hæc prædixi vobis, ô dilecti filij, antequam eueniant: non vt ego animos veſtros triſtitia grauem, aut lachrymas vobis excutiam, aut planum luctumque exuſcitem, [e] ſed vt cùm poſtea hæc omnia ita vt prædixi eueniſſe reipſa didiceritis, firmetur tunc in vobis hac ratione fides, qua etiam priuſquam euenirent in me credidiſtis.[f] Poſthac non multa vobiſcum loquar verbo ſenſibili, non diu apud vos ſecundum hanc corporalem viſibilémque præſentiam conuerſabor aut colloquar vobiſcum: ſed quæ modo auditis, vel continuato ſermone audietis, verba mea ad vos ſunt ante mortem nouiſsima.[g] Iam enim princeps huius mundi diabolus venit contra me, vt quantotius me tradat in mortẽ. Ipſe ſuos miniſtros impios Iudæos & proditorem Iudam, iam excitat aduerſum me, vt comprehendar atque in mortem tradar: [h] tametſi in me nihil ipſe ſuũ, nihil quod morti ſit obnoxiũ aut propter quod mortis ego eſſem debitor, poſsit inuenire. Vbi enim peccatũ nullum eſt, ibi mortis princeps dominiũ nullum habet, ibi mors debitum non inuenit. [i] Quanquam autem mortis nõ ſum ex meipſo debitor, attamẽ vt cognoſcat orbis vniuerſus, me patrem meum verè diligere, vtque omnes hoc indicio ſciant me patri obedientiam pefectam & integram præſtare: [k] & ſicut mihi mandauit ita facere: [l] agite mei

filioli

a Audiſtis quia ego dixi vobis vado, & venio ad vos.

b Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrẽ:

c quia pater maior me eſt.

d Et nunc dixi vobis priuſquã fiat,

e vt cùm factum fuerit credatis.

f Iam non multa loquar vobiſcum.

g Venit enim princeps mundi huius,

h & in me nõ habet quicquã.

i Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo patrem,

k & ſicut mãdatum dedit mihi pater, ſic facio:

l ſurgite eamus hinc.

filioli,hilares mecum exurgite:atque ex loco hoc in quo ſecurus ego poſſum vobiſcum deliteſcere,abeamus ad locum alium, quo ego ſcio proditorem cum hoſtium manu vẽturum.Surgite,dicamus hymnum: hymnòque dicto, exeamus in montem oliuarum.In hoc ſiquidem omnes cognoſcent,me non ex neceſsitate aut coactione mortuum eſſe, ſed ex obedientia tãtum & amore patris:quoniam cùm mortis debitor non eſſem, & omnia impiorum cõtra me machinamenta præſcirẽ,noluerim tamen fugere mortem,ſed voluntariè locum ipſe acceſſerim, quo hoſtes meos ad me comprehendendum ſciebam eſſe venturos.

ELVCIDATIO CAP. XV.

a Ego ſum vitis vera,

POST hæc dominus Ieſus coram diſcipulis verba ardentiſsimi affectus & familiariſsimæ dilectionis, quaſi de pleniſsimi pectoris fonte ebulliens protulit,dixítque eis:Verè ego ſum comparãdus fructiferæ viti,qui ſic vos in me contineo fideles meos,mẽbra mea,quemadmodum corporalis vinea ſuos in ſe palmites continet. [b] Atque huius vitis cultor,pater eſt cæleſtis:qui me humanam naturã aſſumere voluit, vt ſecũdum eam vitis eſſe poſſem, & palmites iſtos in me ſuſcipere mihíq; adiũgere.[c] Ipſe in modũ vinitoris, ſi quem videt in me palmitẽ inutilẽ,per nudam fidem mihi tantum adhærentem non facientẽ in fide mea fructum charitatis & boni operis,hũc abſcindet,proiiciens eum per mortem à communione corporis mei. [d] Quemcunque autem fidelium & vtilium palmitum,in me fructum charitatis & boni operis viderit proferentem, ipſe diligenter purgabit,impedimenta omnia profectus auferendo: faciétq; illum ad plura & maiora idoneum,vt magis magíſque abundet. [e] Neque verò hæc dico, quaſi vos immunditiæ notare velim. Iam enim vos in anima mũdi eſtis & puri à mortali malitia, propter verba doctrinæ meæ, quibus credendo & obediendo, ſanctificati eſtis. [f] Veruntamẽ, poſtquam mundi iam eſtis, curate, vt in hac munditia perſeueretis.Quòd fiet,

b & pater meus agricola eſt.

c Omnem palmitem in me nõ ferẽtem fructũ, tollet eum.

d & omnẽ qui fert fructũ purgabit eum, vt fructum plus afferat.

e Iam vos mũdi eſtis, propter ſermonem quẽ loquutus ſum vobis.

f Manete in me & ego in vobis.

fiet,ſi vos in me permanſeritis.Si enim vos in me per manſeritis,fructũ charitatis & boni operis proferentes,& ego in vobis permanebo,per gratiam meã veſtras animas irrigando & fœcundando, ad copioſiorem indies præſtantioremque fructum proferendũ. [a] Omnino autẽ,vt in me permaneatis:vobis neceſſarium eſt:quoniam ſicut nõ poteſt palmes materialis fructum progignere, niſi in vite permanſerit, ab ea ſuum humorẽ & vigorem accipiens,ſeparatus autem à vinea omnino non poteſt:ſic & vos fructũ operis verè boni,operis verè Deo grati,& vitæ æternæ merito rij,facere non poteſtis niſi in me permanſeritis,tanquam membra viua mihi per fidem & dilectionem adglutinati. [b] Iterum dico,rectè me comparandum viti,vos autem palmitibus.Quemadmodum enim ex vite in omnes palmites debet vita & vigor & humor & virtus omnis diffundi,ſic à me in omnes fideles, membra mea ſpiritualis vita & vigor & quicquid eſt bonę gratiæ,debet deriuari.[c] Vnde quiſquis ſic in me manet,vt & ego viciſsim in eo permaneam,vitam & vigorem ſpiritualem influens hic fructum bonorum operum proferet copioſum.[d] Nihil enim operis verè boni & Deo grati quiſquam poteſt facere,ſine me:id eſt,niſi per me,& ex me:niſi videlicet ego per influxũ gratiæ meæ cooperer.[e] Vnde quiſquis in me fructificando permanere nõ curat,quiſquis ſe vel per infidelitatem,vel per inobedientiã,à me ſeparat,ſic vt meæ gratiæ influxus ad opera Deo digna nõ ſuſcipiat,hic tanquam palmes inutilis à me diuidetur atque diſſecabitur: [f] & tanquam reprobus factus à conſpectu meo,areſcet,priuatus vita & vigore animæ: qui proinde in die viſitationis, videlicet in hora mortis aut nouiſsimi examinis,colligetur,vt in faſciculos alligetur cum ſui ſimilibus,& in ignem proiicietur ęternũ, vbi cum apoſtaticis angelis ardore cruciabitur ſempiterno.Ad nullum enim alium vſum valent palmites, cùm exciſi fuerint à vite,quã vt in faſciculos alligati eſca fiant igni. [g] Si verò per fidem & dilectionem ſedulumque boni operis ſtudiũ in me permanere curaueritis, & doctrinam quam ex me audiſtis credendo

a Sicut palmes non poteſt ferre fructũ à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.

b Ego ſum vitis, vos palmites.

c Qui manet in me, et ego in eo hic fert fructum multum:

d quia ſine me nihil poteſtis facere.

e Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes,

f & areſcet, & colligent eum, et in ignem mittent, & ardet.

g Si manſeritis in me, & verba mea in vobis mãſerint, quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis.

& obediendo diligenter ſeruare,quicquid à me valetis poſtulare,obtinebitis:vel id ipſum quod poſtulatis,ſi ad ſalutẽ ſit neceſſariũ,vel id qđ eſt magis vtile eo quod poſtulatum eſt.[a] Atq; in hoc plurimum glorificatur pater meus,vt vos copioſum bonorũ operũ fructum proferatis, ſicque veri & germani diſcipuli mei efficiamini.Nulla enim ratione magis in vobis pater cæleſtis poteſt glorificari,quàm ſi in filio eius permanentes,ſtudioſi ſitis in omni opere bono : qua etiã vna ratione veri & germani diſcipuli mei eſſe & nominari debetis.[b] Talis autẽ ego ſum erga vos diſcipulos atque fideles meos,qualis erga me eſt pater meus.Sicut enim ipſe me amore præcipuo cõplexus eſt, tanquam filium ſuum vnicum,naturalem & conſubſtantialem:ſic & ego vos amore complector, vt filios meos & fratres ſecundum adoptionem.[c] Proinde curate,vt in dilectione mea permaneatis:vt ſicut iam à me dilecti eſtis,ſic & maneatis dilecti:item ſicut à me dilecti eſtis, ſic & vos permaneatis me diligentes.

[d] Quod ſi modum inquiritis,quo in mea dilectione permanere valeatis,ex meo exemplo vos erudiam.Si pręcepta mea fideliter obſeruaueritis,fidem habẽtes verbis & obedientiam præſtantes mandatis meis,permanebitis à me dilecti & me diligentes, ſicut ego patris mei præcepta diligentiſsimè obſeruaui & obſeruo,& in eius dilectione permaneo,dilectus videlicet ſemper & diligens.[e] Hæc ergo nunc vobis,tam dulcia,tam amica,tã auditu ſuauia verba loquutus ſum, vt gaudiũ & lætitiam ex me accipiatis modo in cordibus veſtris, in hac tanta familiaritate & amicitia mea,& gaudium veſtrũ illud de me plenius fiat poſt meam reſurrectionẽ,ac penitus impleatur in futuro ſtatu gloriæ. Non enim vos cupio propter me deprimente grauari triſtitia,ſed magis lætari vos cupio in me,quemadmodum poſterius perfecto in me exultabitis gaudio.[f] Hoc eſt præceptum meum pręcipuum & ſummarium , quod ego vobis ſtudioſiſsimè committo obſeruandum, vt proximos veſtros propter me ex animo diligatis, non lingua tantum aut ficta ſimulatione,ſed opere & veritate : quomodo ego vos propter

a In hoc clarificatus eſt pater meus, vt fructũ plurimum afferatis, et efficiamini mei diſcipuli.

b Sicut dilexit me Pater,et ego dilexi vos.

c Manete in dilectione mea.

d Si præcepta mea ſeruaueritis,manebitis in dilectione mea: ſicut et ego præcepta patris mei ſeruaui,et maneo in eius dilectione.

e Hæc loquutus ſum vobis , vt gaudium meum in vobis ſit , et gaudium veſtrũ impleatur.

f Hoc eſt præceptum meum,vt diligatis inuicem,ſicut dilexi vos.

propter amorem patris, ex animo ſemper dilexi & di ligo diligamque imperpetuum.[a] Inter homines quidem nō inuenitur maior dilectionis gradus, quàm vt quis pro amico ſuo quem diligit mortem vltro ſuſcipiat. Nam qui pro inimico mortem velit ſuſcipere, inter homines ex naturali amore, non inuenitur. Pro amico autem, interdum id contingit. Ego verò pro hominibus adhuc inimicis ſecundum tempus, & à Deo adhuc diuiſis, mortē ſubibo: in quo argumētū ſimul & exēplū veræ meæ dilectionis vobis demonſtrabo, vt ad hunc modū & vos, pro extraneorū quoq; & inimicorum ſalute, parati ſitis libenter vitam expēdere corporalem. [b] Neq; tamen hoc dixerim, ꝙ vos ego mihi reputē inimicos. Vos enim iam eſtis & permanebitis amici mei & charisſimi, ſi, vt hactenus feciſtis, ita deinceps ſtudiosè obſeruaueritis mādata mea. Recōſiliatio enim illa & ſatisfactio quam pater expectat, iā in proximo eſt: & quaſi iam perfecta ſit, vos ego amicos habeo, non inimicos.[c] Iam non vltra ego vos nominabo appellatione odioſa ſeruorum (quod hactenus factum eſt, donec adueniret tempus reconſiliationis, in quo eſt reſarcienda gratia) ſed amicorū, ſociorum, & fratrū blanda ac honorifica nominatione poſthac vos compellabo, in ſignum perfectæ recōſiliationis & inſtauratæ amicitiæ.[d] Qui enim adhuc ſerui loco habetur in familia, huic nondum manifeſtantur à domino ſecretiora negotia, neque occulta conſilia, ſed tantum eius opera & miniſterio dominus vtitur ignari interim eorum quæ aguntur.[e] Poſtquam autem ad tantam peruenit ſeruus domini familiaritatem, vt conſcius ſit omnium ſecretorum, vt omnem ei domum & adminiſtrationē committat, iam non ſeruus vltra, ſed amicus dicendus eſt. Ita profecto vos meritò ego dixerim amicos, quoniam omnia quæcunque à patre meo audiui: id eſt, quęcunque ille mihi mandauit loqui in mundo: palàm & apertè expoſui vobis: & ſi interdum aliis per parabolarū inuolucra tectius propoſuerim Dei myſteria, vobis tamē omnia ſeparatim expoſui, itidem per vos facturus omnibus qui ad cōſummationē vſq; ſeculi crediderint

a Maiorem hac dilectionē nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

b Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.

c Iam non dicam vos ſeruos,

d quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius.

e Vos autē dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.

a Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.

in nomine meo. [a] Rurſum & in hoc meam erga vos præcipuā dilectionē monſtraui: quòd non vos ex vobiſmetipſis me priores elegeritis, vt me ſequeremini: ſed ego vos ex meo beneplacito prior elegi, ab æterno quidē ſecundū prædeſtinationem, in temporis autem hac plenitudine ſecundū vocationem temporalem: elegi (inquam) vos, & ad fidē nominis, & ad ſtatum Apoſtolatus mei.

b et poſui vos, vt eatis,

[b] Ad hoc autem elegi vos, & in vocatione veſtra ſtabiles conſtitui, nō vt poſthac otio torpentes gloriemini, quaſi ex ſola vocatione ſecuri: ſed vt aſsiduo ſtudio bonæ operationis proficere ſtudeatis de virtute in virtutem, vtque in mundū vniuerſum poſt meam aſcenſionē exeuntes, prædicetis Euāgelium in toto orbe terrarum:

c et fructū afferatis, et fructus veſter maneat:

[c] ſicque fructum, tam in vobiſipſis, quā in aliis, copioſiſsimū proferatis: qui fructus imperpetuum permaneat, & modo quidē in Eccleſia ſancta vſque ad conſummationem ſeculi, & pòſt in ęterna gloria.

d vt quodcunq; petieritis patrē in nomine meo, det vobis.

[d] Quo in negotio ad quod electi & vocati eſtis, ſi ſtrenuos vos exibueritis, fiet, vt quicquid patrem petieritis in nomine meo, quod vobis, vel pro veſtra ſalute, vel ad veſtri miniſterij exequutionem, pro aliorum ſalute neceſſariū fuerit, ipſe liberaliter daturus ſit vobis.

e Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.

[e] Iterum repeto, vt vel ſic frequenti iteratione vobis inculcem, quod præ omnibus in vobis deſidero. Hoc vnum ſummarium mandatum, quaſi pro multis: abiens commendo vobis, vt ſyncera dilectione inuicem proſequamini, affectuq; & opere proximos diligatis.

f Si mūdus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.

[f] Quòd ſi vos econtrariò proſequantur odio homines mundi huius, non id vos debet in odium & impatientiam cōcitare, vt pro malo malum reddatis: ſed ad parandam in vobis patientiam, meum potius exemplum attendite. Nā me antè proſequuti ſunt odio grauiſsimo, cùm ego nihil ob hoc beneficiorū illis impendere deſinā, neque in vllo de eis minus benè mereri ſtudeam.

g Si de mundo fuiſſetis, mūdus quod ſuum erat diligeret.

[g] Cauſa autē huius odij quo vos proſequetur mundus, non veſtra ſunt facinora mala, ſed diſsimilitudo virtutis. Si enim de mūdo eſſetis, ſi moribus & vita ſimiles eſſetis mūdanis hominib', ipſi vtiq; nō vos vt extraneos odirēt, ſed vt domeſticos ſuos & ſocios carnali amplecterentur

tur, amore. [a] Nunc verò, quia mundani non eſtis, ſed & ego vos per meam electionem & vocationẽ abſtu li, & quaſi diuiſi à mundo, docens vos quæ mundus a- mat odire, quæ mundus odit diligere, propter hanc vi delicet affectus & vitę diſsimilitudinẽ in qua vos ego inſtitui, à mundanis hominibus odium & perſe- quutiones ſuſtinebitis. [b] Atque vt in occurrenti- bus malis huiuſmodi: non deiiciamini animo, vehe- menter expediẽs fuerit, verbum illud ſubinde ad me- moriam reuocare, quod paulo antè dixi vobis, non debere ſeruũ ſe pretioſiorẽ æſtimare quàm ipſe ſe do minus æſtimet: id eſt, ad quęcunque agenda vel feren da ſe dominus dederit, ad eadem ſeruum quoque de- bere eſſe paratum. Indecẽs enim eſt & infidelis ſerui argumentũ, ſi quæ dominus ſuſtinet ille ſuſtinere re- cuſet. [c] Ita ſi me perſequuti ſunt mũdi huius amatores improbi & carnales Iudæi, vos quoque ſeruos meos perſequentur: & ſicut ego odium & perſequutiones illorum patienter fero, ſic & vos meo exẽplo edocti ſuſtinebitis patienter quæ vobis aduerſa euenerint. [d] Et ſi meum ſermonem, quem per os meum ipſe Dei filius loquutus ſum ad eos, non ſeruauerunt, nihil mi- rum vel nouum vobis videri debet, ſi veſtros quoq; ſermones non ſuſcipient neque ſeruabunt: & quomo do ego propter plurium infidelitatẽ nõ deſij erudire fideles & ſimplices, ſic neq; vos multorũ incredulitas ad impatientiam debet adducere, vt propter illos cæ- teris quoque velitis occultare ſermonẽ, aut omnino otioſi vacare ſilentio. [e] In omnibus autem huiuſmo- di aduerſitatibus, hæc vobis in teſtimonio bonæ con- ſcientiæ erit præcipua conſolatio, quòd iſta omnia non propter veſtra ſcelera, vt malefici: ſed propter fi- dem nominis mei, ſubſtineatis: quoniã videlicet mẽ te excæcati nolunt agnoſcere eũ qui miſit me, nolunt credere me à patre miſſum eſſe in mundum. Ita vide- licet propter me, omnis hæc Iudaici odij perſequutio niſque tẽpeſtas aduerſum vos ſuſcitabitur. [f] Verun- tamen ipſi, vbi tempus aduenerit vltionis, malitię ſuę pœnas luent, nec eis vlla ſuffragabitur excuſatio. Na ſiquidem ego non veniſſem ipſe in mundũ, & ſi ipſe

a Quia verò de mundo nõ eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, proptereа odit vos mundus.

b Memẽtote ſermonis mei quẽ ego dixi vobis: Non eſt ſeruus maior domino ſuo.

c Si me perſequuti ſunt, et vos perſequentur.

d Si ſermonem meum ſeruauerunt, et veſtrũ ſeruabunt.

e Sed hæc omnia facient vobis, propter nomen meũ, quia neſciunt eũ qui miſit me.

f Si non veniſſem et loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.

eis nõ fuiſſem ore proprio loquutus, nõ ita magnum viderentur habere peccatum, ſi permanſiſſent in peccatis ſuis, & aliquid viderentur poſſe rationabilis excuſationis prætexere. [a] Nunc autẽ excuſatio nulla relicta eſt eis, poſtquam ad eos ipſe deſcẽdi, vt eos curarem à cęcitate ſua, & noluerũt ſanari. [b] Et ne fortè parum ipſi æſtiment, hominem vilem odiſſe, illud ſciant, ꝙ quiſquis me odit, is & patrem meũ odit, qui mecum eſt vnus Deus & vna ſubſtantia. [c] Præterea, ſi inter eos apparens doctrinã meam non confirmaſſem ſignis miraculorum, talia opera ædendo, tam magna, tam multa, tam efficacia, quot, qualia, & quanta nemo vnquam alius ante me fecerat, neq; quiſquam facere poſſet, niſi ex virtute Dei, nõ ita graue eſſet eorum peccatum. Nimirũ hoc ab eis pro veriſsimili vtcunque & rationabili excuſatione videretur poſſe adduci, ꝙ inter ipſos latuiſſem, & nullis indiciis diuinitatem teſtificantibus meipſum demõſtraſſem. [d] Nũc verò ipſi me in aſſumpta ſerui forma præſentẽ viderunt oculis ſuis, ſigna quoq; apertè meam doctrinam cõprobantia, & ꝙ ex Deo eſſem efficaciſsimè teſtificãtia, ædentẽ: & his non obſtantibus, odio implacabili in me exarſerunt, & perſequutiones ſuſcitauerũt: ac proinde & patrem meũ oderunt, cuius filium repulerunt, & cuius opera per me ædita etiã diabolo aſcribere non ſunt reueriti. [e] Bene autem per hanc iſtorum malitioſam rabiem illud impletur, quod de eis in Pſalmis legitur, Pſalmiſta ipſo in perſona mea ſic loquente: [f] Me Dei filiũ, impij Iudæi ſine cauſa contra fas & æquum perſequuti ſunt odio, & contradictiones mihi immeritas ſuſcitarunt. Ne verò his de veſtra perſequutione auditis, grauius conturbemini aut deiiciamini animo, rurſum vobis conſolatoris illius cuius paulo antè memini, ingeram mentionẽ virtutẽmq; prædicabo. [g] Cùm itaq; conſolator ille, quẽ ego vobis poſt meam aſcenſionẽ in cælos, à patre ſimúlq; cũ patre mittam (à quo patre, ſicut omnia mea, ita & quod illũ mittam habeo) ille, inquam, ſpiritus doctor omnis veritatis, qui à patre ſicut & à me procedit, proceſsione æternę ſpirationis, atq; etiam tẽporaliter

a Nunc autem excuſationẽ non habent de peccato ſuo.

b Qui me odit, & patrem meũ odit.

c Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.

d Nunc autem & viderũt, & oderunt & me, et patrem meũ,

e Sed vt impleatur ſermo qui in lege eorũ ſcriptus eſt:

f Quia odio hãbuerunt me gratis.

g Cũ autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis, à patre ſpiritum veritatis, qui à patre procedit,

liter à patre ſimul & à me procedit, dum mittitur in animas fideliũ, ille in cordibus veſtris teſtificabitur de me omnẽ veritatem, quis ſim, & vnde venerim:[a] il le vos certos cõſtituet in cognitione & fide nominis mei. [b] Et vos ex huius inſtructione cõfirmati, eiúſq; gratia & conſolatione corroborati, fidenter & intrepidè palàm omnibus de me teſtificabimini:[c] atque hoc etiam ex parte aliqua liberius & fidentius, quoniam ab initio prædicationis meæ, quãdo manifeſtari cœpi mũdo, mihi ſemper indiuidui comites adfuiſtis, omniũ ſecretorum meorũ optimè cõſcij, teſtéſq; certiſsimi eorũ omniũ quę in mũdo dixi vel egi, quorum pleraq; licet me vobiſcum ſecundũ carnẽ agente nondũ caperetis, poſtmodũ tamen per ſpiritum hunc illuminati intelligetis, & palàm teſtificabimini eorum quæ vidiſtis & audiſtis plenam veritatem.

a ille teſtimonium perhibebit de me.

b Et vos teſtimonium perhibebitis,

c quia ab initio mecum eſtis.

ELVCIDATIO CAP. XVI.

SVPER his quæ vobis poſt meum abſceſſum obtingent mei cauſa malis, vtile mihi viſum eſt, antequã euenirẽt vos præmonere: vt minus noceãt, cùm venerint, multo antè præuiſa pericula, nec ſubitò illis aduenientibus patiamini ſcãdalum: quòd ferè euenire ſolet iis quibus ex improuiſo magni mali quippiam oboritur. [e] Hinc & rem amplius aggrauans, vobis prædico, incredulos Iudæos tanta vos pro meo nomine affecturos eſſe contumelia, vt à ſynagoga ſua vos excludant, tanquam prophanos & execrandos homnies vos arcentes à communione & commercio cœtus Iudaici, atque à legitimis gentis, ita vt nec in templo orare, nec ſacrificium Deo offerre, nec in ſynagogam cum aliis cõuenire, nec aliquid huiuſmodi vobis liceat: quæ proculdubio maximæ erit infamiæ & extremæ apud homines ignominiæ nota. [f] Inſuper poſt paululum aderit tempus, creſcẽte in dies perſequutione nominis mei, quando omnis cuiuſcunq; nationis, ſiue Iudæus, ſiue Barbarus, damno aliquo quantumlibet magno, imò & morte, veſtrũ q in me creditis ali-

Haec loquutus ſũ vobis, vt non ſcãdalizemini.

e Abſq; ſynagogis facięt vos.

f Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe praſtare Deo.

quem afficiens, exiſtimabit ſe magnum & peculiariter gratũ in hoc Deo exhibere obſequium. Iudæi quidem zelo legis & Dei, quẽ habent non ſecundũ ſcientiam, vos perſequentur, vt in legem ac Deum blaſphemos: gẽtiles verò, zelo deorũ ſuorũ, quibus in hoc ſe putabunt gratificari, quòd vos tanquã nouorũ dęmoniorũ aut recentiũ idolorũ annunciatores interficiãt.

a Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrẽ neque me.

[a] Atque hæc omnia facient vobis, non propter veſtra ſcelera, ſed propter propriam cæcitatis ſuæ malitiam: quoniam neque patrem meũ (quem ſe noſſe dicũt, & colere gloriantur) verè nouerunt, ne q; me eius filiũ. Patrem enim meum ſi verè agnoſcerent, me eius filium, & vos eius nuntios non tam implacabili furore perſequerentur: & me, ſi quis ſim, & vnde venerim, ſcirent, aduerſum vos perſequutionem iſtam nõ mouerẽt, tam iniuſtã, tam modis omnibus irrationabilem.

b Sed hæc loquutus ſum vobis: vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.

[b] Hæc autẽ omnia, licet aſpera & dura auditu, apertè & ſine ambagibus eloquutus ſum vobis: vt cùm tẽpus aduenerit quo iſta implebuntur, tunc ad memoriam reuocetis verba mea, quibus eà multo antequã fierent prædixi vobis: ſicque à ſcandalo, admonitionis meæ huius memores præſeruemini, vt nõ ſuccumbatis tentationi, neque occurrẽtibus frangamini malis, ſed animo multò antè ad ea perferenda præparato cõſtantes perſtetis atque immobiles.

c Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram.

[c] Ab initio autem vocationis veſtræ, quando me ſequi primũ cœpiſtis, iſta tam dura & grauia vobis non aperui: quoniam adhuc vobiſcum ad tempus aliquantũ me ſciebam permanſurũ, ac proinde non opus erat ante tempus ſuperuacanea vos grauare triſtitia, tunc maximè quando vobis nondum in mea cõſuetudine firmatis potuiſſet euenire ſcandalum.

d Et nunc vado ad eum qui miſit me.

[d] Nunc verò, quando iamiam mihi erit abeundum, vltra nõ erant hæc differenda. Nunc enim à vobis abſcedens ſecundũ corporis viſibilem pręſentiam, ad patrem meum redibo, per aſcenſionẽ in cælos: à quo exiui dum homo fierem, & cuius iuſſu de cælo in hunc mundum, ſecundũ aſſumptam ſerui formam, deſcendi.

e Et nemo ex vobis interrogat me, quò vadis.

[e] Et nemo nunc eſt veſtrum, qui opus habeat vltra me interrogare, quo vadam: quonia ſatis dilucidè iã id vobis aperui,

&

& quo pergam, & ad quid pergam. [a] Sed vos, vt video, ex his meis ſermonibus, quibus meum à vobis abſceſſum indico, nimiam animo triſtitiã concipitis, durúmque nimis id vobis videtur, inter tanta mala quæ vobis euentura propoſui, etiam mea carere præſentia. [b] Veruntamen, vt id quod res eſt dicam, & certam vobis eloquar veritatem, omnino ſic vobis vtile eſt, vt ego ſecũdum corporis viſibilem præſentiam à vobis abſcedam, atque ad patrem vnde exiui redeam. Ego enim corpore abſens, multo vobis abundantius prodero quàm præſens. [c] Nam ſi ego non abiero, ille conſolator ſpiritus ſanctus, cuius iam frequenter memini, & per quem vobis magna promiſi, nõ mittetur ad vos. [d] Cùm autem ego à vobis aſſumptus fuero in cælum, tunc ad patris dexteram reſidẽs, poſt paucos ab aſſumptione dies illum ad vos mittam, vt vos impleat omnibus bonis. Sic enim à patre decretũ eſt, nõ prius mittere in terras ſpeciali illa miſsione ſpiritum ſanctum, quàm ego ipſius filius morte deuicta glorificatus, adq́ue ipſius dexteram exaltatus fuero.

a Sed quia hæc loquutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum.

b Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadã.

c Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.

d Si autem abiero, mittam eum ad vos.

[e] Et ne fortè paruum vobis donum videatur iſte ſpiritus ſanctus, hoc ſcitote, quòd ille cùm ad vos venerit, magna atque miranda operabitur in vobis. Cùm enim venerit ille, tali vos feruore accendet, tali firmabit conſtantia, tali illuminabit ſcientia, vt homines mundi huius, quantumlibet aut potentes aut ſapientes, & valeatis & audeatis reprehendendo arguere de iis, in quibus meritò erunt arguẽdi, potiſsimũ tribus de cauſis, nempe de peccato, de iuſtitia, & de iudicio. [f] Primùm quidem, arguet per vos ſpiritus mundum de peccato grauiſsimo volũtariæ cæcitatis & infidelitatis: quoniã in me credere obſtinatiſsimis animis recuſauerũt, meiſq́ue tot & tam efficacibus ſermonibus, tot item & tam validis diuinæ virtutis prodigiis noluerunt acquieſcere, vt credrent & pœnitentiam agerent. [g] Reprehendendo quoque increpabit mũdũ ſpiritus de iuſtitia, nimirum quòd eam fidei iuſtitiam, quam ego veni prædicare mundo, ex me noluerunt audire, & ſuam iuſtitiam legalem volentes conſtituere iuſtitiæ Dei noluerint eſſe ſubiecti.

e Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.

f De peccato quidem, quia non crediderunt in me.

g De iuſtitia verò,

a quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.

b De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt.

c Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo.

d Cùm autem venerit ille, ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

e Nō enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcūq; audiet loquetur.

[a] Ego enim iam pergo ad patrem, & poſthac nō amplius conuerſabor in mundo ſecūdum viſibilem præſentiam: quod in confuſionem & redargutionem cedit illorū qui mihi cōtradicunt. Niſi enim vera fuiſſet & ſalutaris illa iuſtitia quā ego prædicaui in mūdo, non me poſt peractum prædicationis negotium ad ſe pater cæleſtis redeuntem erat ſuſcepturus. [b] De iudicio quoque ſpiritus ſanctus mundū arguet: quoniam huius mundi princeps diabolus iam iudicatus & condemnatus eſt, vt eiiciatur foras, ſuáque aduerſum electos poteſtate per meam mortem ſpolietur. De hoc videlicet ſpiritus mundanos homines reprehendēdo arguet, ꝙ cùm per meam mortem diabolus ſit & iuſtè & potenter deuictus, ſuáq; poteſtate ſpoliatus, ita vt nihil iam iuris habeat in omnes qui ab eius voluerint ditione abſcedere, ipſi tamen per infidelitatem cæteráq; peccata adhuc ſub eius tyrānide voluntariè eligunt permanere, neque diſruptas meo ſanguine catenas excutere, iugúmq; eius abiicere curant. [c] Et hactenus quidē ex me multa audiſtis ſalutaria dogmata. Veruntamen & alia multa mihi reſtāt vobis aperiēda, partim ad plenam Dei cognitionem, partim ad rectam morum inſtitutionē facientia: quæ vos modo capere non ſufficitis, vel ob temporis breuitatem, vel ob intellectus ruditatem, vel ob animi conturbationem, vel ob rerum dicendarū magnitudinem. [d] Cùm autem poſt meum abſceſſum à me miſſus venerit in vos ſpiritus ſanctus, doctor omnis veritatis, ille meo apud vos fungetur officio, ille vobis hæc quæ ſuperſunt dicenda, & quæ modo capere non ſufficitis, interna ſua vnctione ſuggeret: docebitque vos de omnibus ſaluti & directioni fidelium neceſſariis, tam credendis quàm agendis, plenam & certam veritatem: ſimúlque capaces vos faciet eorum omniū quæ ipſe dicturus eſt vobis, vt quantalibet fuerint quantū opus erit, ea capere ſufficiatis. [e] Nō enim ſpiritus iſte à ſemetipſo loquetur (ſicut nec à ſeipſo eſt nec à ſeipſo mittitur) quaſi non ab aliquo habeat, quod loquetur: ſed illa tantum loquetur vobis, quæ à patre & à me audierit, à quibus ꝓcedit & mittitur: id

eſt:

eſt,illa loquetur quæ pater & ego iuſſerimus vt loquatur in mūdo:propter quod,nihil niſi meram & certiſſimam veritatē loquetur vobis : ſicut ego qui à patre ſemper loquor,non niſi veritatem loquor. [a] Peculiariter quoq; vos faciet cognoſcere quæ ventura ſunt: illa videlicet quę humana cognitione haberi nō poſſunt,futuram remunerationem bonorum atq; malorum,ſingulorum hominum iudicium,gloriam æternam,& pœnā itē æternam : de quibus omnibus teſtificabitur in vobis ſpiritus iſte. Alia quoque multa per illū præſcietis,poteritiſque prædicere futura contingentia,ad confirmationem prædicationis veſtræ & vtilitatem fidelium. [b] Ipſe me glorificabit, quis ego ſim certiſsimo magiſterio primum vos inſtruēdo,deinde per vos & alius prædicando, cū oſtenſione ſignorum mirabilium,quæ per vos ad gloriam meam operabitur in mundo. [c] Ideo,inquam, me glorificabit, quoniā de meo accipiet,id eſt,à me mittetur,& propter me glorificandum mittetur , & à me audiet quæ annuntiabit vobis,ſicut ego à patre accepi,& audiui quæ annuntiaui vobis. Vnde ſicut ego à patre miſſus & doctus in omnibus patris gloriam ſemper quæſiui, ſic ſpiritus iſte à me mittendus me quæret glorificare in mundo. [d] Quod autem dico, ſpiritum ſanctum de meo accipere,propterea dico,quoniam pater ab æterno totam ſuam ſubſtantiam & quicquid eſt ipſe, tanquam connaturali & conſubſtantiali filio mihi communicādo,dat,vt à me procedat,ſicut ab ipſo,ſpiritus ſanctus,atq; vt à me mittatur ſicut ab ipſo. [e] Ita videlicet intelligendum eſt quod dixi, ſpiritum ſanctum de meo accipere , vobiſq; annuntiare:non quaſi à me ipſe propriè procedat,aut mittatur,aut loquatur : vel quaſi ego,vt mittam,non habeam à patre. [f] Veniet autem ſtatim tempus puſillum & modicū, quādo ego à vobis occultatus latebo,nec me videre poteritis ſecundum corporalem & viſibilem præſentiam. [g] Et poſt modicum illud tēpus occultationis, iterum vobis apparebo,ſecundum carnem vt antè viſibilis : ſed erit tēpus hoc modicum , quoniam poſt dies aliquot redibo ad patrem. [h] In paſsione videlicet mea quæ

a & quæ ventura ſunt annūtiabit vobis.

b Ille me clarificabit:

c quia de meo accipiet,& annuntiabit vobis.

d Omnia quæcunq; habet pater,mea ſunt.

e Propterea dixi,quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

f Modicum & iam non videbitis me:

g & iterū modicum, & videbitis me:

h quia vado ad patrem.

nun c

nunć imminet,ad tridui tẽpus ſubtrahar aſpectui veſtro:tertia autem die reſurgens à mortuis,iterum me vobis demonſtrabo in reſuſcitato corpore, ore ad os vt olim loquuturus vobiſcum.Sed nõ diu ita me præſentem habebitis. Poſt dies quadraginta ad patrem aſcendam,non iterum à vobis ſecundum corporalem præſentiam in hoc mũdo conſpiciendus, donec in ſecundo aduentu vt iudex apparebo in gloria. Hæc erat verborum domini Ieſu ſententia. [a] Verùm diſcipuli rudes & attoniti,nõ intelligentes myſterium ſermonis,intra ſemetipſos,atque etiam inter ſeinuicem ſubmiſsiori voce muſsitantes cõquirebant,dicebãtq; alter ad alterum: [b] Intelligis tu, quòd iam nobis audientibus dixit magiſter?Modicum, & iam non videbitis me,& iterum modicum,& videbitis me,quia vado ad patrem?Ingeminantéſque præ admiratione nimia,& præ deſiderio ſciendi myſterium verbi, replicantes quæſtionem,dicebant: [c] Quid putas ſibi vult hoc verbi quod loquitur magiſter? Omnino magni aliquid videtur indicare, quòd nos ex nobis nõ capimus. [d] Dominus autem Ieſus pium diſcipulorum affectum conſiderans, noluit diutius illos detinere ſuſpenſos.Cognoſcensq; ex eis aliquos iam eo eſſe animo,vt ſe interrogarẽt de intellectu verbi, ea familiaritate,qua ſolẽt rogare explicationem verborum difficilium,prçuenire eos voluit nimia ſua benignitate, quã hoc in ſermone vltimo præcipuè curauit demonſtrare,dixítque eis: [e] Solicitas reddit mentes veſtras, quòd dixi,Modicum,& iam non videbitis me:& iterum modicũ,& videbitis me, & de huius verbi intellectu ambigẽtes adinuicem conquiritis. Ego autem veſtrum deſiderium cognoſcẽs,& petitionem præueniens, planè & apertè rem ipſam vobis explicabo. [f] Itaq; dico vobis cum proteſtatione veritatis, quòd vobis quidem meis diſcipulis iam tẽpus inſtar luctus atque triſtitiæ,quando vos ad tempus modicum mea deſtituti pręſentia,& mea deſolati paſsione,ex amaritudine cordis etia lacrhrymas copioſè eſſundetis oculorum? [g] cùm interim homines mundani ambitioſi & ſuperbi, hoſtes mei, magnificè gaudebunt & ſeriò

trium

a Dixerunt ergo ex diſcipulis eius adinuicem.

b Quid eſt hoc quòd dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterũ modicum & videbitis me: & quia vado ad patrem?

c Dicebant ergo, quid eſt hoc quod dicit modicũ? Neſcimus quid loquitur.

d Cognouit autem Ieſus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis:

e De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum & non videbitis me: et iterum modicum, & videbitis me.

f Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos:

g Mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini.

triumphabũt,tanquam victores capta præda & ſpolia diuidentes,tanquam accepta iam de me perfecta vltione:vos autem in triſtitia & luctu agetis. Atq; hoc erit illud prius modicũ,de quo dixi:Modicum,& iam non videbitis me. [a] Veruntamen non diu in mœrorẽ hoc perſeuerabitis:ſed poſt paululum ſubſequetur triſtitiam illam ingens gaudium,quando ego poſt mortem rurſum me vobis viuentẽ & glorioſum demonſtrauero. Atque hoc erit poſterius illud modicum, de quo dixi:Et iterum modicũ,& videbitis me.[b] Et quo plenius intelligatis quę vobis immineant,ſimilitudinem vobis propono mulieris parturientis: quæ vbi aduenerit tempus pariendi, dolore vehementi & vix ab homine tolerabili ad tempus afficitur, atque etiã partus tempore imminente,quando nondum ad partum peruenit,metu inſtantis pœnæ magna grauatur triſtitia:[c] Videlicet quoniam tunc aduenit hora eius, tempus quod ſecũdum naturam ſemper dolorem illũ ſecum adducit,& quem non datur euadere, ſi velit cũ ſalute prolem parere.[d] Statim verò vbi pepererit mulier, poſtquam partu infans eſt æditus in lucem, iam omnis oblita doloris ne meminit quidem vltra ad vllam triſtitiam affictionis illius & anguſtiæ, quam in partu ſuſtinuit, neque doloris tolerati eam pœnitet.

[e] Propter ſubſequens gaudium quod concipit, cùm fructum vteri ſui cernit oculis,cùm de ſe natũ videt infantem;quo gaudio materno aliud nõ eſt ſub ſole maius:quod gaudiũ ita afficit maternum animum,vt nec tolerati doloris relinquat memoriam.[f] Quàm ſimilitudinem noſtro accommodans propoſito, dico, iam adeſſe vobis diſcipulis meis tẽpus doloris & triſtitię,& iã quaſi partus hora vobis ſuperueniet, erítq; dolor veſter vehemens in modum mulieris parturiẽtis. [g] Verùm poſt hoc tempus triſtitiæ,ſubſequetur tẽpus alterum conſolationis & gaudij, quando reſuſcitatus à mortuis iterũ veniam ad vos & manifeſtabor vobis,& vos me vidẽtes viuum qui fueram mortuus ex corde gaudebitis,& lętitia ineſtimabili exultabitis, eo quod velut nouus homo reuixi ad vitam immortalem: [h] erítque hoc veſtrum internum gaudium

a ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

b Mulier cùm parit, triſtitiam habet,

c quia venit hora eius.

d Cùm autem pepererit puerũ, iam non meminit preſſuræ,

e propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.

f Et vos igitur nũc quidem triſtitiam habetis,

g Iterum autẽ videbo vos, & gaudebit cor veſtrum,

h & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

diũ tam ſtabile & ſolidũ, vt nemo illud vobis per vllã violentiam aut perſuaſionẽ poſsit auferre, nec omniũ quidẽ principũ furor, nec omniũ ſapientũ mũdi vana perſuaſio.[a] Et in tẽpore illo, cùm me poſt reſurrectionẽ vobis iterũ oſtendero, nõ opus erit vos me interrogare, aut ſermonũ difficiliũ explanationem ex me rogare, quemadmodũ antè ſolebatis. Nudè enim & apertè vobis tũc loquar de regno Dei, & iis quæ ad veſtram pertinebũt ſalutarẽ inſtructionem.[b] Et ne fortè tunc propter meã abſentiã arbitremini vos à patre meo relinquẽdos, illud vobis dico cũ teſtificatione veritatis, quòd quicquid rerũ ad ſalutẽ vtilium, aut ad veſtrũ officiũ debitè exequendũ neceſſarium, patrem meum poſtulaueritis in fide nominis mei, ipſe & liberaliter & libenter daturus ſit vobis, nihilominus quàm ſi adhuc aſsidua cõuerſatione eſſem ego in medio veſtri.[c] Et hactenus quidẽ, donec inter vos aſsiduè ſum verſatus, nõ conſueuiſtis rogare patrẽ meum in nomine meo, videlicet mihi per omnia fidẽtes, atq; in me ſpẽ omnẽ habentes repoſitã, ad quẽ & in periculis omnibus promptũ ſemper habuiſtis refugiũ: propter quòd meæ inhærẽtes corporali præſentiæ, non cõſueuiſtis ita ad patrẽ accedere in ſpiritu & veritate.[d] Nũc autẽ, me abſente, diſcite ad patrẽ cœleſtẽ confugere, eúmq; inuiſibilẽ in ſpiritu & veritate poſtulare: méq; ipſum, non ſolũ vt in humanitate olim me nouiſtis humilẽ, verũetiam (vt tũc credetis, & modo ex parte creditis) Deũ excelſum: & vtiq; exaudietur, quã ſic in fide perfecta effundetis, oratio:[e] vt ſic integrũ & ſolidum fiat gaudiũ de me veſtrum, cũ experientia didiceritis, nihil vobis, per corporalis meæ præſentiæ ſubſtractionem, ſpiritualis vtilitatis deceſsiſſe, imò acceſsiſſe magis: nec minorem patri mihíq; eſſe veſtri curã, quàm erat olim, cũ adhuc præſens apud vos aſsiduè diuerſarer.[f] Eorum autem quæ hactenus in mundo ſum loquutus pleraque in parabolis, ſub figurarum inuolucris, cum difficultate ſermonis propoſui.[g] Iam verò in proximo tempus adeſt, quando non vltra per parabolas loquar, nec vlla verborũ vtar obſcuritate, ſed nudè & apertè, ſine ambagibus & inuolucris, eloquar vobis

a Et in illo die, me non rogabitis quicquam.

b Amen amen dico vobis: ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

c Vſq; modo nõ petiſtis quicquã in nomine meo.

d Petite, & accipietis,

e vt gaudium veſtrum ſit plenum.

f Hæc in prouerbijs loquutus ſum vobis

g Venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palàm de patre annuntiabo vobis.

bis ſimplicem veritatẽ,omne cõſilium & omnem voluntatem patris mei vobis apertiſsimè manifeſtaturus:vtpote quare in mũdum me miſerit:quare me pati velit & mori,quid de vobis decreuerit redimendis, quæ vobis ab æterno præparauerit præmia,& quibus mediis ad ea cõmodiſsimè pertingere valeatis, aliáq; huiuſmodi,quæ poſterius toti orbi per vos erunt prędicanda.[a] In illo tẽpore poſtulabitis,tam patrẽ,quàm me,in fide nominis mei,nihil hæſitantes cũ omni fiducia.[b] Et ne forte exiſtimetis, patris ex ſe nullũ eſſe erga vos affectũ,niſi quantũ ego pro vobis deprecans ad vos ipſum inflecto , nolo iam hoc vobis dicere ꝙ ego patrem meum ſim pro vobis deprecaturus, quaſi vos ex ſeipſo pater non diligat , aut quaſi vobis non liceat etiã immediatè ad ipſum in ſpiritu accedere. [c] Sed hoc dico:quòd ipſe vos ex ſemetipſo pater diligit,non ſolũ ex me inductus:propter quod, & ipſe ex ſemetipſo paratus eſt vos exaudire , etiamſi ego pro vobis non intercederem. Quòd ideo dico,vt maiorem vobis præſtem & magis familiarem fiduciam accedendi patrem, ipſúmque deprecandi in nomine meo. [d] Ideo (inquã) vos meritò amat pater,quia vos per fidem & amorem & conuerſationis ſimilitudinẽ mihi adhæſiſtis,& credidiſtis in me, vt verum filium eius,qui ab ipſo ſecundum diuinam generationem ab æterno proceſsi,& ſecundum temporalem natiuitatem per incarnationem miſſus ſum in mundum,ad ſaluandum eum.[e] Et in hoc quidem rectiſsimè creditis.Verè enim ego à patre exiui, & ſecundum diuinam generationem ab æterno,& ſecundum humanã natiuitatem in tempore,deſcendénſque per incarnationem,veni in hunc mundũ,ſecundũ aſſumptam ſerui formã,inter homines homo viſibilis apparẽs.[f] Peracto autem curſu officij quod mihi pater in mundo explere iuſſerat,iterũ ego mũdum ſecundũ corporalé iſtam & viſibilẽ præſentiam, qua ãnos tres & triginta hic egi, relinquam , atq; ad patrem redibo,per aſſumptionẽ in dexteram eius , vnde per incarnationem ad opus exieram. [g] Quibus tam clare abſq; vlla obſcuritate propoſitis , admirantes diſcipuli clarita-

a In illo die, in nomine meo petetis.

b Et non dico vobis, quia ego rogabo patrẽ de vobis.

c Ipſe enim pater amat vos.

d quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo *exiui.*

e Exiui à patre, & veni in mundum,

f iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.

g Dicunt ei diſcipuli eius:

tem & familiaritatē nimiam, gaudētes, dixerunt illi: [a] Ecce nunc præceptor apertè & familiariter nobis amplius quàm conſueuiſti loqueris, nullúmque tuis ſermonibus admiſces parabolæ tegumētum, aut alterius difficultatis inuolucrum. [b] Videris iam nunc præſtare, quod poſtmodum te facturum promiſeras. Hoc argumento cognoſcimus, & in fide quam olim de te habuimus amplius firmamur, certíq; redditi ſumus, quòd omnia etiam occultiſsima humani cordis, item & futura cōtingentia (quæ ſunt hominibus incognita) tu noſti, per diuinam tuam omniſcientiam quam habes cum patre communem. [c] Neque quòd opus eſt tibi ad cognoſcēdum animi noſtri cogitatū vt à nobis interrogeris, ſicut neque opus eſt illi qui à te quicquam obtinere velit, vt ore te interroget, aut qui tibi cognitum eſſe aliquid velit vt tibi id labiis pandat. Tu enim noſtra deſideria, priuſquam te interrogaremus, ex teipſo cognouiſti, & pleniſsimè eis vltrò ſatisfeciſti, nobis nihil ore adhuc proponētibus. Inſuper & de futuris nos clarè lucidéque edocuiſti. [d] In hoc vtique cognoſcimus atque in fide noſtra firmamur, vt ſine hæſitatione te vere Dei filiū eſſe credamus, miſſum à patre in mundum, ex quo & ſermones & opera omnia tua credimus procedere. Nemo enim occulta cordium ſcire aut futura noſſe poteſt, niſi Deus. [e] Quæ vbi dixiſſent, quaſi cum exultatione quadam in magiſtri verbis oblectati diſcipuli, magiſter quod proximè imminebat periculum ſubitò illis intulit, dicens: [f] Vos quidem modo (vt dicitis) in mea fide cōfirmati eſtis, nec vlla vobis (quantum veſtra teſtantur verba) ſupereſt hæſitatio. [g] Ego tamen hoc dico vobis: Ecce iam adeſt, & iā aduenit tempus illud quo omnes vos diſpergemini aufugientes, alius huc, alius illuc, vnuſquiſq; in propria ſua latibula, vbi præ metu mortis vos abſcondere valeatis: me autem in manus hoſtiū traditum omnes relinquetis, timore mortis deterriti. [h] Nec tamen ego ſolus permanebo, licet veſtro comitatu priuatus. Semper enim mihi aderit pater, qui me nō poteſt deſerere, cùm ſit mihi cum eo vna ſubſtātia: ipſe mihi aderit comes indiuiduus

a Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis.
b Nunc ſcimus, qui ſcis omnia.
c & non opus eſt tibi vt quis te interroget.
d In hoc credimus quòd à Deo exiſti.
e Reſpondit eis Ieſus:
f Modo creditis?
g Ecce venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis.
h Et tamen nō ſum ſolus, quia pater mecū eſt.

duus,adiutor meus & liberator,qui opportuno tempore,poſt tranſitam paſsionẽ, me liberabit,à morte reſuſcitando ad gloriam. [a] Omnia autem hæc quæ iam ex me audiſtis,partim triſtia,partim læta,partim conturbantia, partim cõſolantia,eo animo & eo fine loquutus ſum vobis,vt in mea fide ſtabiles permanẽtes,[b]veram pacem meam obtineatis:vt præmoniti tã de aduerſis quã de proſperis,inter vtraque medij nec illis deiiciamini in deſperationem,nec iſtis rapiamini in præſumptionem.[c] Nam id ego vos apertè præmoneo in mundo iſto à mundanis hominibus vos afflictionem paſſuros,nec omnino ſpem vobis eſſe, vt ab aduerſitatibus mundi penitus liberemini, donec in hoc mundo inter peruerſos vitam ducitis.[d]Verun tamen nihil vos iſta cõturbent,ſed bono animo eſtote,& viriliter agentes confortamini: quoniam ecce ego mundum victor ſuperaui,ita vt nihil eorum quę in mũdo ſunt mihi potuerit præualere:vt & vos meo exemplo confidatis, ſi conſtanti animo & firma fide in me permanſeritis, poſſe vos in me & per me omnem mundi impetum & omnia eius aduerſa cum gloria ſuperare.

a Hæc loquutus ſum vobis,

b vt in me pacem habeatis.

c In mundo preſſurã habebitis:

d ſed confidite, ego vici mundum.

ELVCIDATIO CAP. XVII.

POſtquam verò hæc,atque alia forſitan huiuſmodi,tantæ dulcedinis verba coram diſcipulis ſuis ardẽtiſsimo affectu protuliſſet dominus Ieſus,conuerſus ad patrem, oratione claudere voluit ſermonem: oculiſque in cælum ad patrem ſubleuatis, ad quem totus animi tendebat affectus,ita illũ pro ſe primum, ac deinde pro ſuis deprecatus eſt, dicens: [f] Mi pater,iam aduenit hora,tempus iam adeſt ab æterno definitum.Glorifica tu nunc & manifeſtum fac mundo,me filium tuum,vt & tu viciſsim per me & in me glorificeris. Hactenus latui inter homines homo incognitus,aut pauculis tãtum in Iudæa manifeſtus. Nunc verò, poſtquam calicem imminentẽ ebibero, à morte ad vitam me reſuſcita,& aſſumptũ in dexteram tuam,miſſo in terras ſpiritu ſancto me glorifica: vt ego à te glorificatus,viciſsim te glorificẽ, tuũque

HAec loquutus eſt Ieſus,& ſubleuatis oculis in cælum,dixit:

f Pater, venit hora, clarifica filium tuum vt filius tuus clarificet te.

nomen & tuam gloriã per Apoſtolos meos toti orbi prædicem. [a] Sicut dediſti mihi poteſtatẽ iudicium faciẽdi ſuper omnes homines,ſic tu me glorifica,& tamen me manifeſta,reſuſcitando me à morte, & aſſumendo in dexterã tuam:[b] vt cùm ego ſic glorificatus fuero,electos & fideles meos omnes,quos ab æterno ſecundum prædeſtinationem,atq; in tempore ſecundum electionem,dediſti mihi,participes faciam gloriæ meæ,eisq; donem vitam æternam,quam nõ poſſum illis donare,priuſquã à te glorificatus fuero: cũ ego debeam eſſe primitiæ dormientium,& primogenitus mortuorum,mihique competat iure naturalis filiationis,vt prior aſcendam,ac deinde cæteros mihi ſecundum adoptionem fratres factos, mecum aſſumam. [c] Vita autem hæc æterna qua ego cupio donare meos electos in hoc conſiſtit, vt modo per fidem imperfectè quaſi in enigmate,ac poſt hanc vitam per viſionem claram,perfectè cognoſcant te,qui ſolus es verus Deus,& extra quẽ non eſt alius.[d] ſimul quoque cognoſcant me filium tuum conſubſtantialẽ, quem temporaliter miſiſti in mundum,ad operandũ ſalutem generis humani:quem,cõgrua vtiq; appellatione,nominari voluiſti Ieſum Chriſtum. Vita enim æterna,& modo in anima incipit per gratiã ſiue per fidem charitate formatam,& conſummatur poſtmodum in gloria per viſionem fidei ſuccedentem. Fides autem perfecta non eſt,niſi ſimul & diuinitas & humanitas in Chriſto mundi ſaluatore credantur.[e] Ego pater officio meo ſum functus, glorificando te ſuper terram,per aſſiduam prædicationem gloriæ tuæ, & oſtenſionem ſignorũ ex nomine tuo:ad agnitionẽ & obedientiam nominis tui omnes quantũ potui addu cendo,ſic officiũ quod mihi iniunxiſti,& cuius gratia me in mundum miſiſti,expleui. [f] Tu nunc viciſsim pater me glorifica,quomodo ab æterno inter nos cõſtitutũ eſt:tu me propter tuam gloriã nimis humiliatum & abiectũ,exalta & glorifica apud temetipſum in dextera tua illa gloria quã ab æterno tecũ habui, ante mundi conſtitutionem,antequam vlla creatura ſubſiſteret.Fac vt illius gloriæ etiam humanitas mea, quæ

a Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis,
b vt omne quod dediſti ei,det eis vitam æternã.
c Hæc eſt autẽ vita æterna,vt cognoſcant te ſolum Deum verum,
d & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.
e Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.
f Et nunc clarifica me tu pater,apud temetipſum, claritate quã habui priuſquam mundus fieret,apud te.

quæ modo propter te eſt deſpecta & contemptibilis, fiat particeps in dextera tua.[a] Nomen tuũ & gloriam tuam & voluntatem tuam & conſilium tuum, ego manifeſtè prædicaui electis & fidelibus diſcipulis meis, quos ſegregaſti atque dediſti mihi ex mũdo, quos ad me vocaſti & traxiſti, quaſi ſeparando eos à mundo: nihilq; eos celaui illorum, quæ tu mihi mandaſti prędicare in mundo.[b] Tui erant iſti ab ęterno ſecundum prædeſtinationem, quoniam ab æterno prędeſtinaſti eos ad gloriam tuam. Et tu mihi eos dediſti ab ęterno quidem, prædeſtinando illos per me ad ſalutem adducere, & filios tuos fieri: in tempore verò quando eos vt me ſequerentur traxiſti, & vt in me crederent induxiſti.[c] Et hoc de eis phibeo teſtimoniũ, q̃ verba mea quę ex prœcepto tuo loquutus ſum eis, bono corde exceperunt & ſeruauerunt, fidem & obediẽtiam eis exhibentes: propter quod digni mihi vidẽtur, quos tibi ex affectu commendem: vt pro acceptis donis grati, maioribus mereãtur donari.[d] Et hoc nunc firma fide credunt, quemadmodum & ore proteſtati ſunt, quod omnia mea & verba & opera quæ tu mihi dediſti & conſtituiſti vt facerem, abs te ſunt, & à te procedunt: quòd omnia loquar & faciam, non à meipſo, ſed ex mandato tuo.[e] Nam verba tua quę mihi præcepiſti vt ea loquar in mundo, hęc ego illis fideliter prædicaui atq; expoſui: & ipſi quaſi in terra bona ſemen pretioſum, ſic in corde optimo verbum tuum accepẽrũt, cum fide & obedientia debita, ipſum cuſtodiendo, ne ſine fructu pereat:[f] & verè hoc eis perſuaſum eſt, quòd à te exiui, ſecundum diuinam generationẽ ab æterno, ſecundum humanam autem in tempore.[g] Et hoc ſine hæſitatione credunt, me à te pro ſalute humani generis operanda, & pro implenda tua voluntate, miſſum eſſe in mundum.[h] Vnde & meritò, pater ſancte, pro eis rogo: non ſine cauſa pro illis apud te intercedo, vt eos habeas commendatos.[i] Non pro illis rogo nunc, qui adhuc in mundo eligunt permanere, qui prædicatam ſibi pœnitentiam reſpuentes, & oblatam Euãgelij gratia ſuſcipere recuſantes, in infidelitate, aliiſq; peccatis quibus plenus eſt mundus ex

a Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo,

b tui erant, & mihi eos dediſti:

c & ſermonem tuum ſeruauerunt.

d Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt.

e Quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis: et ipſi acceperunt,

f & cognouerunt verè, quia à te exiui:

g & crediderunt quia tu me miſiſti.

h Ego pro eis rogo.

i Non pro mundo rogo,

propoſito malitiæ eligunt perſeuerare, qui propter ingratitudinem ſuam nouis beneficiis nō ſunt digni, poſtquam priora contemnunt: [a] ſed pro iſtis modo præſentibus, atque pro iſtiuſmodi omnibus etiã abſentibus, qui boni ſunt animi & promptæ ad credendum atq; obediendum voluntatis, apud te intercedo, ſciens quòd pro iſtis deprecantem me libenter exaudias: [b] quandoquidem tui ſunt ſecundum prædeſtinationem & electionem, de quibus proinde tu geſtis tuum implere propoſitum.[c] Neque hoc quod eos dico tuos, ita intelligi velim, quaſi peculiariter tuos, ſic vt nō meos dixerim. Omnia enim noſtra communia ſunt, & mea omnia tua, & tua omnia mea: neq; eſt inter nos aliquid peculiare & proprium, quorum vna prorſus eſt & indiuiſa ſubſtantia. Vnde ſicut tui ſunt, ita & mei.[d] Et in eis ego ſum glorificatus, ſicut & tu, dum in me credunt ſicut in te. [e] Cauſa verò ob quam eos nunc peculiarius hac oratione tibi pater commẽdo, hæc eſt, quoniam ego ſecundum corporalem viſibilemq́ue præſentiam nō diu cùm eis permanebo in hoc mundo: ipſi tamen in mundo ſuperſtites remanebunt, & ego quantotius deuicta morte cælum conſcendens ad te redibo. [f] Hinc tibi iamiam abſceſſurus ſupplico, pater ſancte, vt eos in fide nominis tui ſtabiles conſeruare, & ab omni ſcandalo innoxios prę ſeruare digneris, quos per ſpecialẽ vocationis & electionis tuæ gratiam dediſti mihi. [g] Ita, inquam, & ad hoc eos ſerua in nomine tuo, vt ſicut nos vnum ſumus, ſecundum naturam atque ſubſtantiam, ſic & ipſi vnum ſint nobiſcũ: non quidem ſecundum æqualitatem gradus, ſed ſecundũ proportionem ſuo quodam modo, eo videlicet quo creatura rationalis vniri poteſt creatori, nempe per aſsimilationẽ & adoptionẽ gratiæ.[h] Donec ego eis adeſſem ſecundũ corporalem hanc & viſibilem prę ſentiam, ego eos mea ſalutari inſtitutione, tam per verba q̃ per exempla efficacia, ſeruabam à periculis, in fide recta nominis tui, & in obedientia voluntatis tuæ: & ſicut nutrix infantẽ aut mater filiũ ſtudioſiſsimè obſeruat, ne quicquã ei eueniat periculi, ſic ego eos vigilãtiſsima obſeruaui cuſtodia, nullis

a ſed pro his quos dediſti mihi.

b quia tui ſunt.

c et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.

d & clarificatus ſum in eis.

e Et iam nō ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, et ego ad te venio.

f Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.

g vt ſint vnum ſicut et nos.

h Cùm eſſem cũ eis, ego ſeruabã eos in nomine tuo.

nullis parcens in docendo laboribus, nullis in dandis exemplis parcens exceſsibus, nullis parcẽs in oratione vigiliis.[a] Quos tu mihi dediſti in Apoſtolos atque diſcipulos, vt eos ipſe ore proprio inſtituerẽ, ac poſtmodum meos vicarios conſtituerẽ, paucos videlicet iſtos quos mihi dediſti ſecundũ prædeſtinationem & certam electionem, ego diligenter cuſtodiui donec præſens eis adfui:[b] ita vt nemo ex illis in mortis crimine perierit à te diuiſus: ſed in vocatione ſua atque in gratia ad quam ſunt vocati, omnes permanent ſtabiles, præter vnũ illum ad damnationem æternę mortis pręſcitũ Iudam: qui licet numero fuerit cõiunctus cæteris, nõ tamen merito & prędeſtinatione ſiue electione ſtabili.[c] De quo hoc iam impletum eſt, quod multo antè de ipſo, deq; ipſius malitia, ac deinde ſubſequutura pœna, prædixit ſcriptura. Vnde conſtat, nunquam illum fuiſſe meum, ſecundũ tuam prædeſtinationem, aut ſtabilẽ electionem, neque vnquam illũ ſic mihi à te datum eſſe vt cęteros dediſti mihi.[d] Nũc verò mi pater, omnibus peractis aut peragendis in proximo quorum gratia tu me in mundũ miſeras, lætus & gaudẽs ad te redibo, ab his chariſsimis meis ſecundum viſibilem corporis præſentiam auferendus. [e] & hæc omnia tam quæ antè ad ipſos, quã quæ modo ad te loquor, ipſis audientibus dixi, ac dico priuſquã abſcedens à mũdo, vt videntes ſuam ſalutẽ tam mihi eſſe cordi, ſeq; à me tãta affectus teneritudine diligi, ex hoc in animis ſuis concipiant de me plenum & integrum gaudium, quod in omnibus mundi preſſuris eos ſufficiat conſolari.[f] Ego, mi pater, fideliter eis tradidi & expoſui verba omnia quæ præcepiſti mihi vt loquar in mundo: atq; huius rei gratia, mundi huius amatores, ambitioſi & ſuperbi Iudæi, tumidiq; mũdi ſapientes, odio illos habent & habebunt amplius: [g] quoniam per doctrinam tuam cæleſtẽ, à mundi affectibus facti ſunt alieni, [h] neq; ea quæ ſunt in mundo deſiderant: ſicut & ego de mundo non ſum, neque iis quæ ſunt in mũdo afficior, ſed tuam tantũ quæro gloriã. Quæ affectus morumq; diſsimilitudo ſicut in me odium prouocauit mundi & amatorum eius, ſic & in illos

a Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui.
b et nemo ex eis perijt niſi filius perditionis.
c Vt ſcriptura impleatur.
d Nunc autem ad te venio.
e et hæc loquor in mũdo, vt habeant gaudium meum impletũ in ſemetipſis.
f Ego dedi eis ſermonem tuũ: & mundus eos odio habuit,
g quia non ſunt de mundo,
h ſicut & ego non ſum de mũdo.

a Non rogo vt tollas eos de mũdo,
b ſed vt ſerues eos à malo.
c De mundo non ſunt.
d ſicut et ego nõ ſum de mundo.
e Sanctifica eos in veritate.
f Sermo tuus veritas eſt.
g Sicut tu me miſiſti in mundum,
h ita et ego miſi eos in mundum.
i Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint et ipſi ſanctificati in veritate.

illos prouocat & prouocabit amplius.[a] Non hoc rogo, mi pater, vt eos quantotius à mundo auferas per mortem corporis: quoniam nondum aduenit hora, & eſt per eos antè prædicandum Euangelium, noméq; meum manifeſtandum orbi terrarum.[b] Sed hoc rogo, vt eos in medio nationis prauę & peruerſę, in mediis tumultibus inquieti & procelloſi huius mũdi, ab omni verè malo, ab omni ſcandalo & peccato cuſtodias, tãquam lilia inter ſpinas, tanquam inter zizania triticum electum: vt non ipſi abundantia iniquitatis ſupprimantur aut ſcandalizentur, & pereant.[c] Tametſi enim in mundo adhuc vitam agant, atque in medio mundanorum hominum commorentur, ipſi tamen nequaquã de mundo ſunt, mũdanis hominibus affectu & moribus non conſentiunt:[d] ſicut & ego, licet in mundo viuam, non ſum tamen de mundo, ſed per omnia ab illo diſſentio.[e] Proinde tu pater, qui es omnis ſanctitatis fons, & principium omnis ſanctificationis, ſanctifica eos, obſecro, confirma & ſtabiles effice, atque immobiles in veritate, vt eam nullis vnquam tẽtationibus ſcandalizati, aut laboribus fracti, derelinquant.[f] Veritas autem hæc in qua eos per te cupio ſanctificari & ſtabilitate perpetua confirmari, ipſa eſt doctrina mea, quam ex tua iuſsione eis prædicaui.[g] Atque ad hanc veritatem prædicandam, ſicut tu me miſiſti in mũdum, hominemq́ue fieri voluiſti, vt notam facerem hominibus voluntatẽ tuam & conſilia tua,[h] ſic & ego iſtos deſtinaui poſt meam glorificationem mittere in mundum vniuerſum, ad eandem veritatem vbique locorum prædicandam. Cui tanto muneri nequaquam poterunt ſufficere, niſi per te in hac veritate quam corã gentibus & regibus debebunt profiteri, valde ſint ſanctificati & confirmati.[i] Et ego, mi pater, tam illos habeo cordi, vt pro eis meipſum ſanctificem, id eſt, in ſanctam oblationem & hoſtiam ſacram dare parẽ, iamiamq́ue daturus ſim: vt ipſi per meam hanc ſanctificationẽ & immolationem ſanctificẽtur in veritate, vt reconciliati ipſi per meum ſanguinem, mereantur à te cõfirmari per ſpiritum ſanctum, in hac veritate quam eos ore proprio docui.

docui. [a] Neque verò, mi pater, ad pauculos iſtos vndecim numero, Apoſtolos, hîc modo præſentes, tantū ſe extẽdit affectus iſte meus quo loquor ad te, neque ad iſtos ſolos peruenire deſidero finalis huius orationis meæ affectum: ſed omnino ad omnes, ſiue iam natos, ſiue in futuris generationibus vſque ad conſummationẽ ſæculi naſcituros, quicunq; per iſtorum aut aliorum poſteriorū prædicationem credituri ſunt in me: [b] vt in vniuerſum omnes iſtiuſmodi per fidem & charitatem vnam in ſpiritu vno adinuicem vniantur, & quaſi vnum corpus fiant; vt ſint adinuicem quaſi vnius corporis mẽbra, eodẽ ſpiritu viuificata, & mecum, ſint vnū, ſicut membra cum capite. [c] Sicut (inquam) tu pater in me es & mecum vnum, ac vicißim ego in te ſum & vnū tecum: ſic & ipſi ſint in nobis, & vnū nobiſcū, ſuo quodā modo, quantū poteſt creatura rationalis cū Deo vnum fieri. Videlicet vt quomodo nos per naturam vnum ſumus, ſic ipſi per gratiam & adoptionem nobiſcum vniantur. [d] Vt per hanc vnionẽ gratiæ & adoptionis, cognoſcāt homines qui in mundo hoc ſunt, & qui ex mundo credere voluerint, ꝙ tu verè me miſiſti in mūdum. Dum enim credentes meæ prædicationi facis vnum tecum, tuóſque ſecundum adoptionem filios, manifeſtè cõprobas, ꝙ verè à te miſſus ſum prędicare mundo. [e] Ego pater, gloriam illam & claritatem quam mihi ſecūdum humanitatem quantotius daturus es, ſimiliter illis dare teſtamento diſpoſui, poſtquam commiſſum ſibi miniſteriū fideliter impleuerint, facturus eos (vt fratres meos & filios) participes regni tui, & gloriæ tuæ: [f] vt ipſi per hanc adoptionis gratiā ſic ſuo quodam modo vnū ſint nobiſcum, ſicut nos ſecundū naturam vnum ſumus. Ita pater, ego illos per me tibi inſeram, & vnū tecum efficiam. [g] Ego in eis ero per gratiam & adoptionem ſpiritusſancti, quam de mea plenitudine accipient: tu autem in me es ab æterno, & ſecundum naturam. Atque ita per me & ipſi erunt in te, & tu in eis per me. Propter hoc enim ego filius tuus vtranque habeo naturam, vt per me, quaſi mediatorem & medium, homo Deo, & Deus vniatur homini.

a Non pro eis autē rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbū eorum in me:

b vt omnes vnū ſint:

c ſicut tu pater in me, & ego in te, vt et ipſi in nobis vnū ſint:

d vt credat mūdus, quia tu me miſiſti.

e Et ego claritatem quam tu dediſti mihi, dedi eis,

f vt ſint vnum ſicut et nos vnū ſumus.

g Ego in eis, et tu in me.

a vt ſint cõſummati in vnum, & cognoſcat mũdus, quia tu [illegible]miſiſti,
b & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.

[a] Vt ſic videlicet per me ſint fideles mei conſummati & perfecti in vnitate nobiſcum: atq; ex hoc, quicũq; per orbẽ credere voluerint, experimento atq; interno ipſo ſenſu diſcere valeant, ꝙ verè ego filius tuus ſim, & à te verè miſſus in mundũ, [b] quodq; illos qui in me credũt, ac ꝑ me in te, vero tu amplectaris amore, ſicut me filium tunm ſemper te cognoſcentem ab æterno dilexiſti. Erit enim vnitas illa certũ argumentum veræ tuæ dilectionis: quoniam eos qui in te ſunt & vnum ſunt tecum, non potes non diligere.

c Pater, quos dediſti mihi,
d volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.
e vt videant claritatem meã quam dediſti mihi:
f quia dilexiſti me ante conſtitutionem mũdi.
g Pater iuſte, mundus te non cognouit.

[c] Denique, orationem cõcludens, ſummatim hoc à te poſtulo mi pater, pro omnibus electis meis à ſæculo præteritis, modo præſentibus, & in cõſummationem vſque ſæculi futuris, quos tu mihi ab æterno dediſti ſecundum prædeſtinationẽ, vt in me credant, & per me ſalui fiant: [d] pro his, inquam, hoc cupio & rogo, vt vbi ego poſt curſum vitæ meæ peractum apud te ero, illic & ipſi poſt vitam bene tranſactam mecum ſint, videlicet in regno gloriæ tuæ: [e] vt illic mecum agentes videant, & in ſeipſis de mea plenitudine participando percipiãt, gloriam illã inæſtimabilẽ, quam ſecundũ diuinitatem ab æterno dediſti, & ſecundũ humanitatẽ modo daturus es mihi: [f] quoniam dilexiſti me dilectione infinita & æterna, vt naturalẽ & conſubſtantialẽ filium tuũ, antequam eſſet creatus mundus, aut vlla ſubſiſteret creatura. [g] Pater ſancte & iuſte, qui omnia quæ facis (ſiue eligendo, ſiue reprobando) in vero iudicio & iuſtitia facis homines mundi huius, qui ex affectu & propoſito malitiæ ſuæ eligunt permanere in infidelitate, & cæteris peccatis ſuis, iſti te nõ cognouerunt: quoniã ſi cognoſcerent, nõ ita tuam voluntatem contemnerent.

h Ego autem te cognoui:
i & hi cognouerunt, quia tu me miſiſti.
k Et notũ feci eis nomẽ tuum,

[h] Ego autẽ te cognoui perfectiſsima cognitione, tãquam eũ qui mecum eſt vna ſubſtantia. [i] Sed & iſti mei diſcipuli te cognoue rũt, cognitione imperfecta per fidẽ, nimirũ à me eruditi in fide & agnitione nominis tui: & hoc peculiariter crediderũt, ꝙ tu me miſiſti in mũdum, prædicare & operari inter homines voluntatem tuam. [k] Et ego te manifeſtaui illis, nomẽ tuũ eis prædicando, & quis aut qualis ſis, quàm bonus, quàm iuſtus, quàm ſanctus,

quàm

quàm verax quàm pius, & miſericors erga genus humanum, quam ſapiens in conſiliis, & alias omnes perfectiones tuas manifeſtaui eis: [a] atque etiã amplius eis manifeſtabo, partim poſt meam reſurrectionẽ ore ꝓprio multa illis dicturus apertè de gloria regni tui, partim poſt aſcenſionẽ in cælos per ſpiritum meum, per quem eos docebo omnẽ veritatem. [b] Ad hoc (inquam) illis & prædicaui, & prædicabo nomen tuum, vt ſicut me ſemper dilexiſti naturalem tuũ filium, ſic & iſtos in te per meã prædicationẽ rectè credẽtes, tãquã adoptiuos filios tuos diligas: [c] & ego in eis per fidẽ & dilectionẽ inhabitẽ, atq; cũ eis vnũ fiam. Hanc enim veritatẽ & hanc cõmunionem ſummopere deſidero, cuius gratia omnem hunc laborem ſuſcepi, & paſsionem etiam imminentem libenter aggredior.

a & notum faciam:

b vt dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit,

c & ego in ipſis.

ELVCIDATIO CAP. XVIII.

HAec cùm dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cũ diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron,

CVM verò hæc & huiuſmodi magnæ conſolationis verba, ex ardenti pectore, corã diſcipulis protuliſſet dominus Ieſus, egreſſus iam antè locum cœnaculi, peruenit vſque trans torrentem Cedron, à cedrorum videlicet frequentia ſic nominatum, ad villam Gethſemani, [e] vbi erat hortus quidam à tumultu ſemotus: in quem, vt locum orationi aptum, ipſe introiuit vna cum diſcipulis ſuis, vt illic orationem funderet ad patrem in abſcondito, & ad idem diſcipulos ſuos induceret. [f] Hunc autẽ locum ſic conſuetudinariè Chriſtus cùm eſſet Hieroſolymis viſitabat & frequentabat, vt ipſi Iudæ qui dominum erat poſt paululum traditurus, imò in traditionis ope re iam erat occupatus, non eſſet ignotus: nec dubitabat ipſe, quin poſt cœnam peractam, iuxta conſuetudinem, circiter tempus noctis illuc eſſet venturus, ad pernoctandum ibi in oratione. [g] Qua ſpe atque cõfidentia, impius ille traditor cùm ad ſatisfaciendum ſponſioni ſuæ de traditione pręceptoris, accepiſſet in ſuo comitatu milites ex cohorte, quę in Hieruſalem à Romanis poſita erat ad ſeditiones tumltúſque reprimendos, ac prætere alios à pontificibus & Phari-

e vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius:

f Sciebat autem et Iudas qui tradidit eum locũ, quia frequenter Ieſus cõuenerat illuc cũ diſcipulis ſuis.

g Iudas ergo cũ accepiſſet cohortẽ, & à põtificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cũ laternis, & facibus, et armis.

ſæis miniſtros, qui negotium ardētius proſequerentur, venit ad locum illum iam ſuprà deſignatum, cum laternis & facibus, ad illuminandum noctem, & perquirēdum in tenebris Ieſum, item & cū armis diuerſis, vtpote gladiis & fuſtibus, vt per vim eum cōprehenderent. [a] Atvero dominus Ieſus, præſcius omniū paſsionum, quæ ſibi ex patris voluntate, & pro humani generis ſalute imminebant, vt oſtenderet voluntariè ſe pati, & libenter omnia illa ſuſcipere, nō fuga ſibi cōſuluit, tametſi tempeſtiuè ſatis, imò multo antè præſciuiſſet illos venturos ad locum: quinetiam ipſe eis obuiam proceſsit, forti animo & inuicto pectore imminētibus malis ſemetipſum offerens: & ne quomodo videretur velle latere, prior ipſe clara & intrepida voce eos alloquutus eſt, dicēs: [b] Quem hîc vos, ò viri, modo in tenebris tanto tumultu quæritis? Illi tumultuantes, incertis clamoribus, dixerunt: Nos huc miſsi ſumus, vt quęramus hominem ſeditioſum à Nazareth, qui vulgato nomine dicitur Ieſus. [c] Tum Chriſtus clariſsimo verbo ſemetipſum prodidit dicēs: Ecce coram adeſt quem quæritis: Ego qui loquor vobiſcum, ego ſum Ieſus ille à Nazareth. [d] Cùm autem ſic obuiam procederet turbis dominus, traditor impius cum miniſtris illis, tanquam dux & præceſſor eorum ſtabat, ab Apoſtolorum collegio ſeparatus, & latronum cohorti ſociatus, plenus cogitatione peſsima. [e] Statim verò vbi verbum illud, Ego ſum, verbum breue, ſed efficax, ſyllabis & literis modicum, ſed poteſtate plenum, ore ſuo benedicto protuliſſet dominus, [f] tota illa impiorum caterua, quaſi fulmine percuſſa, aut ariete aliquo grauiſsimo pulſata, ſiue bellico tormento concuſſa, ſubitò in terram proſtrata eſt, cecideruntque omnes reſupini in terram quaſi mortui, ita vt nec membrum vllum poſſent mouere: Ieſu interim in ſuo gradu citra perturbationem conſiſtente. Vt vel hoc tam manifeſto diuinæ virtutis miraculo diſcerent illi impij, nihil ſe Chriſto nocere poſſe, niſi quando & quantum ipſe permitteret. [g] Poſtquam verò aliquantulum ita proſtrati illi iacuiſſent, velut trunci inanimes, domi-

a Ieſus itaque ſciēs omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit et dixit eis:

b Quē quæritis? Reſponderūt ei: Ieſum Nazarenum.

c Dicit eis Ieſus: Ego ſum.

d Stabat autē et Iudas qui tradebat eum cum ipſis,

e Vt ergo dixit eis: Ego ſum.

f abierūt retrorſum, et ceciderunt in terram.

g Iterū ergo interrogauit eos:

dominus Ieſus reddita eis ex ſua volũtate virtute priſtina, erectos iam in pedes (vt probaret, num in ſuæ malitiæ propoſito perſiſterẽt, nullúmq; eis relinqueret excuſationis locum) iterũ eos interrogauit vt antè, dicens: [a] Quem vos, ô viri, modo intempeſta nocte, hic in loco deſerto quæritis? [b] Illi nihil emendati tam patienti ſigno, quod in ſe iam perſenſerant, reſpondent vt antè reſpõderant, ſe inquirere hominem ſeditioſum, dictum Ieſum à Nazareth. [c] Tunc Ieſus videns impios illos in ſua malitia obduratos, nec tam aperto ſigno quicquam emolitos, nolens paſsionem ſuam impedire, permiſit eis in ſe poteſtatem, dixitq; eis: Iam ſemel dixi vobis, & iterum dico, me illũ eſſe illum Ieſum quem vos quæritis. [d] Poſtquam ergo vobis, ita decretum eſt, poſtquam à veſtræ malitiæ propoſito (vt video) non vultis reſipiſcere, ecce do vobis in me poteſtatem agendi quod libet. [e] Veruntamen iſtos meos diſcipulos nolo contingatis, ad nocendum eis, ſed abire eos permittite liberos. Iam enim venit hora mea, ſed nondum illorum tempus aduenit. [f] Ita enim voluit diſcipulos ſuos à nocumẽto ſeruari, vt ſermo ille plenius impleretur, quo pauloante patrẽ pro illis orans dixerat: Quos dediſti mihi, nõ periit ex eis quiſquã. Quòd licet de perditione ſecũdum animam potiſsimum videatur intelligendum, ſimul tamen ex abundanti, etiam ſecundum corpus voluit impleri. [g] Cernens autem, Simon cognomẽto Petrus, in præceptorem ſuum impios Iudæos magno impetu irruere, magnáque irreuerẽtia manus in eũ inĳcere, exardeſcẽs ira, gladium quẽ geſtabat ſubitò exemit, vnũq; ex ſeruis põtificis qui cæteris fortè audacius impudẽtiúſque in Chriſtũ inſiliebat percutiens, ictu in dexteram partem (vel ſeruo declinante, vel Deo ſic diſponẽte) deflexo, aurem illi dexteram amputauit. [h] Atq; huius ſerui nomen (vt certior ſit fides hiſtoriæ) Malchus erat. [i] Dominus autem Ieſus, nolens paſsionem ſuam impediri, cum increpatione quadam Petrum à propoſito compeſcuit, dicens: Recõde Petre gladium tuum in locum ſuum: non eſt nunc tempus defenſionis, ſed patientiæ. [k] Omnimodis enim neceſſarium

eſt,

a Quem quæritis?
b Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum.
c Reſpondit Ieſus: Dixi vobis quia ego ſum.
d Si ergo me quæritis,
e ſinite hos abire.
f Vt impleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquã.
g Simon ergo Petrus *habens gladiũ, eduxit eum, & percuſſit pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexteram.*
h Erat autem nomen ſeruo, Malchus.
i Dixit ergo Ieſus Petro: *Mitte gladiũ tuum in vaginam.*
k *Calicem quẽ dedit mihi pater, non bibam illum?*

a Cohors autẽ & tribunus & miniſtri Iudæorum, comprehẽderunt Ieſum, & ligauerunt eum,
b & adduxerũt eum ad Annam primum.
c Erat enim ſocer Cayphæ, qui erat pontifex anni illius
d Erat autem Cayphas,qui cõſilium dederat Iudæis,quia expedit vnum hominẽ mori pro populo
e Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus,& alius diſcipulus.
f Diſcipulus autem ille erat notus pontifici,& introiuit cũ Ieſu in atrium põtificis.
g Petrus autem ſtabat ad oſtiũ foris.
h Exiuit ergo diſcipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Pe-

eſt vt,calicem iſtum quem mihi pater propoſuit,ebibam:vt amaritudine inſtantium paſsionum , & mortis quã me pater pro generi humani ſalute ſuſtinere ab æterno decreuit, obediẽter ad finem vſque perferam.Et tu quis es,qui patris hãc velle debeas,aut poſſis impedire voluntatem? a Milites itaque cohortis, quæ in Hieruſalem ad reprimendas ſeditiones à Romanis erat cõſtituta,& qui illis erat militibus præfectus chiarchos ſiue tribunus, vnà cum miniſtris Scribarum atque Phariſæorum,manus violentas mittentes in Ieſum,cõprehenderunt eum, & vinculis alligauerunt,queadmodum illis fieri ſolet,qui propter immania ſcelera morte plectendi comprehenduntur: b ſicque vinctum per noctem, multa exultatione ad ciuitatem pertrahẽtes, adduxerunt eum prius ad domum Annæ ſacerdotis,quæ illis prior occurrebat in via quàm domus Cayphæ. c Idcirco autem ad Annam tametſi illius anni non eſſet pontifex ſummus,eum adduxerunt:quoniam is qui eo anno ſummo ſacerdotio fungebatur,nomine Cayphas, gener erat Annæ: propter quod,ad eũ primum,vt ſeniorem,& ætate digniorem , prius illum adducebant. d Cayphas verò idem ipſe erat,qui(vt ſuprà à nobis narratum eſt)cõgregatis in cõcilio Iudæis,de morte Chriſti conſiliũ propoſuit,dicẽs,expedire vt pro ſalute totius gentis vnus homo Chriſtus interficeretur. e Cùm autem captus & vinctus in ciuitatem pertraheretur dominus, Simon Petrus aliqua ex parte memor magnifici promiſsi ſui ,ex amore erga præceptorẽ, proſequutus eſt eum:ſed à longè tantum,ob timorem periculi:atque cũ hoc alter diſcipulus ille,quem peculiarius diligebat Ieſus. f Qui quidem diſcipulus cùm eſſet iis qui de domo erat pontificis ſatis probè notus , fiducia familiaritatis huius atque notitiæ , introiuit cum Ieſu in atriũ pontificis,quo primum adductus eſt à miniſtris. g Petro vt incognito & extraneo adhuc præſtolante ante ianuam,donec ex Ioanne reſciret,num tutò ſibi liceret incredi. h Itaque diſcipulus ille alter qui erat notus pontifici ac familiæ eius,poſtquam introiſſet cum Ieſu , vidiſsẽtque nihil obſtare quo minus

& Pe

& Petrus ingredi poſſet, rurſus exiuit ad vocandum Petrũ:& poſtquàm ab ancilla ſeruante oſtium facultatem obtinuiſſet,egreſſus vocauit, & introduxit eũ: Verùm Petro ingreſſo,puella quæ oſtiũ obſeruabat, defixis in eum oculis, attentius eum aſpiciens, dixit: [a] Nónne tu vnus es ex numero diſcipulorũ hominis iſtius, qui modo huc à miniſtris ex iuſsione principum vinctus adducitur?[b] Statim ille qui tã magnifica magiſtro ſpoponderat,ad vnius ancillulæ vocem perterritus,dum mori corporaliter timuit, æternæ vitæ authorem negauit apertè denegãs ſe Chriſti eſſe diſcipulũ. [c] Stabant verò ad ignem carbonarium in atrio cõpoſitum,milites atque miniſtri qui Chriſtum cõprehenſum adduxerant:quoniam pro temporis cõditione,frigus erat ſatis vehemens,& frigus quod foris in aëre & vento contraxerant ignis calore depellere ſatagebãt.[d] Quibus etiam ſe adiunxit & immiſcuit Petrus,ſtans cum eis & calefaciẽs ſe,vel vt ſic audacia ſimulata ſuſpicionem illis adimeret,vel quoniã frigore vrgebatur,præter temporis inclementiã etiam timore ipſius membra infrigidãte. [e] Dominus autem Ieſus mox vt domum põtificis eſt ingreſſus,in locũ interiorem deductus eſt, & coram Anna ſacerdote exhibitus.Qui velut authoritatẽ habens, & partẽ adminiſtrationis ſacerdotij, quo gener ipſius tum fungebatur,interrogauit eum ſignanter de doctrina ſua, de iis quæ populũ docuerat, nimirũ quæ hæc eſſent,& vnde ea didiciſſet,& cuius authoritate vel iuſſu ea prædicaret,aliáq; huiuſmodi:item & de diſcipulis ſuis,quot haberet numero,& cuiuſmodi eſſent, & vbi eos reliquiſſet,aut illi vbi eũ reliquiſſent. [f] Pius autem Ieſus de duobus interrogatus, ad id quod erat præcipuum reſpõſionem conuertens, dixit pontifici: Ego quicquid hactenus egi, palã omnibus egi. Ego omnibus hominibus qui voluiſſent audientibus, palã loquutus ſum,à meis ſermonibus excludens neminẽ.Ego frequentiſsimè docui in locis publicis,vt ſynagoga & tẽplo,ad quæ omnes Iudæi audiendi verbi Dei gratia,ex inſtituto & cõnſuetudine conueniunt: & omnino nihil ſic in angulo aut intra parietes do-

trũ. Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria:
a Nunquid et tu ex diſcipulis es hominis iſtius?
b Dicit ille: Nõ ſum.
c Stabant autẽ ſerui et miniſtri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant ſe.
d Erat autem cum eis,et Petrus ſtans,et calefaciens ſe.
e Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis,et de doctrina eius.
f Reſpondit ei Ieſus, Ego palàm loquutus ſum mundo,ego ſemper docui in ſynagoga, et in templo, quo omnes Iudæi cõueniunt,et in occulto loquutus ſum nihil.

a Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid loquutus ſum ipſis.

b Ecce hi ſciūt quæ dixerim ego,

cui,vt ipſum latere cupiam,aut metuam in lucē propalari.[a]Quorſum igitur nunc me interrogas de doctrina mea,quàm ita apertè corā toto mundo prædicaui,quaſi hactenus ego in latibulis docuerim,quę velim abſcondita, nunc autem occulta prodere cogar? Quòd ſi adhuc fortè, quæ ſit mea doctrina ignoras, illos potius interrogare debebas, qui me prædicantē audierunt,quorū eſt ingens numerus.[b]Ecce hi ſciunt quæ ego docuerim,atq; ab his melius audire & diſcere poteris, hoc ſanè articulo,quam à me. Ego enim, quoniā vt reus examinor, non vt doctor interrogor, ſi quid fortè reſpōdero,putabor ex metu periculi,vel minus dicere,vel aliter dicere,quam olim prędicauerrim cū liber eſſem. Maior autē fides habebitur aliis,

c Hæc autem cùm dixiſſet, vnus aſsiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu,dicens:

d Sic reſpondes pontifici?

e Reſpondit Ieſus:

de mea doctrina perhibentibus teſtimonium. [c] Quæ verba,prudentiæ vtiq; magnæ & rationabilis modeſtiæ, cùm protuliſſet dominus Ieſus, vnus quidam ex miniſtris pontifici vt iudici & domino ſuo aſsiſtens, grauē nimis alapæ ictum impegit in os eius ſacratiſſimum,dicēs:[d] Sic tu homo vilis,coram tribunali hîc aſsiſtens,reſpōdere audes te examinanti pōtifici?Itāne decet, tam immodeſtè & inuerecundè, reos loqui iudicibus? [e] Dominus autem Ieſus,vt patientiam & manſuetudinem quam verbo ſemper docuerat, nunc quoque exēplo demonſtraret,percutienti ſe non maledixit,non conuiciatus eſt, aut iniuriam pro iniuria reddidit:ſed animo imperturbato, cum humilitate & manſuetudine(vt ſuam innocentiam tueretur, atque in pōtificem nihil ſe peccaſſe declararet) ita reſpōdit

f Si malè loquutus ſum, teſtimonium perhibe de malo,

g Si autem bene, quid me cædis?

h Et miſit eum Annas ligatū ad Caypham pōtificem.

illi qui ſe percuſſerat:[f]Si(vt tibi videtur) malè & aliter quam deceat loquutus ſum,nō ita ſtatim tuo iudicio erat inferenda vltio, ſed prius tibi probandum & declarādum erat peccatum meum, ac deinde quod à iudice fuiſſet decretum,tu quaſi miniſter iuſtitię perfeciſſes.[g]Si autem bene loquutus ſum,neque cum ratione quiſquā id poſsit docere,quòd aliter quam deceat pontificem ſim alloquutus, non iuſte tu ita ſine cauſa me cędis,nec quaſi miniſter iuſtitiæ,ſed tanquā ſeruus iniuſtitiæ,dolorem ſimul & cōtumeliam mihi infers.[h] Cùm autem videret Annas nihil ſe in Chri-

ſto

ſto facile inuenturum quod ad condemnationē ipſius poſſet producere, miſit eũ ita vt erat vinctũ, ad Caypham generũ ſuum, apud quē congregati erant principes Iudæorum, Chriſti aduentum pręſtolantes.[a] Simō autē Petrus vt ſuſpicionem auferret, ſimulata fiducia acceſsit ad carbonarium ignem, illic cum miniſtris aſtãs & calefaciens ſe. [b] Quem attentius intuentes quidã ex illis, dixerũt ad eũ? Nonne tu vnus es diſcipulorũ hominis iſtius, qui modo cōprehenſus eſt? [c] Petrus verò magis ſibi metuēs, vt periculũ effugeret, negationi priori adiicit ſecũdę, ſancte aſſerēs, nihil ſibi eſſe cũ homine illo cōmercij, neq; ſe eius aliquãdo familiari vſum cōſuetudine. [d] Cùm autē hæc à pluribus Petro obiicerētur, quidã miniſtrorũ, Malchi cuius Petrus auriculã amputauerat cognatus, magis audacter illum aggreſſus eſt, dicens: [e] Quid tu tam impudēter negas quod certiſsimũ eſt? Nónne ego te hiſce oculis iam nũc in horto conſpexi cũ homine iſto? Nónne tu ipſe ille es, qui iuſtitiam impedire, ac reũ iſtum defendere conabaris, cũ educto gladio, pontificis miniſtro, meo cognato, aurem præſcinderes? [f] Hic verò Petrus grauiſsime perterrefactus, quòd non ſolum vt diſcipulum Chriſti, ſed inſuper vt defenſorem eius & aduerſarium Iudæorũ, ſe notari intelligeret, prioribus duabus tertiam adiecit infœlix negationē. [g] Qua perfecta, ſtatim gallum canentem aduertit, iuxta verbũ domini: vt eo excitatus, & domini miſeratione reſpectus infidelitatis ſuę pœnitentiam ageret.

[h] Poſtquam verò apud Caypham in cōcilio publico Iudæorũ examinatus & cōdemnatus fuiſſet dominus, atque à miniſtris turpiter illuſus (quæ vt ab aliis Euãgeliſtis plene ſatis deſcripta relinquimus) adductus eſt deinde à domo Cayphæ ad domum prætoris ſiue præſidis. [i] Mane autem erat cùm eum adducerent, [k] quoniam eius mortem anhelo ſpiritu, priuſquam à populo moueretur ſeditio, accelerare ſtudebant. [k] Ipſi verò in prætoriam domum non ſunt ingreſſi, ne ex commercio hominis gentilis (cuiuſmodi erat præſes) contaminarentur. [l] Nam erat eis tunc mãducãdus cibus paſchalis, vel ipſe paſchalis agnus, vel

a Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe.
b Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex diſcipulis eius es?
c Negauit ille, & dixit: Non ſum.
d Dicit ei vnus ex ſeruis pontificis, cognatus eius cuius abſcidit Petrus auriculam:
e Nónne ego te vidi in horto cum illo?
f Iterum ergo negauit Petrus.
g & ſtatim gallus cantauit.
h Adducunt ergo Ieſum à Caypha in prætorium.
i Erat autem mane:
k & ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur,
l ſed vt manducarent paſcha.

vel panes azimi, quos per ſeptem dies mãducare debebãt ex legis præſcripto:quæ paſchalis cibi manducatio,munditiem in manducantibus requirebat.[a]Cũ igitur iſti ſibi illicitum ducerent prætorium ingredi, præſes ipſe morem eis gerẽs,eorumq́ue cæremoniis & ritibus deferens,domum ſuam exiens proceſsit ad eos:vidẽnſque offerri ſibi hominem vinctum,volens iuxta Romanorum conſuetudinem cauſam accuſationis cognoſcere,dixit eis:[b] Quid culpæ huic homini imputatis, aut de quo crimine eum accuſare proponitis,propter quod ita vinctum eum tam mane adducitis?[c]Illi verò ſibi malè cõnſcij,quòd non ſufficiẽtem haberent accuſationem,latere cupientes, dixerunt:[d]Non eſt neceſſe,vt de hac re nos reſpondeamus tibi:Iam enim in noſtro conſilio res diſcuſſa eſt:ſufficiat tibi,quòd nos eum vt morte dignum,tibi condẽnandum offerimus.Nos enim totus mundus nouit ea eſſe ſanctitate atque iuſtitia,vt ſi mortis reus iſte non eſſet,nequaquam eum tibi offerremus condemnandum.[e] Hanc illorum tam ſuperbam & præſumptionis plenam reſponſionem,admodum ægrè ferens Pilatus,cũ multa indignatione ait ad illos.[f] Si voſipſos tanti facitis, vt contra Romanorum conſuetudinem: antè accuſationem propoſitam,à me poſtuletis quod vobis placet iudicium,eadem opera audete & vos illum accipere,ac ſecundum legem veſtram eum condemnare.Si à me iudicium requiritis,cauſam quoq; proponite: ſi cauſam mihi non proponitis,ſatis exiſtimantes eam vobis eſſe cognitam, ſufficiat itẽ vobis veſtrum iudicium, nec meum requiratis.[g] Cui verbo Pilati,ſuperbo animo reſponderunt Iudæi: Siquidem à nobis per Romanorum authoritatem non eſſet ablata poteſtas exequendi iudicij,nos te hac in re non requireremus iudicem,neque vlteriori nobis examinatione videretur opus.Nunc verò, poſtquam nobis ſine Cæſaris authoritate (cuius tu locum obtines)non licet quenquam interficere, neceſsitate cõpulſi ad te venimus,vt tua authoritate interueniente, nobis liceat in hunc exequi, quòd omnium noſtrum concordi ſententia, poſt examinationem ſufficientem

a *Exiuit ergo Pilatus ad eos foras et dixit:*

b *Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc?*

c *Reſponderũt et dixerunt ei:*

d *Si nõ eſſet hic malefactor,non tibi tradidiſſemus eum.*

e *Dixit ergo eis Pilatus:*

f *Accipite eum vos, et ſecundũ legem veſtram iudicate eum.*

g *Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam.*

cientem aduerſus eum decretum eſt.[a] Ita enim fieri oportebat,& ſic Dei voluntas erat,vt per Iudæos gentili pręſidi Chriſtus traderetur:per quod impletus eſt ſermo ille,quem ante paſsionē in via aſcendens Hieroſolymam dominus prædixerat, de morte ſua loquens,cùm diceret ſe tradendum principibus ſacerdotū,& condemnandū morte ac deinde gentibus tradendum ad illudendum & flagellandum & crucifigendum.[b] Cùm autem certi nihil ex Iudæorum accuſatione percepiſſet Pilatus,relictis eis,domum ingreſſus eſt,& vocauit ad ſe Ieſum,vt ſecretò eum examinaret,ſi quid fortè certius poſſet ex eius reſponſione cognoſcere.[c] Interrogauit igitur eum, & dixit: Quid ſibi vult quod iſti aduerſum te tumultuātes clamitant,te dixiſſe,quòd rex ſis Iudæorum? An verè ita ſe res habet? Tu ne es verè rex Iudæorum, aut tale aliquid vnquam iactaſti?[d] Cui præſidis interrogationi non definitè reſpōdit dominus,ſed prius interrogationem aliam cum modeſtia illi propoſuit, dicens:[e] Quod tu hac de re me interrogas, vtrum id ex animo tuo facis,quod tibi de hoc vel opinio vel ſuſpicio ſit,an tantum ex aliorum relatu, vtpote ex iis quæ iſti modo calumniantes aduerſum me obiiciūt. Nam ſi non ex temetipſo hoc quæris,ſed tantum ex horū incerto clamore,meritò ſuſpectam habere debes iſtorum accuſationem. Et ſit tale quid,cuiuſmodi illi conantur mihi impingere,tentaſſem,non potuiſſet hactenus illud tibi eſſe incognitum,qui huic ciuitati Cæſaris loco præſides,ad quem vel maximè referebat ea de re cognoſcere.[f] Pilatus Chriſti verbum benignè accipiens,ita ei reſpondit: Ego ſanè homo gentilis ſum,non Iudæus, nec mihi res Iudaicæ cordi ſunt,nec quæ inter eos geruntur ſcire mihi curæ eſt, niſi quatenus ad officium meum attinet ea cognoſcere,vtpote cùm meum requiritur iudicium. Vnde quod nunc interrogo, non niſi ex iis quæ modo iſti accuſantes proponunt interrogo.[g] Iſti enim homines gentis tuæ,& pontifices populi tui,te mihi vinctum adduxerunt: & hoc in te videntur accuſare,quòd regem te eſſe dixeris Iudæorum.[h] Tu igitur

a *Vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.*

b *Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocauit Ieſum, et dixit ei:*

c *Tu es rex Iudæorum?*

d *Reſpondit Ieſus:*

e *A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?*

f *Reſpondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus ſum?*

g *Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi.*

h *Quid feciſti?*

tur mihi in ea re quã mea refert cognoſcere, reſponde, dic planè, quid eſt ob quod te iſti mihi tradiderũt? [a] Audiens pius Ieſus tam rationabiliter interrogantem iudicem gentilem, planam ei ſuper propoſita quæſtione dedit reſponſionem, dicens: Regem me eſſe non nego. [b] Verùm regnum iſtud meum non eſt regnum huius mundi, quod in temporali imperio conſiſtit, corporeiſq; fulcitur exercitibus, pompis, & diuitiis, quod in multitudine exercituum, principũ, & militum, in virtute armorum, & equorũ firmatur. [c] Si enim huiuſmodi eſſet regnum meum, haberem vtiq; miniſtros plurimos, qui pro me ad mortem vſq; decertarent, ne traderer in manus hoſtium meorum qui ſunt Iudæi: quemadmodũ ſolent reges huius mundi, per miniſtros ſuos à periculis hoſtium ſeruari. [d] Iam verò non de hoc mundo eſt regnum meum, non mundanũ eſt, non externum, nõ temporale. Propter quod, non eſt aduerſariis meis iuſta accuſationis cauſa, ſi me regẽ eſſe dixero: cũ per hoc nemini principium (quod illi videntur velle) iniuriam faciam. [e] Quibus auditis, intulit Pilatus: Igitur, vt audio, verè rex es tu, tametſi iuxta formam mũdi huius tibi nolis vſurpare regnum. [f] Huic illationi cum humilitate & modeſtia ita reſpondit dominus: Rectè tu quidem id colligis, & verè ſic res habet vt dicis, verè rex ſum ego. Veruntamen (ſi patienter me audieris, quandoquidem docilem te reperio) quale ſit hoc meum regnum, tibi paucis indicabo. [g] Ego quidem ab æterno apud patrem exiſtẽs ſecundũ diuinitatem, ad hoc natus ſum in tempore ſecundum aſſumptam humanitatẽ, & ad hunc finẽ à patre miſſus veni in mundũ, vt mundo prædicem veritatem, vt veram ſalutẽ & veram ſalutis viam ex patris voluntate homines doceã, ſicq; veritati credentes, & obedientes, ſalutem veram cõſequantur. [h] Et omnes qui ſunt ex veritate iſta, qui veritatem iſtam diligunt, atq; ad eam ſunt à patre prędeſtinati, hi voci meæ qua illa prędicatur acquieſcũt, credẽdo & obediendo omnibus quæ loquor in mundo. Atq; hoc eſt regnũ meum ſpirituale, quo in omnibus electis meis regno, per fidem in cordibus eorum.

a Reſpondit Ieſus:

b Regnum meũ non eſt de hoc mundo.

c Si de hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt nõ traderer Iudæis.

d Nunc autem regnum meum non eſt hinc.

e Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu.

f Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quia rex ſum ego.

g Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum vt teſtimonium perhibeã veritati.

h Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meã.

Pilatus

[a] Pilatus verò non ſatis intelligens abſtruſum iſtum de veritate ſermonẽ, Chriſtũ interrogauit, quid eſſet illa veritas, cui ipſe teſtimonium perhibere venerat. [b] Verùm propoſita quæſtione, non expectans ſolutionem, ſtatim exiit ad Iudæos: vel quod illi tumultum excitarent ante fores, vel quia rei quam non capiebat parum affectus eſſet, vel quia iam ſibi compertam ſatis eſſe putaret Chriſti innocentiam. Egreſſusque ad Iudæos, dixit eis: [c] Obtuliſtis mihi hunc hominem, & quaſi mortis reum puniri illum depoſcitis. Ego verò, & vobis interrogatis, & illo examinato, nullam valeo inuenire vel probabilem cauſam, ob quam ſit morte plectendus. [d] Inueni autem ego conſilium, quo hic vobis, etiam ſi mortem foret commeritus, liber dimitti poſſit: Eſt enim vobis conſuetudo à Romanis conceſſa, vt in ſolennitate paſchali (in memoriam beneficij vobis olim à Deo præſtiti) vnum aliquem ex iis qui mortis ſunt rei dimittam liberum. [e] Itaque ſi vobis ita placebit, ad ſatisfaciendum conſuetudini, Chriſtum hunc vobis dimittam liberum, qui rex dicitur Iudæorum: in quo aliud nihil videtur accuſatione dignum, niſi quòd ſe regem dixerit Iudæorum. Ita enim & conſuetudini veſtræ ſatisfiet, & innocens aduerſus quem ſufficiens mortis cauſa proferri non poteſt, ſeruabitur, atque interim verè nocentum aliquis, qui pro conſuetudine foret dimittendus, ad meritas pœnas (quod dictat iuſtitia) tenebitur. [f] Quibus Pilati verbis auditis, turbæ omnes per Iudæorum pontifices concitatæ, magnis vocibus clamauerunt, dicentes: Non hunc nobis poſtulamus dimitti pro conſuetudine liberum, ſed alium nomine Barrabam præeligimus. [g] Barrabas autem iſte quem Chriſto præelegebant, homo erat inſigniter malus, qui in ſeditione etiam homicidium commiſerat. Tanta erat cæcæ plebis huius inſania, vt huiuſmodi hominem cuius ſcelera omnibus erant manifeſta, præeligerent innocenti, aduerſus quem nulla potuit probari accuſatio.

a Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas?

b Et cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos & dicit eis:

c Ego nullam inuenio in eo cauſam.

d Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in paſcha.

e Vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum?

f Clamauerunt rurſum omnes, dicentes: Non hunc ſed Barrabam.

g Erat autem Barrabas latro.

ELVCIDATIO CAP. XIX.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, et flagellauit.

Cum itaque videret Pilatus, ſe non poſſe cum gratia Iudęorum Chriſtum prorſus impunitum dimittere: ne feſti quidē occaſione, cogitauit pœna aliqua media eū afficere, quæ & ipſum nō extingueret, & hoſtes placaret. Propter quod, apprehendens eū, quaſi reum ad punitionē, flagellis eum cædi per miniſtros iuſsit.

b Et milites plectētes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius:

c et veſte purpurea circundederunt eum:

ᵇ Poſtquam autem crudeliter nimium eſſet flagellatus, laſciui milites, vt dolori adderēt opprobriū: pungētes ſpinas, iuncoſq; acutiſsimos accipiētes, plexuerunt quaſi in coronæ ſimilitudinem, eamq́; benedicto illius capiti imponunt, viq́ue multa fortiter imprimunt: ᶜ Veſtem quoque purpuream & coccineam chlamidem antiquam atq; reiectitiā circundederunt ei, data & arundine in manibus eius pro ſceptro: vt his modis ei quaſi falſo & mētito regi illuderent, tanquam illi qui ſibi falſo regnum vſurpauerat, nec ad ipſum poſſet pertingere.

d Et veniebant ad eum, et dicebant, Aue rex Iudæorum.

e Et dabant ei alapas.

f Exiuit iterum Pilatus, et dicit eis:

g Ecce adduco vobis eū foras, vt cognoſcatis: quia in eo nullā inuenio cauſam.

ᵈ Inſuper, quoniam mos eſt regum à miniſtris honorari, & officioſè ſalutari, etiā hac ex parte eum irriſerunt, accedentes ad eum, & flexis genibus cum ironia, dicentes: Salue rex nobilis, princeps inclyte Iudæorum. ᵉ Atq; vt manifeſtè oſtēderent, hæc omnia ad illuſionem à ſe facta, alapis eū cum magno contemptu, quaſi vile mancipium, cædebant. ᶠ Quibus ita per miniſtros in Chriſtum crudeliter peractis, Pilatus viſa Chriſti tāta, tam ex afflictione, quàm ex illuſione, miſeria, ſperans iam ſe poſſe eū de manibus inimicorū liberum dimittere, foras iterū exiuit ad Iudæos, dixitq́; eis: ᵍ Ecce iam nunc educam ad vos hominem iſtum quem mihi obtuliſtis condēnandū, vt cognoſcatis me nullam in eo inuenire cauſam, etiam poſt acrem examinationē flagellis in eo tentatam: nec proinde alia pœna pręteream quam ſupra meritum iam tulit, dignus videtur.

h Exiuit ergo Ieſus foras, portans coronā ſpineam, et purpureum veſtimentum.

i Et dicit eis: Ecce homo.

ʰ Vocatus ergo à Pilato dominus Ieſus, procedit foras, tanquam ſpectaculum miſeriæ exhibendus ante oculos populorum, geſtans in capite illam qua à miniſtris fuerat afflictus ſpineam coronā purpuramq́; illam reiectitiam, qua ad illuſionē fuerat circundatus. ⁱ Volenſq́;

Pilatus

Pilatus Iudæorum animos ad compaſsionis affectum commouere. Ecce, inquit, hominem iſtũ miſerum nimis, afflictione pariter & illuſione pleniſsimũ, cuius miſeriæ vel ferrea corda meritò compati debeant.

[a] Sed nihil hoc conſilio iniquo, Pilati impia pietas profecit. Chriſto enim in tantis miſeriis ad ſpectaculum educto, pontifices atq; ex his pendentes miniſtri, clauſis & obduratis implacabili odio viſceribus ſuis in morem rabidorũ canum amplius inſanientes, atq; in morem elephantorũ oſtenſo ſanguine magis ferocientes, eleuatis vocibus clamauerũt, dicentes: [b] Non iſta impio pœna ſufficit. Non corripiendus tantum, ſed interficiendus eſt, & crucis affigendus patibulo. [c] Quorum irrationabili furori grauiter indignatus præſes, dixit eis: [d] Quandoquidem nec tanta correptione cõtenti, contra iuſtitiã, obſtinatiſsimo odio ad mortem hũc hominem poſtulatis, vosipſi eum accipite, ſi poteſt: & hoc in eum facite, quod de eo quaſi dictata ſententia faciendum pronuntiatis: [e] Ego ſanè poſt longũ ac diligens examen, nullam hactenus valeo inuenire cauſam rationabilem, ob quam illum morti adiudicẽ, nec proinde à me vobis eſt expectãdum, vt cruci hic homo affigatur. [f] Iudæi verò cùm ſuos inſanos clamores cernerent apud Pilatũ ſine ratione nõ effecturos propoſitum, neceſsitate compulſi, cœperunt cauſam adducere, ob quam ad mortem eum depoſcerent, dicentes: [g] Nos Iudæi legem peculiarem habemus à Deo nobis datam, & à patribus obſeruatam, in qua nobis permiſſum eſt à Romanis viuere: & ſecundum hanc legem morti eſt hic homo obnoxius, quoniam filium Dei eſſe ſe dicens, in Deum blaſphemauit, in lege autem noſtra blaſphemi iubentur auferri de medio. [h] Quibus auditis, Pilatus amplius timere cœpit, eo quod tantis iam & pœnis & ludibriis illum affeciſſet. Talia nanque in Dei filium exercere, horrendum nimis videbatur ſcelus. [i] Propter quod, ad certius aliquid hac de re cognoſcendum, Pilatus à turba intro ſe recepit in domum, Ieſumq́ue aduocatum, aut ſecum adductum ſecretò interrogauit, vnde eſſet: quæ

a Cùm ergo vidiſſent eum pontifices & miniſtri clamabant, dicentes:
b Crucifige, crucifige eum.
c Dicit eis Pilatus:
d Accipite eũ vos, & crucifigite.
e Ego enim non inuenio in eo cauſam.
f Reſponderunt ei Iudæi,
g Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filiũ Dei ſe fecit.
h Cùm ergo audiſſet Pilatus hũc ſermonem, magis timuit.
i Et ingreſſus eſt prætorium iterum, & dicit ad Ieſum: Vnde es tu?

videlicet eius eſſet generatio, à quo loco, & à quibus progenitoribus prodiiſſet mundo, vt ex his poſſet co gnoſcere, an verè Dei filius eſſet.[a] Verùm quia Pilatus iam ad iniuſtitiam cœperat infleċti, non ita promptum inuenit vt ante dominum, ad reſponſionem: & tanquam indignus ampliora audire myſteria, qui prioribus iam auditis malè vſus fuerat, nullum ab eo meretur accipere reſponſum.[b] Quam taciturnitatem admirans præſes, dixit ad eum: Quid hoc ſibi vult bone Ieſu, quòd mihi interroganti nihil reſpondes? [c] An ignoras in mea ſitum eſſe poteſtate, vt liberum te dimittam, atq; ab inimicorum tuorum manibus eripiam, vel vt illorum voluntati ſatisfaciam, teq́ue crucis patibulo appendam. Quæ eſt iſta vel puſillanimitas vel confidentia, vt iudici in cuius manu eſt tua ſalus atque perditio, reſponſum dare recuſes: quaſi vel tantam poteſtatem nihil metuas, vel tuam ipſius vitam pro nihilo pendas?[d] Hic dominus Ieſus Pilatum audiens de ſua poteſtate velut gloriantem videns quoque Pilatum ſuam taciturnitatem, quaſi, in contemptum ordinariæ poteſtatis interpretari, ſic illi reſpondit: [e] Noui vtique quam habeas poteſtatem. Veruntamen eam quam habes, à temetipſo non habes. Non enim habes in me vllam poteſtatem, niſi tibi ſit conceſſa deſuper. Primùm quidem poteſtatem tuam iudiciariam habes à Romanis, quorum locum obtines. Deinde hæc ipſa poteſtas, prorſus nihil aduerſum me poſſet, niſi pater meus cæleſtis & virtus diuinitatis meę deſuper tibi permitteret in me agere quod libet. Mihi enim, niſi Deo volente & permittente, nulla poteſtas humana nocere valebit. [f] Et quoniam ſic non liberam habes à temetipſo poteſtatem, propterea ij qui me tibi per inuidiam tradiderunt Iudæorum principes, longè peccant grauius, quàm tu peccaueris me ſine cauſa flagellãdo, aut quàm tu peccabis me cruci affigendo. Dum enim tu ex metu ſuperioris poteſtatis cui ſeruis, inuitus & quaſi coactus facis, quod nequaquã faceres, ſi aliam ſuperiorẽ quã timeres poteſtatem non haberes, hac ex parte leuior eſt tua culpa, quàm ſit illorum qui ex mera inuidia, &

certa

a Ieſus autem reſponſum dedit ei.

b Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris?

c Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatẽ habeo dimittere te?

d Reſpondit Ieſus:

e Non haberes poteſtatem aduerſum me vllã, niſi tibi datum eſſet deſuper.

f Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

cérta malitia me innocentem tradiderunt, téque aduerſum me impellunt, imo te contra temetipſum (id eſt, propriæ tuæ conſcientiæ dictamen) ſententiam ferre compellunt. [a] Quo verbo tam rationabili ex ore Chriſti audito, Pilatus firmo propoſito decreuit, quantumlibet reclamantibus Iudæis, ab accuſatorum inuidia eum abſoluere, liberúmque & impunitum dimittere: & iam opportunitatem id faciendi perquirebat. [b] Verùm improbi illi Iudæi, vbi Pilati animum iſtum cognouiſſent, & ſe iam à cauſa caſuros intellexiſſent, eleuatis vltra ſolitum clamoribus, audaci ſua & effreni impudentia, minas cœperunt intentare iudici, dicentes: [c] Si hominem iſtum Pilate liberum dimiſeris, Cæſaris (cuius locum tenes, & cui fidem debes) amicus non eſſe, euidentiſsimo hoc argumento comprobaris. [d] Omnis enim qui in Iudæa, non accepta à Romanis poteſtate, regem ſe aſſerit, Romanorum Imperatori contradicit, qui à Iudæis regium nomen abſtulit, atque in ſe tranſtulit, vt nulli poſthac Iudæorum liceat citra Cæſaris offenſam, regis ſibi nomen vſurpare. [e] Ad hanc vocem Pilatus, qui hactenus fortiter ſatis pro innocentis vita ſeruãda egerat, minis Iudæorum exterritus, & Cæſaris metu perculſus, animo frangitur, victúſque manus dat iniuſtitiæ. Innocentem Ieſum, tanquam reum & cõdemnandum foras iterum producit: conſcenſóque tribunali, vbi ſolent rei condemnari, tanquam iudex ad pronuntiandũ debita cum ſolennitate ſententiam, illic in tribunali reſedit, [f] in loco qui Græcè appellabatur Lithoſtratos, id eſt, ſtratum aut pauimẽtum lapideum. Hebraicè autem dicebatur Gabatha, quod ſonat excelſum. Nam & vario lapide ſtratus, & excelſus erat locus ille iudicii: [g] Erat autem cùm hæc agerẽtur, dies proximè ſabbatum paſchale antecedẽs, quæ Græco nomine paraſceue ſolet appellari, eo ꝙ in illo die parari debebãt quæ neceſſaria erant, in ſequentem proximè diem ſabbati, [h] erátque hora quaſi media inter tertiam & ſextam, magis ad ſextam declinans. [i] Quum autem iam pro tribunali conſediſſet Pilatus, & Chriſtum ad tribunal iuſsiſſet

a Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.

b Iudæi autem clamabant, dicentes:

c Si hunc dimitis, non es amicus Cæſaris.

d Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.

e Pilatus autẽ cũ audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum & ſedit pro tribunali,

f in loco qui dicitur Lithoſtratos, Hebraicè autem Gabatha.

g Erat autẽ paraſceue paſchæ,

h hora quaſi ſexta.

i Et dicit Iudæis:

adduci, conſcientiæ remorſu perſeuerante, pro eius liberatione Iudæis iterum loqui cœpit, dicens:

a Ecce rex veſter.

a Ecce modo aſtantem tribunali regem veſtrum, quem vos improbis clamoribus ad mortem depoſcitis: aduerſus quem aliud nihil, niſi quod ſe regem veſtrũ dixerit, accuſationis proponitis.

b Illi autẽ clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.

b Iudæi verò in ſuo propoſito perſeuerantes, magnis vocibus inclamabant, dicentes: Aufer de vita maleficum, ſeductorem tolle de medio. Non enim fas eſt eum viuere. Imò morte turpiſsima pereat, crucis affixus patibulo.

c Dicit eis Pilatus: Regem veſtrũ crucifigã?

c Reſpondit illis Pilatus: Quæ verò eſt hæc veſtra tam irrationabilis poſtulatio, vt regem veſtrum crucifigam, vt eum de quo magna eſt & multorum opinio, quòd verè ſit rex veſter, & in quo nulla culpa alia arguitur, tam fœdo afficiam ſupplicio?

d Reſponderũt pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem.

d Reſponderunt ex omnium nomine, Iudæorum pontifices. Nos alium regem non agnoſcimus neque ſuſcipimus, niſi Cæſarem. Hunc ſuſcepimus, & huic noſipſos iam ſubiecimus, eidem quoq; ſubiecti permanemus, nec mutamus dominum.

e Tũc ergo tradidit eis illum,

e Poſtquam igitur, multis verbis vltro citróque habitis, vidiſſet Pilatus, Iudæos non habituros requiem, donec propoſitum obtinerent, ſibiq́ue malum ab illis imminere, ſi non poſtulata perficeret, humanum fauorem timori Dei præponens, & auaritiam ambitionémq; iuſtitiæ, aduerſus innocentem Ieſum ſentẽtiam tulit mortis omnium ignominioſiſsimæ:

f vt crucifigeretur.

f ſicque eum illis tradidit, vt iuxta illorum voluntatem eum crucifigi præciperet.

g Suſceperũt autem Ieſum, & eduxerunt eum.

g Sententia verò prolata mox eum ſuſceperunt milites miniſtri Pilati, ad quos ſpectabat executio per ipſum latæ ſententiæ: & reindutum propria veſtimenta eduxerunt eum à prætorio ad locum ſupplicij.

h Et baiulans ſibi crucẽ exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgotha,

h Portánſque ſuper humeros illos tenerrimos, & verberibus multis iam laceros, durũ illud & graue crucis lignum cui ipſemet poſt paululum erat affigendus, ſic in tanta afflictione & ignominia exiit à domo præſidis verſus locum ſupplicij, qui appellabatur Caluariæ locus, Hebraicè Golgotha, quod caluariam ſonat: videlicet à multitudine craniorum, ſiue caluariarum, quæ illic abundabant ex frequentia damnatorum, vt in eiuſ-

eiuſmodi locis ferè videri ſolet. [a] Quo cùm perueniſſent,ibi eum in cruce quaſi neruum in arcu extenderunt,foſsiſque manibus ac pedibus eidem affixerunt, ac deinde affixum cruci, in altum eleuauerunt. [b] Simul quoque cum eo crucifixerunt alios duos nequam & latrones, alterum à dexteris, alterum à ſiniſtris,ita vt Ieſus ipſe pẽderet inter vtrunque medius, tanquam plus illis mortis reus, quaſi latronũ dux aut princeps,caputque malitiæ. [c] Scribi quoque iuſsit Pilatus,& cruci deſuper in loco patẽti affigi, titulum mortis cauſam exprimentem,qui mos erat Romanorum ad hoc inſtitutus, vt iuſtũ probaretur iudicium neque ſine cauſa per calumniam quiſquam damnaretur. [d] Titulus autem iſte in hunc habebat modum: Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Per quem titulum manifeſtè etiam damnato teſtimonium innocentiæ perhibuit Pilatus,quum in eo nulla exprimeretur vera cauſa ſupplicij.Non enim ideo dignus erat morte, quia Ieſus,id eſt, ſaluator: nec quia à Nazareth erat, nec quia rex Iudæorum,quum ob hoc potius omni eſſet honore dignisſimus. [e] Hunc itaque titulum cruci deſuper affixum, multi Iudæorum legerunt, quoniã locus ille publici ſupplicij, in quo crucifixus erat dominus,non longè à ciuitate aberat: propter quod, plurimi illuc ex Iudæis ad ſpectaculum confluxerant, occaſione modicæ huius diſtantiæ. Multi item ex iis qui ad ciuitatẽ veniebant ex locis aliis,eo quòd iuxta ciuitatẽ,circa ferè publicã viam, locus ſupplicij ſitus erat,titulum hunc cum admiratione legebant. [f] Erat autem triumphalis iſte titulus Chriſti, triũ præcipuorum idiomatum varietate deſcriptus, nempe literis Hebraicis,Græcis,atque Latinis: vt omnes poſſent, non ſolùm Iudæi, ſed & Græci, & Latini titulum illum legere atque intelligere.Quæ videtur conſuetudo fuiſſe magnanimitatis & magnificẽtiæ Romanorum, hac re velut proteſtantium, in nullum eſſe ferendam mortis ſententiam, niſi qui pàlam omnibus reus mortis monſtrari poſſet. [g] Hunc itaque titulum cùm vidiſſent pontifices Iudæorum, facilè intelligentes eum magis ad honorem eſſe crucifixi,quàm

a *vbi crucifixerunt eum:*

b *& cũ eo alios duos hinc & hinc, mediũ autem Ieſum.*

c *Scripſit autẽ & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem.*

d *Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus,rex Iudæorum.*

e *Hunc ergo titulum multi Iudæorũ legerunt quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus eſt Ieſus.*

f *Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.*

g *Dicebãt ergo Pilato pontifices Iudæorum:*

a Noli ſcribere, rex Iudæorum, ſed quia ipſe dicit: Rex ſum Iudæorum.

b Reſpondit Pilatus:

c Quod ſcripſi, ſcripſi.

d Milites ergo cũ crucifixiſſent eum, acceperũt veſtimenta eius & fecerũt quatuor partes,

e vnicuiq; militi partem:

f & tunicam.

g Erat autẽ tunica incõſutilis, deſuper contexta per totum.

h Dixerũt ergo adinuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cuius ſit.

i Vt ſcriptura impleretur, dicens:

ad ignominiam, ſecundam formam illam in qua à Pilato fuerat deſcriptus, dixerunt ad eum: [a] Non rectè habet forma iam deſcripti tituli, in quo ſcribitur, rex Iudæorum: ſed aliter ſcribendum foret, quòd ſe falſo regem eſſe dixerit Iudæorum. Proinde muta Pilate titulum, & aliam accipe tituli formam, ne nos potius quàm reum ipſum notare videaris. [b] At vero Pilatus in propoſito perſiſtens, quod ſcriptum erat ratum habens; formam tituli mutare conſtãter recuſauit, dicens: [c] Quod ſcripſi, ea vt ſcriptũ eſt forma immutatum permanebit, neque vel iota aut apicem minimum ob vllius gratiam mutauero. Nimirum ſpiritus ſanctus qui Pilato hanc dictauerat triumphalis tituli formam, nihil eum paſſus eſt hac in re à præſcripta forma immutare. [d] Improbi verò illi impietatis miniſtri, quorum manibus crucifixus iam erat dominus, eo pendente ad ſpolia ſunt conuerſi: accipientéſque in manus ſuas ſanguinolentas ſacra illa indumenta, quibus agni innocentis membra tegi ſolebant, veſtimentum alterum in quatuor partes diuiſerunt, [e] iuxta crucifigentium numerum, vt eorum ſinguli ſuam portionem acciperent. [f] Simul quoque & tunicam alterum veſtimentum acceperunt. [g] Verùm hæc tunica non commodè ſicut veſtimentum prius diuidi poterat, quoniam erat non cõſuta ex pluribus panni partibus, ſed ex ſuperioribus partibus texturæ artificio per totam latitudinem ac longitudinem ſuam, vſque ad partes inferiores vno contextu compoſita, ita vt ſi ex parte aliqua ſcinderetur, iam tota fieret inutilis. [h] Propter quod, adinuicem dixerunt milites: Non in partes hæc tunica diuidatur, vt de veſtimento altero fecimus, ſed integra & inconſciſſa permaneat, & nos ſortem pro ea mittamus, vt alicui ex nobis tota cedat in poſſeſsionem. Sic enim vnus aliquis ex nobis commodum ex ea referre poterit, quæ ſi diuidatur, proficiet nemini. [i] Atq; ita in iſta partitione pulchrè adimpletum eſt, quod multo antè Propheta Dauid in perſona Chriſti de eius paſsione loquens, planè & apertiſsimè hac de re prædixerat in hũc modũ,

Fode-

[a] Foderunt manus meas & pedes meos,& dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerūt me,diuiſerunt ſibi quaſi in prędam veſtimētū meum,ſinguli ex eo partem ſumentes:& ſuper veſtem meam alteram inconſutilem, miſerunt ſortem, quis eam totam tolleret.[b] Et milites quidem illi improbiſsimi,quæ iam enarrauimus peregerunt, iuxta quod in ſcripturis prædictum fuerat. [c] Interim verò dum hæc agerentur,Chriſto iam in ligno pendente, aſtabāt non longè à cruce,quaſi ex oppoſito aliquantulum elōgatæ,mulieres quædam deuotæ, ex intimo cordis affectu crucifixo compatiētes: quarum prima erat benedicta illa & glorioſa virgo mater eius, eiq; erāt ſociæ & comites Maria ſoror eius mater Iacobi minoris & Ioſeph, & altera Maria dicta Magdalene, ſoror Lazari. [d] Piiſsimus itaque Ieſus, matrem ſuam dilectiſsimam vidēs,tam cōſtanti animo, & fideli pectore ſibi adhærētem,vt damnatum & ſuſpenſum filium nequaquam erubeſceret: videns quoq; eam doloribus ebriam,& (iuxta Simeonis Prophetiam) com paſsionis gladio perfoſſam: [e] ſimul quoque aſtantem cernēs cum matre diſcipulum illum quem præ cæteris ſpeciali quodā teneritudinis affectu diligebat, filiali affectu quo ſemper matrem vnice coluerat,[f] nūc quoque,licet in tanta pēdens anguſtia,eius curam gerens,de cruce eam alloquitur,dicens: O mulier,inter omnes mulieres benedicta,ecce Ioannē iſtum,qui tecum hîc aſtat,in filium tibi trado, atque in meum locum ſubſtituo. [g] Deinde dixit diſcipulo: Ioannes dilecte,meam matrem tibi moriēs commendo,vt eam matris loco ſuſcipias,& filiali colas affectu,ſicque illi vt filius matri per omnia ſis auxilio atque ſolatio.

[h] Quod Chriſti breue in cruce conditum,& de cruce pronuntiatum teſtamentum, tantum apud diſcipulū valuit,vt ex illa hora diſcipulus iſte Mariam ſuſceperit quaſi in propriam ſuam matrem, quaſi in peculiū quoddam ſingulare, & precioſum nimis theſaurum, cuius ipſe cuſtos eſſet deſignatus, extunc ei per omnem vitam fideliſsimè adhærens, & ſoliciti ſsimè obſequens:ob præceptoris reuerentiam & amorē. Neq; dubium,

a Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, et in veſtē meam miſerunt ſortem.

b Et milites quidem hæc fecerunt.

c Stabant autē iuxta crucē Ieſu, mater eius, et ſoror matris eius Maria Cleophæ, et Maria Magdalena.

d Cùm vidiſſet ergo Ieſus matrem,

e et diſcipulum ſtantem, quem diligebat,

f dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.

g Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.

h Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam.

a Poſtea ſciens Ieſus, quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptura, dicit:

b Sitio.

dubium, quin illa viciſsim diſcipulum materno affectu vt filium dilexerit, fouerit, atq; inſtruxerit.[a] Quibus ita piè diſpoſitis, ſciens dominus Ieſus, iam penè omnia eſſe cõſummata, & opere exhibita, quæ de ipſius paſsione pater decreuerat, vt cõſummaretur ſcriptura Pſalmorum, quæ ipſum prædixit in ſiti ſua aceto potãdum, quæ adhuc reſtabãt implenda, neque vel minimũ aliquid omitteretur, quod non penitus adimpleretur,[b] alterum adiecit verbum, quo ſitim ſuam intimauit, ſitim ſanè etiam corpoream indicans, qua nihil mirũ ſi grauiter premebatur, tanto effuſo ſanguine, & omni exhauſto vigore: potiſsimũ tamen ſitim myſticam intẽdens, qua omnium etiam inimicorum auidiſsimè deſiderabat ſalutem.[c] Erat autem iuxta crucem diſpoſitum vaſculum plenum aceto: procuratione indubiè inimicorum, vt ex eo potũ darent pendenti, ſi fortè deſideraret. [d] Milites itaque ſtatim vbi audiſſent eũ de ſiti conqueri, gaudentes occaſionẽ ſe accepiſſe amplius illudendi & affligendi crucifixum, ſpongiam accipiunt, eámque aceto intinctam & impletam, arundini longæ ex hyſſopo circumponunt, quam vſque ad os eius porrigentes, ſic illi verè pluſquam melleo fonti, aceti propinãt acrimoniam, & ſuauiſsima illa labia nectar diſtillãtia ſalutis mordaci acedine illiniunt.[e] Quum ergo (propter ſcripturam implendam & ſignandum myſterium) guſtaſſet quidem, ſed non bibiſſet porrectum ſibi acetum dominus, verbum ordine penultimum proloquutus eſt, dicens: [f] Nunc conſummatum eſt, quicquid de mea in terris conuerſatione & paſsione, à patre ab æterno decretum fuit, vel per Prophetas ſanctos in ſcripturis prædictum, aut per legales cæremonias in vmbra præſignatum: neque ſupereſt quicquam, niſi vt certamen iſtud decenti fine perficiam, & curſum hũc meum moriendo abſoluam. [g] Vnde poſt paululum clamans voce magna, ac dicens: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, capite in partem alteram aut in pectus inclinato, poteſtatiuè à ſemetipſo animam ſuam poſuit, mortémque diſpẽſatoriè ad tempus vitæ vena ſuſcepit, & genus humanum omne morti

c Vas autem erat poſitum aceto plenum.

d Illi autẽ ſpõgiam plenã aceto hyſſopo circũponentes, obtulerunt ori eius.

e Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum: dixit:

f Conſummatum eſt.

g Et inclinato capite, tradidit ſpiritum.

morti obnoxium à morte eximeret.[a] Quoniam verò dies ille quo agebantur proximè ſabbatum antecedebat, qui dicitur paraſceue, id eſt, pręparationis dies, ſoliciti erant Iudæi, vt corpora iſta crucifixorum non remanerent in crucibus per diem ſabbati.[b] Nam dies ſabbati ſemper in multa reuerentia habebatur Iudæis, & præ omnibus, illum ſabbati diem, qui in paſchali ſolennitate occurrebat, præcipuo honore dignum æſtimabant. Viſa autem eis fuiſſent quædam ſto fieri irreuerentia, ſi vel in ſabbato cadauera illa de cruce fuiſſent depoſita, vel in crucibus ſuſpenſa (maximè quòd prope ciuitatem & iuxta viam eſſet locus ſupplicij) per totum ſabbati diem permāſiſſent. [c] Propter quod Pilatum accedunt Iudæorum principes, rogantes, vt ob imminentis feſti reuerentiam, crucifixorum illorum crura iuberet confringi, atque ita interfectos ante ſolis occaſum de cruce deponi. [d] Quo annuente, & poſtulata fieri iubente, milites illi crucifixores, ad exequēdam præſidis iuſsionem acceſſerūt: & primum quidem crura fregerunt duorum illorum latronum, qui cum Ieſu crucifixi fueranr, eo quòd nondum eſſent mortui, vt poſterius toto impetu in medium Ieſum deſæuirēt, ignorantes eum iam vita eſſe defunctum. [e] Vbi verò ad eum perueniſſent, quum eum mortuum eſſe aduerterent, ſuperuacaneū exiſtimauerunt eius crura frangere, quem vita iam defunctum non opus habebant interficere, neque ſenſu priuatum dolore potuerunt afficere. [f] Vnus tamē ex militibus, ſiue caſu aliquo, ſiue ex propoſito, vel præ nimia petulantia, vel pro habenda vitæ aut mortis certitudine, lācea militari ſacrum latus perfodit. Statímque aperto latere, ſanguis & aqua, diuinæ virtutis miraculo, ex corpore illo exangui, & prorſus omni vigore exhauſto profluxerunt, in myſterio redēptionis & regenerationis credentiū. Sanguis enim in redēptionis pretium, aqua profluxit in regenerationis lauachrum.[g] Et ne vana quis iſta quæ dicuntur exiſtimet, teſtor me horum deſcriptorem præſentem illic adfuiſſe vbi hæc geſta ſunt, & hiſce oculis omnia exactiſsimè perſpexiſſe: ac proinde, meo teſti-

monio

a Iudæi ergo, quoniam paraſceue erat, vt nō remanerent in cruce corpora ſabbato.

b (Erat enim magnus dies ille ſabbati)

c rogauerunt Pilatum, vt frāgerentur eorum crura, & tollerentur.

d Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo.

e Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderūt eum, iam mortuum, non fregerunt eius crura,

f ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua.

g Et qui vidit teſtimoniū perhibuit, & verū eſt teſtimonium eius.

monio iure fides haberi debet, cùm de illis tantũ perhibeam teſtimonium, quæ mihi optimè comperta ſunt. [a] Et ego qui hæc deſcripſi, non tanquam veriſimilia aut poſsibilia tantum ea deſcribo, neque ſub dubitatione propono, ſed certiſsimè cognoui ea omnia vera eſſe, & nulla eſt omnino hæſitatio, [b] vt & vos qui ea legitis, non eo modo, quo ferè ſolent huiuſmodi res nouæ legi ſuſcipiatis, tãquam noua quædam & extranea, poſsibilia aut veriſsimilia, aut ſuſpecta, aut dubia, ſed abſque vlla hæſitatione credatis hæc ita in veritate ad omnium ſalutem geſta eſſe. [c] Per hoc autem quod Chriſti in cruce non fuerant confracta crura, ſed tantum latus fuit apertum, bene impletum eſt (quãtum ad prius attinet) quod in lege ſub typo agni paſchalis de Chriſto vero paſchali agno dictum fuerat: [d] Os non confringetis ex eo. Per hoc enim quod in eſu typici agni filij Iſraël vetabãtur eius oſſa comminuere, ſignatum fuit, Chriſti, oſſa in immolatione & paſsione nõ eſſe confringenda. [e] Quantum verò ad poſterius attinet, per lateris foſsionem bene impleta eſt Prophetia illa Zachariæ Prophetæ, qui in tẽpora nouiſsima reſpiciens, quãdo ad Chriſtum populus Iſraël conuertetur, ita prophetauit, dicens: [f] Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precũ, & aſpicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum. Ita videlicet tunc, videbunt per fidem ſibi ad ſalutẽ nepotes, quem patres olim trãſfixerunt clauis viuum, ac lancea mortuũ. Videbunt quoque ipſi eum crucifixores ad damnationem, quum ad iudicandum ſecundò adueniet. [g] His verò ita peractis, vir quidam magnæ dignitatis & authoritatis, nomine Ioſeph, qui ab Arimathia ciuitate erat, accedẽs ad Pilatum, poſtulauit ſibi donari corpus mortui in cruce Ieſu, vt ipſum pro ſua volũtate poſſet de cruce deponere, atque honeſta ſepulturа terræ tradere. [h] Erat enim ipſe diſcipulus Ieſu, docẽtem eum libenter audire ſolitus, tametſi propter timorem principum Iudæorum, qui in omnes Chriſto fauentes vnanimiter conſpirauerant, & graues pœnas

a Et ille ſcit, quia vera dicit:
b vt & vos credatis.
c Facta ſunt enim hæc, vt ſcriptura impleretur.
d Os nõ comminuetis ex eo:
e Et iterum alia ſcriptura dicit:
f Videbunt in quem transfixerunt.
g Poſthac autẽ rogauit Pilatũ Ioſeph ab Arimathia,
h (eò ꝙ eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autẽ propter metũ Iudæorũ) vt tolleret corpus Ieſu.

nas decreuerant, vſque ad id temporis palàm illum non auſus fuiſſet confiteri, neque eius ſe doctrinæ auditorem aut fautorem oſtendere. [a] Pilatus verò, cognito quòd iam mortuus eſſet Chriſtus, facile illius annuit poſtulationi: tum pro dignitate viri poſtulantis, tum pro compaſsione eius quem innocenter ſciebat eſſe damnatum. [b] Obtenta itaque hac facultate, vir ille rem indignam in Chriſtum peractam nimium dolens, & indignatione animum ſubminiſtrante Iudæorum inſaniam quam hactenus pertimuerat iam nihili pendens, confidenter acceſsit ad crucem, & inde corpus præceptoris ſui multa cum reuerentia depoſuit. [c] Eodem animo eadémque fiducia & alter quidam ex Iudæis, imò ex ipſis Phariſæis, Nicodemus nomine, quem ſuprà dicimus ferè in initio Euangelij huius, ad Chriſtum ſub noctem clanculum aliquando veniſſe, atque cum eo de rebus diuinis colloquutum fuiſſe, tūc cùm primum manifeſtari cœpiſſet eius prædicatio, qui ex eo tempore nō malè affectus fuit doctrinæ eius, licet & ipſe propter metum Iudæorum ſuam ſentētiam non proderet: [d] & hic (inquam) ad locum ſupplicij, officij gratia, venit, ſecum adferēs magnum pondus vnguenti ex myrrha & aloë cōmixti, ad libras fere centum. [e] Hi duo accipientes corpus illud ſacrum domini Ieſu, inuoluerunt ipſum, ac ligauerunt pannis lineis candidiſsimis, in ſindone munda, quā ad hoc Ioſeph mercatus fuerat: prius tamen aromatibus & vnguētis bene delibutum atque conditum, eo ritu, quo ſolent apud Iudæos viri honeſti aut nobiles ſepeliri. [f] Circa locum autem hunc in quo crucifixus erat dominus, hortus quidam erat parum admodum diſtans à loco ſupplicij, quaſi ad latus alterum ſitus, atque in horto iſto monumentum erat nouum, in quo nondum quiſquam hominum ſepultus fuerat, quòd ipſe ſibi Ioſeph in propriā ſepulturam in petra exciderat. [g] Hic propter inſtantem & iam incumbentem paſchalem ſolennitatem, & loci opportunitatem, eo quòd non multa eſſet diſtantia, multa cum reuerentia fideles illi diſcipuli præceptoris corpus

a *Et permiſit Pilatus.*

b *Venit ergo, & tulit corpus Ieſu.*

c *Venit autem & Nicodemus qui venerat ad Ieſum nocte, primùm,*

d *ferens myxturam myrrhæ et aloës, quaſi libras centum.*

e *Acceperunt autem corpus Ieſu, & ligauerūt illud linteis, cū aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.*

f *Erat autem in loco vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat.*

g *Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.*

in ho

in honore recondunt:ſuo hoc obſequio piè illud implentes Propheticū:Erit ſepulchrum eius glorioſum, ſepultura glorioſa,aut requies eius honor & gloria.

VNa autem ſabbati, Maria Magdalena venit &c.
b & vidit lapidem ſublatum à monumento.
c Cucurrit ergo, & venit ad Simonē Petrū, & alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis:
d Tulerunt dominum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum.
e Exijt ergo Petrus, et ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum.
f Currebāt autem duo ſimul,
g & ille alius diſcipulus præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum.
h Et cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina.

ELVCIDATIO CAP. XX.

PRIMA verò poſt ſabbatum die, quæ prima eſt dies ſeptimanę, Maria dicta Magdalenæ amoris impatiens, primo mane,nondum plenè exorto ſole, cùm adhuc ex magna parte eſſent tenebræ, & lux tantum illuceſcente aurora promicare inciperet, ad monumentum venit, vt illic magiſtri corpus inuiſeret,& (ſi daretur) vnguentis ad hoc allatis perungeret.[b] Accedénſque propius, vidit lapidem illum quo occluſum & obſignatum fuerat ſepulchrum, ab oſtio eius eſſe reuolutum.[c] Quòd vbi illa vidiſſet, admirans ſecum de lapidis amotione, & apertione ſepulchri,feſtinās properauit ad eos qui videbantur eſſe pręcipui inter Apoſtolos Chriſti, Simonem Petrū, & Ioānem filium Zebedæi, quē Ieſus peculiari ſemper amore dilexerat, eíſque per ordinem quæ viderat aperuit,dixitq; illis: [d] Sublatum eſt de monumento corpus domini noſtri, quemadmodum inſpecto monumento his oculis vidi:& quo tranſlatum ſit neſcio, quoniam ipſum in locis propinquis requirēs, nuſquā inuenire valeo. [e] Quo tam nouo rumore audito,ſtatim illi Petrus & Ioānes, vt certius aliquid cognoſcerēt,de loco in quo cum aliis Chriſti anniculis,& ipſa eius matre latebant, ſurgentes, venerunt ad monumentum. [f] Præ vehementia autem deſiderij, quo veritatem huius rei ſcire affectabant, ambo ipſi per viam feſtinato greſſu currebant. [g] Ioannes tamen, partim vi amoris peculiaris erga dominum, ac viciſſim domini erga ipſum attractus, partim corporis & ætatis agilitate,diutius currendo Petrum anteuertit, ita vt prior ad monumentum peruenerit. [h] Ac ſine mora,dilationis impatiēs, quum ſe inflecteret deorſum ad proſpectandum in interiora monumenti, vidit à lōgè pannos illos lineos quibus inuolutum fuerat corpus dominicum, ſeparatim poſitos, non vltra

corpus

corpus ipſum inuoluentes. [a] Noluit tamen, donec adueniret Simon Petrus, in monumẽtum intrare, ſed foris ſtabat illiu s aduentum expectans. [b] Quum autem poſt paululũ aduenißet Petrus, ea qua potuit celeritate illius inſequutus veſtigia non contentus ipſe oculorum iudicio, vt tactu quoque rei diſceret veritatem, in monumentum interius introiuit: quo cùm introiſſet, diſtinctius quàm ante omnia cõſpexit, linteamina videlicet quibus corpus fuerat inuolutũ poſita videns in loco vno, & ſudarium quo caput fuerat obuolutũ, & facies operta, nõ ſimul cũ linteaminib' poſitum, ſed ſeparatim in loco diſtincto velut conuolutum: ita vt ex hac diſtinctione manifeſtè poſſet aduerti, corpus ipſum abeſſe. [c] Quum autẽ prior ita Petrus introiſſet, atque iſta ſic vidiſſet diſpoſita, tunc & alter ille diſcipulus Ioannes, qui Petro vt ſeniori deferens, prior noluit intrare poſterius ingreſſus eſt, vt eadem ipſe quoque videret: non quòd Petro parum fideret, ſed quoniam eadem oculis videre amantis animus deſiderabat. Ingreſſus autem, eadem vidit quæ illæ prior conſpexerat, atque ex his viſis credidit iis quæ antè à maria audierat, domini corpus in ſepulchro non eſſe. [d] Prius enim quàm oculis viderent, non poterant credere rem ita habere, eo quòd nondum intellectum haberent earum ſcripturarum quæ de Chriſti reſurrectione teſtimonium perhibẽt: quod ſi vt poſtmodum intellexiſſent, facilè Mariæ corpus abeſſe nuntianti crediſſent. [e] Quum itaque certum nihil niſi de corporis abſentia diſcipuli haberent, non audentes nimiam illo in loco moram protrahere, iterum redierunt ad locum hoſpitij ſui, vbi inter ſeſe in ſilentio ad tẽpus commorabantur, vt quę viderant, aliis enarrarent, & rei exitum in quiete & ſilentio expectarent. [f] Maria verò amore præceptoris ebria, diſcipulis abeuntibus non recedebat, ſed affectu fœmineo foris extra monumentum perſtabat, largiter plorans, eo quòd deſiderabile domini corpus quod quærebat, non inueniſſet. [g] Quum itaque ſic in fletu perſeueraret, inclinauit ſe deorſum, & monumentum proſpexit: ad eum modum

a non tamen introiuit.

b Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentũ, & vidit linteamina poſita & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cũ linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutũ in vnum locum.

c Tunc ergo introiuit & ille diſcipulus qui venerat primus ad monumentum, et vidit, & credidit.

d Nõdum enim ſciebant ſcripturam, quia oporteret eum à mortuis reſurgere.

e Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos

f Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.

g Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentũ.

quo ſolent rem quamlibet vehementer deſiderantes, & ſtudioſe perquirẽtes, locum in quo latere exiſtimatur quod quæritur, ſæpius inſpicere, non contenti ſemel aut iterum inſpexiſſe: [a] ſicque proſpiciens, duos angelos intus in monumento ſedentes vidit, albis & candidis veſtimentis (vt ipſo habitus ſplendore gloriam reſurrectionis declararent) amictos: qui ſic ſibiinuicem erant ex oppoſito, vt alter ad locum vbi caput Chriſti poſitum fuerat, alter verò ad locum pedum eius reſideret.

a et vidit duos angelos in albis ſedetes, vnũ ad caput, et vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu.

[b] Qui Mariam blanda voce alloquentes, dixerunt ei: Quid habes, bona mulier, quod te ſic angit, quod te facit tam copioſas profundere lachrymas?

b Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras?

[c] Illa dolore plena reſpondit: Corpus domini ac præceptoris mei quod quęrebam, ablatum video à monumento, & inuenire locum nõ valeo, quo deportatum ſit aut translatum. Hæc eſt doloris & fletus mei cauſa iuſtiſſima quoniam ſacratiſſimum illud corpus amplecti & delinire vehementiſſimè cupio.

c Dicit eis: Quia tulerũt dominũ meum, et neſcio vbi poſuerunt eum.

[d] Quæ cùm intus reſidentibus angelis illa loqueretur, ſubito ſibi à tergo adeſſe quempiam percipiens, conuerſa eſt retrorſum, vt videret quiſnã ille eſſet: viditque propè aſtantem ſibi Ieſum, ſic tamẽ in ſpecie aliena, & habitu extraneo, vt ipſa non agnoſceret, Ieſum eum eſſe qui ſibi apparebat. Alloquens autem Mariam dominus Ieſus dixit ei:

d Hac cùm dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, et vidit Ieſum ſtãtem, et non ſciebat, quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus:

[e] Quid eſt bona mulier, quod te malè habet, propter quod tam amaras profundis lachrymas? Et quis eſt quẽ tam ſolicitè hic extra turbam ſolicitaria quæritas? Nõ enim mediocris videtur eſſe dolor qui te cruciat, nec modica quæ te angit ſolicitudo.

e Mulier, quid ploras? Quem quæris?

[f] Illa verò dominum quis eſſet non agnoſcens, & hortulanum quempiam eum eſſe putans, qui circa locum illum alicubi in horto aut agro laboraret, confidens certi aliquid ſe accepturam ex eo, vtpote qui ſingula illic vicina loca, & quæ ibi gerebantur exacte cognita haberet, magno affectu dixit ad eum:

f Illa exiſtimãs quia hortulanus eſſet, dicit ei:

[g] Quæſo bone vir, qui me deſolatam tam ſuauiter alloqueris, ſi tu illum quem tanta ſolicitudine ego quærito, qui totum meum affectum poſsidet, qui in loco hoc ante triduum (quod te ſcire non dubito) ſepultus fuerat, hinc ſuſtuleris,

g Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum,

ſtuleris, vt mihi indicare digneris locum, ad quem
ip ſum tranſtuleris: [a] & ego eum inde auferam, nec *a Et ego eum*
erit tibi ex eo vlla moleſtia. Non enim infelix ego *tollam.*
mulier quieſcere potero, donec illum meo cordi de-
ſideratiſsimum inuenero. [b] Tunc verò piiſsimus *b Dicit ei Ieſus:*
dominus, non vltra diſsimulare valens quis eſſet, neq;
afflictam mulierem diutius in dolore volens relin-
quere ipſam proprio ſuo nomine vocauit, dicens:
[c] Maria: tanta energia & efficacia vocis nomen illud *c Maria.*
proferens, vt ex eo ſolo ſtatim ipſa certiſsimo cogno
ſceret, dominum ſuum eſſe illum qui ſic eam voca-
ret. [d] Propter quod, ſtatim ipſa toto corde & cor- *d Conuerſa illa,*
pore ad dominum conuerſa, quæ antè fuerat paulu- *dicit ei:*
lum ab eo auerſa, (tam mente, propter ignorantiæ
infidelitatem, quàm corpore, propter verecundiæ pu
dorem) voce blandiſsima, qua illum adhuc viuentem
appellare ſolita erat, dixit ad eum: [e] Rabboni: quod *e Rabboni: quod*
Hebraici idiomatis verbum, in noſtra lingua ſonat, *dicitur magi-*
magiſter mi. Nam aliud ipſam loqui non patiebatur *ſter.*
immodicum animi gaudiũ, quod prolixiorem ſolet
impedire ſermonem. [f] Cùm autem ipſa, præ deuo- *f Dicit ei Ieſus.*
tione nimia, procidens in terram ſacratiſsimos domi
ni pedes, quos antè lachrymis lutulentos abluerat,
iuxta antiquæ familiaritatis conſuetudinẽ vellet ap-
prehendere, dixit ad eam dominus: [g] Noli Maria me, *g Noli me tan-*
vt ſoles, ita familiariter contingere. [h] Nondũ enim in *gere.*
corde tuo ego ad patrẽ aſcendi, hactenus imperfecta *h Nondum e-*
fuit fides tua, quæ me nondũ niſi in ſepulchro defun- *nim aſcendi ad*
ctum nouit perquirere, neq; ad illam quam habeo cũ *patrem meum.*
patre communẽ diuinitatis virtutẽ nouit aſſurgere.
Propter quod, non ſatis digna es quę modo meos glo
rioſos pedes ſic cõtingas, vt olim familiari eos cõſue
tudine ante glorificationẽ tractare ſolebas. [i] Abi au- *i Vade autem*
tem hinc feſtina ad Apoſtolos meos, quos ego vt fra- *ad fratres meos,*
tres habeo chariſsimos, & dic illis quæ videris & au- *& dic eis:*
dieris: & peculiariter hoc illis dices ex meo nomine.
[k] Qui ante triduum mortem in cruce ſuſcepi, nunc à *k Aſcendo ad*
mortuis victor mortis reſurrexi, idemq; poſt paululũ *patrem meum,*
in reſumpta natura humana ex virtute diuinitatis, ad
patrem conſcendam locum accepturus in dextera

a & patrem veſtrum. eius: [a] qui ſicut meus pater eſt per naturam, ita & veſter pater amodo per me dicetur, ſecundum adoptionem: quoniam per me filium ſuum naturalem, vos quoque nunc reconciliati, facti eſtis filij eius per gratiam.

b Deum meum, et Deum veſtrũ. [b] Item ſicut Deus meus dicitur, ſic & veſter amodo Deus dicetur: meus quidem præcellenter, quatenus in mea humanitate plenitudo inhabitat totius diuinitatis corporaliter: veſter autem, ſecundum participationẽ: quatenus de mea plenitudine gratiæ mẽſuram aliquã omnes accipitis. Hæc (inquam) ad illos ex meo nomine perferes nuntia, vt in me conſolentur, & plenum ac perfectum de me habeãt gaudium, iuxta quod illis ante abſceſſum pollicitus fuerã.

c Venit Maria Magdalena, annuntians diſcipulis: Quia vidi dominum, [c] Diſparente autem domino, Maria Magdalena feſtino curſu ad diſcipulos venit, optimi nuntij baiula, ſanctè ac veriſsimè aſſerens coram eis, dominum Ieſum Chriſtum in reſuſcitato corpore ſe vidiſſe viuentem,

d & hæc dixit mihi. [d] inſuper & hæc ad eos nuntia ab ipſo accepiſſe. Nondum vero toti Apoſtolorum collegio ſeipſum dominus monſtrauerat, neque apparuerat, vſque dum veſpera adueniret eius diei quo à morte ſurrexerat.

e Cùm ergo ſero eſſet die illo, [e] Quum igitur ſero factum eſſet, & veſpera iam adeſſet, luce ſolis abeunte, & tenebris aduenientibus,

f vna ſabbatorum, et fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati, propter metum Iudæorum, ipſo die illo dominicę reſurrectionis: [f] qui primus eſt inter dies ſeptimanæ, eſſentq́; oſtia domus, in qua congregati diſcipuli latitabant, obſerata & obfirmata, quod Iudæorum principes crudelitate inſatiabiles timerent, ne fortè mali quippiam ab eis paterentur,

g venit Ieſus, et ſtetit in medio, [g] tunc venit ad eos dominus Ieſus ianuis clauſis: ſtetitq́; in medio eorũ, tanquam paſtor in medio ouium diſsipatarũ, tanquã paterfamiliàs in medio familiæ ſuæ, tanquam præceptor in medio diſcipulorũ.

h et dicit eis: Pax vobis. [h] Et ne ex ſubita ipſius præſentia conturbarẽtur, pacis imprecationẽ eis obtulit, dicens: Pax Dei vobiſcum ſit, & vobiſcum permaneat.

i Et cùm dixiſſet, oſtendit eis manus et latus. [i] Quo dicto, oſtendit illis manus & latus, vt ex ipſis vulneribus, aut vulnerum cicatricibus agnoſcerent, ipſum eſſe eundẽ qui ante triduum clauis perfoſſus, ac cruci affixus fuerat.

k Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo domino. [k] Diſcipuli verò dominum videntes coram in medio ſui aſsiſtere, nihil hæſitantes de veritate reſurrectionis

eius,

eius,maximo ſunt perfuſi gaudio:finitoq́ue eam partus tẽpore iuxta promiſſum domini,de nouo homine nato ſeu reſuſcitato vehementem dolorẽ ſubſequuta eſt ingens lætitia. [a] Illis itaque nihil hæſitantibus, pacis imprecationem dominus replicat,iterũ dicens: Pax vobis.Nimirum hac replicatione ſignificans pacis,quam ex eo erant accepturi firmam ſtabilitatem, quæ longè abeſt à pacẽ huius ſeculi. [b] Ac deinde adiunxit:Sicut pater meus in mundum me miſit ad prædicandum nomen ſuum, & manifeſtandum gloriam ſuam:ita ego vos poſt paululum mittam, & ex nunc mittendos decerno in mundum vniuerſum,ad prædicandum nomẽ & Euangeliũ meum omni creaturæ. [c] Atque hæc dicens, vel facto ſenſibili oſtenderet exterius, quod interius inuiſibili operatione agebat,ducto ab imis præcordiis anhelitu flatũ emiſit in eos,& dixit eis: [d] Vt eorum quæ vobis ſunt committenda idonei miniſtri eſſe valeatis, ſpiritum ſanctum ego vobis infundo. [e] ſimulq́ue vobis eam tradoligandi atq; ſoluendi in Eccleſia mea poteſtatem, vt quorum vos hîc in terris peccata remiſeritis,legitimè veſtra vtentes poteſtate, illis verè apud me & patrem ſint remiſſa: [f] quorum verò peccata hîc in terris vos retinueritis,quos à peccatis ſuis legitimè vtẽtes veſtra poteſtate non duxeritis abſoluendos, illis verè apud me & patrem ſint retẽta,& nõ dimiſſa. Sic apud me ac patrem erunt rata in cælis, quæ per vos meos vicarios, atque item per eos qui veſtri loco in Eccleſia ſubrogandi erunt vſque ad ſeculi cõſummationem agentur in terris. [g] In hac autem manifeſtatione iucundiſsima,Thomas vnus ex numero duodecim Apoſtolorum,quos ante paſsionem ſuam dominus elegerat,qui cognominabatur Didymus, aberat Apoſtolorum collegio:tunc cùm veniſſet dominus, & diſcipulis manifeſtaſſet. [h] Cui proinde reuertenti,maximo gaudio geſtientes,dixerunt condiſcipuli cæteri, qui dominum viderant: [i] Neſcis Thoma, quantum damni tibi iſta attulit abſcentia. Nos enim quotquot hîc adfuimus, te abſente dominũ noſtrum vidimus in reſuſcitato corpore viuẽtẽ:manus eius & pedes

a *Dixit ergò eis iterum: Pax vobis:*

b *Sicut miſit me pater,et ego mitto vos*

c *Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit,et dicit eis:*

d *Accipite ſpiritum ſanctum.*

e *Quórum remiſeritis peccata, remittuntur eis:*

f *et quorum retinueritis, retenta ſunt.*

g *Thomas autẽ vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cũ eis,quando venit Ieſus.*

h *Dixerunt ergo ei alij diſcipuli.*

i *Vidimus dominum.*

pedes hiſce oculis contemplati ſumus, inſuper & loquentem auribus noſtris audiuimus. [a] Ille de tanto ſuæ abſentiæ damno nimium dolẽs, quaſi impatientia quadã amoris vulneratus, dixit ad eos: [b] Tametſi vos mihi teſtemini, dominum ſurrexiſſe & vobis eſſe viſum: ego tamen plena fide ſuper hac re non quieſcam, donec ſicut vos iam illum vidiſſe dicitis, & ego eum videro, donec in manibus eius videro fixuras figuráſque clauorum, quibus perfoſſæ illæ fuerunt & cruci affixæ: [c] inſuper & digito fuero perſcrutatus loca vulnerum, & foſsionis clauorum: [d] ac præterea in locum vulneris lateralis, quod audiui mortuo ipſi in cruce lancea inflictum, manum meam immiſero. Tantũ enim hoc mihi videtur reſurrectionis myſterium, vt n n niſi certiſsimis teſtimoniis comprobatũ credi debeat: neq; dubito de magiſtri bonitate, ſi verè reſurrexerit, & verè vobis viſus, quin & mihi ad plenam fidẽ faciendã, libenter iſta quæ expecto monſtrabit. [e] Euolutis itaque diebus octo, à die reſurrectionis & manifeſtationis huius prioris, die octauo, iterum erant diſcipuli in vnum locum congregati, & erat etiam Thomas cũ eis, poſt ſemel expertum abſentiæ damnum indiuidua ſocietate ſanctorum collegio adhærens, ne fortè in ſimile damnum ſecundo incideret. [f] Benignus autem dominus Ieſus nolens vltra differre deſiderium diſcipuli, & ſuſpenſum eius animum diutius nolens detinere, venit ad eos, ianuis in clauſtris ſuis ac ſeris, ita vt erant, remanentibus: ſtansque in medio eorum, pacis ſuæ precationem diſcipulis in commune omnibus obtulit, dicens: [g] Sit vobis pax de cælo vera, ſempérque in vobis permaneat. [h] Deinde peculiariter ſermonem conuertens ad Thomam, cuius infidelitatem ſanare venerat, dixit ei: [i] Veni Thoma, & ſatisfaciam tuo deſiderio tuámque infidelitatem curabo. Accede ad me, & digitum tuum huc infer in vulnera manuum, vt tangas ea, & manus meas etiam diligenter oculis cõtemplare, inſuper & manum tuã huc admoue, & mitte eam in locum vulneris lateralis, vt certiſsimis his teſtimoniis tibi comprobata reſurrectionis meæ veritate, omnem

a Ille autem dixit eis:

b Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum,

c & mittam digitum meum in locum clauorũ,

d & mittã manum meam in latus eius, non credam.

e Et poſt dies octo iterũ erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis.

f Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis:

g Pax vobis.

h Deinde dicit Thomæ:

i Infer digitum tuũ huc & vide manus meas, et affer manũ tuã, & mitte in latus meũ: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.

omnem repellas à te infidelitatis dubitationem,& verè credas me ſurrexiſſe à mortuis. [a] Quæ poſtquam ita feciſſet Thomas, omni dubitationis ſcrupulo remoto,plena fide in eum credidit: id quod & voce proteſtatus eſt, ex magno affectu omnibus audientibus condiſcipulis,proclamans, ac dicens: [b] Nunc certò cognoui,quòd verè à mortuis reſurrexeris, quodque tu ipſe verè ſis dominus meus & Deus meus,verus in reſuſcitato corpore homo,& verus filius Dei. [d] Quã Thomæ confeſsionem approbans dominus, ita reſpondit: Tu quidem Thoma ideo in me credis, quia corporali me aſpectu vidiſti, ipſiſque tuis oculis ac manibus videndo pariter & palpando veritatem meç reſurrectionis comprobaſti: alioqui (quantum verbis indicaſti)non crediturus. [d] Et tu quidem beatus, cui hoc datum eſt videre & credere. Veruntamen non minus, imò hac ex patre magis beatos dico,qui me corporaliter non viſo,in me tamen crediderũt vel credẽt: quomodo olim ſancti Patriarchæ & Prophetæ in me vt naſciturum mũdi ſaluatorem credebant, ex promiſsione Dei, & quomodo in futuris generationibus electi in me credent,ex ſolo auditu & prædicatione eorum quæ per me in mundo ad ſalutem hominum ſunt facta. [e] Nemo verò exiſtimet,pauca hęc quæ à nobis fideliter ſunt deſcripta, omnia eſſe quæ Chriſtus dominus egit in mundo. Nam & alia ſigna plurima,diuinæ virtutis apertiſsima teſtimonia, ipſe edidit tam ante paſsionem,q̃ poſt reſurrectionẽ: alia quoque plurima cæleſtis doctrinæ protulit eloquia, & exempla virtutũ præclariſsima in ſemetipſo oſtendit,coram diſcipulis ſuis,qui horũ omniũ teſtes ſunt, vt fuerunt ſpectatores: [f] quæ non ſunt deſcripta in hoc libro, eo quòd præ multitudine & magnitudine vix ſcribi omnia poſsint. [g] Veruntamen paucula iſta quæ iam optima fide narrauimus, ad hoc ſic à nobis ſunt deſcripta, vt quiſquis ea legerit,in fidem inducatur domini noſtri Ieſu Chriſti: credens eum eſſe verè filium Dei, pro ſalute mundi à patre miſſum in mundum. (Ad hanc enim fidem faciendam, pauca hæc quæ liber iſte continet abunde videntur

a Reſpõdit Thomas, & dixit ei:

b Dominus meus et Deus meus.

c Dicit ei Ieſus: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.

d Beati, qui non viderunt, et crediderunt.

e Multa quidẽ et alia ſigna fecit Ieſus, in conſpectu diſcipulorum ſuorum,

f quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.

g Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei.

a Et vt credentes vitã habeatis in nomine eius.

POſtea manifeſtauit ſe iterum Ieſus ad mare Tyberiadis.

c Manifeſtauit autem ſic.

d Erant ſimul Simon Petrus,

e & Thomas, qui dicitur Didymus,

f & Nathanaël qui erat à Cana Galilaa,

g & filij Zebedai, & alij ex diſcipulis eius duo.

h Dicit eis Simon Petrus. Vado piſcari.

i Dicũt ei: Venimus et nos tecũ.

k Et exierũt et aſcenderunt in nauim.

l & illa nocte nihil prẽdiderunt.

m Mane autem facto, ſtetit Ieſus in littore: nõ tamen cognouerunt diſcipuli quia Ieſus eſt.

ſufficere,animo non obdurato malitia.) [a] Sic autem in Ieſum credens,per nomen eius,atque per ipſum vt mediatorem,præmium ſuæ fidei accipiat vitam æternam,quam proculdubio omnes conſequentur, qui in finem vſque in fide eius permanſerint.

ELVCIDATIO CAP. XXI.

POST aliquot autem dies,iterum dominus Ieſus diſcipulis ſe manifeſtare dignatus eſt, iuxta lacũ ſiue mare quod à vicina ciuitate Tyberiade, (in honorẽ Tyberij Cæſaris ſic nominata)appellatur mare Tyberiadis. [c] Modus autẽ manifeſtationis erat huiuſmodi.[d] Erãt ſimul,& animo vniti & cõgegati corpore, ſeptem ex diſcipulis Chriſti, Simon Petrus Apoſtolorum caput, [e] & Thomas ille cognomento Didymus cuius ſuprà meminimus, qui ſemel expertus damnum abſentiæ, poſtmodum tenacius ſanctorum cõgregationi didicit adhærere, [f] & Nathanaël qui ex loco quodam Galilææ dicto Cana,vbi aquam dominus cõuerterat in vinũ,erat oriundus,homo doctus in lege, cuius innocentiæ iam antè dominus perhibuerat teſtimonium: [g] inſuper duo filij Zebedæi, Iacobus maior & Ioannes frater eius, & præter hos alij duo ex diſcipulis Chriſti. [h] His igitur congregatis, dixit ad condiſcipulos Simon Petrus. Vadam ego ad lacum hîc propinquum & antiquũ piſcationis exercebo officium, vt noſtrũ omnium penuriæ ſubuenire, & neceſsitati poſſim ſuccurrere. [i] Illi honeſtum & neceſſarium ſatis eſſe cõſiderantes Petri propoſitum, nec tamen ſolum ad opus illud ſufficere, ſtatim ei conſentiunt, & comitari ſe eum velle affirmant. [k] Exierunt itaq; de domo in qua erant cõgregati,ad lacũ vicinum:& conſcenſa naui cœperunt retia extendere,atque in piſcationis negotio laborare.[l] Verùm per totam noctem fruſtrà laborantes,nihil operæpretium aut labore dignum potuerunt comprehendere. m Cùm autem ſic vnanimiter & diligenter per totam noctem laboraſſent, pius Ieſus qui opportunè ſemper ſuis adeſſe

con

conſueuit, illuceſcente die apparuit ſtans ad littus, ex oppoſito loci vbi piſcabantur. Sic autem apparuit in habitu ignoto, vt nõ cognoſceretur à diſcipulis quis eſſet, donec tandem voce & ſigno ſeipſum clarius manifeſtaret. [a] Stans itaque in littore, diſcipulos laborantes alloquitur, dicẽs: Pueri, habetis ne aliquid obſonij aut cibi adiectitij, quod cũ pane edatur? [b] Reſponderũt diſcipuli, nihil ſe habere, neque quicquam adhuc comprehendiſſe poſt longum totius noctis laborem. Rurſum ad illos dominus: [c] Rete veſtrum conuertite, atque ad partem dexteram nauis ipſum iacite, illic inuenietis piſciũ copiam: facite quod ſuadeo, & vos non pœnitebit conſilij. [d] Statim illi, qua erant ſimplicitate & modeſtia, hominis ignoti acquieſcentes conſilio, rete attrahentes iecerũt ipſum in dexteram partem nauis, & ſtatim obedientiæ ſuæ fructum ſenſerunt: tanta piſcium multitudine in rete illud intrante, vt vix & non niſi magna difficultate rete ipſum attrahere poſſent præ multitudine & magnitudine piſcium. [e] In hoc autem miraculo, ſtatim agnoſci cœpit dominus. Diſcipulus enim ille quem peculiari dilectione proſequi ſolebat dominus, virgineæ mentis puritate perſpicatior, factum ipſum & facti modum attentius cõſiderans, intellexit, dominum Ieſum eſſe qui apparebat: idque ſicut intellexit, ita mox Petro tanquam capiti indicauit. [f] Quod vbi ille audiſſet & crediſſet, ſolito feruore accenſus, expectare non voluit: donec ad Chriſtum nauigio veniret; ſed tunica ſua piſcatoria celeriter indutus (ad expeditius enim laborandum veſtimenta exuerat, & indecens videbatur, vt ſic nudus ad dominum tranſiret) de naui confidenter exiliit in mare, vt citius ad ipſum pertingeret. [g] Cæteri verò diſcipuli in naui remanentes, ipſamque ad littus dirigentes, ita ad dominum peruenerunt, ſecũ attrahentes rete in quo piſces iam concluſi erant. [h] Facilè autem fuit illis, cito Petrum ad littus ſubſequi: quoniam nõ multa erat loci vbi piſcabantur à littore diſtantia, videlicet ducentorum circiter cubitorum. [i] Poſtquam verò applicuiſſent littori, & de naui quam ingredientes aſcenderant,

a Dicit ergo eis Ieſus: Pueri, nunquid pulmentarium babetis?
b Reſponderũt ei: Nõ. Dixit eis:
c Mittite in dexterã nauigij rete, & inuenietis.
d Miſerũt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.
e Dicit ergo diſcipulus ille quẽ diligebat Ieſus, Petro: *Dominus eſt.*
f Simon Petrus *cũ audiſſet, quia dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.*
g Alij autẽ diſcipuli nauigio venerunt,
h (non enim lõge erãt à terra, ſed quaſi cubitis ducẽtis) trahẽtes rete piſcium
i Vt ergo deſcẽderũt in terrã, viderũt prunas poſitas, & piſcẽ ſuperpoſitũ, & panem.

derant, excundo deſcendiſſent in terram, viderunt carbonarium ignem illic accenſum, & ſuper ardētes carbones piſcem vt aſſaretur ſuperpoſitum, ac panem iuxta appoſitum. Hæc enim dominus ita per miraculum ſine humana opera illic diſpoſuerat, vt eſſet tanto familiarior oſtenſio, cùm ſe velut patremfamiliàs pro domeſticorum victu ſolicitum demonſtraret.

a Dicit eis Ieſus: Afferte de piſcibus quos prēdidiſtis nūc.
b Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus,
c centum quinquaginta trib⁹.

[a] Dixit autem ad illos iam nauim egreſſos dominus: Afferte huc aliquos ex piſcibus quos nunc comprehendiſtis, vt ex labore veſtro primi vos fructū capiatis, quemadmodum laborantem agricolam oportet primum de fructibus edere. [b] Statimque obediens Simon Petrus, tanquam caput negotij, conſcenſa naui traxit rete ad terram, quod plenum erat magnis piſcibus: [c] numero centum quinquaginta tribus, in quo numero myſtico, deſignatur Eccleſiæ ſanctæ perfectio. Vſque adeo bene illis ſucceſsit piſcatio, præſente domino, in ſignum conuerſionis populorum multorum, quos per ſuam prædicationem domino cooperante ſanctæ Eccleſiæ erant congregaturi, atque ad ſtabilitatem ſupernæ gloriæ, quaſi in ſolidam terram, poſterius adducturi.

d Et cùm tot eſſent, non eſt ſciſſum rete.

[d] Et hoc in piſcatione iſta ſpeciale erat miraculum, quòd cùm in tanta & magnitudine & multitudine piſces rete contineret, rumpi tamen aut frangi ipſum non potuit: in ſignum poſt congregandæ per Apoſtolorum prædicationē Eccleſiæ: quæ licet plurimos omnis generis & conditionis homines, bonos atque malos, indifferenter ſuſcipiat, ipſa tamen integra ſemper & illæſa permanet, vt nec portæ inferi aduerſus eam præualeant.

e Dicit eis Ieſus: Venite, prandete.
f Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es?
g ſcientes quia dominus eſt.

[e] Tractis itaque ad terram piſcibus, poſt laborem diſcipulos dominus benignè inuitat ad refectionem, dicens eis: Venite, & comedite, vt exhauſtum labore corpus, per cibum reparetur viribus. [f] Diſcipuli autē à magiſtro inuitati, ſine mora diſcumbūt: nemo tamē ex eis auſus eſt illū interrogare, quis ipſe eſſet, aut vnde veniret, propter nimiam quam erga ipſum gerebant cordis honeſti reuerentiam. [g] Poſtea enim quàm tantum conſpexerunt ab eo fieri miraculum, Ioannes quoque Petro dixiſſet quia dominus eſt, &

Petrus in mare ſe eius cauſa miſiſſet, nemini illi præſentium dubium erat, quin verè dominus Ieſus eſſet qui apparebat.[a] Dominus autem diſcipulis ſuis familiariter ſe adiungens, ita vt ſolet cùm adhuc apud eos, viſibiliter verſaretur, accepit panem in ſacratiſſimas manus ſuas, & diſtribuit diſcumbentibus diſcipulis: ſimiliter & piſcem aſſum diuiſit, atq; diſtribuit. [b] Hac iam tertia vice, atque hoc tertia apparitionis modo, manifeſtauit, dominus Ieſus ſemetipſum cōmuniter cōgregatis diſcipulis poſtquam ſurrexiſſet à mortuis, tametſi & alia quædā peculiares vni aut alteri, aut mulieribus aliquibus factę interceſſerint apparitiones. [c] Poſtea verò quàm abſolutum eſſet conuiuium, poſt debilitata labore corpora cibo refecta, dixit dominus ad Simonem Petrum: [d] Simon fili Iohanna, quid tibi videtur? putas amplius tu me diligis, quàm cæteri tui iſti cōdiſcipuli? Tu quidem zelo vbique videris ardētior, ſed nunquid vero amore te plus aliis mihi putas eſſe coniunctum? [e] Petrus memor pręſumptionis priſtinæ cum paſsione imminente diceret: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint, ego nunquam ſcandalizabor, & quem præſumptio illa exitum habuerit nōdum oblitus, atque hac ex re modeſtiam in loquēdo edoctus, ita temperauit reſponſum, vt de ſe quidem quid cōſcientia teſtificaretur diceret, de aliis autem faceret. [f] Ita enim domino reſpondit: Vtique domine tu cognitor humanorum cordiū noſti, quod verè te diligam. An autem plus aliis nihil audeo pronunciare qui aliorum nequeo conſcientias perſcrutari.[g] Reſpondit ei dominus: Committo tibi plenam ouilis mei curam, vt agnos meos fideles in me credētes, ex poteſtate & authoritate tibi commiſſa, verbo & exemplo paſcas: conſtituo te meum in terris vicarium, & generalem tibi trado totius Eccleſiæ curam paſtoralem. [h] Quòd cùm dixiſſet, iterum eum interrogauit, eadem ferè interrogatione qua prius, niſi quod particulā illam vltimam ad quam Petrus reſpōdere erubuerat, ſubticuit, dicens: Simon fili Iohannis, putas te mihi vero eſſe amore coniunctum? [i] Petrus in fiducia bonæ conſcientiæ, proptè ſecundò reſpondit,

e *Et venit Ieſus, & accepit panem, & dabat eis, & piſcē ſimiliter.*

b *Hoc iam tertiò manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, cum ſurrexiſſet à mortuis.*

c *Cùm ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus:*

d *Simon Iona, diligis me plus his?*

e *Dicit ei:*

f *Etiam domine, tu ſcis quia amo te.*

g *Dicit ei: Paſce agnos meos.*

h *Dicit ei iterum Simon Iona diligis me?*

i *Ait illi: Etiā domine, tu ſcis quia amo te.*

dit, dicens: Vtique domine, tu ſcis quod verè te diligam [a] Et dominus iterum ad illum vt prius: Cómitto tibi, inquit, generalem ouilis mei curam, vt meo loco, paſtorem bonũ agas in vniuerſa Eccleſia mea, & paſtoraliter regas fideles meos, [b] Necdum verò contẽtus dominus adiecit tertiò Petrũ interrogare, num ſe verè diligeret. Videlicet in hoc oſtendens, eum qui aliis debeat in cura paſtorali præeſſe, in charitate Dei ſtabilitũ eſſe debere, nec paſtori ſufficere, vt qualicũque ſit charitate præditus, tanquã vnus aliquis ex vulgo fideliũ, ſed præcellere & præeminere in eo debere charitatem Dei: & hoc potiſsimũ in eo ſpectãdum eſſe, vt paſtoralem curam non propter quæſtum aut ambitionem ſuſcipiat, ſed ex amore erga Deũ, & deſiderio ſalutis ouiũ. Propter hoc ſcilicet dominus Petrum interrogat, non de genere, non de diuitiis, non de doctrina humana, ſed de dilectione: nec ſemel interrogaſſe contentus, tertiò eandem replicat interrogationem, vt illam eſſe maximè neceſſariam, & ante omnia requiri intelligamus: [c] Petrus verò audiens dominum ſemel iterum, & iam tertiò illam de amore quæſtionem ſic replicare, metuẽs ne fortè mali quippiam ſibi à domino prædiceretur, quomodo paulo ante paſsionem magna iactanti lapſum ſuum prædixerat, cœpit animo cõtriſtari: propter quod ingemiſcẽs, magno affectu dixit ad illũ: [d] Mi domine, tu omnia noſti, etiam occultiſsima cordis humani: & per hanc tuam omniſcientiam, quam nihil poteſt latere, tu noſti, & me melius noſti, quòd ex ſyncero affectu te diligam. [e] Tunc reſpondit illi tertiò dominus, vt bis iam dixerat, curam ei committẽs ſuarum ouium. Videlicet ita tertiò voluit Petro oues committere, non contentus ſemel commiſiſſe: tum vt affectus indicaretur Chriſti tam ſerio commendantis erga oues commendatas: tũ vt intelligeret curam ſuſcipiens paſtoralem, quãta debeat ſuper oues cuſtodia vigilare: intelligat quoque aliam eſſe curam adhibendam incipientibus tenellis agnis, aliam proficientibus, aliã iis qui videntur eſſe perfecti: quorum primos ſub prima, ſecundos ſub ſecunda, tertios ſub tertia commẽdatione, diſtinctim

a Dicit ei: Paſce agnos meos.

b Dicit ei tertiò Simon Iona, amas me?

c Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei:

d Domine, tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te.

e Dicit ei: Paſce oues meas.

ctim licebit accipere. Deniq; vt intelligat paſtor Chriſtianus, tribus modis paſcendas eſſe Chriſti oues, népe verbo, exemplo, & oratione. [a] Quoniam verò qui ouium Chriſti curam ſuſcipiũt, pro eis etiam animas ponere debent, Petro ſuam paſsionem conſequenter indicat, dicens. Tu, quidem Petre cùm iunior eſſes. in ætate minori, priuſquam tibi Eccleſiæ cura incũberet, teipſum cingebas pro tua voluntate, & quò libebat liberum tibi erat ambulare, neque tibi quiſquam vim vllam inferebat. [b] Poſtquam autem ad ætatem maioré perueneris, poſtquam in officio paſtorali curſum tuum expleueris, tunc apprehenſus à perſequutoribus fidei & nominis mei, cogeris extendere, atq; etiam voluntarie ex charitate extendes manus tuas. ad vincula ſuſcipienda: [c] & alius vel tyrannus vel tortor te alligabit, quaſi maleficum & reum mortis; & ad ſupplicia ac tandem ad morté te pertrahet, à quibus tu ſecũdum carnis ſenſualé affectum (qui omnia corporis odit incõmoda) abhorrebis, tametſi ſecundum ſpiritũ pro meo amore libenter illa ſuſtinebis. [d] Hoc auté quaſi parabolico ſermone, ſignificare voluit Petro dominus, modum paſsionis & exitum mortis ſuę, quam propter gloriam Dei patris & Chriſti filij eius, pro veritate Euãgelij Dei erat perlaturus ab infidelibus perſequutoribus. [e] Quo dicto, vt etiam ſenſibili ſigno idem illud ſignificaret, quod iam verbo indicauerat, dixit ad Petrum: [f] Sequere me nunc greſſu corporeo qui tibi in ſignum ſit eius ſequelæ, qua poſterius me ſequeris ſimilitudine paſsionis. [g] Cùm autem ſequi Chriſtũ Petrus inciperet, conuerſus vidit Ioannem diſcipulum à Chriſto peculiariter dilectũ, [h] cui ſpeciali priuilegio cõceſſum fuerat in cœna nouiſsima ſupra pectus domini Ieſu, præ teneritudine amoris caput reclinare, [i] qui in cœna eadem dominum de ſuo proditore generali ſermone loquentem. innuéte Petro, auſus eſt interrogare, dicens: Domine, quis eſt qui te tradet, ex omnibus nobis? Hunc (inquã) Petrus vidit ſequétem vltro dominum, cùm ab eo non eſſet nominatim ad ſequẽdum vocatus: in quo ſignificata eſt promptitudo animi, quæ erat in Ioanne æquè atq; in Petro,

a Amen amẽ dico tibi: cùm eſſes iunior, cingebas te, et ambulabas vbi volebas.

b Cùm autem ſenueris, extendes manus tuas:

c et alius te cinget, et ducet quò tu non vis.

d Hoc autem dixit, ſignificãs qua morte clarificaturus eſſet Deum.

e Et cùm hec dixiſſet, dicit ei:

f Sequere me.

g Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulũ, quem diligebat Ieſus ſequentem,

h qui et recubuit in cœna ſuper pectus eius et dixit:

i Domine, quis eſt qui tradet te?

in Petro ad ſubeundũ pro Chriſto martyrium, tametſi dominus eum noluerit perſequutorum manibus interfici.

a Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dicit Ieſu:

[a] Hunc ergo Ioannem, qui inter cæteros videbatur præcipuus & peculiariter dilectus, intuitus Petrus dixit ad Ieſum:

b Domine, hic autem quid?

[b] Domine, iã ego quæ pro tuo amore ſum paſſurus audiui. Verum tuus iſte dilectus diſcipulus Ioannes quo fine conſummabitur, qualem habebit exitum? An nõ & ipſe ſimili fine curſum conſummabit, aut fortè parcetur eius teneritudini?

c Dicit ei Ieſus:

[c] Dominus nolẽs Petrum de iis quæ ad ſe nihil attinebant curioſius perquirere, ſed iis quæ ſibi dicebãtur intendere, ita Petro reſpõdit, vt certum nihil ex reſponſo, de eo quod interrogauerat poſſet cognoſcere. Dixit itaque ad eum:

d Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?

[d] Quid tua refert Petre, quem hic ſit habiturus exitũ? Si ego eũ velim ita in corpore manere, donec ipſe ego veniam ad auferendum eum de mũdo in pace, & nolim eum à perſequutoribus interfici, quemadmodum tibi continget, tua quid intereſt? Mihi enim liberum & licitum eſt, pro mea volũtate, alij hunc, alij illum ſtatuere exitum.

e Tu me ſequere.

[e] Tibi ſufficiat quod ad te attinet, quæ tibi imminẽt conſiderare, atq; ad ea animum præparare: tu vt me viriliter ſequaris vide, & ne iterum, vt nuper fidem violes vigilãter obſerua.

f Exiuit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur.

[f] Ex hoc autem verbo Chriſti nõ bene intellecto fama inter Apoſtolos vulgata eſt, quòd diſcipulus iſte non eſſet moriturus.

g Et non dixit ei Ieſus, non moritur: ſed, Si eũ volo manere donec veniã, quid ad te?

[g] Verum non hoc dixerat dominus, diſcipulum illum non eſſe moriturum: ſed hoc tantum, ad refutandum Petri curioſam quæſtionem, reſpõderat: Si eum ſic velim manere, donec veniam, quid ad te? Quo ſanè verbo, non illud ſignificatur, quòd diſcipulus ille non eſſet moriturus, primum quidem, quia conditionalis eſt ſermo, non abſolutus: deinde etiam ſi abſque conditione fuiſſet prolatus, nec ſic quidem indicaretur, nunquam moriturum diſcipulum, ſed tantũ ad tempus non moriturum, donec ipſe adueniret Chriſtus, eúmque auferret è mundo.

h Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimoniũ perhibet de his,

i & ſcripſit hæc:

[h] Hic autem diſcipulus de quo iam narratio facta eſt, atque etiam aliàs ſubinde ſub perſona tertia, ipſe idem eſt qui hæc nunc affirmat, [i] quíque ſanctum hoc Euangelium iuxta ea quæ vidit ipſe & audiuit, ad gloriam

Chriſti

Chriſti & ſalutem omnium in eum credẽtium, fideliter deſcripſit.[a] Et hoc meritò credant omnes, quem admodum & ego certiſsimè cognoui, verũ eſſe teſtimoniũ eius. Cùm enim quis de illis quæ vidit & audiuit fidele perhibet teſtimonium, nihil dubiĩ, quin huic vt vero & firmo ſcriptori aut narratori fides debeatur. [b] Ne verò quis exiſtimet, hoc modico volumine vniuerſa Chriſti geſta contineri, neque alia fuperefſe, ſicq; noſtra hac diligentia Chriſti gloriæ contingat detrahi, illud in fine operis huius apertè proteſtor, ea quæ hîc à me deſcripta ſunt admodum pauca videri, comparatione ad alia plurima, quæ per eum ſunt geſta, aut dicta: [c] quæ tot ſunt ac tanta, & tam omni conſideratione digniſsima, vt ſigillatim ea deſcribere, & ſingula ad comprobationem veritatis aut morum inſtitutionem ab eo dicta & facta, ſimulque eorum circunſtantias exprimere, [d] vix poſſet humanum ingenium: neque mũdus ipſe vniuerſus videretur capax omnium librorum qui forent conſcribendi de eo, dictíſque ac geſtis eius, qui in tempore factus homo, cum patre viuit Deus, per omnia ſæcula æternus.

Amen.

a & ſcimus: quia verum eſt teſtimoniũ eius.

b Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus,

c quæ ſi ſcribãtur per ſingula.

d nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros.

FINIT ELVCIDATIO PARAPHRASTICA EVANGELII SECVNDVM IOANNEM.

Deo ſemper & vbique gloria. Vna, Vni. Vnde, eo omnia.

LVGDVNI,
EXCVDEBAT MATHIAS
BON HOMME.

HIERONYMVS IN CATAlogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.

IOANNES *Apoſtolus, quem Ieſus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apoſtoli, quem Herodes poſt paßionem domini decollauerat, nouißimus omnium ſcripſit Euangelium, rogatus ab Aſiæ epiſcopis aduerſus Cerinthum, alióſque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Vnde & compulſus eſt diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam cauſam huius ſcripturæ ferunt, quòd cùm legiſſet Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probauerit quidem textum hiſtoriæ, & vera eos dixiſſe firmauerit, ſed vnius tantum anni, in quo & paſſus eſt, poſt carcerem Ioannis, hiſtoriam texuiſſe. Prætermiſſo itaque anno, cuius acta à tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis antequam Ioannes clauderetur in carcerem, geſta narrauit, ſicut manifeſtum eſſe poterit his qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint. Quæ res, etiam diaphoniam, quæ videtur Ioannis eſſe cum cæteris, tollit. Scripſit autem & vnam Epiſtolam, cuius exordium eſt: Quod fuit ab initio, quod audiuimus & vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, quæ ab vniuerſis eccleſiaſticis & eruditis viris probatur. Reliquæ autem duæ, quarum principium eſt: Senior electæ dominæ & natis eius: & ſequentis, Senior Caio chariſsimo, quem ego diligo in veritate: Ioannis presbyteri aſſeruntur, cuius & hodie alterum ſepulchrum apud Epheſum oſtenditur, & nonnulli putant duas memorias eiuſdem Ioannis Euangeliſtæ eſſe: ſuper qua re cùm per ordinem ad Papiam auditorem eius ventum fuerit, diſſeremus. Quartodecimo igitur anno, ſecundum poſt Neronem, perſequutionem mouente Domitiano in Patmos inſulam relegatus, ſcripſit Apocalypſim: quam interpretantur Iuſtinus martyr et Hyrenæus. Interfecto autem Domitiano, et actis eius ob nimiam crudelitatē à ſenatu reſciſsis, ſub Pertinace principe redit Epheſum: ibíque vſque ad Traianum principem perſeuerans, totas Aſiæ fundauit, rexítque Eccleſias, et confectus ſenio ſexageſimooctauo poſt paßionem domini anno mortuus iuxta eandem vrbem ſepultus eſt.*